Digitized by Google

9. 2. 151

Digitized by Google

FR. DANIELIS

CONCINA

Ordinis Prædicatorum,

DISCIPLINA

APOSTOLICO-MONASTICA

DISSERTATIONIBUS THEOLOGICIS illuſtrata, & in duas Partes tributa;

IN QUARUM PRIMA, DE VOTO PAUPERTATIS VITA COMMUNI circumſcripto; in altera, de cæteris ejuſdem DISCIPLINÆ præcipuis Capitibus diſſeritur.

ACCEDUNT

SELECTA QUÆDAM VETERUM THEOLOGORUM MONUMENTA.

AD EMINENTISSIMUM

HANNIBALEM

CARDINALEM ALBANUM.

VENETIIS, MDCCXXXIX.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS,

Digitized by Google

Accipe Librum , & devora illum :
& faciet amaricari ventrem
tuum : ſed in ore tuo erit
dulce tanquam mel.
(*Apoc.* 10. *v.* 9.)

9.2 151

Digitized by Google

EMINENTISSIMO & REV.^MO

PRINCIPI
HANNIBALI ALBANO
EPISCOPO SABINENSI,
& Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
CARDINALI CAMERARIO

FR. DANIEL CONCINA ORDINIS PRÆDICATORUM
FELICITATEM.

Q*Uantum lucis, & ornamenti* HANNIBAL ALBANE PRINCEPS EMINENTISSIME *ex Monaſtica diſciplina optime inſtituta, Romanæ Sedi, ac univerſæ Catholicæ Eccleſiæ accedat: quantum contra ſqualoris, & detrimenti, eadem neglecta,*

Digitized by Google

atque peſſundata, illa patiatur, verbis ampliſſimis Synodus ediſſerit Tridentina. * *Idcirco ſaluberrima decreta edidit, quibus, ubi viget, ſartam tectam eam cuſtodiri, ubi vero collapſa eſt, ad priſtinum revocari ſplendorem jubet, imperatque. Concilii ſanctiones, ut exequutioni omnino demandarentur, curam omnem, omnemque ſolicitudinem adhibuerunt Pontifices Summi: eaſdem novis, pro re nata, conſtitutionibus munierunt, ſeveriſſimis in tranſgreſſores pœnis conſtitutis: Purpuratorum quoque Patrum Collegium deſignavere, quorum munus eſſet, vocem adverſus gliſcentia in dies mala exaltare, ne temporis diuturnitate* VANO FALSO*que* SILENTII NOSTRI PRÆTEXTU, *ſe excuſare quiſquam audeat, inquit Sanctiſſimus Pontifex* INNOCENTIUS XII. ** *Nihilo tamen ſecius, quibus mitior arridet vivendi conſuetudo, nihil frequentius in ore habent; nihilque ad ſpeciem captioſius, quam Summorum Pontificum, reique Monaſticæ curandæ Præfectorum* Silentium, tolerantiam, & conniventiam, *ſuper remiſſa in Cœnobiis morum forma, obtrudere ſolent. Quod quidem commentum adeo ſpecioſum, eoque illitum fuco eſt, ut exprimi plane nequeat, quantum ad decipiendos valeat imperitos, quantum Hæreticis anſæ ſuppeditet, Apoſtolicam carpendi Eccleſiam, in eamque Monaſticæ profeſſionis corruptelam regerendi. Qua-*

pro-

* Seſſ. 25. cap. 2.
** Sanctiſſimus in Christo Pater, an. 1685.

propter operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi prima hujus diſciplinæ capita, bono in lumine, quantum per me licuit, collocata, ab injuſtis interpretationibus vindicarem: tum Canones, & Leges, quas, pro hac ipſa inſtauranda diſciplina, Romana Sedes rogavit, in medium afferrem, quo impoſturas, calumniaſque Silentii & conniventiæ *eidem impactas, penitus depellerem, & confutarem. In cauſſam porro aleæ, invidiæque plenam cum ingredior, ſummo mihi opus eſt Patrono, ſub cujus tutela in lucem, & quaſi in forum prodeam. Verum ad quem ego me recipere Mæcenatem debeo, niſi ad* Te *Romanæ Eccleſiæ ſplendidiſſimum lumen, atque eorum omnium, quæ in ejuſdem decorem conferunt, ſtrenuum, validumque aſſertorem, & vindicem? Cujuſnam mihi Auſpicium implorandum, efflagitandumque eſt, niſi* Tuum; *quando non modo ex multiplici ordinum, & nationum genere præſtantiſſimi viri in* Tuam *certatim convolant, & in dies conferre ſe geſtiunt fidem, & clientelam; ſed Principes ipſi, Regeſque prudentiſſimo arbitrio, eximiæque dexteritati* Tuæ *res ſuas graviſſimas deferunt, atque concredunt? Ecquid enimvero illos ad* Te *adducit, cum in ſummo rerum verſantur diſcrimine, gravibuſque, aut invicem, aut cum ſacra Eccleſiaſtica poteſtate diſſidiis ardent; niſi firma ſpes pacis, concordiæque,* Te *auſpice, ineundæ? Quid autem eſt, quod e Divinarum rerum meditatione, cui totus addictus es,* Te *devocat,* Tuum-

que

que compellit animum, ut eorumdem votis actutum indulgeas, & ingentium curarum molem ſuſcipias conficiendam? Nihil profecto aliud, præter Religionis Catholicæ tuendæ, amplificandæque incredibile ſtudium: nihil præter Romanæ Eccleſiæ felicitatem, ſplendorem, & incrementum. Iſthuc cogitationes, vota, tuaque molimina in primis pertinent: eademque ita fortunare dignatur Deus, ut omnia TIBI *ex ſententia procedere videantur. Cujus rei manifeſtiſſima argumenta non ita pridem univerſa ſpectavit Europa. Ad ſingularem quippe Nominis* TUI *gloriam, & ad fatiganda in ævum ſcriptorum ingenia, procurationibus* TUIS, *rerum, quæ communi expectationi in perditis, ac deſperatis erant,* TIBI*que ſolummodo, qui longius animo cernis, præter ſpem minime habebantur,* TE *agente, felix, fauſtuſque reſpondit eventus. Non ergo mirandum, ſi nihil ardui, gravioriſque momenti agitatur, cujus* TU, *non conſultor modo, ſed veluti tranſigendæ litis arbiter non ſedeas. Non ſane mirandum, ſi cum in publicis, tum in privatis negotiis magnopere efficax omnes ſentiant patrocinium* TUUM, TUUMQUE *nomen prædicent univerſi. Clariſſimum illud alii dicent, ob conſiliorum lumen, rerum gerendarum acerrimam dexteritatem, ſublimis mentis aciem, qua penitiores animorum receſſus pervadis: Alii ob miram Eloquentiæ* TUÆ *vim, ſubactum ingenium, exquiſitamque cum politioris litteraturæ, tum ſacrarum eruditionem ſcientiarum.*

rum.

Digitized by Google

rum. At iſtas ego, cæteraſque plurimas dotes, quibus, TE, *mirum in modum præfulgere apprime ſcio, ſciuntque omnes, demiſſe ſuſpiciens demiranſque prætereo. Quoniam alia ſunt egregia facinora, quæ ſtatum ac dignitatem* TUAM *propius contingunt, ac ſupra omnem laudem* TE *efferunt: Severior nempe vitæ* TUÆ, *ſanctiorque diſciplina: illibata morum integritas: ab omnibus Mundi hujus, vel honeſtiſſimis oblectamentis ſeceſſio, quo ſeria indefeſſius tractes: quo cœleſtibus deliciis abundantius fruaris, Deo intimius adhæreſcas, ferventioreſque preces illi fundas: Denique, ut a terrenis quibuſque curis vacuus, ad incruentum illud* TE *compares Sacrificium, quod in dies ſingulos (mirabile dictu in Eccleſiæ Principe tot, tantiſque negotiis diſtento) inter lacrymarum imbrem, Divinique amoris æſtus ſupremo offerre Numini ſoles. Hæc autem ſeveriſſima* TUI *ipſius moderatio ſummopere confert in providum, ac vigilantiſſimum gregis* TUI *evangelici regimen, atque in maximum ejuſdem commodum, perpetuamque felicitatem. Hinc profecto munificentiſſima illa liberalitas, qua Eccleſiaſticos* TUOS *reditus omnes, ſobrio victu, humilique, quaſi infra dignitatem, veſtitu ſubducto, modo in pupillorum calamitatem, modo in pauperum inopiam levandam, modo in Templorum nitorem, cultumque augendum, non tam diſtribuis, quam effundis. Ecquis namque Divinæ caritatis tuæ uberrimos fructus enarrare pro dignitate*

tate ſufficiat? Sed illos ex parte ſaltem aliqua abunde loquentur ſacra, auguſtaque Urbini Baſilica pretioſis, ditiſſimiſque donariis tuis locupletata, Templumque Ordini D. Dominici ibidem a ruina ſervatum, & graviſſimis impenſis in ampliorem formam inſtauratum: loquetur Civitas illa tota, quæ cum ope, tum providentia Tua, *non conſiſtit modo, verum etiam magna ſuſcipit incrementa, artibus & mercatura, quas ipſe invexiſti: loquentur demum, vel ipſi tranſalpini maxime Poloni iſthuc confluentes, quorum ad* Te *nemo unus accedit, (accedunt autem omnes) quin aut muneribus, aut eleemoſinis* Tuis *auctus* Tibi, *Romanæque Sedi magis devinctus abſcedat. Magna ſunt hæc, ſed minora evadunt, ſi cum iis conferantur, quæ univerſa Sabina Diœceſis ampliſſima beneficentiæ* Tuæ *monumenta, ære perenniora oſtentat. Publico primum aſpectui obverſatur inſigne* Manliani *Seminarium, quod a fundamentis pene excitatum, ditiore cumulaſti patrimonio, quodque caput eſt, undique conquiſitos pereruditos Præceptores conduxiſti, quo adoleſcentium mentes optimis artibus excolerent, animoſque intaminatis moribus formarent. Sed fortius oculos percellit ſplendor Eccleſiæ fulgentiſſimus, quam ut primum in ſponſam* Tibi *oblatam accepiſti, nihil intentatum abs* Te *relictum fuit, ut ad priſtinum decorem atque antiquam reſtitueretur Majeſtatem. Nam miſſis magnificis ornamentis, quibus illam affatim exornaſti, il-*

lud

Digitized by Google

lud ſpectandum occurrit, quod erat animi TUI *magnitudini reſervatum. Coruſcabat olim plurimorum ſanguine Martyrum, aliorumque heroum ſanctimonia, Provincia Sabina; ſed temporis vetuſtate obſoleta, & propemodum antiquata eorumdem celebritas erat.* TU *autem, qui magna ſemper, nempe* TE *digna, moliris, non induſtriæ, non labori, non impenſis peperciſti, quo memoriam præclaraque geſta Divorum, e tenebris, in quibus deliteſcebant, erueres: eruta vero, eo lumine illuſtraſti, ut exultabundi Sabini Populi, Divos ſuos ſacris Romanæ Eccleſiæ faſtis accenſitos ſolemniore pompa venerentur, & ſub eorum auſpiciis divina concelebrent. Quid plura? ut nulla ſupereſſet neglecta via ad reparandam, confirmandamque ſanctiorem diœceſeos* TUÆ *diſciplinam, poſt editas Conſtitutiones* TUAS *Synodales, ſapientia, eruditione, caſtiſſimiſque chriſtianæ vitæ Regulis refertas, ultra progreſſus, illas quoque, quas deceſſores* TUI, *plura abhinc ſæcula, ediderunt, in bibliothecarum angulis perquiri curaſti: & quotquot reperire ſedula induſtria, & arridens fortuna tulerunt, in unum congeſtas,* TUIS*que adjectas, elegantiſſimis typis cuſas, ad communem univerſæ Reipublicæ Catholicæ, nedum Sabinæ Provinciæ, utilitatem, publica luce donaſti. Plurima alia, quæ de* TE *recenſere poſſem, nec temporum, nec inſtituti mei ratio perſequi ſinit. Id dumtaxat adjiciam, videlicet,* TE *eo integerrimæ vitæ, ac ſpectatiſſimæ,*

quæ Epiſcopum Cardinalem decet probitatis, felicius perveniſſe, quod altiùs defixum animo habuiſti ſemper, & habebis quoad vixeris, Cæleſte illud documentum, quod TIBI *tanquam poſtremum amoris in* TE *ſui pignus commendavit ſempiternæ recordationis Pontifex ſanctiſſimus* CLEMENS XI. *Patruus* TUUS. *Deus immortalis!* QUI VIR! *Hic quippe extrema conſtitutus in lucta, & non longe Divinum proſpectans Tribunal,* TE *genibus provolutum, & ultimam Apoſtolicam benedictionem depoſcentem, hortatus eſt:* ut Sanctus fieres: & humana omnia, quo tandem decidant, intuereris, *ſicuti ejuſdem acta latine, eruditeque ſcripta teſtantur.* * *Hæc* TUA *ornamenta virtutum* EMINENTISSIME PRINCEPS, *ingentes mihi adjiciunt animos, ut Nomine* TUO, *quo nihil mihi, ſive ad honorem illuſtrius, ſive ad tutelam validius occurrere poterat, hanc exornem lucubrationem. Eo vero confidentiore animo ad* TE *munuſculum hoc in exiguum obſervantiæ erga* TE *meæ argumentum, oblaturus accedo, quod non mihi, ſed cauſſæ, ſed veritati, quam me propugnare, quidem arbitror, quæro, efflagitoque præſidium. Quod ſi præſtiteris, & iſtud novo argumento erit,* TE *ea omnia vindicanda, protegendaque humanitate ſumma excipere, quæ eo incumbunt, ut intemerata Romanæ Sedis decora, Religioniſque inſtauranda cauſſam tueantur. Vale.*

PRÆ-

* Lib. 5. num. 58.

PRÆFATIO.

SUmmo perculſus terrore Apoſtolus Paulus ineffabilem illam meditabatur Providentiam, qua præpotens orbis effector, & moderator Deus ſacrorum dogmatum fidem, nunc gratuita bonitate hominibus impertitur; nunc ſevera juſtitia eamdem illis ſubducit; nunc vaſa furoris ſui in dilectionis æternæ vaſa tranſmutat; & quos olim filios Regni Cœleſtis habebat, in tenebras ejecit exteriores. Hanc ſane terribilem, formidandamque viciſſitudinem noſmetipſi oculis noſtris conſpicimus. Nam Provinciæ, & Regna, quæ cum ad Orientem, tum ad Occidentem ſolem ſpectant, Templis quondam, & altaribus uni vero Deo exædificatis, ornabantur, nunc aut ſub antiquæ ſuperſtitionis caligine *ſepulta jacent*, aut diris hæreſum monſtris lacerantur in partes. Non abſimilem fere lamentabilem ſortem experta ſunt inſtituta Monachorum, qui Civitatibus nuncio remiſſo, & ab humano ſejuncti commercio in ſylvis, & ſpeluncis altiſſimam illam ſanctitatem excolendam ſuſcepere, quam euangelica proponunt conſilia. Siquidem innumeri illi Monachorum cœtus, qui primum Apoſtolorum vivendi formam mirum in modum imitabantur, labente paulatim diſciplina, morum ſeveritatem remiſerunt; deinde innocentis vitæ ſplendor occidit, atque temporis decurſu, ad extremum laxitatis perventum eſt. Verum quemadmodum in omnibus viis ſuis mirabilis Deus prædixerat, Eccleſiam ſuam, qua turbinibus, qua procellis, qua ſcelerum colluvione exagitandam; nunquam tamen aut naufragio fore obnoxiam, aut inferorum poteſta-

tibus ſuccubituram : ſed ex immenſa multitudine Chriſtianorum, quos e tenebris in admirabilem lucem ſuam vocavit, paucos ſibi ſemper reliquit, qui in ſpiritu, & veritate ſuorum myſteriorum fidem, ſuæque legis mandata adamuſſim profiterentur: Sic non interciſa temporum ætate ex pluribus Monachorum cœtibus exiguum numerum, cœteris in latiſſima relaxationis via neglectis, ſibi delegit, qui præter fidei confeſſionem, & mandatorum obſervantiam, ſua quoque conſilia verbo, & opere implerent; iſtique ſingulari privilegio forent gens ſancta, populus acquiſitionis, ſpirituales hoſtiæ, atque regale Sacerdotium. De hac divina Religioſorum hominum inſtitutione, ac eorumdem ſublimi ratione vivendi, perpetua mihi in hocce opere habenda oratio eſt. Hinc liber iſte DISCIPLINÆ APOSTOLICO-MONASTICÆ titulum propterea in fronte præfert; quod ſcilicet diſciplina iſthæc ab Apoſtolis in Monachos, & a Monachis in mendicantes Fratres alicubi ſemper imperturbata ſucceſſione permanavit, æternumque, Divino adſpirante Numine, ſtabit. Quippe ſimul atque euangelicæ caritatis ardor in chriſtiano populo deferbuit, denuo in Monachis, & poſt hos, in aliis cœnobiis, ut ſol illic occidens, iſthic exoriens priſtinum Divini luminis ſplendorem effudit. Quoniam hi Apoſtolorum veſtigiis inſiſtentes, terreniſque rebus contemptis, perfectam bonorum omnium communionem in Apoſtolico Collegio, Chriſto ipſo auctore, ortam, in ſua Monaſteria invexerunt, tanquam primam euangelicæ caritatis, Divinæque amicitiæ baſim, & fundamentum. De hac potiſſimum exacta bonorum omnium communitate verba ego facturus ſum, illudque erit præcipuum diſputationis meæ inſtitutum, explicatio nimirum illius graviſsimæ obligationis qua ejuſdem communitatis obſervationi devincti ſunt regulares viri. Porro, ut conſilia mea clarius lectorum oculis obverſentur, de tribus pauca præfari, operæ pretium me facturum, exiſtimavi. Primum omnium rationes, & momenta, quæ ad hanc exornandam ſpartam me impulerunt, manifeſtabo. Deinceps eorum, de quibus diſputaturus ſum, ſpecimen, pau-

cis perſtringam. Poſtremo invidiam, reprehenſioneſque, in quas laborem huncce meum incurſurum fore, ipſe præſentio, propulſabo.

I.

I. Et ad primum, quod attinet, controverſiæ magnitudo, utiliras maxima, ejuſdemque hucuſque nimis exilis, ac implexa tractatio ad hocce aggrediendum opus, acutiſſimos ſtimulos mihi adjecerunt. Ea ſiquidem eſt iſtius argumenti dignitas, atque pondus, ut univerſa Monaſtica diſciplina eodem innitatur, ceu unico fundamento, quo ſubmoto, in præceps ruat neceſſe eſt, quove conſiſtente, undiqneverſum aſſurgit, floret, emicatque. Tolle communitatem, & ſuſtuliſti Religionem; tolle communitatem, & Religio non eſt Religio; non ſtatus perfectionis, ſed ſtatus damnationis, inquiunt Peyrinus (a) vel ipſi benigniores Theologi. Quantum autem ſplendoris, & ornamenti Catholicæ Eccleſiæ ex diſciplina Monaſtica optime inſtituta, accedat, ampliſſimis verbis declarat Tridentina Synodus (b) quemadmodum, contra, damna, & offendicula propemodum infinita, quæ in univerſam chriſtianam gentem ex regularium relaxatione permanant, *ob oculos ponit*. Quod vero privatum Regularium peculium communitati adverſum, infeſtumque venefica radix ſit omnium flagitiorum, ſcelerumque, vel ex eo conſtare ſatis valet, quod ſacri Canones, ipſæque Monachales Regulæ, & Conſtitutiones omnes in ſolos proprietarios, ut vocant, anathematis fulmina jaculantur, eoſque ſacris funeribus privant, atque in ſterquilinium projiciendos, ſeu aſinorum ſepulcro multandos ſumma, ultimaque ſeveritate, præcipiunt. Quæ profecto teterrima ſupplicia, in hoc vitæ curſu, omnium maxima, & horrenda, evincunt, quam immane, monſtroſumque ſit in Religioſis viris crimen illud, quod proprietatis nuncupatur, quantove horrore ſemper illud ſit deteſtata Eccleſia Catholica. Et ta-

(a) Peyrinus Formul. Præl. reg. cap. 3. n. 19. lit. K.
(b) Seſſ. 25. de ref. cap. 1.

tamen o Tempora! o Mores! Scelus iſtud toti antiquitati, & majoribus noſtris, ac univerſæ Eccleſiæ omnium maxime deteſtabile, execrandumque; hac noſtra tempeſtate cujuſdam fallaci loquentiæ beneficio, ac illudentis conſuetudinis, quæ ſacrilegus abuſus eſt, larva, omnem horrorem, infamiamque exuit; ac non tantum ſplendorem induit. Hinc apparere incipit, quam gravem, quam utilem, neceſſariamque diſputationem ego ſuſceperim. Et profecto, ſi magni fiunt quæſtiones illæ, quæ antiquitatem diſciplinæ veſtigant: quæ abſtruſas chronologiæ epochas, temporum momenta, aliaque id genus improbo, & ſæpiuſcule, irrito conatu, verſant: quo in pretio habendæ ſunt Diſſertationes illæ, quæ non modo mentem quibuſdam eruditionis floribus reſpergunt, ſed animum optimis moribus imbuunt, flagitiorumque radices recludunt, averruncantque; quæ denique negotium noſtrum unicum, ſummumque, ut ait Apoſtolus (a) peragunt?

II. Non mihi latet, noſtro hoc eruditiſſimo ſæculo artibus omnibus expolito, iſtud diſputationis genus ſuperioris ſubſellii litteratis viris haudquaquam probari. Quin ſi prima eruditorum lumina in hancce Theologiæ partem, quæ mores conformandos, vitæque inſtituendæ rationem ſpectat, illuſtrandam, quidquam lucis effunderent, extemplo obſcurari, ſuamque tenebrarum caligine obrui eruditionem, pertimeſcerent; Ac ſi in hac euangelica tractanda ethica nihil reperiretur, quod dignum foret ſtudioſis ingenuarum artium, dignum claris viris, dignum amplis, capacibuſque mentibus. Cum e contrario, ut ego equidem arbitror, in hac, præ cœteris, exquiſitum judicium, acre ingenium, cumulatamque prudentiam neceſſariam fore, ſi dixerim, fortaſſe a veritate minime aberraverim. Quid quod ipſi Ethnicorum ſapientiſſimi viri cum Græci, tum Romani, Socrates, Plato, Xenophon, Ariſtoteles, Theophraſtus, Zeno, Panætius, Cicero, Seneca, innumerique alii, & cujuſque ætatis principes viri, eo ſtudiorum ſuorum maximam partem contulerunt, ut morum philoſophiam commentarentur, ac bene, beateque vivendi

(a) Theſſal. 1. cap. 4.

di Regulas illuſtrarent? Unum ex omnibus audiamus Marcum Tullium morum philoſophiam ſummis laudibus extollentem, ab eadem vitiorum correctionem arceſſentem, in ejuſque ſinum, ceu in ſuæ tranquillitatis portum a tempeſtate prolabentis Reipublicæ, Romanæque libertatis jactatum confugientem (a) *Sed & hujus culpa, & cæterorum vitiorum, peccatorumque noſtrorum omnis a philoſophia petenda correctio eſt. Cujus in ſinum quum a primis temporibus ætatis noſtra voluntas, ſtudiumque nos compuliſſet, his graviſſimis caſibus in eundem portum, ex quo eramus egreſſi, magna jactati tempeſtate, confugimus. O vita philoſophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: Tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tu litterarum, & vocum communionem junxiſti, Tu inventrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti. Ad te confugimus, a te opem petimus: Tibi nos, ut antea magna ex parte, ſic nunc, penitus, totoſque tradimus. Eſt autem unus dies bene, & ex præceptis tuis actus, pene toti immortalitati anteponendus*. Deinceps in eos invehit Tullius, qui hanc præſtantiſſimam ſcientiam negligunt, vituperantque. (b) *At Philoſophia quidem tantum abeſt, ut proinde ac de hominum eſt vita, merita, laudetur, ut a pleriſque neglecta, a multis etiam vituperetur. Vituperare quiſquam, inquam, vitæ parentem, & hoc parricidioſe inquinare audet? Et tam impie ingratus eſſe, ut eam accuſet, quam vereri deberet, etiamſi minus percipere potuiſſet? Sed ut opinor hic error, & hæc indoctorum animis offuſa caligo eſt, quod tam longe retro reſpicere non poſſunt*. Quoniam ibi fortaſſe moleſta occurreret propriæ vitæ reprehenſio, ſeveruſque flagitiorum vindex. Et quanquam vel rerum magnitudine, vel ſelectioris eruditionis, rerumque admirabilitate præcellerent, qui aut ſyderum motus, corporumque cœleſtium vaſtitatem definiunt, & metiuntur; aut nummiſmatum abditas inſcriptiones, ſymbolicaſque figuras explanant, aut ſublimioris ſapientiæ controverſias verſant. Atta-

(a) Lib. 5. Tuſcul. quæſt. ſub initium. (b) Ibidem.

tamen nec illi inficiari auſi fuerint morum ſcientiam, & neceſſitatis longe majoris eſſe, & uberiores humanæ ſocietati fructus parere. Quare laudatus Marcus Tullius Socratem ſummopere exaltat, quod Philoſophiam, aſtrorum curſus, Planetarumque magnitudinem, aliorumque cœleſtium corporum motus contemplantem, omnium primus e Cœlo ad hominum mores reformandos devocaverit. (a) *Sed ab antiqua Philoſophia uſque ad Socratem; qui Archelaum Anaxagoræ diſcipulum audiunt numeri, motuſque tractabantur, & unde omnia orirentur, quove recederent, ſtudioſeque ab his ſyderum magnitudines, intervalla, curſus inquirebantur, & cuncta cæleſtia. Socrates autem primus Philoſophiam devocavit e Cælo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita, & moribus, rebuſque bonis & malis quærere.* Jure itaque, ac merito concludit Cicero in eam quam maxime philoſophiæ partem excolendam nobis incumbendum eſſe, quæ mores conformat, & quo operationes, ſtudia, induſtriam vitamque noſtram univerſam referre debeamus, edocet. (b) *Quid eſt enim in vita tantopere quærendum, quam quum omnia in Philoſophia, tum id, quod iis libris quæritur, quis ſit finis, quid extremum, quid ultimum, quo ſint omnia bene vivendi, recteque faciendi conſilia referenda?* Anne ſummi viri iſti tam multa, tamque varia in hoc genere, ingeniorum ſuorum monumenta ſeræ poſteritati reliquiſſent, ſi nihil excellens, nihil egregium, nihil ſublime ſcriptis conſignandum extitiſſet? Tantorum profecto virorum exempla pudore non levi perfundere deberent eos, qui ſimilium argumentorum tractationem nauci faciunt; quive, tametſi ſacris rebus addicti, quique ſuæ profeſsionis, & inſtituti vi, in propriam, aliorumque ſalutem, & profectum referre ſtudia ſua obſtricti ſunt: Nihilo ſecius, quaſi dedecori ſibi vertunt, Cœleſtis doctrinæ veritatem patefacere, & ab iniquis cavillatoribus aſſerere. Amplus, apertuſque campus iſthic pateret, longius in iſtius ſcientiæ favorem per-

(a) Ibidem paulo poſt.
(b) De finib. bon. & mal.

perorandi. At iſtud in præſentia non eſt mei inſtituti. Illuc potius ſpectant conſilia mea, ut mala, propemodum infinita, quæ ex iſtius ſcientiæ contemti one derivantur; & momenta, quæ me ad id audendum, quod, quam ſit viribus meis impar, ipſe ſentio, fateorque, coegerunt, oblique ſaltem lectoribus manifeſtem.

III. Quandoquidem, ex quo præſtantiſſimi viri propriæ gloriæ, ſtudiorumque ſuorum ſublimitati, & excellentiæ haud bene conſultum iri in animum ſibi induxerunt, ſi in exornandam morum Theologiam quicquam operis conferrent; jam inde tum evenit, ut hanc obeundam provinciam eorum plurimi aggreſſi ſint, qui neque eruditione, neque ingenio, neque prudentia ſatis valerent. Et iſtius generis major numerus cum ſit, majorem quoque penes populum opinationibus ſuis nacti ſunt auctoritatem. Quid itaque mirum ſi in dies deſpicatior, ſi ſquallidior, & in contemtum adducta jaceat morum ſcientia? Quid mirum ſi tricis, ſi diſtinctiunculis inanibus, ſi commentis, ſi gerris, ſi inventis heu nimium ab omni honeſtate alienis, ſcateat, redundetque? Quid poſtremo mirum ſi ſemel relaxata Cœleſtium mandatorum doctrina, atque ad hominum, temporumque conſuetudinem conformata, & inflexa; ſcelera, vitiorumque omnium teterrima lues fuſius manet, & in ipſos ſacratiores hominum ſtatus invadat? Hinc tamen colligas minime velim, me inficias ire, ortum quam maxime id etiam ducere ex immenſa diſputatorum multitudine. Quin facillime concederem, expedientius morum integritati proviſum iri; ſi potior, & potiſſima voluminum hoc de argumento editorum pars, de medio tolleretur. *Veriſſimum enim eſt*, quod ſcribit Seneca, (*a*) *Antiqua ſapientia nihil aliud, quam facienda, & vitanda præcipit: & tunc longe meliores erant viri. Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt. Simplex enim illa, & aperta virtus in obſcuram, & ſolertam ſcientiam verſa eſt; docemurque diſputare, non vivere.* Optabile utique foret, ne euangelicæ legis præcepta, multoque minus conſilia in contentioſas diſputationes revoca-

(a) Epiſt. 27.

rentur. Verùm enimvero ſi id vix deſiderare, nedum ſperare poſſumus: ſi poſitione ſemel facta, quod innumeri inferioris armaturæ ſcriptores cum mandata, tum conſilia euangelica, inutilium quæſtionum, dubitationum, commentorumque denſa caligine undequaque obvolvant; Si ex impotenti opinandi, ſcribendique libidine laxitatibus ſummopere inficiatur, extremumque ſubeat detrimentum moralis euangelica; Si denique ex auctorum multitudine ſuum judicium vulgus fert: Nonne cujuſque, eorum maxime, qui viribus pollent, intereſt, ad veritatis ſummi momenti defenſionem in arenam deſcendere, manus conſerere, ſtylumque acuere?

IV. Porro, ut inſtituto noſtro preſſius accedat oratio, nulla Theologiæ chriſtianæ pars tot erroneis commentis, tot cavillis, & laxitatibus fœdata conſpicitur, quot eſt Theologia Monaſtica circumſepta, atque deformata. Hæc tribus votis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ veluti tribus primariis cardinibus vertitur. De duobus ultimis brevem habent ſermonem Theologi, quod præfinitos limites habeant, maxime illud caſtitatis. Nec enim humanæ calliditati adinvenire hactenus licuit arcanum quodpiam, quo quis caſtitatis Sacramento addictus, una poſſet carnis illecebras deguſtare: Hæc propitia ſors paupertatis voto minime obtigit. Quandoquidem tot ſophiſmata, totque commenta excogitavit avara cupiditas, ut tandem cum Monaſticæ paupertatis voto divitiarum uſum ſacrilego fœdere conſociaret. Unde poſtea aliorum votorum, cœterarumque legum violatio, & univerſæ diſciplinæ Monaſticæ deformatio neceſſario conſequitur. Et quamvis Euangeliſta Lucas, præ cœteris omnibus Chriſti conſiliis, iſtud paupertatis vividioribus depingit coloribus: nihilominus ſplendidiſsimam illius lucem prope nobis abſtulit plurium Caſuiſtarum fallaci loquentia, qua imperiti lectores capti (& facillime quiſque capitur iis, quæ propriis favent appetitionibus) errorem pro veritate ſuſcipiunt. Digitum ad Euangeliorum fontem, ad Patriarcharum Regulas intendere recuſant, ut ex quorumdam Summiſtarum ciſternis diſsipatis lutulentas epotent

aquas

aquas avaræ ſiti extinguendæ conſentaneas. Et quemadmodum rivus longius a fonte deflectens venam tandem amittit ſuam, & illius terræ, quam percurrendo alluit, ſaporem imbibit; ſic procul a ſuis principiis veritas, cum proficiſcitur, atque per varia hominum ingenia graditur, eorumdem affectionibus inficitur, & inquinatur. Tanti vero iſtorum inventa ſibi faventia pendunt, ut antiquatos canones, obſoletas regulas, ac ipſa pene boni, malique principia præſcriptioni obnoxia effutiant, cum a ſe ſtare Caſuiſtas ſuos conſpiciunt. Nec quidquam negotii faceſsit, quod auctores iſti ſæpenumero, vel oſcitantes, vel propriam cauſſam perorantes, apertiſsimos ſacros Textus ad ingenium, commodumque proprium contorqueant; ipſaſque graviſsimas leges humanæ cupiditati famulari violentiſsime cogant. Hanc non immerito dicimus primam corruptelarum omnium radicem; idque potiſsimum cauſſæ eſt, cur innumeri Religioſi in deformata diſciplina, ac proprietatis crimine ſordeſcant, obdureſcantque. Verum illud ſumma defigit admiratione, quod in ſæculo degimus, in quo quiſque eruditus, & ſapiens audire geſtit. Idque potiſsimum ſibi ſinguli vendicant, omnia ſcilicet ad juſtam criſim revocare, omnia æqua lance expendere. Dedecori ſibi vertunt, & culpæ, aliorum au*ctoritati, vel in* minimo clauſis oculis ſe ſe dedere. Si philoſophicas verſant quæſtiones, cœterorum ſententiis poſthabitis, quiſque ſuas analyſes efformat: unde omnia oriantur, quove recedant, ſcrutatur; & religioni ſibi ducit, niſi methodo geometrica e ſuis principiis eliciat concluſiones ſuas. Si autem temporum, rerumque geſtarum narrationes, diſputationeſque inſtituant, offendantque in aliis ſcriptoribus, non dicam, annum pro anno, ſed menſem pro menſe, dieculam pro diecula, nomen pro nomine ſubſtitutum, iſthic pedem figunt, atque totis lateribus inclamant. Vah putidum anachroniſmum! Vah ſupinam oſcitantiam! Illum corrigendum, iſtum in ordinem redigendum admonent. Quorſum hæc omnia? An fortaſſe, ut improbemus excellentem illam artem, diſtincte, diſtribute, eleganter, ornateque ſcribendi, & omnia ad vi-

vum reſecandi? Abſit. Nec ſi id ipſi minus conſequi poſſumus, inquit Tullius (a) idcirco minus id ita faciendum eſſe ſentimus. Illud me permovet, illudque miror, quod illi ipſi in propriæ profeſsionis ſcientia tenebrarum caligine obducti ſint; quod diſciplinam Monaſticam profitentes, ejuſdem principia, & præcipua munia, onera, obligationeſque penitus ignorent; quod quoties punguntur conſcientiæ aculeis, quoties anxia pecuniarum retentio, aliarumque rerum, commodorumque uſus vellicat animum, ad illorum Caſuiſtarum etiam laxiorum confugiunt patrocinium, quos pro Chriſtiana Theologia explananda indignos reputant, & veluti laxos traducunt, ſibilandoſque propinant. Illud ſummopere miror, quod in hac Monaſtica Theologia eas critices regulas ſervare nolint, quas elato ſupercilio, & plenis buccis in alterius generis, cujuſque vel rancidulæ quæſtionis diſceptatione ſervandas jactant; immo quod iſthic omnes ſolidi criterii leges poſthabeant, contemnantque. Illud denique miror, quod iſthic, ubi de ſumma rerum agitur, multitudinis errantis auctoritatem jactent, & abuſus, pravaſque conſuetudines pro lege obtrudant. Novi ipſe innumeros viros nec meo judicio indoctos, & ſuo valde doctos; plurium ſcientiarum cognitione ornatos de eiſdem optime diſſerere, exactæ ratiocinationis leges præ oculis ſemper habere: in ſuæ vero profeſsionis ſcientia (proh ſuperi!) ad portentum rudes, ignaros, & omnibus juſtæ argumentationis regulis deſtitutos. Quod quam ſit turpiſſimum, vel ipſe indicat Cicero his verbis. (b) *Ut enim ſi grammaticum ſe profeſſus quiſpiam barbare loquatur: aut ſi abſurde canat is, qui ſe haberi velit muſicum; hoc turpior ſit, quod in eo ipſa peccet, cujus profitetur ſcientiam.* Sed brevius Ambroſius. *Acuti ad vana, hebetes ad Divina.*

V. Ex quibus omnibus colligere quiſque poteſt, quam valida, quamve urgentia ſint rationum momenta, quæ mihi, ut huic qualicumque operi manum admoverem, calcaria addidere. Enimvero ſive materiæ gravitatem, ſive

(a) Lib. 2. Tuſcul. quæſt.
(b) Tuſcul. quæſt. lib. 2.

ſive difficultates, quibus eſt implicita, ſive conſectaria, quæ inde proficiſcuntur, ſpectemus, omnia & ſingula evincunt, & magnæ neceſſitatis, & ſummæ utilitatis diſputationem nos inſtituiſſe. Eo vel maxime, quod nemo adhuc, ut noſtra præſefert opinio, controverſiam iſtam pro dignitate excuſſerit. Idque potiſſimum me, quamvis cœteris omnibus infirmiorem, ad ſcribendum impulit. Siquidem, niſi deputatio iſthæc denſa caligine involuta eſſet, & maxima indigeret illuſtratione, ſupervacaneus foret labor noſter. Quin eſſet hominis otioſi, & intemperantis, litteriſque, & tempore abutentis, niſi alium fructum ederemus, quam actum retractare. Non eſt ergo, quod, aut de libri inſcriptione, aut de argumenti gravitate, quicquam ambigamus.

II.

VI. De eo dumtaxat dubitandi locus reſtat, utrum videlicet reapſe, quod aggreſſus ſum, pro dignitate perſolverim, votiſque meis optimus exitus ſit reſponſurus. Cujus rei ſpecimen aliquod, ut exhibeam, methodum, quam mihi ſervandam propoſui, limiteſque, quos diſputationi meæ circumdedi, patefaciam. Hac itaque via, rationeque *conſilium* meum exequutioni demandabo. Antequam tamen ſingillatim diſſertationum ordinem ediſſeram, liceat mihi aliquantulum generatim præfari, & id quod primum omnium mihi ob animum propoſui reſerare. Principio itaque *Inventarium* texui quarumdam propoſitionum, quas nonnulli Caſuiſtæ ediderunt ad temperandum paupertatis rigorem, quæque, ut ego quidem arbitror, incredibilem laxitatem redolent; atque piis horrorem, Hæreticis offendiculum, & Religioni noſtræ deriſionem ingerunt. Has autem propoſitiones in uno collectas prolegomeno huic libro præmiſi brevibus commentariis explicatas. Deinceps antequam manum operi admoverem, ſevera diligentia inveſtigare, & aſſequi ſtudui, quænam eſſent rationes, quænam momenta, quibus molliorem vivendi formam propugnare illi ſolent,

qui reapſe profitentur eamdem. Porro nullum deprehendi magis illudens ſophiſma, quam quod ab auctoritate Romanæ Sedis arceſſunt. Quandoquidem ſummorum Pontificum, & Congregationis ſuper diſciplina Regulari *Silentium, tolerantiam, ac diſſimulationem*, ſuper collapſa Monaſtica obſervantia ad omnes vel evidentiſſimas rationes objiciunt. Iſthic ceu ampla foſſa, altoque vallo muniti inclamant, Romani Pontifices, Præfecti Eminentiſſimi rei Monaſticæ curandæ, privatas Regularium pecunias, domicilia, oblectamenta, & peculiaria commoda haudquaquam ignorant. Quod in eodem cœnobio alii redundent, & plurimi penuria premantur, peroptime tenent. Nihilo tamen ſecius videntes tacent, tolerant, diſſimulant. Quis ergo tam vel perfrictæ frontis, vel infirmæ mentis, ut audeat conſuetudines, moreſque, ſupremi Legislatoris voluntate firmatos damnare? Vix ſatis exprimi poteſt, quantum commenta iſthæc valeant ad confirmandos in laxiorem vivendi conſuetudinem propenſos animos, quantumve Hæreticis Lutheranis, & Calvinianis anſæ ſuppeditent Romanam infamandi Eccleſiam. Legunt namque Tranſalpini deſertores, & Monaſticæ profeſſionis infenſiſſimi oſores, audiuntque recenſita mala ab Eccleſia Romana tolerari, & tacita conſenſione approbari. Quapropter operæ pretium me facturum exiſtimavi, veritatem ſummi momenti e tenebris eripere, imperitos inſtruere, teterrimamque Sanctiſſimis Pontificibus impactam calumniam amoliri, & penitus profligare. Quod ut præſtarem, plures adornavi diſſertationes, quibus oſtendi omni quidem tempore, ſed potiſſime duobus ultimis, poſt Tridentinum Concilium, ſæculis, Romanos Pontifices nullum non moviſſe lapidem, ut collapſam Regularium diſciplinam inſtaurarent. Nec fruſtra: nam innumeræ Congregationes, Provinciæ, & integri Regularium ordines Apoſtolicæ Sedis cura, & vigilantia ad primævam conformati diſciplinam, ſuaviſſimum ſanctitatis odorem ſpirant. Quas vero non dedere pœnas ea Cœnobia, quæ Apoſtolica Decreta ſurdis auribus exceperunt, moreſque propriæ profeſsioni minus conſentaneos emendare re-

cuſa-

cuſarunt? Nonne futuræ ſucceſsionis intercisa ſpe, tremendæ ſterilitatis interdicto multata fuere? Quod ultimæ ſeveritatis ſupplicium a Clemente VIII. primum inflictum, ſucceſſores renovarunt Pontifices, maxime Innocentius XII. Hic Sanctiſsimus Pontifex Conſtitutionem edidit, qua *illis* Regularibus in ſuum ſodalitium recipiendi juvenes facultatem adimit, qui prius, propriæ, quam profeſſi ſunt, Regulæ, & Conſtitutionum, & præcipue vitæ communis obſervantiam in ſuos Conventus non invexerint. Et ne fraudi locus pateat ullus, præcipit, ut ſacrorum Ordinum Generales, Procuratores, & Provinciales teſtimonium exhibeant Apoſtolicæ Sedi manu propria atque *SACRO JUREJURANDO* munitum, quo adfirment, in Cœnobiis, in quibus ſacra, ſunt juvenes donandi, veſte, leges præfatas obſervari. Quod *Sacrum juramentum* ſingulis trienniis offerunt Sacrorum Ordinum Superiores, ut privilegium admittendi ad ſuam profeſsionem juvenes obtineant. Quæ omnia ſi cum praxi conferantur, & incredibilia videntur, & horrorem ingerunt maximum. Quare Pontificiæ Conſtitutionis verba iſthuc tranſcribenda duximus, ut vel ex ipſa præfatione aliquam cauſſæ, quam verſandam ſuſcepimus, ideam concipere lector valeat. (a) *De mandato ſanctitatis ſuæ, præſentis Decreti tenore, denuntiat omnium & ſingulorum ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis, qui in præfatis Clementis VIII. Decretis excepti reperiuntur) cæteriſque ad quos ſpectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, & Inſulas adjacentes, quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos cenſuerint, vel unum ſaltem, ibique auctoritate Apoſtolica ſtatuant omnimodam obſervantiam Regulæ, Conſtitutionum uniuſcujuſque Ordinis, & Decretorum Apoſtolicorum, præcipue vero exacta vitæ communis, ad formam eorumdem Decretorum ab omnibus Religioſis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & profeſſi educandi ſunt, morabuntur, & ſignanter, quoad exactam vitam communem cum effectu ſtabilitam fuiſſe, tam ex eorumdem Superiorum Generalium, ſeu Provincialium relatione, quam Præpoſiti, & Fratrum in præfatis Conventibus degentium JURE-*

(a) *Incipit*: Sanctiſſimus in Chriſto Pater edita ann. 1695. die 18. Julii.

REJURANDO firmato . . . Eidem Sacræ Congregationi ſufficienter conſtiterit, tunc Sanctitas ſua antedictam licentiam, quam hactenus diſtulit Novitios ibi recipiendi benigne concedet. Nihil ſane hoc Apoſtolico Decreto validius, nihil ſalubrius pro diſciplinæ inſtauratione. Proſpexerat Sanctiſsimus Pontifex, quam difficillimum ſit inveteratos revellere mores, homineſque ab iis erroribus, quos pene cum nutricis lacte ſuxerunt, iiſdemque innutritos abducere, & ad meliorem revocare frugem: Idcirco Divinam æmulatus Providentiam, cujus imaginem, in Eccleſiæ regimine refert, iis, qui corrigi renuunt, neglectis, ne ſaltem relaxationis virus in poſteros permanaret, præfatam ſaluberrimam Conſtitutionem ſapientia, & prudentia ſumma refertam, condidit, qua cavetur, ne candidati regularem diſciplinam profeſſuri in ea ingrediantur Cœnobia, in quibus exacta legum, & votorum, præſertim paupertatis, obſervantia non viget. Quid plura? ne temporis decurſu aliquam ſive *deſuetudinem*, ſive *diſſimulationem*, aut *ſilentium* allegare quiſpiam poſſet, peculiarem *Congregationem* EE. PP. erexit, ſeu erectam firmavit, ut ſcilicet Eminentiſsimi PATRES tanquam ſpeculatores domus Dei, vigileſque ſanctuarii cuſtodes ſartam tectam Monaſticam diſciplinam tueantur, & adverſus gliſcentes in dies abuſus vocem in tempore exaltent; ut nunquam poteſtatem perpetuandæ ſucceſsionis iis Conventibus faciant; qui ad eam vivendi conſuetudinem ſe confirmare nolunt, quam ipſe in ſua præfata Conſtitutione præſcripſit; ut denique *commentitiæ tolerantiæ, & chimerici ſilentii* larvam, qua ſe ſe tegere ſtudent, urbe & orbe exterminent. Hæc eſſe iſtius *Congregationis* munia, declarat ipſemet Sanctiſsimus Pontifex in altera Conſtitutione, qua ipſam *Congregationem* erexit, cujus pauca verba ſubjicere lubet. (*a*) *Hinc eſt quod nos Prophetici illius moniti memores:* Clama ne ceſſes. Quaſi tuba exalta vocem tuam: *ut conſtans, enixaque voluntas noſtra inceptum opus hujuſmodi peculiari ſtudio, ſummaque animi contentione proſequendi magis, ac magis omnibus innoteſcat, omniſque tranſgreſſoribus VANO FALSOQUE SI-*

(a) Debitum Paſtoralis officii ann. 1698. vid. Bul. pag. 309.

SILENTII NOSTRI PRÆTEXTU, ſe ſe excuſandi occaſio penitus præcidatur, MOTU PROPRIO prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum ſuper diſciplina Regulari tenore præſentium approbamus, & quatenus opus ſit, etiam perpetuo erigimus, & inſtituimus. Ipſius autem Congregationis facultates ſint & eſſe debeant deſignandi pro Novitiatibus, & Profeſſariis Conventus, Monaſteria, &c. . . . Decreta tum felicis recordationis Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri ſuper reformatione Regularium, potiſſimum vero EXACTÆ VITÆ Communis Obſervantiam promovendi &c. Iſtius Conſtitutionis mandata exacte, quoad ipſos attinet, ſervari curant EE. PP. Quandoquidem reipſa remiſſioris diſciplinæ Regularibus haudquaquam privilegium recipiendi adoleſcentes concedunt, niſi eorum Generales & Provinciales *SACRO JUREJURANDO* ſcriptis exarato teſtentur, in eorum deſignatis pro Novitiatu Cœnobiis, Regulæ, Conſtitutionum, Sedis Apoſtolicæ, ac Tridentini Concilii decretorum, floreat obſervatio. Quæ omnia veriſſima, nullique interpretationi obnoxia cum ſint, quis pro certo non haberet reformationis Monaſticæ negotium confectum jam eſſe? Quis ſibi in animum induceret, ut crederet reſponſuros communiter fore, ſe quidem ad juris formulas *JURARE*, Conventus præfatos reformatos eſſe, tametſi non ſint: *quia, inquiunt*, EE. PP. peroptime ſcire ejuſmodi juramenta haudquaquam eſſe vera: concluduntque, Romanam Sedem tacito conſenſu tolerare vel ipſa perjuria, nedum Regulæ, Conſtitutionum, votorumque tranſgreſſores. Quæ immania commenta fuſius profligavi. Illud vero potiſſimum palam feci, nullam aliam patere viam reparandæ diſciplinæ, præter hanc, quam Summi Pontifices aperuere: ſcilicet, quod in ſolis dumtaxat Conventibus, in quibus, non ad ſpeciem, ſed revera inſtauratæ diſciplinæ ſplendor in omnium oculis emicat, juvenes Monaſticam profiteantur vitam. Hoc eſt unicum malis noſtris remedium. Hoc ſolum, ſi applicetur vulneribus, fieri nequit, quin piis votis optatus, fauſtuſque reſpondeat eventus. Idque exemplo manifeſto omnium illorum Ordinum conſtat, qui ab integris ſæculis leges ſuas

adamuſſim ſervant. Quod factum omnibus pervium, mendacii eos arguit, qui ajunt haud poſſe diu durare diſciplinæ rigorem. Ex eodem namque ſæculi oleaſtro tranſducuntur plantæ, quæ Olivetis inſeruntur ſacris. Cur ii juvenes, qui in optime inſtitutis Cœnobiis imbuuntur, ſeverioris diſciplinæ jugum alacri, fortique animo deferunt? Cur e veſtigio, qui inter remiſſioris diſciplinæ ſodales educantur, vel ipſum reformationis, & obſervantiæ nomen adulti exhorrent? Unde ex eodem tritico tam diſſimiles vitioſæque ſegetes? Non ſane aliunde, quam ab educatione. Hæc ergo eadem, quemadmodum Pontifices ſummi ſub *Sacro jurejurando* jubent, ſit in omnibus: & confeſtim eadem morum ſuavitas, idem ſanctitatis fulgor ſplendebit. Cauſſas autem cur eadem non ſit in omnibus: Impedimenta, cur ſaluberrimum remedium executioni non demandetur, & cur Apoſtolicus zelus fruſtretur, ob omnium oculos expoſui. Quæ ineunda via, quidve præſtandum, ut obſtacula omnia tollantur, ut ſuo non careat medicina effectu, omni humano contempto reſpectu, demonſtravi. Hucuſque generatim & univerſe præfati aliquantiſper ſumus: reliquum nunc eſt, ut ſingillatim pauca eorum, quæ dicturi ſumus, perſtringamus. Explicatis itaque Monaſticæ paupertatis, communitatis, peculiique notionibus, communitatem omnium bonorum, cujuſque privati peculii expertem in Apoſtolico Collegio ortam, in Monachos, & Regulares omnes immigraſſe: iſtius communitatis obſervatione, aut vi voti, ut ego quidem arbitror; aut vi præcepti adjuncti, ut communiter ſentiunt alii, eoſdem obſtrictos eſſe, perenni traditione Conciliorum, Pontificum, Regularumque Monachalium omnium integra prima diſſertatione palam faciam. Frigidas, ineptaſque ſubtilitates, vana interpretamenta data occaſione diſpellam. Huic primæ diſſertationi ſecunda ſuccedit, in qua ejuſdem communis vitæ, ſeu Monaſticæ paupertatis votum ad Theologorum Tribunal revocabitur. Eorum ſenſa propriis concepta verbis dabo, ne ſola loca, ſi indicarem, id de me ſuſpicari Lectores poſſent, quod paſſim offendunt in aliis, qui auctorum cenſum ſatis prolixum infarciunt,

qui

qui ſæpe numero, nec verbum de ea habent opinione, in cujus laudantur præſidium. Iſthic palam fiet eos in præcipuo, ac fere unico controverſiæ capite, in aſſerenda nimirum communis vitæ graviſſima lege, qua omnes Regulares obſtricti ſunt, unanimi aſſenſione convenire. Quanquam deinceps, hoc relicto principio, alii votum paupertatis in univerſa ſua amplitudine ſcrutantur; & quod eidem ſub hac acceptione non adverſatur, peſſima conſecutione eliciunt, nec Monaſticæ paupertati, quæ reipſa a communis vitæ præcepto inſeparabilis eſt, repugnare. Alii votum ipſum lege communitatis circumſcriptum contemplantur; ſed violandæ communitatis, peculiique habendi neceſſitatem obtrudunt, exaggerantque. In hoc autem, mirum eſt, quantum aberrent, quod indolem, & notionem objectæ neceſſitatis haudquaquam juſto judicio expendant. Quapropter hanc ſecundam diſſertationem tertia excipiet, quæ, iſtam, quam opponunt, neceſſitatem communitatis tranſgrediendæ, peculiique habendi liberam omnino eſſe, & voluntariam, ac ſubinde noxiam, criminiſque plenam valide, evidenterque evincet. Tametſi paucis quibuſdam involuntaria, & coacta eſſe poſsit, uti explicabitur. Deinde oſtendam cum Prælatos ſub damnationis æternæ pœna ad hanc removendam neceſsitatem *obſtringi*, vitamque communem invehendam: Tum ſubditos eodem devinctos vinculo, & ad hanc reformationem ſuſcipiendam, & ad propriam operam, induſtriamque in eundem finem conferendam. Unde demonſtrationibus Theologicis ineluctabilibus colligam, tam Prælatos, quam ſubditos plures in graviſsimo diſcrimine verſari, eo quod voluntario, ac deliberato animo in violandæ communitatis, peculiique habendi neceſsitate perſiſtunt. Quoniam vero hanc ſæpius jactatam neceſsitatem violandæ legis communis vitæ innumeris cavillationibus, diſtinctiunculis, & undequaque quæſitis callidiſsimis artificiis præcolorare adnituntur: idcirco quartam adornabo diſſertationem, in qua depoſitorum, ut vocant, effugia, & technas omnes profligabo. In quinta Regulas ſervandæ communitati, ubi viget, & inſtaurandæ, ubi collapſa eſt

quam maxime conſentaneas, ob oculos ponam. Peccare Regulares a Religione, vel a Congregatione, in qua bonorum communitas floret, ad aliam in qua collapſa eſt, tranſeuntes, quin immo omnes eo ſe conferre debere, ubi iſtius communitatis votum, ſeu præceptum obſervatur, evincam. Quemadmodum peccare demonſtrabo, graviſſimoque periculo damnationis ſe ſe exponere juvenes, qui ſæculum relinquentes in eam Religionem ingrediuntur, in qua ſinguli Religioſi ſua privata peculia habent, vitæque communis aliarumque præcipuarum legum obſervantia antiquata eſt; idque auctoritate tum Patrum, tum Theologorum fere omnium. Sexta tandem diſſertatio finem primæ parti imponet. In hac ultima quæſtiunculas non paucas, quas vel indictas Theologi reliquere, vel nimis perfunctorie verſarunt, diſcutiam.

VII. Secundam commentarii partem duabus diſſertationibus abſolvam. In prima de univerſæ diſciplinæ Monaſticæ, ubi collapſa eſt, neceſſaria reformatione, deque perfectionis comparandæ debito ſermonem habebo. In ſecunda de ea obligatione orationem inſtituam, qua Ordinum Generales, Provinciales, & inferiores Prælati, ipſique ſubditi omnes adſtringuntur ad propriæ Regulæ, & Conſtitutionum obſervantiam inſtaurandam. Deinde Pontifices Summos, & poſtea ipſos ſæculares Principes, Reſpublicas, Regeſque omnes in hunc eundem finem operam ſuam, auxiliumque ad normam, tenoremque Tridentini Decreti (a) conferre debere evincam. Quodve, ut efficacius in tam egregium facinus, prout eorum conditio fert, ſuæ poteſtatis gladium feliciter ſtringant, innumera cum ſpiritualia, tum temporalia bona, quæ ex reformatione; & contra infinita propemodum mala temporalia, æque ac ſpiritualia, quæ ex Regularium deformi diſciplina in ipſas Civitates, & Regna profluunt, permanantque, fuſo calamo deſcribentur. In ultima tandem viam facillimam aperiam hanc invehendi reformationem, eamque ab impoſturis, & callidiſſimis objectionibus, quæ obtrudi ſolent, vindicabo.

III.

(a) Seſſ. 25. cap. 19.

III.

VIII. Et ecce diſputationis meæ, quam enucleandam ſuſcepi, adumbratam imaginem. Plura adverſus cum methodum, quam ſervavi, tum concluſiones, quas ex luculentiſſimis principiis elicui, reponenda fore, ipſe præſciſco. Nam alii methodum nimiæ prolixitatis incuſabunt, alii ſtylum aſiaticum carpent, & quorumdam principiorum, quibus univerſa vertitur controverſia, moleſtam repetitionem obtrudent. Alii tandem & nimiam ſcribendi libertatem, & Doctrinæ ſeveritatem, unde offendicula, & mala non levia proficiſcuntur, exaggerabunt.

IX. Ut a prolixitatis, frequentiſque earundem veritatum repetitionis, ſtylique aliquando redundantis, excuſatione auſpicemur, veniam nobis facillime benignos lectores daturos confidimus, ſi ea illi ſecum ſerio reputaverint, quæ nobis ita ſcribendi cauſſam dedere. Quippe controverſia, quam diſputandam ſuſcepi, non ejuſmodi eſt, quæ aut verborum delectum, aut præciſam, ſemperque eodem gradu fluentem orationem patiatur. Quoniam & partim ſuapte natura pluribus implexa eſt difficultatibus, & partim a vitilitigatoribus tanta amphibo*logiarum multitudine* involuta fuit; ut priuſquam claro in lumine collocetur, non pauca, quæ viam ſternant, præcedere; multa vero, quæ eam explanent comitari debeant; & plurima tandem, quæ ab impugnatoribus eandem aſſerant, ſubſequantur, oporteat. Qua de cauſſa prolixitas, & aſiatica oratio, quæ in diverſi generis & materiæ diſputatione, vitioſa, faſtidiique plena foret; in hac mea utilem, & quam maxime neceſſariam ego exiſtimavi. Recte an ſecus, eorum, qui bene ſapiunt, eſto judicium.

X. Accedit, quod ad hocce ſcribendi genus id potiſſimum me adegit, quod argumentum tractandum non in mentis ſubſiſtit illuſtratione, ſed ad animum permovendum, imbuendumque progreditur. Non eo duntaxat ſpectat, ut præjudicatas mentis opiniones refellat, ſed

ac

ut pravas, altiuſque defixas animorum conſuetudines de medio tollat, profligetque. Quare id præcipue, recogitet lector, velim, mihi cauſſam perorandam fore adverſus invaleſcentes errores & quoquoverſum permanantes abuſus, me adverſarios habere, morem fere univerſalem temporis diuturnitate munitum, firmatumque, ac ipſum populorum Principem magiſtrum, multitudinem ſcilicet ad oppoſita vitia conſentientem. Quemadmodum autem laborioſius eſt in lapide veteri figura inſculpto ſtatuam cœlare, ſic difficillimum eſt, mentes oppoſitis anticipationibus præventas, in ſemitam revocare veritatis. An ne fluens, & ubique æquabile dicendi genus rapidiſſimum humani moris torrentem coercere poteſt, æſtus conſuetudinis extinguere, obfirmata præjudicia evellere, fraudes recludere, paſſiones ſubigere, animum inflectere, atque veritatem ipſam in tuto collocare? Nemo certe ſibi perſuaſerit, ſimplici veritatis manifeſtatione eos deducendos eſſe de illa via, quam ab ipſa pueritia inierunt. Nam quod Cicero luget in ſectis philoſophorum, (*a*) qui ſemel quibuſdam deſtinatis ſententiis, quaſi addicti, & conſecrati ſunt, eaque neceſſitate conſtricti, ut etiam, quæ non probare ſoleant, ea cogantur conſtantiæ cauſſa defendere, id potiore jure deplorare nos poſſumus in non paucis variorum Ordinum ſectatoribus, qui infirmiſſimo tempore ætatis, fortaſſe nec virtutis, nec Deo inſerviendi amore; ſed aut obſequentes amico, & parenti, aut unius veſtis, quam primum viderunt, colore capti, e ſæculi portu ſolvunt, & ad quamcumque ſunt diſciplinam, quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt. Quoniam ſimul ac ſtatum illum amplexati, & magiſtris imbuendi traditi ſunt; jam tum & pecuniis uti, & deliciarum illecebris depravari, & variis erroribus infici cœperunt. Deinceps vero temporis vetuſtate, hac perverſitate opinionum, quas veluti cum nutricis lacte ſuxerunt, innutriti, malunt cum æternæ ſalutis periculo errare, eamque vivendi diſciplinam, quam ſemel adamaverunt, pugnaciſsime defendere, quam ſine pertinacia, quæ ſit

(*a*) Lib. 2. Tuſc. quæſt.

ſit Monaſticæ perfectionis ſchola, exquirere. Et quemadmodum Philoſophorum quiſque ſuam propugnare, & attollere ſectam conatur; ſic iſti ſuam diſciplinam morum, quamvis mirum in modum remiſſam & manifeſte ab Regula, & ſtatutis exorbitantem, defendere, eamque, quod ſatis deplorari nequit, in poſteros propagare pro virili parte adnituntur. Porro an ne ſine frequenti ictuum repetitione tam obfirmata præjudicia e mentibus extorqueri poterunt? An ne quilibet veritatis radius tam denſam caliginem, ſpiſſaſque tenebras diſſipare valebit? Haud ergo eſt, quod quis me prolixitatis accuſare, ſtylumque carpere jure poſſit; ſi meam diſputationem ſic digeſſi, (quamvis aliis titulis poſſit) ut eandem veritatem modo ſub uno, modo ſub altero aſpectu in omnium oculis defixerim: & modo recta, modo oblique: & manibus, nunc compreſſis, nunc confertis, nunc eminus, nunc cominus adverſarios aggreſſus fuerim: & quod eundem clavum adverſus tot obſtacula ſæpius repercuſſerim. Sed de his pluſquam ſatis. Tempus jam eſt, ut ad alias graviores cenſuras propulſandas noſtra feſtinet oratio.

XI. Duæ poſtremæ cenſuræ omnium acerbiſſimæ, quas mihi impingendas fore perſentiſco; ſunt, & liberior quorumdam vitiorum deteſtatio, & nimia Doctrinæ ſeveritas. *Mirum dictu eſt* quantum odii, invidiæque harum impoſitionum rumore, vel manifeſtæ veritati conflare non pauci ſoleant. Ejuſmodi tamen eſt cauſſa noſtra, ut & benevolos objurgatores placare, ut inquit Tullius (*a*) & invidos vituperatores confutare poſſimus; ut alteros reprehendiſſe pœniteat, alteri didiciſſe gaudeant. Nam qui admonent, amice docendi ſunt, qui inimice inſectantur, repellendi. Vitio itaque mihi vertas nolim, fuſius quæ objiciuntur, ſi excuſſerim, longiuſque alloquutus fuerim reprehenſores iſtos, qui ad ravim uſque has ingeminant cenſuras; & ſuo auſu & multitudinis ignoratione in extremum diſcrimen adducunt cauſſarum omnium juſtiſſimam. Quandoquidem ſimul, ac in lucem prodit liber aliquis, qui ad Euangeliorum oracula, ad Apoſtolicæ traditio-

(a) De natur. Deor. lib. 1.

tionis Regulas, ad Conciliorum, Patrum, & Pontificum Decreta hominum mores revocare, ſtudet, continuo inclamant: Libros ejuſmodi tempeſtates, turbidaſque procellas concitare, ſeditiones periculoſas perciere, animarum conſcientias laqueis irretire, obſervatu difficillima præcipere, Cœlum terramque miſcere, ac denique terrorem, deſperationemque incutere. Quin non raro, ut magis invidioſam cauſſam reddant, in eorumdem librorum auctores ſermonem, calamumque convertunt, illoſque tanquam univerſi humani generis carnifices, malignoſque Divinæ Miſericordiæ diſpenſatores traducunt. Quapropter in rem meam fore arbitratus ſum, tam iniqua figmenta, atroceſque calumnias in anteceſſum præoccupare, atque labefactare. Quod, ut felicius præſtem, illud eſt animadvertendum, ſuum cuique ſæculo genium eſſe, ac veluti dominans aſtrum. Siquidem in quaque ætate vitiorum aliquod caput erexit, fuſiuſque permanandi campum aperuit, & latius imperandi principatum quodammodo ſibi vindicavit. In morum diſciplina, non minus, ac in cœtetis naturæ rebus, ſuas converſiones, & viciſsitudines videre licet. Quondam in Monachis, Religioſiſque cœteris ſacrilegæ proprietatis, execrandæ ſimoniæ crimina apparebant. Ubi nunc vel unicus Religioſus *proprietarius*, quamvis ditiſsimus, cum olim paucorum nummorum poſſeſſor aſinorum ſepulcro multabatur? At cultior eſt ætas noſtra, atque politior, quam quod ſimilia monſtra pati queat: Idcirco deformis vultus aſperitatem exquiſitis pigmentis delinivit. Ut enim artes fere omnes eos hoc tempore progreſſus aſſequutæ ſunt, ut metam quaſi teneant perfectionis: ſic morum Theologia, quam non pauci confinxere, tantum in ſuis inventis, diſtinctiunculis, noviſque ſuis cogitatis profecit, ut vitiis ipſis ignominiæ multum, multumque iniquitatis ademerit. Et hicce eſt ſæculi noſtri, omnium calamitoſiſsimi, genius, hicque character. Scelera ſin minus virtutis formam induerunt, ſaltem cum eadem vicinitatem nacta ſunt. Quin tantum convenientiæ, honeſtatis, & quaſi dixerim ſplendoris, iiſdem conciliavit impotens opinandi libido, ut non amplius probri, & infamiæ,

miæ, ſed gloriæ, laudis, & fortitudinis ſpecimen præferant. Quoniam inquit Tullius (a) *Nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione.*

XII. Verum antequam ultra provehor, verba Hieronymi Ruſtico Monacho formam vivendi perſcribentis uſurpare juvat. *Scio me offenſurum eſſe quamplurimos, qui generalem de vitiis diſputationem in ſuam referunt contumeliam, & dum mihi iraſcuntur, ſuam indicant conſcientiam, multoque pejus de ſe, quam de me, indicant. Ego enim neminem nominabo, nec veteris comœdiæ licentia, certas perſonas eligam, atque perſtringam. Prudentis viri eſt diſſimulare, immo emendare, quod in ſe intelligant, & indignari ſibi magis, quam mihi, nec in monitorem maledicta congerere, qui etſi iiſdem teneatur criminibus, certe in eo melior eſt, quod ſua ei mala non placent.* Quanquam moderationem, prudentiamque Sancti Doctoris in toto hoc opere imitari ſtuduerim: ita ſiquidem orationem meam temperavi, ut nec Religionem, nec Religioſorum aliquem vel oblique indigitaverim: non propterea tamen obtrectatorum jacula mihi blandor evaſiſſe; memor Divini Oraculi. (b) *Contra bonum malum eſt, & contra mortem vita: ſic & contra virum juſtum peccator: & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi duo & duo: & unum contra unum.* Et quod ſatis mirari vix poſſum; iimetipſi, qui ſuam famam, honoremque publica iniquitate prodigunt, proſtituuntque; qui ſuæ profeſſionis ſplendorem manifeſtis flagitiis obtenebrant: ii, inquam, ſunt omnium primi, qui adverſus quamlibet prudentem, piamque admonitionem obmurmurant, blaterant, garrulaſque voces congeminant. Illico enim, ac vir aliquis Divinæ caritatis ardore ſuccenſus omni, quoad fieri poteſt, adhibita prudentia, malorum radicem recludit, præcidendamque admonet; qui prolapſionem diſciplinæ, ſive Eccleſiaſticæ, ſive Monaſticæ indicat; qui conſectaria manifeſta, & omnibus comperta, inde proficiſcentia, luget, remediaque applicari ſuſpirat: jam

(a) In procem. ad Paradox.
(b) Eccleſiaſt. 33. 15.

tum illico commoveri, & offendi populos; tum Sanctuarii ſplendorem obſcurari; tum Religiones ultimam infamiam ſubire; tum Templa labare, Cœnobia corruere, Cœli cardines revolvi, ac univerſum mundum in præceps ruere, omnium auribus, exquiſita verſutia, inſuſurrant. Iſthic pauliſper ſubſiſtas lector velim, & ad id animum intendas, cujus ipſe teſtis es. Hoc noſtro calamitoſiſsimo tempore cujuſque conditionis, & ætatulæ homines docti, & indocti, ruſtici & nobiles, boni & mali, plebs, & Senatus, Civitates & Nationes adverſus Religioſorum remiſſam diſciplinam, manifeſtamque morum diſſolutionem declamant, exaggerant, crebraſque lamentationes emittunt. In eorumdem divitias, luxum, deliciaſque invehuntur. Iiſdem ludos, commeſſationes, epulas, vanitatem, aliaque pejora improperant. Eoque infelicitatis, & miſeriarum perventum eſt, ut vel ipſum ſanctum *Fraternitatis* nomen deriſioni, odio, & dicteriis obnoxium evaſerit. Et hæc omnia ſurda aure pertranſeunt illi ipſi, qui poſtea ex quocumque libro reformandæ diſciplinæ neceſsitatem evincente, ſcandala in populos oriri muſsitant, & Religiones detrimentum pati. Et talia monſtra cum videmus, exclamare non licebit? O Tempora! O Mores! Malunt univerſum mundum criminatorem, objurgatoremque perferre, quam unum, vel alterum pium, ſincerumque admonitorem audire. Quid plura? Vel ipſiſmet Religioſis, cum ad punctum temporis prudentis viri cogitationem ſuſcipiunt, nimis laxa ſua videtur diſciplina; & omnes cum Religioſi, tum de ſæculo homines Monaſticæ diſciplinæ reformationem quam maxime neceſſariam prædicant. At cum reipſa manum operi admoveri conſpiciunt; extemplo commoventur, & in Medicinæ parandæ auctores maledicta vibrant. Quare in ea funeſtiſsima incidimus tempora & nos, quibus nec mala, quod nimium horrenda, nec remedia, quod nimium inveteratis deliciis infeſta, pati poſſumus: quemadmodum de Romano prolabente imperio ſcribit Titus Livius, (a) cujus aurea verba

(a) Dec. 1. lib. 1. in procem.

ba iſthuc tranſcribere lubet. *Labente deinde paulatim diſciplina, velut deſidentes primo mores ſequatur animo: deinde ut magis, magiſque lapſi ſint, tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, perventum eſt*. Nec veritus ille eſt in conſpectu totius Urbis antiquorum Patrum, quorum virtute partum, auctumque imperium fuit, paupertatem, parſimoniam, fortitudinem, juſtitiamque, cum avaritia, luxu, libidine cœteriſque ſuæ ætatis Reipublicæ vitiis comparare. (a) *Cæterum aut me amor negotii ſuſcepti fallit, aut nulla unquam reſpublica, nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam ſero avaritia, luxuriaque immigraverint: nec ubi tantus, ac tam diu paupertati, ac parſimonia honos fuerit: adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates deſiderium per luxum atque libidinem pereundi, perdendique omnia invexere*. Concluditque. *Sed querelæ ne tum quidem grata futuræ, cum forſitan neceſſariæ erunt*.

XIII. Cœterum, ut cenſura iſthæc, antequam in lucem veniat, in fumum penitus abeat, atque in obtrectatorum faucibus præfocetur, ea omnia in examen vocemus, quæ ipſi, quoquomodo vel per injuriam carpere queant; & perſonas ipſas conſideremus, quibus offenſionem parere liber hic noſter poſſet. Omnia quæ hoc in opere continentur, ad tres fere propoſitiones reducuntur. Prima propoſitio eo tendit, ut evincat, Regulares lege ad peccatum mortale obligante, (ſive lex iſta votum ſit, ſive præceptum) obſtringi obſervantiæ exactæ rerum communitatis, cujuſque privati peculii expertis. Quam propoſitionem omnium Regularum, Conciliorum, Pontificum, Patrum, Canoniſtarum, Theologorumque auctoritate evidentiſſime demonſtrabo. In ſecunda palam faciam, nullam allegari poſſe veram rationem, juſtamque cauſſam abſolute violandi hanc legem. Quibus duabus propoſitionibus poſitis, ſuapte natura conſequitur Regulares illos omnes, qui laudatam legem non obſervant,

(a) Ibidem.

cum poſſint; qui occaſionem eamdem tranſgrediendi, peculiique habendi non auferunt, ſed deliberato animo in ejuſmodi perſiſtunt occaſione, in extremo damnationis periculo verſari. Conſequitur, peccare juvenes, ut fatentur Theologi, & ratio manifeſtiſſima evincit, qui nomina darent iis Ordinibus, ſi qui forent, in quibus communitatis obſervantia, aliarumque legum, antiquata eſſet ſerperetque peculiorum, ſeu, ut vocant depoſitorum abuſus; eo quod libere in violandæ legis occaſionem ſe ſe conjicerent. Hæc eſt univerſi operis præcipua, & potiſsima ſumma. Quid, amabo te, iſthic reprehenſione dignum? Nec enim aliquem ego deſigno Ordinem, hanc legem tranſgredientem. Sed ſermo meus hypotheticus eſt. Quid ſi juvenibus uxorem ducturis ſuaderem deligendam eſſe Virginem caſtam, humilem, verecundam, ambitionis, & vanitatis contemtricem? An ne propterea mulieres loquaces, garrulæ, deformes, ſuperbæ, effronteſque iraſci mihi jure poſſent? Quiſnam autem univerſi operis iſtius finis, quodnam conſilium, niſi ut candidatos ſæculum relinquentes edoceam, reſpuere illam debere ex tot ſacris ſponſis, quam viderint ſolam per vicos, & plateas extento collo, oculorum nutibus, & cincinnato capite diſcurrentem, faſtum, ſuperbiam, & omne aliud, præter caſtimoniam, humilemque paupertatem efflantem; ſed eam illis ſeligendam eſſe, quam deprehenderint raro in publicum exeuntem, ſolitudinem, & ſilentium amantem, modeſtia, & verecundia ornatam, atque caritate ferventem? An ſi quæ forent aliæ ſacræ ſponſæ his deſtitutæ virtutibus, contrariiſque vitiis inquinatæ, id quoquomodo crimini mihi, & non ſibi, vertere poſſent? Quod ſi poſt ſummam hanc vigilantiam, cautionemque noſtram, qua cujuſque offenſionem vitare ſtuduimus; futuri nihilo ſecius ſint, qui ſe ſe læſos, etiam nobis repugnantibus, velint, non propterea cenſuimus deſiſtendum incepto. Quoniam ſi tum dumtaxat promenda veritas eſt, cum nec improborum quemque lædat, actum profecto de ea conclamatumque eſt. Si medici amaris pharmacis corporum morbis medentur, quanto magis id facere nos convenit in animo-

morum vitiis abigendis? Alioqui reprehendendus eſſet Apoſtolus Paulus inquiens (*a*) *Inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa*. Reprehendendus eſſet Deus ipſe, qui per Iſaiam clamat, (*b*) *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant*. Age vero, qui ſunt ii, quibus liber iſte offendiculo eſſe poteſt? An fortaſſe vulgus? At iſte nec a longe libros ejuſmodi ſalutat. Hicque ex iis, quæ videt, non ex iis, quæ legit, ſæpius offenditur. An viri Docti? An Hæretici? ſcilicet. At contra repono ego, librum hunc, alioſque ſimiles ad Hæreticorum calumnias repellendas ſummopere conducere. Idque mihi in votis fuit. Siquidem Lutherani, & Calviniſtæ nil antiquius habent, quam Eccleſiaſticorum, Monachorum divitias, luxum, faſtum, libidines, aliaque crimina per ſummam impudentiam exaggerare, &, ob quorundam Religioſorum flagitia adverſus ſancta Monaſtica vota, & diſciplinam obganniunt, blaſphemant. Quin hæc omnia ipſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ effronti temeritate improperant, in eamque regerunt; ac ſi, quod impedire nequit, adprobaret. Hinc eſt, quod Cardinalis Caſinus Doctrina, & eloquentia, ac pietate, non minus, quam purpura Eminentiſſimus typis edidit tria volumina concionum, in quibus omnia vitia, fraudes, dolos, luxum, faſtum, avaritiam Eccleſiaſticorum, ad quos eaſdem conciones habuit, Apoſtolica libertate exaggerat, damnat, inſectatur. Nec veritus eſt ille; nec Romanæ Urbis Cenſores, haſce liberas, acreſque declamationes in Sanctuarii Miniſtros quidquam offendiculi allaturas Proteſtantibus. Immo iccirco eas edidiſſe teſtatur, ut eorundem Hæreticorum maledica ora obſtrueret: ut anſam illis eriperet obloquendi, atque calumniandi, Romæ omnia adulationibus promoveri; ibique adulatores, aſſentatoreſque omnibus præire, & præcellere. Ex his concionibus colligent, inquit Doctiſſimus Cardinalis, (*c*) audaces impo-

(a) 2. Timoth. 2. 4.
(b) 3. verſ. 13.
(c) Tom. 1. in Præſ. Non vi è coſa, che confonda più l'ereſia, che queſta

poſtores, quod hic non adulamur, aut aſſentamur, ſed Apoſtolico pectore Sanctum Chriſti Euangelium tonamus. Id ipſum adfirmo & ego. Colligent Sacrorum Ordinum contemtores, quam ſancta ſit Monaſtica diſciplina. Perdiſcent Regularium paupertatem, illam ipſam eſſe, quam Chriſtus in Apoſtolico Collegio inſtituit. Perdiſcent divitias, luxum, delicias, cœteraque monſtra, hominum, non diſciplinæ fœtus eſſe: noſque hæc omnia deteſtari, & pro virili parte exterminanda curare. Poſtremo colligent quoque lectores mei: alia ratione Hæreticos, perditoſque homines, Chriſtianorum, Religioſorumque vitia deteſtari: alia vero longe diverſa in eadem crimina, Catholicos ſcriptores invehi. Illi furore iniquitatis perciti flagitia Religioſorum idcirco evulgant, exaggerant, augentque, ut Sacras Religiones, ut ipſam Sanctam Romanam Eccleſiam exſibilent, infamentque. Iſti pietatis fervore ſuccenſi eadem delicta ob oculos ponunt, ut remedii applicandi neceſſitatem evincant, ut, expoſita malorum atrocitate, peccandi periculo fideles ſubducant. Illi vulnera perfricant, ut immanius ſæviant, ut crudelius vexent: iſti, ut medeantur. Illi diabolico ſpiritu acti Sanctæ Matris Eccleſiæ filiorum ſcelera diſſeminant, & maledica eloquentia amplificant, ut eidem Eccleſiæ invidiam, odium, & infamiam creent. Iſti caritate Chriſti ardentes ſuper matris ſuæ filiorum infirmitatibus lugent, & morborum gravitatem confitentur, ut potentes medicos ad medicinas porrigendas, ſuppetiaſque ferendas provocent, & inducant. Hoc zelo ferventes Sancti Eccleſiæ Patres acres illas, ſeveraſque redargutiones modo in vitia, modo in ipſas perſonas perlibrarunt. Ut me ſecurius quaque invidia liberarem, nec perſonas, nec Ordinem aliquem notavi, vel oblique indicavi. Sed pro modulo meo omnia, quæ ad meam juvandam cauſſam, ſeu veritatem manifeſtandam facere videbantur, ea, majore qua potui,

mo-

libertà evangelica, non ſolo predicata a porte chiuſe, ma publicata al Mondo colle ſtampe; perchè con ciò i popoli ſedotti dalle preſtigie de' Miniſtri dell' empietà leggono il proprio diſinganno, e le menzogne di coloro, che vanno diſſeminando, che da queſto pulpito ſi canta, e non ſi tuona, ſi luſinga, e non ſi ammoniſce.

modeſtia, & prudentia expoſui. Quapropter opportuna Divi Bernardi verba jure, & merito uſurpare valeo. (a) *Unde non adverſus ordinem, ſed pro ordine diſputare putandus ero. Non ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus ordinem in hac re moleſtum me fore non timeo; quin immo gratum proculdubio accepturi ſunt, ſi perſequimur, quod & ipſi oderunt. Si quibus vero diſplicuerit, ipſi ſe manifeſtant, quia ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem, & vitia damnari nolunt. Ipſis itaque illud Gregorianum reſpondeo. Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur.* Hanc Sanctorum Gregorii, Bernardi, omniumque Patrum Doctrinam de veritatis, ſcitu ad ſalutem neceſſariæ, manifeſtandæ debito, etiam cum periculo offenſionis malorum, mirum in modum de more, confirmat Angelicus Doctor. (b) Ejus luculentiſſima momenta, ne limites inſtituti mei tranſiliam, ſilentio prætereo, alias relaturus, ſi occaſio fuerit. Temperare mihi tamen minime valeo, quin illud lectoribus meis in memoriam revocem: humanum ſcilicet genus duobus veluti cardinibus verti: altero honoris, gloriæ, ſempiternæque famæ cupidine: altero ignominiæ, dedecoris, atque infamiæ timore. Illo ceu acutiſſimo calcari natura ipſa ad magna conanda, ad difficilia aggredienda impellitur, abripiturque. Hoc veluti freno validiſſimo a flagitiis, quæ publicam parere infamiam poſſint, cohibetur. Si ejuſmodi pavoris publicæ ſubeundæ diffamationis repagula remittantur: Si ardens illud perpetuandæ famæ deſiderium extinguatur: ſi ſceleſti homines nec linguarum aculeos, nec ſcriptorum calamos amplius revereantur: Si ſemel hæc erronea opinio iniquorum mentes invaſerit, licitum nempe haudquaquam eſſe eorumdem turpia geſta poſterorum memoriæ commendare: Denique ſi viris Dei hæc adimatur libertas, qua voce, qua ſcriptionibus in criminoſos invehendi; en illico vitiorum omnium torrentem, confractis aggeribus quoquoverſum inundare. Intereſt ergo, & ſummopere intereſt Chriſtianæ Reipublicæ flagitioſos reco-

(a) In Apolog. ad Guillel.
(b) 2. 2. quæſt. 43. art. 7.

cognoſci: intereſt humani generis univerſi, quod altius animis inſideat juſtus publicarum redarguitionum timor. Extrema itaque in hoc, ſicut in rebus aliis, vitanda ſunt. Privata crimina euangelicæ caritatis pallio occultanda: publica, manifeſta, aliiſque noxia, eadem caritate innocentibus ſuccurrendi ne inficiantur, referanda, atque publice, data occaſione, redarguenda ſunt. Lubet hæc omnia confirmare auctoritate Clariſſimi viri Ludovici Antonii Muratorii (a) *Utinam non vidiſſet, neque videret Orbis Monaſticæ vitæ profeſſores, veſte tantum, & colore ſuis inſtitutoribus ſimiles, cetera diſſimiles. Si horum geſta litteris conſignanda ſunt, num alios homines deſcribere licet, quam ipſi fuerunt? Num adulatione fama illorum palpanda? At iſta inquies diſſimulanda. Utique ſi crimina privati hominis ſint; ſi nihil rei cum populo, & Religione habeant; ſi nihil utilitatis, eoque magis ſi quidquam incommodi in Rempublicam fluere poteſt ex eorum revelatione; ſi denique e vivis nondum exceſſere criminoſi. Nam & diſcordiarum, rixarumque cauſſa omnis tollenda & a ſcandalis, & ab una hominum inhoneſta curioſitate paſcenda, nobis eſt abſtinendum. Verum quum publica ſunt ſcelera, & cum Religionis atque Eccleſiæ negotio conjuncta ſunt, eorumque auctores, humanis rebus defuncti, iræ atque vindictæ locum ſuſtulere: videndum eſt, an non majorem Reſpublica utilitatem capiat, iiſdem proditis, quam diſſimulatis hominum vitiis. Erunt vitia donec homines; ſed ne vitia impunita debacchentur, arguenda ſunt, atque improbanda palam, eorumque horror incutiendus hominibus. E majorum autem exemplis diſcunt ſucceſſores, quid ſibi agendum non ſit; diſcunt vereri famam, parcentem quandoque viventibus, in mortuos omnes æquam; agnoſcunt turpitudinem ſuam aliena ſub imagine expreſſam. Intereſt igitur Eccleſiæ, atque Reipublicæ iſta quoque interdum evulgari. Accedit ad hæc ſumme laudanda in hiſtoricis virtus ſinceritatis, quam ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus abhorrere nemo ſanus dicat. Et certe magnus ipſe Annalium Parens Baronius quamquam ab Hæreticis inſimulatus, quaſi plus æquo faveat Romanis Pontificibus, ne iſtorum quidem facinora vituperanda, quum fert occaſio, diſſimulat. Cæteri Epiſcopi,* Preſ-

(a) Lib. 2. de moder. ing. cap. 6.

Digitized by Google

Presbyteri, & Monachi, quo quiſque longius e probitatis via deflexit, eo tetrioribus pinguntur coloribus in ejuſdem Baronii Annalibus.

IV.

XIV. Ultimam cenſuram, quæ rigorem, ſeveritatemque Doctrinæ obtrudit, ne recordari quidem, nedum timere, deberem. Nam multorum ſermone veluti commune proverbium jam circumfertur, homines laxioris diſciplinæ, rigidiores morum regulas ſumma levitate oſtentare. Quod verum, an falſum ſit, mea haud intereſt diſcutere. Id potius mihi ſatis compertum videtur, quod quamvis homines communiter dicant malum bonum, & bonum malum; attamen quiſque validiore conatu propriæ profeſſionis tranſgreſſiones de crimine purgare, omnemque malitiam ab eiſdem ſtudet removere. Et quo homines ſunt doctiores; eo quoque ſunt acutiores in iis conquirendis artificiis, quibus ea, quæ ſibi placent, quadam præſcriptione tegere, & honeſtatis fuco depingere valeant. Et hinc fortaſſe exordium duxit contrita illa perſuaſio, Theologorum, ſapientumque plurimos nihil credere, ſuiſque legibus vivere, quive ſpiritus fortes appellantur. Porro, ut validius propulſem confictam cenſuram, a benigno lectore etiam, atque etiam peto hanc veniam, ut duo ſpirituum fortium genera paullo fuſius deſcribam: unum quidem ſatis exploratum, alterum vero occultum æque ac infeſtum. Quæ ſane deſcriptio quanquam primo aſpectu a ſemita aliquantiſper deflectere videtur; nihilominus tamen reipſa ad inſtitutum meum quam maxime conducit.

XV. Primum autem ſpirituum fortium genus leges, & jura, bonum & malum, honeſtum & turpe hominum ingeniis, populorumque ſcitis excogitata, eorumque opinione niti, & conſiſtere, conſuetudineque invaleſcere garrit & tandem animorum immortalitatem, Numinum divinitatem, Religionemque omnem in anilium fabularum numero habet. Alterum ſpirituum fortium genus prorſus oppoſitum, non modo de jure de legibus optime ſentit; ſed

quod ſpectat ad Religionem, in aliud potius, quaſi ſuperſtitionis extremum declinat; nedum quæ Religio imperat, ſuſcipit: Hoc tamen pacto, ut omnia fere Religionis onera, & præcepta ſuæ aptet cupiditati, & commodo. Quod, ut preſſius iſtius duplicis ſpirituum fortium generis notiones palam faciam, illud eſt animadverſione dignum, quod tam primi, quam ſecundi generis homines, eodem fere, tametſi diverſo itinere, concedunt. Prioris claſſis viri, ut latiſſimam ad quæque vitia ſibi viam aperiant, ut conſcientiæ aculeos retundant, verbo ut tranquillo animo in omnium ſcelerum, flagitiorumque centro conquieſcere valeant; leges, jura, mandata, fidem, Religionem; Providentiam, & cujuſque Numinis Divinitatem de medio tollunt, exturbantque. Sublato enim legiſlatore, omnia impune, nulloque timore animum vellicante, perpetrare ſibi blandiuntur. Iccirco vero ſpiritus fortes nuncupantur, quod Religionem illam, quam cum nutricis lacte ſuxerunt, quod ſacras illas, altiuſque impreſſas anticipationes, quod inſitas, ac veluti innatas cogitationes de Deo, de ordine, de honeſtate excutere; quod adverſus omnium ſæculorum non multitudinem modo, verum etiam ſapientes, cultioreſque nationes omnes ſe ſe erigere: quod denique rationem ſibi adimere, atque in jumentorum, beſtiarumque cenſum tandem aliquando ſe ſe conſcribere aſſequuti fuerint; ſi tamen fuerint.

XVI. Poſterioris generis homines contrariæ omnino inſiſtunt viæ; eandem tamen, plus minuſve, inſpiciunt metam. Quippe & iſti, tametſi non adeo effreni animo, tamque perfricta fronte, ac primi, ſuis indulgere appetitionibus volunt: non quemadmodum illi Religionem de medio auferentes: ſed Religionem, Religioniſque jura, leges, & mandata alta voce prædicantes; reipſa dumtaxat ea omnia tam exquiſito artificio delinire, ſibique temperare adnituntur, ut non plus humanæ naturæ incommodent, ac ſi nulla quaſi foret Religio. Quocirca ſapientiores iſti audiunt, quod arcanum abditiſſimum repererint difficillimam illam inſtituendi ſocietatem conſcientiæ, nempe libertatis cum Religionis profeſſione. Idque in cau-

ſa

ſa eſt, cur ſpiritus fortes & ipſi nuncupantur, quod videlicet ad fortunam, ad tempus, & ad hominum genium leges, & mandata accommodare noverint. Fortes, quod modeſtiam ſtupiditatem; ſolitudinem ſtultitiam, ſilentium ruſticitatem; humilitatem vilem dejectionem, ſi minus aperte, tacite ſaltem, ſuiſque continuatis tranſgreſſionibus traducunt. Fortes, quod viam antiquitati incognitam adinvenerint. Siquidem Patres noſtri, omneſque pii, & ſanctiſſimi viri pœnitentiis innutriti, jejuniorum ſeveritate graciles, parſimoniæ, & paupertatis penuria ſubacti: poſt diuturnos labores, poſt ſeveriſſimas carnis, & appetituum compreſſiones, poſt denique longum vitæ Monaſticæ curriculum omni virtutum genere exornatæ, divinæ juſtitiæ terribilem, formidandamque ſeveritatem, ac inſcrutabilia Dei judicia perhorreſcebant; atque æternæ ſalutis timore perſtricti acerbiſſime conflictabantur. Et qua precibus, qua lacrymis, qua laborioſis operibus infinitam Dei Miſericordiam ſine intermiſſione implorabant. Et tandem cum Apoſtolo paventes, & tremebundi clamabant. (a) *Neſcitis, quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt; ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.* At quid ſi eo jam perventum eſſet, ubi tales viri fortes reperirentur, qui quanquam eundem pœnitentiæ, paupertatis, & humilitatis ſtatum profitentes; nihilo ſecius molliter induti, delicatis cibis nutriti, reſonantibus crumenis incedentes, ampla cubicula picturis, & aulæis ornata inhabitantes, abſque ullo propriæ ſalutis timore, ducerent dies ſuos? quin iccirco viros fortes ſe ſe oſtentarent; quod inter convivia oppipare inſtructa, quod inter ſelectiores epulas, & exquiſitiores phialas, ſalutis ſuæ ſecuritatem jactarent? Fortes, quod Hilarionis, Antonii, Pauli, Macarii, Hieronymi, omniumque Sanctorum ſollicitudinem, anxietatem, pavoremque in æternitatis negotio foras ejecerint: Olim Monachus in extremo paucis cum nummis repertus, aſinina ſepultura plectebatur. Quid porro ſi ea in tempora incidiſſemus, quibus viri fortes ſuum Monaſticæ paupertatis votum, non modo ab tanta legum ſeveritate ſub-

(a) 1. Corinth. 9.

duxiſſent; verum etiam cum aureorum copia portentoſo fœdere conſociaſſent? Quid ſi divitibus Fratribus, poſt obitum opima ſpolia, & ingentia peculia relinquentibus elogia pangerent, ſplendida monumenta erigerent, eorumque famam celebrarent; nedum in ſterquilinium eos non projicerent? Quoniam olim occulte, & invito Prælato; nunc palam, & ſingrapha, in qua omnia bona ſcripta ſunt, penes Prælatum conſentientem, depoſita, nummi ſervantur. Cœpit enim licitum eſſe, quod publicum eſt. Fortes tandem nuncupantur, quod tot inter delicias, illecebraſque nullo æternitatis terrore percellantur. Sed (a) *dicunt in cordibus ſuis, non faciet bene Dominus, & non faciet male; & erit fortitudo eorum in direptionem.*

XVII. Hæc duo ſpirituum genera invicem ſi conferamus, primum dubio procul magis impium fatebimur: alterum vero hominum ſaluti magis infeſtum. Illi quippe prioris claſſis hoſtes ſua impia Theoremata in publicum promere minime audent: ſed in angulis blaſphemant. Poſterioris autem generis ſuum venenum prima facie minus horridum variis, exquiſitiſque condimentis permixtum propinant; atque ſub benignæ ſuavitatis fuco latius illud effundunt. Quin, non modo conſuetudines, mores, & abuſus ſuos tanquam licitos propugnant, verum etiam neceſſarios aſſerunt ad conſervandam pacem, fovendamque ſocietatem, & harmoniam. Siquidem loco primi principii ſuæ conſummatæ prudentiæ collocant effatum illud, non minus barbarum quam diabolicum. *Relinque mundum vadere, ſicuti vadit.* Hinc ſi aliqui viri Dei regularis diſciplinæ inſtaurandæ ardore ſuccenſi remedia parari curent; ſi vel ipſam neceſſariæ reformationis vocem emittant: continuo viri robuſti, & ſapientes politici claſſicum canunt, diiſque juratis, in eos inſurgunt; & per ſummam ironiam poſt eos exſibilantes muſſitant. *En Reformatores Religionis? En Reformatores Eccleſiæ?* Deinceps penes cujuſque ſtatus perſonas, nec ipſis mu-

(a) Sophon. 1.

mulierculis exceptis, tanquam infirmas mentes, imprudentes, audaces, effrontes, communiſque pacis, & publicæ tranquillitatis perturbatores traducunt, & inſectantur. Nihil tamen frequentius, ac fortius impingunt quam *novitatis* cenſuram, de cujus inſulſitate, nimiaque futilitate, fuſius ſuo loco. Si enim nihil novi, quamvis bonum, fieri liceret, jam actum eſſet de quolibet Imperio, inquit C. Canulejus Tribunus plebis apud T. Livium. (*a*) Cum ego Politicis iſtis (quæ enim audivimus ipſi, & vidimus, differimus) opponerem: Si viri Dei debent *relinquere mundum vadere ſicuti vadit*, Euangelio quoque, & Chriſto ipſi renuncient, oportet. Enimvero cur Deus de Cœlis in terram deſcendit, ut Mundi curſum abrumperet, ut ei implacabile, perpetuumque bellum intentaret, nil veritus tanquam ſeductorem, & perturbatorem ſe traduci? Quid Regius Propheta lugebat pacem videns peccatorum? Quid Apoſtoli, quid Martyres ſanguinem effuderunt? Quid Patriarchæ Sacrorum Ordinum fundatores, mundique reformatores non *reliquerunt mundum vadere, ſicuti vadit*? Quid, quod, ſingulis ferme ſæculis, ſuſcitavit Deus præclariſſimos viros, qui relaxatam diſciplinam, & collabentes Ordines reformarunt; perverſorum hominum maledictis, & moliminibus ſpretis? *Tranſiere*, inquiunt, *tempora illa*. Si hac noſtra ætate vel ipſi ſeverioris diſciplinæ cultores vitam degerent, nec paupertatem adeo auſteram, nec jejunia adeo continua, nec veſtitum adeo aſperum, quoniam gracilior, infirmiorque evaſit humana natura, præciperent; ſed noſtris vivendi rationibus morem gererent. Ecce quibus implicantur contradictionibus. Cum illis noſtri corruptiſſimi ſæculi morum diſſolutiones, ſcelera, & ſcandala opponimus? cum ſuper illis lacrimamur, & remediorum ne-

(a) Decad. 1. lib. 4. c. 2. At enim nemo poſt Reges exactos de plebe conſul fuit. Quid poſtea? Nulla ne res *NOVA* inſtitui debet? Et quod nondum eſt factum (multa enim nondum ſunt facta in novo populo) ea, ne ſi utilia quidem ſint, fieri oportet? Pontifices, augures, Romulo regnante, nulli erant: Ab Numa Pompilio creati ſunt. Cenſus in civitate, & deſcriptio centuriarum, claſſiumque non erat. Ab Servio Tullio eſt facta. Conſules nunquam fuerant; Regibus exactis, creati ſunt.

neceſſariam appoſitionem ſuggerimus, quid reſponſitant robuſti homines? Reponunt eadem flagitia in quaque ætate latius ſerpſiſſe, ſoloſque rudes, meticuloſos, & antiquitatis imperitos hæc ignorare. In me iſthæc cudatur faba. Sed interim inquiro. Cur dum præteritorum temporum collapſæ diſciplinæ regularis crebras reformationes quas, reſiſtentibus, & maledicentibus iniquis, invexerunt viri Dei, in memoriam revocamus; cur inquam repetunt non amplius illa florere aurea tempora? Contra vero, cum ſcelera, vitiorumqne omnium graſſantem colluvionem, hac noſtra tempeſtate, deflemus, animos faciunt, quod ſemper ſimili peſte, vel ipſe ſacer Mundus infectus fuerit? Proh hominum, numinumque fidem! Iniquitati ergo ſemper opportuna fuere tempora, ſuntque: Virtuti, vero, & ſanctitati defecerunt? Præteritis ſæculis crimina ſi ſerpebant, remedia quoque præſto occurrebant? Nunc autem invaleſcentes abuſus antiquorum collatione excuſantur: ſed præreritarum reformationum frequentiſſima exempla tanquam inepta ad ſuadendas novas reformationes rejiciuntur, quod ferrea tempora advenerint, quod fata omnia fera jam ſint, dieſque atri. En quo contradictionis ſpiritu acti ſuper abyſſi latera obambulant iſti viri fortes? Oculos quoquoverſum volvunt, nunquam vero ad Cœlum extollunt. Nec recogitare volunt, quod idem nunc Deus, qui olim, eadem nunc miſericordia, eadem juſtitia, eadem tempora; cum hoc ſolo diſcrimine, quod noſtra ſunt infeliciora, omniumque calamitoſiſſima, ob id maxime, quod remedia non alia ratione reſpuamus, niſi quia jampridem morbis aſſuevimus, & poſtremo, quod ſumma ſit penuria virorum ſanctorum, qui prædeceſſorum æmulantes veſtigia, & geſta, malitiæ torrenti undequaque inundanti aggerem jaciant, & collabentem cujuſque ſtatus diſciplinam reforment.

XVIII. Satis ſuperque iſtorum vaniloquentiam perſequuti ſumus; quocirca ad nos revertamur, fas eſt, ut ſeveritatis notam penitus profligemus. Primum itaque omnium, admonere lectorem magnopere intereſt, me ſcilicet non quamdam in hoc opere ſingularem opinionem

pro-

propugnandam ſuſcepiſſe. Majus ſiquidem eſt profeſſionis noſtræ, & ſalutis æternæ negotium, quam ut a factioſis hominum contentionibus, & privatis placitis pendere debeat. Erronea quædam perſuaſio Religioſorum animis inſedit, atque inveteravit, quod ſententia aſſerens, eoſdem vi legis ad peccatum mortale obligantis, exactæ rerum communitati, pulſis peculiis, ſubjectos eſſe, opinio quædam tutior, & rigidior ſit quorumdam Theologorum, quos ipſi rigoriſtas, & tutioriſtas, aliiſque acerbioribus vocabulis, compellant. Id vero ortum ducit, quod iſtius materiæ, quanquam unice ſuæ, alta teneantur ignorantia; & quod nolint eam pro dignitate diſcutere, ne conſcientiæ lacrimabilem tranquillitatem perturbent: ſed ſi in uno, vel altero ſummiſta quidpiam ſibi favens repererint, illius auctoritati ſuam fidunt animam; tametſi, quod portentoſum eſt, in regendis, conformandiſque chriſtianorum moribus, Theologos iſtos, ceu nimium benignos, & euangelicæ ethicæ perditores plenis buccis traducant. Ut falſiſſimam, exitialemque anticipationem propulſem, & in nihilum redigam, illud ſpondeo, controverſiam hanc ad ea principia me revocaturum fore, quæ Theologi omnes, tanquam certiſsima admittunt, & venerantur: quamvis deinde in conſectariis deducendis laxiora quædam doceant, vel quod ex animi ſententia controverſiam non verſaverint, vel quod aliquando dormitet Homerus, vel alia ratione. Unde evidenter colligitur, Regulares reſpuentes vitam communem peculiorum expertem in omnium Theologorum ſententia graviſsimo periculo damnationis obnoxios eſſe. Quod idcirco ſæpius repetam, ut omne errandi effugium ipſis præcludam. Audivi enim frequentiſsime, dum hoc de argumento ſermo recurrebat, talia reponi: Si plures Theologi docent præcepto devinctos eſſe Regulares communitatis obſervationi; alii docent oppoſitum. Nobis autem ſufficit, opinionem defendentem licitum depoſitorum ſeu peculiorum uſum, eſſe probabilem. Incredibile videtur hæc proferri poſſe ab illis ipſis, qui gloriæ ſibi ducunt, probabiliſmum inſectari. Et tamen, quæ ipſi propriis auribus audivimus, enarramus.

mus. Quæ omnia incitamento mihi fuerunt, ut diſputationem hanc a contentionibus, quoad fieri potuit, Theologorum ſubducerem, & ad ultimum evidentiæ gradum efferrem. Quare in anteceſſum retractationem ſpondeo, ſimul, ac quiſquam palam fecerit, ea quæ hoc in opere docui, plus gravaminis imponere, quam quod vota ſolemnia, & profeſsio Monaſtica præſcribant. Id dumtaxat eos admoneo, qui iſtius rei periculum facere velint, ne mihi opponant, vel indoctæ multitudinis auctoritatem, vel contrarium morem, ſeu abuſum, vel denique fallaciſsimum illum paralogiſmum, nempe ingentem, maximumque Regularium numerum damnatum iri, ſi vera, quæ ego doceo, forent. Has quippe ineptiſsimas nugas, inaneſque argutationes diſſertatione quarta fuſo calamo contrivi. Sed ad ea principia, eaſque ſedes, e quibus ego meas elicui conſequutiones, ſuam revocent criſim; nimirum ad Scripturam Sanctam, Patres, Concilia, Pontificum Conſtitutiones, & Monachales Regulas, & Conſtitutiones, quas profeſsi ſumus. Si iſtorum auctoritate, ſolidaque ratione quis evicerit, me jugum Euangelico-Monaſticum plus juſto ſeverius effeciſſe, ac regularis profeſsionis onera vel minimum aggravaſſe; non modo retractationem adpromitto; ſed reipſa omnia deleo, & abrogo. Nec enim vel a natura, vel ab educatione aſperitati addictus ſum; quin ad ſuavitatem, & benignitatem propenſum me norunt omnes. Et ego, non ſecus ac alii, peregrinationis, & exilii incommoda & anguſtias perfero. Averem primum mihi, deinde aliis, Euangelici & Monaſtici jugi ſeveritatem, quoad fieri poteſt, delinire. Verum nihil in Euangelio, nihil in Patribus reperire licuit, quod votis hiſce meis reſpondeat. Id unum cum in Scripturis, tum in Patribus offendi, veros nempe Prophetas, quæ aſpera, quæ rigida hominibus videbantur, prædicaſſe: contra vero falſos augures dulcia ſemper, & placentia venditaſſe. Et quod ſummopere animadvertendum, veri Prophetæ numero pauci: Pſeudoprophetarum autem numerus ampliſsimus quoque tempore fuit. Et profecto ſi majorem hominum partem

æternæ damnationi obnoxiam aſſerunt Patres; majorem quoque Magiſtrorum numerum in eandem foveam prolapſurum fore dicendum videtur. Quadringenti Prophetæ Accabo dulcia, & ſuavia præloquebantur. Hoſtium legiones penitus profligaturum, victoremque ſpoliis, & trophœis coronatum de certamine diſceſſurum prædicebant omnes. (*a*) *Cuncta proſpere evenient tibi, tradentur hoſtes in manus tuas.* Et hi omnes tanquam ſuperno afflatu redundantes, ac ſupremi Numinis conſiliarii habebantur. Unus Michæas Cœleſti lumine perfuſus verum eventum revelans odio, & invidiæ obnoxius evaſit (*b*) *ego odi eum quia non prophetavit mihi bonum ſed malum.* Hinc ortum duxit ſententia illa Divi Hieronymi. (*c*) *Pſeudopropheta ſemper dulcia pollicentur.* Et Divus Joannes Chryſoſtomus ſubdit lydium lapidem agnoſcendi mendacia augurum, encomia eſſe multitudinis, & acclamationes. (*d*) *Chriſtus Dominus in Euangelio ſingularem pſeudoprophetarum notam nobis aſſignavit, ſi ab omnibus hominibus benedicantur.* Quæ in antiquis Pſeudoprophetis improbant Patres; eadem amariſſimis lacrymis deplorat Pater Goſvinus Nikel Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu in non paucis Theologis, qui paupertatem Monaſticam cum pecuniarum affluentia componere ſatagunt: & Religioſis pavidis, timidiſque in paupertatis Deo adpromiſſæ obſervantia, ſalutis ſecuritatem viri fortes ſpondent. (*e*)

XIX. Reliquum jam eſt, ut poſt labefactatas aliorum cenſuras, memetipſum æquum, juſtumque laboris mei ju-

(a) 2. Paral. 18.
(b) 3. Reg. 22.
(c) Lib. 2. contr. Jovin.
(d) Hom. 15. in Matth.
(e) In Epiſtola de amore, & ſtudio perfectæ paupertatis .... Quæ dum memoro, ſubit animum, nec ſine mœrore fateor, recordatio nonnullorum, qui ſibi infeliciter, aliis damnoſe acuti laxandæ ultra jus, faſque omne paupertati, quædam ſua commenta excogitant; vel aliunde conquiſita in vulgus aſſerunt; docentes gravia quædam, & factu admodum periculoſa, ſalva atque integra paupertatis, & voti obligatione, licere; invehuntque ea paſſim ejuſmodi rerum ignaris, ne, ut ajunt, imperitia ſua decepti *trepidens timore ubi non eſt timor*; & fruſtra peccent, ſi forte illicitum putent, quod Doctorum hominum arbitratu, quorum munus eſt haſce de conſcientia quæſtiones diſſolvere, tuto & ſine ulla culpæ ſuſpicione fieri poſſe ſtatuitur. Qua ſane pietate nihil crudelius fingi poteſt.

judicem conſtituam. Et tametſi difficile eſt in cauſſa propria ſententiam undequaque rectam dicere, attamen pro ea, qua valeo ſinceritate, illud in primis fateor, teſtorque, me non alio animo, quam veritatis amore, juvandique proximi zelo, hoc opus aggreſſum eſſe. Eadem ingenuitate confiteor, me ad illud imparatum acceſſiſſe, iiſque deſtitutum ſubſidiis, quæ neceſſaria forent ad tam ſublimem diſputationem, qualis ea eſt, quæ Euangelicæ, Divinæque perfectionis cauſſam verſat. Neque enim exiguitatem meam uſque eo ignoro, quo me fugiat, quam blanda conciliatrix, & quaſi ſui ſit lena natura, ut inquit Cicero. (a) Verum ad id audendum ingentes animos addidit, quod non meis viribus, ſed ipſius cauſſæ explorata veritate, & maxima, quæ inde proficiſcitur, utilitate confiſus, operi manum adjecerim. Accedit quod quo minus ingenio, eloquentia, & eruditione valeo, eo majore ſolertia, induſtria, & diligentia uſus fuerim. Erunt utique, qui poſtremo loco dicturi ſint, neque ex hoc noſtro libro remiſſæ diſciplinæ Regulares ab inveterata vivendi conſuetudine ſe ſe receſſuros; atque adeo ſupervacaneum ſterilemque futurum eſſe laborem noſtrum, irrita vota, varioſque conatus. Ut quid ergo abſque ullo fructus, abſque ullius victoriæ ſpe, pacem, fraternamque concordiam interturbare, indicere bellum, ciere turbas, animoſque exaſperare, atque adverſus memetipſum invidentium linguarum tela contorquere? Jure, ac merito objici hæc poſſent, ſi cauſſa, quam ago, ejuſmodi eſſet, quæ aut quot annos vixerit Aceſtes, aut quot vini urnas Trojanis donaverint Siculi, idque genus ſimilia inveſtigaret, quæ ſive teneas, ſive ignores, perinde eſt. At quis dixerit, veritates, quæ ſummum æternæ ſalutis negotium proxime contingunt, idcirco ſilentio prætereundas eſſe, quod nulla ſpes profectus ſit, immineatque pacis perturbatio? Hæcce ne Euangelio Chriſti conſentanea forent? An ne Deus, cum ſemen Divini verbi ſpargere, vineamque colere jubet, uberes quoque parere fructus, ac meſſis colligere manipulos imperat? Si ſervandæ pacis ſtudio euangelicæ ſancti-

(a) De nat. Deor. lib. 1.

ctitatis regulæ retinendæ forent; ut quid Apoſtoli, Martyreſque immania pertuliſſent ſupplicia, ſanguinemque fudiſſent? Eccujuſnam generis eſt pax iſta, quæ cum veritatis diſpendio cuſtodiri debeat? Eam nobis pacem Deus commendat, quam veritas comitatur. *Veritatem tantum, & pacem diligite.* (*a*) Hanc avet Rex Ezechias. *Sit pax, & veritas in diebus meis.* (*b*) Pax, quam prædicant Mundi prudentes, ſapienteſque illa eſt, quam propriis rationibus, propriæque ambitioni conſentaneam noſcunt, quæque ab oculis ſanctorum lacrymas haurit. *Zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* (*c*) Adverſus iſtius pacis fautores invehitur Jeremias. *A Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum . . . . dicentes pax pax ; & non erat pax.* (*d*) Hanc pacem luget Ezechias. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* (*e*) In hanc pacem gladium ſtrinxit Chriſtus Dominus. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram : Non veni pacem mittere, ſed gladium.* (*f*) Ex innumeris Patrum auctoritatibus unam, & alteram in medium afferam. *Eſt tamen pax, quæ nec eſt præmium, nec meritum, pax quam Dominus odit, de qua Dominus dicit:* Non veni pacem mittere, ſed gladium. *Pax enim quæ in deliciis carnis exercetur, peſſima eſt, teſte Propheta, qui dicit: Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Pax pax, & non eſt pax. Hanc enim pacem momentaneam ſequitur amaritudo æterna . . . Nam cum dixerint pax, & ſecuritas, repentinus ſuperveniet interitus, & dolor, ſicut in utero habens & non effugiet.* (*g*) D. Gregorius Nazianzenus plurima in hanc rem ſcribit. *Neque vero quiſpiam ſuſpicetur, quod pacem omnem amandam eſſe, & amplectendam exiſtimem. Nam ut optimam quandam diſſenſionem, ita pernicioſiſſimam quandam concordiam eſſe perſpectum habeo. Melior eſt enim contentio pietatis cauſſa ſuſcepta, quam vitioſa*

(a) Zachar. 8. verſ. 19.
(b) 4. Reg. 20. verſ. 19.
(c) Pſalm. 72. verſ. 3.
(d) 6. verſ. 13.
(e) Iſa. 38. verſ. 17.
(f) Matth. 10. verſ. 34.
(g) Petrus Bleſenſis Serm. 58. 48.

Digitized by Google

concordia. (a) Quid plura? Cicero ipſe admonet, non ſemper, neque cum omnibus pacem habendam. *Dulce enim nomen eſt pacis......Sed hoc primum videndum eſt cum omnibus ne pax eſſe poſſit?* (b) Sed tua ne intereſt veritatem odii plenam in forum adducere? Aliquo ne præcepto ad id aſtringeris? Quid ni? An non mandavit unicuique Deus de proximo ſuo? (c) Cuique incumbit non modo fidei articulos, verum etiam morum Regulas confiteri, & palam propugnare, prout illius fert conditio. Quo promptiores ſumus in Myſteriorum publica confeſſione, eo exiſtimus ſagatiores in diſſimulanda, aut linienda veritate, quæ morum pravitatem execratur; quod hæc plurimorum hoſtium multitudinem offendit. Integram, hoc de argumento, cum per otium licebit, diſſertationem adornabo. Interim quocumque tandem res evaſura ſit, illud ſatis mihi feciſſe videor, quod argumentum dignum diſputatione, dignum profeſſione mea, dignum, ut omnium Religioſorum mentibus recogitetur, pro modulo meo, pertractaverim. Satis mihi eſt, eo conſiliorum meorum rationes unice contuliſſe, ut veritatem ſummi momenti Monaſticæ diſciplinæ cultoribus explanarem, illiſque quicquam juvaminis afferrem; quod etiam aſſequuturum me fore, Divina opitulante gratia, confido. Quoniam, tametſi devios a veritate, atque in remiſſa diſciplina educatos, obfirmatoſque, difficillimum ſit, de inita a pueritia via deducere, & in ſemitam virtutis revocare: non iccirco tamen animos demitto, quin eos ſaltem, qui in diſciplina Monaſtica optime inſtituta exculti ſunt, atque adulti, ſummopere confirmaturus ſim.

XX. Antequam vero præfandi finem facio, preſſius lectores meos humaniſſimos alloqui volo; & ut oratio mea eorum animos fortius permovere valeat, ab eloquentiſſimo Marco Tullio verba mutuari, me juvat. Iſte autem, cum cauſam ageret P. Seſtii, ſic judices ſuos

affa-

(a) Orat. 12.
(b) Philipp. 13. in exord.
(c) Eccleſiaſt. 17. Verſ. 12.

affatus eſt. *Atque ego ſic ſtatuo judices a me in hac cauſſa, atque hoc extremo dicendi loco, pietatis potius quam defenſionis, querela, quam eloquentia, doloris, quam ingenii partes eſſe ſuſceptas. Itaque ſi aut acrius egero, aut liberius, quam qui ante me dixerunt, peto a vobis, ut tantum orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori, & juſtæ iracundiæ concedendum putetis.* (a) Hoc idem pluribus, & potioribus rationum momentis a vobis omnibus lectoribus humaniſſimis etiam, atque etiam peto, efflagitoque. Siquidem & ego teſtari vobis poſſum, me ſcilicet in hac controverſia non contentionis, ſed pietatis, non eruditionis, ſed doloris, non ingenii, ſed caritatis partes ſuſcepiſſe. In cujus rei teſtes voſmetipſos appello. Nonne ipſi conſpicitis, diſciplinam Monaſticam, quæ quanquam infinita Dei clementia pluribus in locis efflorescit, ſuaviſſimumque ſanctitatis odorem ſpirat, non paucorum tamen malitia eo relaxationis prolapſam eſſe alicubi, ut vix ultra progredi valeat? Nonne ipſi teſtes eſtis malorum, calamitatum, infirmitatumque noſtrarum? Sancte ego vobis jurare poſſum, me a plurium Religionum ſenioribus, graviſsimiſque, & innumeris viris audiviſſe, a quadraginta annis, uſque eo collapſam eſſe ſuorum Ordinum diſciplinam, ut conſtantiſsime adfirmarent, ſe amplius minime reperiri ea in Religione, in qua profeſsionem emiſerunt. Adeo deformata eſt facies, adeo mutatus eſt color optimus in non paucis ſanctuariis. Vos ipſi ergo reparandorum noſtrum malorum extremam neceſsitatem agnoſcitis. Vos ipſi medicinæ applicandæ, reformationiſque invehendæ graviſsimum onus fatemini. Si itaque a me in ea peroranda cauſſa, quam graviſsimam, quam juſtiſsimam ipſi reputatis, ſi a me, inquam, quid liberius, ſi quid acrius, ſi quid aſperius dictum fuerit; parcite, rogo vos, obteſtorque, parcite pio dolori, parcite piis lacrymis, parcite juſtæ iracundiæ, parcite chriſtianæ caritatis fervori, parcite zelo æſtuanti, tantumque veniæ, dicendi libertati, atque ſinceritati concedite, quantum pietati, juſtitiæ, integritati, Religioni, cœteriſque omnibus graviſsimis rationibus concedendum putatis. Vos eos omnes

(a) Orat. pro P. Seſt. in exord.

nes perhorreſcitis, qui negarent malis noſtris adhibenda eſſe valida remedia. Si igitur, quæ ego expoſui minus conſentanea, vel nimium aſpera, & acerba videntur: vos opportuniora, vos validiora, vos dulciora apponite, ut finem, quem omnes optamus, ſanitatemque, quam anhelamus, tandem aſſequamur, omneſque æmulenıur chariſmata meliora. Porro ſi quid, ſive per inſcientiam, ſive per inconſiderantiam calamo meo excidit, quod Romanæ Eccleſiæ minus conſonum ſit, nunc expunctum volo, atque infectum. Hoc unum ultimo loco lectorem meum rogo, atque obteſtor, ut, ſi ex ſolo libri conſpectu ſe motum ſentiat, hæc Lactantii verba commeditari velit. *Non eſt apud me dubium, quin hoc opus noſtrum, ſi quis attigerit . . . vix lecto fortaſſe principio, projiciat, execretur, ſeque inexplicabili ſcelere contaminari putet, ſi hæc aut legat patienter, aut audiat. Ab hoc tamen, ſi fieri poteſt, humanitatis jure poſtulamus, ut non prius damnet, quam univerſa cognoverit. Nam ſi nec prædamnari quemquam, incognita cauſſa, licet; non injuſte petere videmur, ut quiſquis erit ille, qui inciderit in hæc, ſi legat, perlegat; ſi audiet, ſententiam differat in extremum.* (*a*) Valete.

NOS

(a) Lib. 5. Divin. Inſtitut. cap. 1.

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sac. Theolog. Profeſſor ac totius Ordinis Prædicatorum Humilis Magiſter Generalis, & Servus.

CUm uti nobis exponitur, R. P. Lector Fr. Daniel Concina Congregationis noſtræ B. Jacobi Salomonii, opus, cujus titulus eſt: *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica Diſſertationibus Theologicis illuſtrata*, compoſuerit; illudque prælo ſubjicere deſideret: Nos harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, quantum in nobis eſt, & ſervatis alias de jure ſervandis, paterne indulgemus, dummodo a duobus Theologis præfatæ Congregationis a R. A. P. Vicario Generali nominandis luce dignum judicetur, eorumque cenſorio in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Datum Romæ in hoc noſtro Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 27. Maji anni 1734.

Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 6.

Fr. Cajetanus Benitez de Lugo Magiſter & Socius.

APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

NOs infraſcripti ex commiſſione Rev. Ad. P. F. Fulgentii Cuniliati Vicarii Generalis Congregationis B. Jacobi Salomonii attente perlegimus opus inſcriptum: *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica Diſſertationibus Theologicis illuſtrata*; per R. P. F. Danielem Concina compoſitum; in eoque nihil reperimus a fide, & bonis moribus alienum, ſed doctrinam Catholicæ Religioni, & Religioſi hominis ſanctitati, & dignitati conſentaneam; quapropter illud luce dignum cenſemus. Datum Venetiis in Collegio Sanctiſſimi Roſarii die 20. Auguſti 1738.

F. Jacobus Ratti Sac. Theologiæ Profeſſor.

F. Amandus Maria Leoni Sac. Theologiæ Lector.

NOI

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. Fr. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, Diſſertationibus Theologicis illuſtrata*, non eſſervi coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contra Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licenza che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 3. Gennaro 1738. M. V.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Riſ.
(Gio: Pietro Paſqualigo Riſ.
(

Agoſtino Gadaldini Segr.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la Beſtemmia li 16. Gennaro 1738. M. V.

Vettor Gradenigo Segr.

Digitized by Google

INDEX CAPITULORUM

PARTIS PRIMÆ.

PROLEGOMENON,

In quo cenſus texitur laxarum quarumdam propoſitionum, quas tanquam paupertatis Monaſticæ voto conſentaneas docent Caſuiſtæ non pauci. *pag.* lxviii

§. I. *Superflua Bordonius Religioſis concedit, contra Euangelicum præceptum, nedum conſilium.* lxx

§. II. *Antonius a Spiritu Sancto, Religioſos licite retinere poſſe ſuperfluum auri, & argenti, aliarumque rerum ſummam defendit.* lxxii

§. III. *Plures aliæ laxiſſimæ propoſitiones Bordonii referuntur, ad hanc materiam ſpectantes.* lxxiv

§. IV. *Aliæ propoſitiones laxitatum plenæ hoc de argumento referuntur.* lxxvi

§. V. *Quædam aliæ ejuſdem Bordonii hoc de argumento aſſertiones.* lxxviii

DISSERTATIO PRIMA.

De Vita communi ad Scripturarum, Patrum, Conciliorum, & Pontificum mentem.

PRÆLOQUIUM. 1

Cap. I. *Vera Monaſticæ paupertatis notio ex Euangelio, & Actibus Apoſtolorum,* 2

Cap. II. *Voti paupertatis Monaſticæ definitio, ejuſdemque cum rerum communitate connexio ex Theologorum ſententia. Conſectaria, quæ ex illorum definitione proficiſcuntur.* 5

Cap. III. *Votum paupertatis Monaſticæ, & bonorum omnium communitas, ita ſunt connexa, ut Regulares voventes paupertatem, voveant ipſam bonorum communitatem. Si ſeparentur, votum ipſum concidat, neceſſe eſt.* 8

Cap. IV. *Sophiſmata, & commenta adverſus doctrinam traditam convelluntur.* 13

Cap. V. *Peculii Monaſtici notiones, atque ad ejus licitum uſum condi-*

tiones, quas præſcribunt Theologi, recenſentur; & quibuſdam animadverſionibus explicantur. 19

Cap. VI. *Communis vita in Apoſtolico Collegio orta in Monachorum, & Regularium Cœnobia commigravit.* 22

Cap. VII. *Sancti Patriarchæ Auguſtinus, & Benedictus in ſuis Regulis vitam communem in Actibus Apóſtolorum deſcriptam ſub peccati mortalis pœna præcipiunt. Nonnulla de antiquitate Regulæ Auguſtinianæ.* 25.

Cap. VIII. *Apoſtolicam communitatem præcipiunt Monachis, & Regularibus aliorum Patriarcharum Regulæ.* 32

Cap. IX. *Falſa quædam Regularum Monachalium interpretamenta diluuntur.* 39

Cap. X. *Communis vitæ præceptum antiquorum Pontificum Decretis, Conciliorumqne Canonibus confirmatur.* 44

Cap. XI. *Tergiverſationes, futileſque interpretationes, quibus Caſuiſtarum non pauci obſcurare audent laudata Pontificia Decreta, diſpelluntur.* 45

Cap. XII. *Conciliorum Lateranenſium Decreta ex aliis Conciliis clariora fiunt.* 50

Cap. XIII. *Concilii Tridentini Decreta communem vitam Regularibus præcipiunt, peculiumque vetant.* 52

Cap. XIV. *Vana quorumdam commenta, ineptæque cavillationes in Tridentini Decreta.* 55

Cap. XV. *Tridentini Decreta poſteriorum Conciliorum Decretis confirmata fuerunt.* 61

Cap. XVI. *Decreta Concilii Tridentini Pontificum Bullis, & Sacræ Congregationis ſuper diſciplina Regulari Decretis confirmantur.* 63

Cap. XVII. *Inanes Clementinæ Conſtitutionis interpretationes doloſæque tergiverſationes confutantur.* 67

Cap. XVIII. *Tridentina Decreta, & Clementina Conſtitutio, & perennis aliorum Pontificum traditio in ſuis Bullis, Decretiſque expreſſa ſummopere roborant.* 71

Cap. XIX. *Eorum quæ hac in diſſertatione dicta ſunt brevis complexio. Demonſtratione evidenti concluditur in maximo æternæ damnationis periculo verſari Regulares, præcipue Superiores, qui damnabilem peculiorum abuſum pro viribus evellere, & communis vitæ obſervantiam invehere non ſatagunt.* 77

Cap. XX. *Maximi momenti conſiderantia. Regulares plures non modo ipſi relaxata in diſciplina perſeverare volunt; ſed hunc vivendi modum in poſteros propagare adnituntur.* 80

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA,

De vita communi & peculio Regularium juxta Theologorum mentem.

PRÆLOQUIUM. 83

Cap. I. *Varia Theologorum placita hoc de argumento. Quæ penes omnes inconcuſſa, quave in ſpeciem pugnantia exponuntur, unaque conciliantur.* 84

Cap. II. *Aurea D. Thomæ doctrina, quæ vitæ communis neceſſitatem evincit, peculium damnat, exponitur.* 89

Cap. III. *Theolgi omnes communis vitæ præceptum, cui Regulares obnoxii ſunt, propugnant, & peculium, neceſſitate ſublata, improbant.* 94.

Cap. IV. *Demonſtrationes Theologico-Morales proponuntur, quæ ad vitam communem obſtrictos eſſe Regulares evincunt, & peculium damnant.* 105.

Cap. V. *Secunda demonſtratio in communitatis favorem, & peculiorum damnationem.* 107

Cap. VI. *Tertia demonſtratio a priori petita deſcribitur, quave præcipuum peculiorum cavillum convellit.* 109

Cap. VII. *Quarta demonſtratio a poſteriori, ſeu ab effectu.* 113

Cap. VIII. *Quæ capite Superiore dicta ſunt, Patrum, & Theologorum firmantur auctoritate.* 115

DISSERTATIO TERTIA,

De obligatione, qua Prælati obſtringuntur ad vitam communem in ſua Monaſteria introducendam: atque de ſubditorum reciproco debito ad eam acceptandam, immo pro viribus procurandam. Hinc demonſtratione Theologico-Morali concluditur, tam Prælatos, quam ſubditos ex voluntaria culpabilique tanti debiti omiſſione, vitio proprietatis majori ex parte infectos eſſe, & in maximo æternæ damnationis periculo verſari.

PRÆLOQUIUM. 120

Cap. I. *Auctoritate Regularum Monachalium, & Conciliorum, maxime*

Tridentini, evincitur, Superiores teneri ad vitæ communis, ubi collapſa eſt, Reformationem. 122

Cap. II. *Omnes Theologi, immo & Caſuiſtæ graviſſimi peccati reos damnant Superiores, qui pro viribus ſuis in Monaſteriis vitam communem, ubi collapſa eſt, non promovent.* 124

Cap. III. *Subditi Regulares juxta commune Theologorum placitum cum reſiſtunt Superioribus communitatem ad Regulæ præſcriptum invehere conantibus, ſunt in ſtatu peccati mortalis.* 127

Cap. IV. *Exponuntur demonſtrationes Theologicæ, quibus evincitur tam Prælatos, quam ſubditos neceſſitatis vera cauſſa excepta, communem vitam non ſervantes, & peculia non projicientes, in extremo damnationis periculo verſari.* 129

DISSERTATIO QUARTA,

In qua Religioſorum depoſita particularia in examen vocantur, omneſque cavillationes communi vitæ infeſtæ, & peculiis faventes, diſpelluntur.

PRÆLOQUIUM. 135

Cap. I. *De Regularium depoſitis. Horum vera depoſitorum notio. Prout in praxi pluribus in Monaſteriis vigent, crimine proprietatis infecta ſunt, & ceu commentitia inventa votum paupertatis aſpernatur, rejicitque.* 136

Cap. II. *Secundum argumentum in favorem depoſitorum diſtinctione Dominii & uſus nititur. Depoſita ſeu peculia ad uſum conceduntur revocabilem quocumque dominio excluſo. Ideo licita videntur.* 139

Cap. III. *Diluitur tertium argumentum Prælatorum diſpenſatione, ſeu licentia nixum, quod in depoſitorum favorem produci ſolet.* 143

Cap. IV. *Quartum diluitur argumentum à conſuetudinis lege petitum.* 150

Cap. V. *Proponitur quintum argumentum, quod ſilentium obtrudit, atque tacitum Eccleſiæ conſenſum in depoſitorum favorem.* 157

Cap. VI. *Sextum repellitur argumentum Conventuum nixum egeſtate, quæ impoſſibilem reddit exactam communitatem.* 162

Cap. VII. *Septimum refutatur argumentum ab auctoritate petitum Caſuiſtarum, qui peculia propugnant.* 170

Cap. VIII. *Rejicitur octavum argumentum: ad communem ſcilicet vitam non teneri Regulares in Cœnobiis deformatis profeſſos, quoniam emiſſæ profeſſionis tempore, non communis vita, ſed peculia vigebant.* 174

Cap. IX. *Nonum rejicitur argumentum ab Epiſcoporum, & Parochorum Regularium, aliorumque Religioſorum exemplo deſumptum.* 179

Cap. X. *Decimum diluitur argumentum, quod bona, & commoda, quæ*

ex peculiorum abuſu profluunt, objicit, nihil prodeſt, quod peculia in Dei cultum, Templorumque ornatu expendantur. 181
Cap. XI. Diluitur ultimum argumentum quod damnationem omnium tum Prælatorum tum ſubditorum ex doctrina hactenus tradita conſequi improperat. 184
Cap. XIII. Ejuſdem argumenti ex communi Theologorum, & Caſuiſtarum conſenſu evidentior confutatio. 193
Cap. XIV. Rationibus eadem objectio confutatur, & Regulares ad communitatem amplectendam peculiumque projiciendum, ſuadentur, urgentur. 199
Cap. XV. Ex his quæ hactenus diſputata latius ſunt, quædam confectaria inferuntur, & paucis noſtra ſententia pleno in lumine collocatur. 202

DISSERTATIO QUINTA,

In qua methodus obſervanda, ne vita communis, ubi viget, relaxetur. Cur in pluribus Religionibus collapſa ſit: impedimenta reformationis: inſtrumenta, quibus laxitatis radices præcidantur, palam fiunt. Plurium Religioſorum in hac materia craſſa, & graviter culpabilis ignorantia. Eos tuta conſcientia in Cœnobiis, a quibus exulat communis vitæ, & aliorum Conſtitutionum obſervantia, habitare minime poſſe; ſed pedem referre teneri, illoque ſe ſe recipere, ubi reformatio diſciplinæ floret, evincitur. Ii porro, qui ex Cœnobiis reformatis ad Provincias collapſæ diſciplinæ demigrant, ut exactam propriæ profeſsionis obſervantiam effugiant, in ſtatum ſe ſe detrudunt damnationis æternæ: quemadmodum graviter peccant juvenes, qui ſæculum relinquentes, Religionem in ſubſtantialibus ſtatutis relaxatam, ingrediuntur.

PRÆLOQUIUM. 207
Cap. I. Regula prima exponitur, quam Prælati Regulares, ut florentem ſuis in Cœnobiis, quibus præſunt, communitatem ſartam tectamque cuſtodiant, obſervare debent. 208
Cap. II. Secunda Regula pro exacta Apoſtolicæ communitatis perenni conſervatione. Quam æqualitatem, quamve inæqualitatem hac communitas excipiat, declaratur. 209
Cap. III. Regula tertia, ad quam reſpicere debent Prælati Regulares in ſubdi-

ſubditorum, in communi viventium, proviſione. 211

Cap. IV. *Quarta Regula pro perenni communitatis conſervatione præſcribitur. Cenſus annui in favorem alicujus Religioſi relicti, vel in communi adminiſtrandi, omnino rejiciantur.* 212

Cap. V. *Quinta Regula, quam Religioſi ſubditi inſpicere debent, ut Apoſtolicæ communitatis fervorem foveant, atque in dies magis, magiſque accendant.* 214

Cap. VI. *Prima, & præcipua collapſæ, vel collabentis communitatis Monaſticæ radix eſt, aut oſcitantia, aut avaritia Prælatorum.* 220

Cap. VII. *Duo præcipua, & maxima impedimenta, quæ collapſæ vitæ communis inſtaurationem remorantur, palam fiunt. Primum eſt Superiorum maxime majorum, Magiſtrorum, ſeu Graduatorum, pecuniarum, commoditatum, & deliciarum ardens cupiditas. Alterum plurium ſubditorum propriæ libertatis amor.* 222

Cap. VIII. *Prælati communitati invehendæ refragantes ab officiis removendi ſunt: iiſque ſubſtituantur, qui tantum negotium ad felicem exitum perducere queant.* 224

Cap. IX. *Culpabilis plurium Religioſorum ignorantia in Monaſticæ paupertatis materia exponitur.* 225

Cap. X. *Utrum electi ad præfecturas Cœnobiorum, in quibus vita communis cum cæteris aliis ſtatutis collapſa eſt, acceptare tuta conſcientia queant has dignitates, ſeu officia.* 230

Cap. XI. *An Regulares tuta conſcientia iis in Cœnobiis, in quibus vita communis collapſa eſt, commorari valeant; vel ad Cœnobia communis vitæ tranſire debeant, ſi aditus patet? Si vero occluſus eſt ingreſſus, quid præſtare debeant, ut propriæ conſulant ſaluti.* 233

Cap. XII. *Regulares profeſſi in aliqua Provincia, vel Congregatione ubi diſciplinæ Monaſticæ, maxime communis vitæ obſervantia viget: ſi tranſeunt ad Provincias, vel Cœnobia ejuſdem, vel alterius Religionis ubi communitas rerum collapſa ſit, & abuſus peculiorum ſerpit, peccant mortaliter, immo in ſtatum damnationis ſe ſe conjiciunt. Peccant vero graviſſime, qui eoſdem recipiunt.* 242

Cap. XIII. *Juvenes, qui ingrediuntur Religionem collapſam maxime in rerum communitate gravi æternæ ſalutis periculo ſe exponunt. Graviter vero delinquunt, nulla opitulante ignorantia, Superiores, cæterique fratres, qui eos recipiunt, qui conſulunt, qui operam dant. Peccant quoque Pater & Mater, qui pro viribus eos non retrahunt a propoſito. Tolerantia Eccleſiæ mere permittens eſt. An ignorantia quandoque excuſet juvenes eorumque Parentes, incertum.* 255

§. I. *Summorum Pontificum Conſtitutiones expreſſe vetant, ne juvenes ea Cœnobia, in quibus collapſa eſt vita communis, ingrediantur.* 256

§. II. *Communis Theologorum ſententia oſtenditur graviſſimo æternæ ſalutis diſcrimini ſe ſubjicere juvenes ingredientes Religionem, in qua obſer-*

ſervantia regularis, maxime rerum communitas non viget: Recipientes vero graviter peccare. 262

§. III. *Rationum momenta proponuntur, quæ oſtendunt gravi periculo ſalutis ſe exponere, qui ingrediuntur Cœnobia collapſæ diſciplinæ. Conſulentes vero recipienteſque peccati reos eſſe.* 268

§. IV. *Tolerantia Eccleſiæ in juvenum veſtitione, nil minuit malitiæ, quod involuntaria, & permittens dumtaxat. An ignorantia, quandoque excuſet, incertum.* 273

§. Ultimus. *Ex his, quæ hoc in capite dicta ſunt, nonnulla conſectaria colliguntur.* 276

DISSERTATIO SEXTA,

In qua plura ſelecta dubia in paupertatis Monaſticæ materia reſolvuntur, & laxiſſimæ quædam opiniones improbantur.

PRÆLOQUIUM. 279

Cap. I. *De bonis, quorum dominium habere poſſunt Regulares privati.* 280.

§ I. *An Religioſi profeſſi dominio polleant in propria manuſcripta.* 281

§. II. *Dominium Religioſorum in propria manuſcripta ſive a ſe ipſis, ſive ab aliis confecta, repugnat virtuti juſtitiæ.* 282

§. III. *Dominium Religioſorum in propria manuſcripta voto paupertatis repugnat, & univerſæ Monaſticæ diſciplinæ regimen evertit.* 283

§. IV. *An Pictura, Sculptura, aliudve opus concinne elaboratum ſit ſub dominio Religioſi artificis, aut Monaſterii.* 285

Cap. II. *De licentia Prælatorum, ſine qua Regulares profeſſi rerum uſum habere nequeunt.* 289

§. I. *Poteſtatis Prælatorum ſphera ſuis præfinita limitibus exponitur.* 290.

§. II. *Multiplex Prælatorum poteſtas explicatur.* 291

§. III. *An tranſgrediatur votum paupertatis Religioſus accipiens, vel diſtrahens aliquid ex licentia præſumpta Superioris; cum agnoſcit hunc clandeſtinum operandi modum eidem Superiori diſplicere.* 291

§. IV. *Religioſus accipiens, vel donans ex præſumpta licentia cum expreſſam facile haberi poteſt, votum violat paupertatis, paucis exceptis caſibus.* 292

Cap. III. *De bonis quorum uſum ex Superioris licentia habere poſſunt Regulares.* 297

§. I. *An Paupertatis voto repugnet, quod Regulares habeant inſtrumenta argentea, nempe choclearia, cultrum, forciculam, arculam pro tabacco, horologia, idque genus ſimilia.* 297

§. II.

§. II. *An culpam mortalem, aut venialem committant Religioſi, qui talibus argenteis inſtrumentis utuntur?* 299
§. III. *Quomodo in ciborum uſu peccare poſſint Religioſi contra paupertatem.* 300
§. IV. *Paupertas Religioſorum in veſtitu ſervanda.* 301
Cap. IV. *De Ludis Religioſorum.* 302
§. I. *Religioſi pecuniam ludis fortuitis alearum ſeu taxillorum exponentes peccant, nulla opitulante Prælatorum licentia.* 302
§. II. *Religioſi cuique ludo pecuniam exponentes in votum peccant paupertatis, tum Prælati aſſentientes, cum ſubditi ludentes.* 306
Cap. V. *Religioſi, qui lauream Theologalem in propria Religione, ſive quemcumque gradum, aut officium recipientes, pecuniam, vel aliarum rerum tributa Prælatis ſuis, & examinatoribus offerrent, votum tranſgrederentur paupertatis. Peccarent enormiter tum contra votum, tum contra juſtitiam Prælati, eorumque miniſtri munera accipientes, funeſtum perpetrarent ſcandalum, ac univerſæ Religionis ruinam inducerent.* 315
§. I. *Peccarent contra votum paupertatis Religioſi, qui in laureæ magiſteriali receptione, propriis Prælatis pecuniarum tributum ſolverent.* 317.
§. II. *Prælati regulares, eorumque aſſiſtentes, qui in collatione graduum, ſive cujuſque officii pecunias, aliave tributa etiam ſponte oblata recipiunt, in votum ſacrilege peccarent, juſtitiam violarent, caritatem contemnerent, atque univerſi Ordinis perditores ſe proderent.* 318

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITULORUM
PARTIS SECUNDÆ.

DISSERTATIO PRIMA.

PRÆFATIO. *pag.* 325

Cap. I. *Variarum Reformationum notiones explicantur.* 330

Cap. II. *Diſcrimen, quod Religionem relaxatam inter, & obſervantem intercedit, atque ejuſdem diſcriminis effectus manifeſtantur.* 332

Cap. III. *Reſolvitur objectio contra ea, quæ capite Superiore dicta ſunt. Conſtitutiones plurium Ordinum, demptis votis, & præceptis, ad culpam non obligant: injuſte ergo tranſgreſſoribus damnationis periculum indicitur, & obſervatores inaniter ſpe ſalutis lactantur.* 334

Cap. IV. *Quomodo contemptus Regulæ non obligantis ad culpam, culpam inducat.* 336

Cap. V. *Quomodo frequentia violandi Regulam, & Conſtitutiones ad contemptum diſponat, & inducat, manifeſtatur.* 338

Cap. VI. *Utrum frequentia violandi Regulam, & Conſtitutiones conſuetudinem inducere poſſit, quæ ab Regulæ obſervantia eximat: & an reipſa in aliqua Religione conſuetudo iſthæc obtineat?* 341

Cap. VII. *Quamvis una vel altera tranſgreſſio omni culpa careat: continuata tamen tranſgreſſio, ſeu conſuetudo tranſgrediendi Regulas, & Conſtitutiones ad nullam culpam obligantes, peccatum mortale eſt.* 344.

Cap. VIII. *Neceſſitas reformationis tum ex iis, quæ dicta ſunt, cum ex aliis pluribus colligitur.* 353

Cap. IX. *Bona, quæ ex Religione bene inſtituta profluunt, neceſſitatem oſtendunt reformandi collapſam diſciplinam Monaſticam.* 358

Cap. X. *Religionis relaxatæ reformatio opus arduum, difficillimumque: cauſſæ, & radices iſtius difficultatis manifeſtantur.* 361

Cap. XI. *Prælati Regulares, ſi collapſam ſuam Religionem ad obſervantiam Regulæ, & Conſtitutionum pro viribus revocare non conantur, in continuo ſtatu verſantur peccati mortalis. Idque maxime verum habet de Generalibus, & Provincialibus; immo quilibet Prælatus mortaliter peccat, ſi vel unam Conſtitutionem, aut alteram ad nullam culpam obligantem in deſuetudinem abire libere ſinit.* 365

Cap. XII. *Summi Pontifices, utpote ſuprema Religionum capita; & Congregatio ſuper Diſciplina Regulari, pluribus, & efficaciſſimis rationibus ad reformationem Regularium tenentur.* 370

Cap. XIII. *Reges, Principes, Reſpublicæ, & Magiſtratus omnes debito: tum juſtitiæ, tum caritatis opem ferre tenentur, ut collapſa in ſuis Regnis, & ditionibus regularis diſciplina inſtauretur.* 373

Cap. XIV. *Innumera temporalia commoda, quæ ex reformatione, & maxima detrimenta, quæ ex Regularium relaxatione profluunt in Regna, & Civitates, accendere debent Reges, Principes, & Magiſtratus ad procurandam, prout eorum fert conditio, reformationem.* 377

Cap. XV. *Relaxatio diſciplinæ regularis eſt, & fuit occaſio interdum Cœnobia, & Religiones multiplicandi. Sola ejuſdem diſciplinæ reformatio hanc ſuperfluam multiplicitatem* (ſi qua eſt) *impedire poteſt. In id ergo Principes, & Reges operam dare debent, ut hæc reformatio, cujus neceſſitatem omnes inclamant, invehatur in ſuas ditiones.* 382

Cap. XVI. *Regum & Principum tum veteris, tum novi Teſtamenti, qui Eccleſiaſticorum reformationem ardenti zelo promoverunt in ſuis Regnis, exempla promuntur.* 385

Cap. XVII. *Sophiſmata, quibus fucum facere Principibus enituntur non pauci, ut eos a reformationis opere promovendo abducant.* 388

DISSERTATIO SECUNDA.

De methodo ſervanda in reformationis executione.

PRÆLOQUIUM. 391

Cap. I. *Utrum in reformatione ſevera Regulæ, & Conſtitutionum obſervantia invehenda ſit, an mitigatione temperanda.* 392

Cap. II. *A communis vitæ renovatione ſuum exordiri debet initium Monaſticæ diſciplinæ reformatio.* 394

Cap. III. *Religio collapſa tota ſimul reformari minime valet. A particularibus Cœnobiis incipiendum, & de uno in aliud ſeria progreſſione dilatanda eſt reformatio.* 397

Cap. IV. *Regularis diſciplinæ reformatio promoveri debet in Capitulis Generalibus, quæ Superiores ſtatutis temporibus ſub peccato mortali celebrare tenentur.* 399

Cap. V. *Ad reformationis progreſſum, & diuturnam ſtabilitatem neceſſaria omnino eſt reformatorum a non reformatis ſeparatio.* 402

Cap. VI. *Facillima eſt regularis diſciplinæ reformatio, ſi Romani Pontifices, aut Sacrorum Ordinum Generales, omnibus Provinciis, ſive Congregationibus, in quibus collapſa eſt obſervantia Monaſtica, privilegium acceptandi educandique Novitios penitus adimant, ſoliſque Reformatis, ſeu obſervantibus illud impertiantur. Hæc eſt unica, expedita, & tutiſſima via univerſam Monaſticam diſciplinam inſtaurandi. Omnia alia remedia minus valida ſunt.* 405

Cap.

Cap. VII. *Primum argumentum, quod adverſus ea, quæ hactenus dicta ſunt, opponi ſolet, diluitur.* 410

Cap. VIII. *Refellitur aliud commentum, quod objiciunt, videlicet reformationem litterarum ſtudium impedire.* 412

Cap. IX. *Non ſunt reprehendendæ, ſed ſingulari laude dignæ Congregationes, Provinciæ, & Religiones, quæ honores, & præmia graduum prout his temporibus in aliquibus Religionibus conferuntur rejiciunt.* 415.

Cap. X. *In illud litterarum ſtudium maxime incumbere debent fratres Mendicantes, quod ad proximorum ſalutem procurandam conducit. Non eſt tamen propter ſtudium negligenda obſervantia Monaſtica, nec contra: ſed mutuo ſe ſe invicem fovere, atque promovere debent.* 421

Cap. Ultimum. *Univerſi operis Epilogus. Adhortatio ad Regulares, ut Reformationem ſuſcipiant, & ad Superiores, ut eamdem invehant.* 425

Digitized by Google

PROLEGOMENON,

In quo cenſus texitur laxarum quarumdam propoſitionum, quas tanquam paupertatis Monaſticæ voto conſentaneas docent Caſuiſtæ non pauci.

QUoniam magnopere ad veritatem aſſequendam conducit ea omnia principio reſerare, quæ aberrandi ingerunt occaſionem; idcirco antequam paupertatis Monaſticæ notionem prodo, ejuſdemque controverſias dirimendas aggredior, pretium operæ exiſtimavi, laxas quorumdam recentiorum opiniones, quæ, ut ego quidem arbitror, viam ſternunt ad ſubmovenda univerſæ Regularis diſciplinæ fundamenta, ob lectorum oculos ſiſtere. Enimvero licet Theologi fere omnes in præcipuis controverſiæ capitibus conveniant; plures tamen Caſuiſtarum, in conſectariis a communibus principiis elicitis in varias concedunt opiniones. Ne vero gratis creare ipſis invidiam videamur, eorum ſententiæ iſthuc tranſcribendæ ſunt. Ad hoc autem, opus eſt, ut libris, unde excerptæ ſunt, indicatis, auctores de nomine appellemus, quod ſummopere nobis diſplicet; eo quod firmiſſimum ſit propoſitum noſtrum neminem, vel oblique, lædendi. Quamquam ad chriſtianæ prudentiæ, & caritatis leges rem ſi expendamus, non eſt, quod vitio nobis vertere quiſquam valeat, ſi, ut ab errorum periculis innocentes eripiamus, ubi ſint ſcopuli, ad quos offendere poſſint, manifeſtemus. Nec auctores ipſi ſi vitam degerent, quidquam injuriæ ſibi verti exiſtimarent, quod opiniones, quæ ipſis fortaſſe oſcitantibus, ſæpe enim bonus dormitat Homerus, calamo exciderunt, quæve ſibi probabiles videbantur, in tuto collocari, ne noceant, perſpicerent. Statuamus enim id, quod deinceps palam fiet, eorum videlicet opiniones paupertati Monaſticæ ſummum inferre detrimentum, & conſequenter univerſæ diſciplinæ regulari ruinam parare: an præſumendum hac in poſitione, eas, ſi poſſent, retractaturos illos ipſos non fore? An ſuſpicandum, animo decipiendi eos ſcripſiſſe, vel ut anſam præberent errandi imperitis? Abſit: Quid eſt ergo, cur vereamur, ea indicare, quæ aliis ſummo damno eſſe poſſe, pro noſtra imbecillitate, cenſemus. Immo tantum a cujuſque invidiæ labe nos abeſſe, hæc præſtantes, exiſtimamus, ut potius de auctoribus ipſis, quemadmodum de veritate, jure benemereri confidamus; ſi eorum nocuas opiniones, quas ipſi retractare amplius nequeunt, nos eorum vices ſupplentes, improbemus. Quod autem iſthuc conſilia noſtra unice ſpectent, hoc eſto argumentum: videlicet: ſi opiniones, quas daturi ſumus, ab honeſtatis Regula mirum in modum non exorbitent; ſi eam, quam nos reprehendimus laxitatem, non redoleant, ne-

neque Monaſticæ paupertati præjudicium inferant, nos in ſuo robore eas relinquimus, & noſtra in anteceſſum retractamus, improbamuſque. Et ſi quid amplius opus eſt, præſtare parati ſumus. Majus eſt enim negotium, quod tractamus, quam quod a contentioſis hominum placitis pendere debeat. Porro, ut prolixitatem evitemus, non omnes laxarum opinionum, quas relaturi ſumus, Patronos laudabimus. Hoc enim & inutile, & ſupervacaneum eſſet. Librum dumtaxat, e quo eas excerpſimus, ejuſque auctorem manifeſtabimus. Is eſt Franciſcus Bordonius, qui, mea quidem ſententia, præ cœteris, hac in materia habenas laxavit, & quod magis dolendum eſt, in uno volumine uſui communi ſatis idoneo, quod *Religioſa paupertas reformata* inſcripſit, omnes, & ſuas, & aliorum Caſuiſtarum laxitates coacervavit. Specioſus reformationis titulus, quem in libri fronte impreſſit, laxitati non parum fuci prætendit, & latius ſerpendi viam aperit, eo quod imperiti lectores vix ſuſpicari valent, quidquam minus tutum, minuſve ſanctum eo in libro contineri, qui in ipſo proſpectu reformationem prodit. Non negamus, aſſertiones Bordonii ab aliis quoque propugnari (Immo quo laxiores, eo communiores) non tamen omnes, nec alio in libro ſimul collectæ reperiuntur; & hac ratione facilius laxitatis venenum inſtillare poſſunt. Quibus de cauſſis, cœteris relictis, ex hoc ſolo auctore propoſitiones oculis ſubjiciendas depromſimus; non quod minori obſequio Bordonium proſequamur, omnes enim pari, debitaque obſervantia, & officio colimus; ſed quia, ut diximus, ejus liber in paupertatis materia omnes laxiores opiniones unitas unico fere conſpectu exhibet; & quo eſt ad manus promptior, eo eum noxiorem veremur. Cœterum etiam atque etiam obteſtamur, nos non injuriandi animo, quod Deus avertat, ſed proximum imbuendi, & ſacrilegæ proprietaris ſcandala ſubmovendi deſiderio, hæc ſcribere. Quod ſi hinc etiam laxarum opinionum auctores quidquam ſubirent præjudicii, ſciamus oportet, quod caritas Chriſti, non ita ſontium famæ conſulere nos jubet, ut innocentium mentes pertrahi in errorem ſinamus, ſed oppoſitum prorſus imperat.

His omnibus lucem adjiciat Clariſſimus Ludovicus Antonius Muratorius, qui ſcite admonet, vel in ipſis Sanctorum Patrum, nedum Caſuiſtarum libris, prodendos, corrigendoſque eſſe, ea qua par eſt veneratione, obſequioque errores, qui aut fidei, aut morum integritati officere poſſint. *Ne ipſos quidem Sanctiſſimos Patres, nobis alioqui ſumma veneratione ſpectandos, habere aliter in hac parte decet. Homines & ipſi fuerunt. Incaute interdum loquuti, peſſime ſenſiſſe videntur. Nonnulla etiam Eccleſia Decreto nondum ſtabilita tradidere, quæ, qui nunc pervicaciter tueretur, Heretici notam nequaquam effugeret. Hujuſmodi ergo nævos arguere, ac prodere liberum eſt nobis; non quod male doctiſſimis iis, & venerandis capitibus velimus; ſed quod Eccleſiæ toti, ac fidei ſanctiſſimæ velle melius debeamus, quam ſingulis ipſis Patribus. Juvat*

autem,

autem, & Reipublicæ plurimum intereſt, noſſe quibus in locis non ſatis recta tradiderunt majores noſtri, ne quis tantorum nominum auctoritate, ubi non debet, fretus, in tranſverſum agatur, ipſamque Eccleſiæ univerſæ fidem inde oppugnet. Eſt & hoc aliquod caritatis genus in ipſos ſanctiſſimos Patres, atque in alios errantes. Illi ſi viverent libros ſuos lubentiſſime emendarent. Quum id amplius ipſi non poſſint, amant tamen ſibi a poſteris eam medicinam adhiberi, qua ſi non purgare penitus libros ſuos, at certe a ſuis lectoribus arcere morbum qualemcumque valeat. (de ing. mod. lib. 2. cap. 2.)

§. I.

Superflua Bordonius Religioſis concedit, contra Euangelicum præceptum, nedum conſilium.

I. ANtequam propoſitiones ex libro de paupertate reformata decerptas exhibeo, referre lubet opinionem ſcandali plenam, quam docet Bordonius (prima parte conſil. reſolut. 43. quæſt. 10. num. 45.) ubi de rebus, & bonis, quæ Religioſi habere poſſunt loquens, hæc ſcribit. *Unde hi de licentia Superioris poſſunt habere ſuperflua, & pretioſa, eo quod non ſint contra ſubſtantiam voti paupertatis, ſed tantum contra accidentalia, eiſque, in quibus poſſunt Superiores diſpenſare, cum non ſit diſpenſare in proprio, neque proprium permittere, ſed accidentia voti relaxare. Nec obſtat ratio Sanchez, quoad punctum ſuperfluitatis; quia ſicut ſuperior poteſt adminiſtrare ſuperflua pro toto Conventu in communi; ita & concedere in particulari hanc ſuperfluitatem.*

II. Liceat nunc mihi cum Hieronymo epiſtola ad Sabinianum exclamare. Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ? Ubi torrens Fluvius Demoſthenis? nunc profecto muti eſſetis ambo, & veſtra lingua torpeſceret. Inventa eſt res, quam nulla eloquentia explicare queat. Natura ipſa a ſuperfluis abhorret, ſuperflua omnibus vetita ſunt, maxime vero Religioſis, quibus, inquit Tridentinum (Seſſ. 25. cap. 2. de ref.) Mobilium uſum ita Superiores permittant, *ut nihil ſuperflui ſit*. Quid plura? Sacroſanctum Jeſu Chriſti Euangelium præcipit. *Quod ſupereſt, date eleemoſinam* (Luc. 11.) Superflua divitum ſunt neceſſaria pauperum, inquit Auguſtinus. Bordonius vero uno ictu primaria Chriſtianæ caritatis principia evertit, dum ſuperflua, quorum poſſeſſione populo fideli Chriſtus interdicit, Religioſis, qui non modo mandata, ſed conſilia euangelica ſolemni voto implere Deo ſpondent, impertitur.

III. Si hæc propoſitio, quæ duodecima eſt inter propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. anno Domini 1679. *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in regibus ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis ad eleemoſinam tenetur, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.* Si inquam hæc propo-

poſitio merito ab Eccleſia proſcripta eſt, qua cenſura plectenda erit Bordoniana aſſertio? Damnata ſiquidem propoſitio oblique tantum Euangelio contradicit. Non enim negat ſuperfluum diſtribuendum eſſe pauperibus; ſed ſuperfluum ſtatui vix reperiri aſſerit, ex quo per cuniculos ſolum Divino mandato inſidias ſtruit. At Bordonii aſſertio Euangelicum præceptum, *quod ſupereſt date eleemoſinam* recta adoritur, & convellit; cum abſolute ſtatuat, & Religioſos ſubditos, & Prælatos ſuperflua, & pretioſa retinere poſſe. Ut autem hanc ſuam propugnet opinionem, pejorem profert rationem, qua invehitur in Patrem Sanchez contrariam ſententiam defendentem. *Nec obſtat ratio Sanchez, quia ſicut Superior poteſt adminiſtrare ſuperflua pro toto Conventu, ita & concedere in particulari hanc ſuperfluitatem.* Tamquam extra controverſiam poſitum ſtatuit, Prælatos poſſe adminiſtrare pro toto Conventu ſuperflua, potiore ergo jure id poterit & Pater-familias pro tota familia. Quo poſito, actum eſt de eleemoſinæ præcepto. Ideone populus chriſtianus Cœnobiis patrimonia legat, ut ſuperfluitatibus abundent? Ut theſauros accumulent? Ut horrea majora faciant, illucque cum damnato divite omnia congregent? An non potius ea donant, ut hoſpitalitatem exerceant, ut pauperibus ſuccurrant? Sed audiamus rationem, quam prodit ipſe Bordonius. *Eo quod*, inquit, *non ſint contra ſubſtantiam voti paupertatis, ſed tantum contra accidentalia, eiſque, in quibus poſſunt Superiores diſpenſare, cum non ſit diſpenſare in proprio, neque proprium permittere, ſed accidentalia voti relaxare.* Næ euangelica Theologia iſthæc? Superflua non excipit Euangelicum præceptum, ſed per Bordonium Conſilium euangelicum voluntariæ paupertatis eadem ſuperflua admittit. Quod Regulares vaſa pretioſa, ſuperfluos theſauros poſſideant, hocce non eſt *contra ſubſtantiam voti.* Quid eſt ergo illud, quod ſubſtantiæ iſtius voti adverſatur? Quod ejuſmodi ſuperflua poſſideant abſque licentia Superioris? Mirifica ſane iſtius licentiæ vis, quæ voto paupertatis devinctis ea ſuperflua impartire valet, quæ nemini Chriſtianorum Deus ipſe concedit. Mirari ergo deſinamus, cum in quibuſdam Cœnobiis ſpectamus privata Religioſorum domicilia, ſupellectilem, aliaque commoda majora, & exquiſitiora eſſe, quam ſint, vel in divitibus ſæculi viris.

IV. Reperiuntur utique & alii Theologi aſſerentes, Prælatorum licentiam ad ſuperflua habenda pœnas tollere proprietati debitas, minime vero ſuperfluitatis peccatum, quod & Bordonius ipſe frigide ſubindicat aliquando; verum communiter ſimul affirmant cum Prælatos, tum ſubditos peccare, & peccato proprietatis prout eſt juris poſitivi, inquit Paſſerinus (quæſt. 186. inſp. 6. num. 144. & ſeq.) & peccato tum contra Religionem, tum contra juſtitiam, aliaſque virtutes. Peccati ſpeciem, non peccatum abſolute in dubium vocant. Bordonius vero, licet alicubi laxas ſuas aſſertiones aliquo linimento intertextas propinet, ut aliquis veritatis color propagandæ falſitati inſerviat, eo tamen progreſſus eſt, ut doceat

in

in Cœnobitis conceſſionem, & retentionem ſuperfluorum in jus conſuetudinis tranſire poſſe. Sed antequam ejus hac de re verba tranſcribo, unicum hic interſerere paragraphum lubet, in quo alterius auctoris, ipſius Bordonii exſcriptoris, & ſi fieri poteſt, etiam remiſſioris aſſertiones hoc de argumento indicare juvat. Adeo enim mirificæ ſunt, ut mihi temperare haud potuerim, quin illas ob oculos ponerem, ut ſemper clarius palam fiat; quanti ſit facienda nonnullorum Scriptorum auctoritas.

§. II.

Antonius a Spiritu Sancto, Religioſos licite retinere poſſe ſuperfluum auri, & argenti, aliarumque rerum ſummam, defendit.

I. Vix Auctor unus opinionem paſſionibus blandientem cudit, ut illico plures alii, non modo eam exſcribant, verum etiam laxius dilatent. Antonius a Spiritu Sancto ſin minus Bordonii opiniones amplius laxavit, ſaltem verbis clarioribus illas explicavit. Hic ſiquidem Pater Antonius a Spiritu Sancto (in ſuo direct. Reg. tract. 3. diſp. 4. Seſſ. 2. num. 103. pag. 127.) hæc ſcribit. *Et hinc colliges, quomodo Moniales poſſunt habere, non ſolum peculium, & annuos reditus, ſed etiam vaſa aurea, argentea, annulos, medalias, margaritas, veſtes ſericas, tapetes pretioſos, ſcriptiola, quæ omnia in omnibus fere monialium Conventibus non reformatis inſpicimus, & in pluribus Religionibus virorum non reformatorum. Quæ omnia tam in Prælatis, quam in tot viris graviſſimis, & litteratiſſimis condemnare arduum, & difficile eſt.*

II. Si arduum eſt, hæc in viris graviſſimis, & litteratiſſimis improbare, ſaltem eadem damnare debemus in monialibus, quæ non ſunt litteratiſſimæ fœminæ, neque graviſſimæ. Quid quæſo eſt, cur viri iſti graviſſimi, & litteratiſſimi appellitandi ſunt? An graviſſimi ob graviſſimam vaſorum aureorum, & argenteorum, & tapetum ſericorum molem? An litteratiſſimi, quod ex ſodina paupertatis Monaſticæ, annulos, & margaritas, præter annuos reditus elicere norunt? Quid amplius Regina habere, vel deſiderare poteſt? Quid ad ornatus regios plus requiritur? Magna vis iſtius *Gravitatis?* At quid facient illi miſeri Religioſi, a quibus hæc prodigioſa *Gravitas* abeſt? Si ſola *Gravitas litteraria* regula eſſet Chriſtianorum morum, de Euangelica ſanctitate actum foret, conclamatumque. Arduum tibi eſt, & difficile in Monachis voto paupertatis ſubjectis ſuperfluum auri, & argenti damnare? Patres vero omnes, Concilia, Euangeliſtæ, Chriſtus denique ipſe Chriſtianis omnibus ſuperfluum improbat & diſtribuendum pauperibus imperat. Si ſuperflua Religioſis, ceu licita concedis, quid Regibus, Principibus, cœteris Chriſtianis imperties? Sed rationem auſcultemus, qua noſter Antonius evincit, non modo non peccare Religioſos ſuperflua tenentes contra votum, ſed ne-

que

que contra aliam quamque virtutem, reprobatque alios Theologos contrarium propugnantes.

III. *Quod autem*, inquit loco laudato num. 89. 90. & ſeq. pag. 127. *non peccent alio modo, ut putavit Lugo, neque peccato avaritiæ, ut putavit Paſſerinus, Leſſius, & alii, probatur. Quia id non eſt contra ſubſtantiam voti paupertatis, ſed tantum contra accidentalia ejus, in quibus poſſunt Superiores diſpenſare, cum non ſit diſpenſare in proprio, neque proprium permittere, ſed accidentalia voti relaxare; tum quia ſic obtinuit talis Religionis conſuetudo a Prælatis ſcita, ut ſuppono, ſed conſuetudo legitime introducta facit ceſſare Regulam, ut dicit pertinentia ad votum, non eſſentialia, ſed accidentalia. Ergo.*

Hac ratione utuntur cœteri Auctores, quos impugnat Antonius, ut evincant licentia Prælati ſubditos evadere ſolum pœnas proprietati debitas; ipſe vero ultra progreſſus probat, Religioſos ſuperflua habentes auri, & atgenti, nullo modo peccare, immo jure conſuetudinis hæc omnia licita aſſerit. Quoniam voti eſſentiam non ingrediuntur, ſed extima ſunt & accidentalia. Conſuetudo retinendi ſuperflua repugnat Euangelico præcepto, nemine Theologorum diſſentiente. Per iſtum vero Auctorem Euangelicæ paupertatis conſilio minime incongrua eſt. Cur? Quia eſt a Prælatis ſcita. Quia non eſſentialis, ſed accidentalis eſt voto, & conſilio Euangelico. Viden' quanto roboris polleant ejuſmodi metaphyſicæ diſtinctiunculæ? Si dixerimus quod tametſi ſint accidentalia metaphyſicæ voti definitioni, non tamen ſunt accidentalia Euangelio præcipienti ſuperfluum impertiendum pauperibus; reſpondebit ille, Euangelium, ſeu ſacra Concilia & Pontificum Decreta reſtringi ad Fratres reformatos, & non comprehendere cœteros. Obſtupeſcis? Lege quæ ſequuntur.

Nec obſtat (inquit eodem loco) *ſi dicas Prælatum non poſſe concedere hanc facultatem cum non ſit Dominus; tum quia reprobata eſt in Tridentino, & a Clemente VIII. in ſua conſt. & idem cenſuit ſacra Congregatio, ut teſtatur Lezana. Reſpondetur namque Prælatum ſicut poteſt adminiſtrare ſuperflua pro toto Conventu communi* (hanc rationem exſcribit ex Bordonio loco cit. tamen iſti ſunt viri graviſſimi, & litteratiſſimi) *ita & concedere in particulari hanc ſuperfluitatem poteſt. Ad auctoritatem Tridentini, Clementis, & Sacræ Congregationis reſpondeo RESTRINGI AD RELIGIONES REFORMATAS.* Dignum tanto Auctore reſponſum. Cedo. Præceptum Euangelicum: *Quod ſupereſt date eleemoſinam*: reſtringitur ne ad ſolas Religiones Reformatas? Si Tridentina Decreta eo maxime ſpectant, ut collapſas Religiones reforment ad Regulæ præſcriptum, quo fundamento ad reformatas reſtringuntur, ſi reformatæ non indigent reformatione? Juxta igitur hunc graviſſimum Doctorem Decreta Concilii Tridentini pro reformatione tum Chriſtianorum, tum Clericorum, tum Regularium, nullo modo comprehendunt Chriſtia-

ſtianos a lege Euangelica devios, Clericos Eccleſiaſticæ diſciplinæ contemptores, Monachos obſervantiæ regularis tranſgreſſores, ſed ad ſolos Catholicos pios, ad ſolos Clericos ſanctitate ſplendidos, ad ſolos Regulares reformatos reſtringuntur? Conſimilem reſponſionem offendi in alio ſcriptore, quem, licet domeſticum, inter remiſſiores collocare non omitto, ut magis compertum fiat, me non partium affectu, ſed veritatis amore hæc ſcribere. Is eſt Joannes la Cruz, qui ut uſum peculii propugnet contra expreſſam Tridentini prohibitionem, ſic reſpondet. (de voto paup. lib. 1. c. 3. dub. 2. num. 2.) *Intendit Concilium tollere a Religioſis dominium, & proprietatem. Et ſi aliud intendit, illud Decretum, non eſt cum tanto rigore acceptatum.* Quid in tam argutos commentatores regerere poſſumus? Dominium ne, & proprietatem dumtaxat vetat Tridentinum Decretum? Sed hæc ſunt illius verba. *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam.* Quid ad hæc? Subdit Decretum non eſſe acceptatum, ſi uſum interdicat. Quis ſibi perſuadere poſſet tantum in homine animum, ut pernegare auderet facti veritatem omnibus perviam? Si aliorum Ordinum acceptationem ignoravit; ſaltem ſuæ Religionis acceptatio illum latere non debuit. Siquidem integrum Tridentini Decretum inſertum eſt in Conſtitutionibus ſuis (diſtinct. 1. cap. 14. Tex. 4. ad litt. H.) & ab omnibus poſterioribus capitulis ſuſceptum, ea, qua par eſt, veneratione. Sed hæc obiter dicta ſint, nec enim impugnatione opus eſt ad ea abigenda, quæ propria imbecillitate in fumum abeunt. Ad Bordonium revertamur.

§. III.

Plures aliæ laxiſſimæ propoſitiones Bordonii referuntur, ad hanc materiam ſpectantes.

I. UT Scriptorum quorundam, de paupertatis voto Doctrina laxitatum, periculorumque plena magis ac magis pateat, eo fine, ut lectores imperiti eam evitare poſſint, pauca decerpam ex *Paupertate reformata* Bordonii. In hoc enim volumine ea omnia congeſſit, quæ ad remittendum votum idonea reputavit. Superfluorum itaque conceſſionem, quam in laudato conſiliorum libro Religioſis impertit, in hac ſua reformata, verius dixiſſet, deformata paupertate, jure conſuetudinis conſecrat. Siquidem hæc ſcribit (cap. 21. num. 23. pag. 263.)

II. *Quæres an conſuetudine induci poſſit, ut licita ſit conceſſio rerum ſuperfluarum, ut quis habeat plura veſtimenta, quibus non eget, imagines plures pretioſas, habitus vanos?*

III. *Reſpondetur, poteſt: quia hæc accidunt voto paupertatis, quod adhuc obſervabile eſt, dum ea poſſidet de licentia ſui Superioris. Confirma-*

matur, quia hæc inducta ſunt jure humano, non divino, reſpectu cujus votum paupertatis dicit abdicationem proprietatis, hoc eſt non poſſidere ſine licentia Superioris.

IV. Hæc ſcribit Bordonius abſque linimento, vel fuco. Non modo licitam defendit rerum ſuperfluarum conceſſionem, ſed conſuetudinis, ideſt legis robur obtinere poſſe adfirmat. Licentia ipſius Dei Chriſtiano populo divitias poſſidendi conceſſa, ſuperflua non comprehendit: & licentia Abbatialis ſuperflua retinendi vel ipſis Religioſis privilegium impertiet? Cur? Quod prohibitio ſuperfluorum jure humano indicta, voto accidit paupertatis. Non jus humanum, ſed jus Euangelicum clamat: *Quod ſupereſt, date eleemoſinam.* Adventitia ſint hæc per Bordonium, alioſque ſui ſimiles, voto paupertatis, adventitia tamen non ſunt Euangelicæ legi. Diſtinctio ſtatuum ſit jure humano inducta, quamquam falſum eſt: at jus divinum omnes ſtatus ad ſuperflua eroganda pauperibus obſtringit. An ne Religioſi a lege Euangelica ſoluti ſunt? Conſuetudo retinendi ſuperflua populo Chriſtiano culpabilis eſt; & licita erit Religioſis profitentibus ſtatum paupertatis, & perfectionis Euangelicæ? Sed pergamus ad alia.

V. Eodem lib. (cap. 17. num. 19. pag. 200.) hæc ſcribit Bordonius. *Quæres 5. an Superior poſſit concedere licentiam generalem ad quemlibet uſum non ſpecificando ad uſus licitos, vel illicitos.*

VI. *Reſpondetur, affirmative. Probatur, quia talis licentia cum de ſe ſit indifferens, & indeterminata, non poteſt dici mala. Licentia enim præſcindit ab uſu licito, vel illicito. Uſus enim ſequitur ad licentiam.*

VII. *Num.* 20. *Quæres 6. an Superior dans hanc licentiam ſubdito expendendi peculium pro ſuo libito, cenſeatur licentiam limitaſſe ad pios uſus cum excluſione illicitorum.*

VIII. *Reſpondetur negative, quia non eſſet generalis, & indifferenter, ſed ſpecialis & limitata, quoad modum utendi.*

IX. Ea in generali licentia conceſſa prudenter præſumuntur, quæ expreſſe petita non denegarentur, ut (ex cap. 2. de pœnit. & remiſſ. in 6.) *Cum in generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis veriſimiliter conceſſurus in ſpecie.* Huic Regulæ omnes Canoniſtæ ſubſcribunt. Dicat nunc Bordonius, velim: an Religioſo palam petenti licentiam pecunias in ſcortationem impendendi, licite, & valide Prælatus concedere poſſit? Nonne graviſſimi peccati reus haberetur Prælatus, huic ſacrilegæ petitioni aſſentiens? Quæ itaque orò, mens præſumere audet, Prælatum licentiam impertientem Religioſis pro ſuis indigentiis levandis, honeſtiſque uſibus, ad illicitos, ad turpes, ad ſacrilegos, venereoſque uſus extenſurum? Sed, inquit, generalis & indeterminata licentia a bono, vel malo uſu præſcindit? etiamne in Euangelico ſubditorum regimine opportunus eſt metaphyſicæ abſtractionis, & objectivæ præciſionis uſus? Hedo-

Digitized by Google

pol in tota ethnicorum Theologia ſimilia paradoxa non offendimus? Sed age, pejora auſcultato.

X. Libro eodem (cap. 21. num. 25. pag. 263.) *Quæres an licita ſit conſuetudo ſolvendi mercedem meretrici?* De Religioſis loquitur.

XI. *Reſpondetur affirmative; quia fundatur ſuper actum juſtitiæ. Meretricium enim eſt pretio æſtimabile. Præterquam quod in Religionibus, in quibus ſolent concedi licentiæ generales, & indifferenter, præſumitur Superior permittere ſolutionem mercedis.*

XII. Antequam hanc minus caſtam doctrinam expendo, liceat percontari, an prudentiæ, an pietati, an Religioſorum decori expediens fuerit, has movere camerinas, has inſtruere dubitationes, eaſque in publicum evulgare? Ad quid amabo te, hæc deſerviunt? Ut habeant nonne Religioſi lupanarium ſcientiam? Hæ ſunt parænefes, hæ adhortationes, quibus aliqui Recentiores noſtri paupertatis Euangelicæ, fervorem in Religioſis accendunt? Quam anſam hinc non arripient hæretici nos ſubſannandi? Si in ipſum ſanctum Monachorum ſtatum obganniunt, quæ ſcommata, quæ probra non evoment legentes in his libris non modo validam, ſed & licitam eſſe Monachis ſcortationis ſolutionem? Si Bordonius dixiſſet, aliquo in caſu poſt factum ad evitanda ſcandala, Religioniſque infamiam, hanc iniquitatis ſolutionem permittere Superiores poſſe, fortaſſe juxta prudentes œconomiæ leges loquutus fuiſſet. Permittenda enim quandoque ſunt minora mala, ad evitanda majora. Verum aſſerere quod in licentiis generalibus a Prælatis conceſſis, includatur particularis licentia ſolvendi mercedem meretrici, & quod ſolutio iſta in licitam conſuetudinem tranſire poſſit, & tandem quod hæc non repugnat voto paupertatis, eo quod non contra ſubſtantialia, & eſſentialia, ſed tantum contra adventitia ſint: iſta omnia imbecillitati meæ, falſa, erronea, ſcandalique plena videntur, & ut talia improbo, damno, exſecror. Quæro enim a Bordonio, num Prælati regularium valeant ipſimet Cœnobiorum bona in meretricium, alioſque vanos, turpeſque uſus licite & valide diſtrahere? Vix in animum meum inducere poſſum, ut credam eum id conceſſurum. Quid ergo ſubditis ſuis jus iſtud impertire poterit, *ſi nemo dat, quod non habet?*

§. IV.

Aliæ propoſitiones laxitatum plenæ, boc de argumento referuntur.

I. UT omnes humanas leges facilius extenuet Bordonius, eo auſus ſuos extendit, ut tandem concludat Prælatorum zelum, eorumque voluntatem reluctantem, obſtare haud poſſe, quominus conſuetudo contra legem, ſeu abuſus temporis beneficio, & peccantium obſtina-

natione, vim conſuetudinis legem abrogantis, obtinere poſſit. Eodem ſiquidem capite hæc habet (num. 38. pag. 266.)

II. *Quares an induci poſſit conſuetudo contra expreſſam voluntatem Superioris reſiſtentis conſuetudini?*

III. *Reſpondetur affirmative; quia hac reſiſtentia non ſufficit ad eam interrumpendam, neque ad eam tollendam.*

IV. Sacrum legum depoſitum Superiorum fidelitati concreditum eſt. Ea poteſtate a Deo donati ſunt, ut iſtarum legum integritatem ſartam tectam tueri valeant, audaceſque violatores compeſcere. Si Superiorum repugnantia impotens foret ad impediendum, ne abuſus, & corruptelæ privilegio fruerentur conſuetudinis, actum eſset de omnibus legibus. Quoties ergo ſceleſti homines decennio leges quaſque humanas conculcaverint, quamvis bono communi ſint conſentaneæ, ut certiſſime ſunt leges, de quibus ſermo eſt, quamvis legitimi Superiores reluctentur, reſiſtantque tranſgreſsoribus: Nihilominus continuatæ violationes leges abrogant, contrariamque pariunt conſuetudinem? Et quouſque impunis tam monſtroſa Theologia incedet?

V. Capite eodem (num. 29. pag. 264.) *Quares* 8. *An adſit aliqua conſtitutio Pontificia, vel Ordinis ſtatutum, aut Regula reprobans conſuetudinem?*

VI. *Reſpondetur nihil inveniri in jure communi, nec in regulis patrum reprobans conſuetudinem contra, non ſubſtantialia, ſed accidentalia regularum reſpective etiam ad tria vota. Unde mirum non eſt, ſi facile introduci poteſt conſuetudo contra accidentalia, cum ut plurimum hæc ſint etiam ſub poteſtate Superiorum. Hinc deſumitur ratio, cur regulares non obſtantibus tot reformationibus factis in conciliis, & a Summis Pontificibus ſemper proſequuti ſunt eundem inveteratum vivendi modum, præſertim in materia voti paupertatis; ita quod Summi Pontifices non potuerint tot ordinationibus reducere ad rigoroſam obſervantiam voti paupertatis.*

VII. Quis tam evidentes antilogias conſociare valet? Quærit, an aliqua conſtitutio Pontificia reperiatur reprobans abuſus contra paupertatem. Reſpondet nullam prorſus extare. Deinde, confeſtim ſubdit, non obſtantibus tot reformationibus in Conciliis, & a Summis Pontificibus factis regulares ſemper perſequutos fuiſse eundem vivendi modum. Nihil ne in jure communi, nihil in jure Pontificio reperire eſt, quod peculiorum, aliarumque laxitatum depravatam conſuetudinem reprobet? Nihil ergo dicit Tridentinum, dum (Seſs. 25. cap. 22.) reformationem ad Regulæ præſcriptum imperat his verbis? *Non obſtantibus privilegiis, conſuetudinibus, conſtitutionibus, vel præſcriptionibus immemorabilibus.* Nihil ne dicis jus Pontificium contra irrepentes pravas conſuetudines? Percurre integram primam diſsertationem præcipue (cap. 15. & 16. & 17.) ubi perenne jus Pontificium offendes, hanc tuam aſsertionem diſpellens. At, inquit,

tot

tot illæ conſtitutiones, innumera illa Decreta, nullum prorſus effectum ſortita ſunt; quoniam regulares eandem ſemper inveteratam vivendi conſuetudinem tenuerunt, præſertim in materia voti paupertatis. Regulares propriæ ſalutis minus ſolliciti, utique eandem vivendi methodum perſequuti ſunt: At Regulares ſuorum votorum memores, æternæque ſalutis deſiderio flagrantes ſanctum reformationis opus alacri animo amplexati ſunt, & præſertim in materia voti paupertatis. In cujus rei teſtem producere Bordonio poſſem ſui Seraphici Patriarchæ ampliſſimam Religionem, cujus nobiliſſima portio ad primævum Regulæ rigorem renovata conſpicitur. An Capuccini, Reformati, Recollecti inveteratum peculiorum abuſum perſequuntur? Nonne hi omnes per totum Chriſtianum orbem effuſi rigidiſſimæ paupertatis, profundæque humilitatis ſuaviſſimum efflant odorem? Quid de aliis ſacris Ordinibus dixerim? Quid de tot Congregationibus, & Provinciis reformatis, in quibus Monaſticæ diſciplinæ fervor, Apoſtolicæ communitatis ſpiritus, omniumque virtutum ſplendor elucet?

VIII. Verum quid plura in Bordonii ineptum commentum congero? Summi Pontifices Clemens VIII. cœterique Pontifices ſucceſſores mandant, ut Decreta pro Regularium reformatione quater in anno in publica menſa legantur, ne tranſgreſſores, vel minimum unquam prætextum habeant contrariam allegandi conſuetudinem.

IX. Reſpondet Bordonius loco laudato num. 56. his verbis: *Nec refert quod legantur, quia lectio refertur ad memoriam, non ad tollendam conſuetudinem jam praſcriptam. Eſt præterea actus ſpeculativus, non practicus, qui neceſſarius eſt ad conſervandam, vel tollendam Legem, & conſuetudinem. Leguntur ergo, ſed non practicantur. Conſequenter lectio in nullo præjudicat præſcriptæ conſuetudini.* Dignum ſane tanto Scriptore inventum. Ad memoriam exercendam leguntur ſacri Canones, & Pontificum ſummorum Conſtitutiones, non ad abuſus convellendos, non ad mores formandos? Lectio eſt actus ſpeculativus, non practicus? Quis ſimilia commenta ſomniavit? Unus Bordonius.

§. V.

Quædam alia ejuſdem Bordonii hoc de argumento aſſertiones exſcribuntur.

I. TAmetſi quanti Bordonii, ſimiliumque Theologorum auctoritas ſit facienda, ex paucis, quæ jam relata ſunt, quiſque colligere poſſit; nihilominus quædam alia ejus afferra ob oculos ponere lubet, ut manifeſtius, quo ejus doctrina tendat, palam fiat. Eodem itaque capite 21. (num. 43. pag. 267.) hæc ſcribit. *Quæres 12. an novitii teneantur profiteri ſecundum relaxationem Regulæ?*

II. *Reſpondetur: non tenentur profiteri Regulam ad litteram, ſed poſſunt profiteri collapſam, nec expedit IMMO IMPRUDENTIS EST,*

EOS

EOS INDUCERE AD PROFESSIONEM RIGOROSAM.

III. Si de induſtria Bordonius Apoſtolicæ Sedis contemptionem oſtentare voluiſſet, audaciora ſcripturire nequibat. Non expedit, immo imprudentis eſt Novitios inducere ad profeſſionem rigoroſam? Imprudentes ergo fuerunt innumeri ſanctiſſimi reformatores, qui variarum Religionum nobiliſſimas portiones ad rigoroſam Regulæ obſervantiam reformarunt? Imprudentiæ ergo arguenda eſt Tridentina Synodus, quæ (Seſſ. 25. c. 1.) præcipit, ut omnes Regulares, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant, & componant; atque ea omnia maxime obſervent, quæ ad communem vitam conſervandam, aut invehendam pertinent? Imprudentiæ ne arguendi ſunt Pontifices ſummi, qui ut ad hanc exactam obſervantiam regulares reforment, nullum non movent lapidem? Imprudentiæ ne arguenda, & damnanda ſacra illa Cardinalium Congregatio a Sanctiſſimo Pontifice Innocentio XII. ſuper Regularium diſciplina deputata, quæ collapſis ordinibus licentiam profitendi Regulam minime impertitur, niſi jurejurando prius ſibi præſtito, quod in talibus Cœnobiis ejuſdem Regulæ exacta vigeat obſervantia, præſertim, ad vitam communem quod attinet, ab omni peculiorum abuſu, immunem? quapropter ſolus Bordonius, nimiæ animoſitatis damnandus eſt, ejuſque aſſertiones ſevera cenſura dignæ videntur, ne plus dixerim, dum imprudentiæ damnat tot ſanctiſſimos reformatores, ſanctumque reformationis opus tanquam negotium minus expediens rejicit. Novitii tenentur profiteri Regulam a Sancta Sede approbatam. Regula autem laxata, ſeu abuſibus deturpata, non approbata, ſed reprobata eſt ab Apoſtolica Sede.

IV. Capite eodem 21. (num. 46. pag. 268.) *Quæres an profeſſi Regulam ſecundum præſentem conſuetudinem, qua nunc obſervatur, cogi poſſunt a Pontifice Romano, aut generali Capitulo ad ejuſdem obſervationem ſecundum rigorem, quo ab initio obſervabatur, & eadem obligatione?*

Reſpondetur, poſita legitima præſcriptione conſuetudinis, juxta dicta ab initio hujus capitis, profeſſi Regulam mitigatam, non poſſunt cogi ad obſervationem rigoroſam ejuſdem, quia hanc profeſſi non ſunt, ſed illam. Cum ergo ad rigoroſam obſervantiam non ſe obligarint, ad hanc cogi non poſſunt ex vi voti profeſſionis.

V. Ut exitioſum malum in his aſſertis occluſum manifeſtius retegamus, callidas, quibus utitur, loquutiones explicemus, oportet. In primis nomine Religionis mitigatæ, non aliquam Religionem intelligit, cujus Regula, vel Sedis Apoſtolicæ, aut Capituli Generalis auctoritate ſit ad blandiorem vivendi normam redacta: ſed Religionem innuit; cujus diſciplina, abuſibus, & corruptelis per decennium ſit remiſſa. Laxitates ſiquidem, & corruptelas mitigationes appellitat urbaniſſimus vir? Porro exactam Regulæ obſervantiam rigoroſam vocat, ut hoc rigoris vocabulo lectoribus quoquomodo illudat. De ea tandem conſuetudine loquitur, quæ ex peccatorum multitudine, & continuatione conſurgit, non contra

ſub-

ſubſtantialia, ſed ut ipſe ait, contra accidentalia voti paupertatis. Porro inter accidentalia iſtius voti rerum communitatem annumerat. Clariora hæc omnia evadent, ſi ea referamus, quæ ſcribit eodem capite (num. 42. pag. 266.) *An introductores conſuetudinis poſſint impune ea uti tranſacto decennio? Ratio dubitandi eſt, quia nemo ex ſua iniquitate commodum reportare poteſt.*

VI. *Reſpondetur affirmative: quia poſita præſcriptione lex jam per conſuetudinem abrogata non amplius obligat, ac proinde ejus tranſgreſſor non amplius dicitur, & ſic non peccat. Uti ergo conſuetudine poteſt, quæ eum excuſat a peccato. Quare cum perfecta conſuetudo ſit lex, favere debet ſubditis, qui ſicut in inchoanda paſſi ſunt incommodum, & detrimentum, ita & per eandem perfectum ſentire debent commodum exemptionis, ut non peccent.* Ad hanc vero conſuetudinem invehendam haud requirit Bordonius potiorem Religionis partem, ſed quemque Conventulum eam inducere poſſe adfirmat laudato cap. (num. 39. pag. 266.) *Quæres* 10. *An unicus Conventus poſſit conſuetudinem introducere?*

Reſpondetur. Quilibet Conventus poteſt introducere conſuetudinem.

VII. In pauca nunc, quæ fuſius ex Bordonio retulimus, contrahamus. Docet ille primum conſuetudinem invehi poſſe reclamante, & reſiſtente Superiore, ut ejus verba relata evincunt. Secundum, quemque Conventum conſuetudinem hanc unico decennio introducere poſſe adfirmat. Ex his duabus propoſitionibus ſponte fluit tertia, ſcilicet in qualibet Religione decennii curriculo tot pullulare poſſe Religiones, verius dixerim, factiones, quot ſunt Conventus. Siquidem conſuetudo decem annorum omnes poſitivas leges abrogare poteſt, etiam reclamante, & reſiſtente Superiore, per Bordonium licet. Hinc ſi fratres cujuſque Cœnobii perfracta fronte decennio in legum omnium Monachalium, quæ votorum metaphyſicam quidditatem non tangant, tranſgreſſione perſtiterint, confeſtim jugum Regulæ excuſſerunt: & alias leges benigniores, dulciores, libertati, & concupiſcentiæ faventes juxta cujuslibet Cœnobii genium, & paſſiones ſubſtituere poterunt. Prævaricatores poſtquam per decennium defatigati ſunt in via iniquitatis, ſtatim liberi evadunt a jugo obſervantiæ rigoroſæ, ſeu exactæ. Sed quid cauſſæ eſt, cur hoc privilegio libertatis, & exemptionis a legis rigore frui debeant? Quia inquit Bordonius *ſicut in inchoanda conſuetudine paſſi ſunt incommodum, & detrimentum.* Siquidem opus fuit conſcientiæ latratus ſupprimere, ſynderesis aculeos retundere, vultum pudore ſuffundi, Prælatorum acres correctiones, publica monita, & improperia perferre, aliaque incommoda in obſtinata legum Monachalium tranſgreſſione, malorumque perpetratione: Congruum itaque eſt, ut invaleſcente conſuetudine *per eandem perfectum ſentire debeant commodum exemptionis, ut non peccent.* Nonne validiſſima ratio hæc? Si quinquennio dumtaxat peccaſſent, adhuc legi ſubjecti forent, ſed quia tam longo annorum ſpatio in legis violatione perſeverarunt, jure præſcriptio-

ptionis libertatem adepti ſibi ſunt. Quibus de cauſſis tranquilla conſcientia quilibet frater nunc ad latus ſuam crumenam deferre valet, quiſque ſuum poſſidere peculium, quiſque meliorem induere veſtem, lautiora ſumere fercula, quia jejunia antiquata ſunt, aſpera tranſierunt in vias planas, & viæ arctæ, viæ latæ, & ſpatioſæ factæ ſunt. An poſtea ad ſalutem, vel perditionem ducturæ, ſi ſcire aves, Euangelium conſule. Interim quocumque perducant, Bordonius clamat, nullam extare poteſtatem, quæ ejuſmodi regulares in arctam Regulæ ſemitam reducere valeat. Non Capitula Generalia, non Concilia, non Pontifices. Sic jam pronunciavit laudato loco, & idemmet repetit num. 52. *Conſuetudo igitur decennio legitime præſcripta multum valet profitentibus ſecundum illius tenorem, cum rigorem Regulæ penitus ſuſtulerit. Ita quod profeſſi non poſſint cogi ad reformationem obſervandam. Quia id eſſet eis imponere novum jugum, ad quod non ſe obligarunt.*

VIII. Ex quibus omnibus denuo colligitur imprudentiæ, & injuſtitiæ notam effugere minime juxta Bordonium poſſe Concilia, & Pontifices, qui nunquam inclamare deſtiterunt contra abuſus, & corruptelam præcipue peculiorum, quorum abuſum ſub conſuetudinis larva defendit ille. Quod fratres cogi nequeant ad eas ſubeundas auſteritates, corporiſque conflictationes, quarum obſervantiam profeſſi minime ſunt, tranſeat, per me licet. Quod vero nequeant compelli ad crumenæ depoſitionem, peculiumque abigendum, atque rerum communitatem amplectendam, ſine qua vix, ac ne vix quidem votum paupertatis conſiſtit, unus Bordonius, vel ei ſimilis inficiari auſit. Utique poſita legitima præſcriptione, lex amplius non obligat. Sed videndum ſupereſt, quænam lex præſcriptionis viciſſitudini obnoxia *ſit nec ne?* Quemadmodum vota, quoniam juris divini ſunt nulli ſubjacent præſcriptioni, ita neque ea, quæ cum iiſdem connexa ſunt, tanquam media neceſſaria ad eorundem obſervationem. Porro communis vitæ praxis omnium Patriarcharum, Conciliorum, Pontificumque ſententia, ita neceſſaria eſt ad exactam paupertatis Monaſticæ obſervantiam, ut nulla interrupta temporum ſerie, novis Decretis, & mandatis eam obſervari præceperint tum Concilia, tum Pontifices. Privilegium ergo veræ conſuetudinis, & præſcriptionis tribuit Bordonius proprietatis, & peculiorum abuſibus, dum docet conſuetudinem legitime præſcriptam favere profitentibus ne ad vitam communem teneantur. Et tandem poſtquam ſtatuit conſuetudinem invehi poſſe contra legem ſemel acceptatam, diuque obſervatam, reſiſtente, & reclamante legitimo Superiore, poſt ademptam Conciliis omnibus, ſummiſque Pontificibus poteſtatem reformandi Regulares per decennium in Regulæ tranſgreſſione pervicaces, poſt hæc omnia in ipſa Concilia Oecumenica, in ipſos Pontifices ſanctiſſimos, atque in ſacrum Cardinalium Collegium hoc audaciſſimo ſarcaſmo, & affectata exclamatione debacchatur laudato capite n. 43. pag. 267. *Heu malum eſt reformari ab EXTRANEIS, qui nunquam ex-*

perti ſunt vitam regularem. Fatuus enim plus experitur in domo ſua, quam ſapiens in extranea.

IX. Plus ne unicus fatuus cucullo & tunica indutus conventualemque vitam agens valet? Plus ne prudentiæ, dexteritatis, atque zeli poſſidet fatuus frater ad diſciplinam regularem promovendam, quam Concilia; Cardinales, & Pontifices ſummi? Hi ſiquidem dumtaxat ſunt *extranei*, quorum intereſt regulares reformare. Sane mirari ſatis non ſubit hoc maleſeriatum opuſculum, tanto tempore impune lucem aſpexiſſe publicam. Nullus quippe dubito, quin ſi ad ſupremum Tribunal deferatur, anathematis fulmine plexum eat; non modo ob ea, quæ dicta ſunt, ſed ob plura alia cum in hac materia, tum in cœteris controverſiis. Cum Hieronymo enim dicere poſſumus. Magna quidem iſta ſunt pondere ſuo, ſed fiunt eorum, quæ illaturus eſſem, comparatione, leviora. Poſſem etiam ex aliis Scriptoribus non diſſimilia paradoxa excerpere, niſi præter inſtitutum meum foret. Temperare tamen mihi haud valeo, quin mirificam doctrinam aliud Monaſticum votum, nempe obedientiæ ſpectantem licet paullulum intempeſtivam huc tranſcriberem, quam hæc ſcribens caſu offendi in P. Caſtropalao (oper. mor. p. 1. diſt. 2. pag. 6.) *Non eſt controverſia quando detur opinio probabilis ex parte ſubditi, quod non teneatur obedire, tametſi contraria ſententia ſit probabilior. Tunc enim licitum eſt ex ſupradictis amplecti, quæ ſibi gratior fuerit. Ita notavit in præſenti Thomas Sanchez* (lib. 6. in decal. cap. 3. num. 7.) *Neque obſtat Superiorem tunc juſte præcipere, ut tu tenearis obedire. Quia non undequaque juſte præcipit, ſed probabiliter: ac proinde tu probabiliter ſolum obligatus eris obedire, & probabiliter deobligatus.* Cum viderim Sanchez auctoritatem laudari, ſtatim evolvi ejus in Decalogum Tomum ſecundum, ut periclitarer ſinceritatem Palai, veritus, ne more aliorum Scriptorum minus fidelis eſſet in hac citatione. At ſuſpicio undequaque falſa fuit: loco enim laudato hæc reperi. *Secus tamen eſſet ſi daretur opinio probabilis dicens in aliquo caſu non teneri ſubditum obedire Superiori. Tunc enim ſubditus credens eam opinionem eſſe probabilem, non tenetur obedire, licet poſſet, quia poteſt alterutram opinionem tuto ſequi.* Vides? juxta Sanchez, nec exigitur, quod ſubditus ſciat, ſed ſat eſt, quod credat opinionem eſſe probabilem, ut ab obedientiæ debito ſit immunis. Non vacat in præſentia doctrinam hanc expendere. Haud enim brevi oratione opus foret. Obiter tantum dicam, eam imbecillitati meæ videri, non modo ſancto Monaſticæ obedientiæ voto inſidias ſtruere, illudque recta adoriri; verum etiam ipſius politici regiminis primores Cardines evertere, omnemque civilem poteſtatem ſubmovere. Nihil enim facilius eſt, quam probabilitatem libertati faventem præformare. Quid, ſi ſubditi ſint viri graves? Hæc ſola *gravitas* ſat eſt ad conficiendam probabilem quampiam opinionem. Inferiores vero, etſi non ſint reipſa graves, facillime tamen, ſibi ineſſe hanc gravitatem autumabunt. Et hæc

ratio-

Digitized by Google

ratione, beneficio probabilitatis, ſere omnes ſubditi tum a civili, tum a ſacra poteſtate exempti erunt. Ex Caſtropalao, & Sanchez præfatam doctrinam excerpſi, non quod minori obſequio eos colam, quin inter profeſſores probabiliſmi magni facio; ſunt quippe meo judicio valde docti: aut quod ignorem ab aliis pluribus, cujuſque fere inſtituti, eamdem propugnari opinionem, quæ probabiliſmi ſurculus eſt, ſed quia iſti præſto aderant, & ſint præ aliis in omnium manibus. Verum de his ſatis.

X. Interim ea repetere lubet, quæ ſub initium iſtius capitis innuimus; nos videlicet iſta ſcripſiſſe, eo tantum fine, ut lectores, *a Religioſa Bordonii Paupertate Reformata* avocaremus. Qua de cauſſa liberiore quandoque ſtylo uſi ſumus veritatis propugnandæ zelo ſic exigente, minime vero ut perſonam quampiam vel tantillum læderemus; ſed ut efficacius evinceremus, aſſertiones Bordonii tamquam falſas, & ſi dicere fas eſt, erroneas, ab omnibus rejiciendas. Neque reponere juvat alios non paucos Scriptores in eaſdem concedere opiniones. Tum quod vix unum reperire licet, qui omnes ejus aſſertiones in unum congeſtas, atque ſub uno aſpectu poſitas lectoribus proponat; tum quod plures ex illis, quos Bordonius laudat, in eadem luxata, & diſrupta navi verſantur, quorum præcipuus eſt Diana, qui hoc epiphonemate a Proſpero Fagnano notatur (in 2. part. 3. Dec. cap. Monachi de ſtatu Monach. num. 8.) *Studioſus laxarum opinionum ſelector Antonius Diana*. Tum denique, quod ſolus Bordonius omnes laxiores opiniones in uno colligavit volumine ſub Religioſæ paupertatis reformatæ larva. Quas deinceps opiniones plures Auctores exſcripſerunt, quorum præcipuus eſt Antonius a Spiritu Sancto.

XI. Tempus jam eſt, ut his enarrationibus finem imponamus. Ex his enim, quæ dicta ſunt, ſatis, ſuperque colligere lector valet, illas diſtinciunculas, quibus paupertatis votum in ſubſtantialem quidditatem, & adventitia exteriora dividi ſolet, aliaſque inanes ſubtilitates, eo demum tendere, ut paupertatem Monaſticam in nihilum redigant. Vix quippe in tota quanta eſt Theologia, quæ Chriſtianorum mores ad Euangelicam Legem componere ſatagit, tot laxitates introductæ reperiuntur, quot in Theologiam Monaſticam a quibuſdam Auctoribus invectas oſtendimus. Quænam tantorum cauſſa malorum? non aliam ego video, niſi eas duas, quas prodit Apoſtolus, (& 1. Cor. 1v.) *Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei* (& 1. ad Timoth. *6.*) *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide*. Quæ cupiditas ſi erga alios in emolienda præceptorum ſeveritate benignos, miſericordeſque conſtituit, quanto magis erga ſe ipſos cauſſam propriam pertractantes, & pro domo ſua perorantes? Verum, ut vota tua, quæ diſtinxerunt labia tua Deo, implere adamuſſim valeas, Regulam, quam profeſſus es, Patres, Concilia, & Sanctos Ordinum inſtitutores, eorumque geſta conſule, juxta præclarum, ac tempe-

ſti-

ſtivum monitum D. Ambroſii (lib. 2. de offic.) *Advertendum, quod in acquirendis Conſiliis plurimum valet vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiæ uſus, facilitatis gratia. Quis in cœno fontem requirat? Quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria eſt, ibi intemperantia. Ubi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? Quis utilem judicet cauſſæ alienæ, quem videt inutilem ſuæ? Quomodo enim potero eum judicare conſilio Superiorem, quem video moribus inferiorem? Supra me debet eſſe, cui me committere paro. An eum idoneum putabo, qui mihi det conſilium, qui non dedit ſibi? Et mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacat, cujus animum voluptates occupant, libido devincit, avaritia ſubjugat, avaritia perturbat?*

D I.

DISCIPLINA
APOSTOLICO-MONASTICA
DISSERTATIONIBUS THEOLOGICIS illuſtrata.

DISSERTATIO PRIMA.
DE VITA COMMUNI
ad Scripturarum, Patrum, Conciliorum, & Pontificum mentem.

PRÆLOQUIUM.

QUoniam controverſia, quam verſandam ſuſcepi, gravibus eſt involuta difficultatibus, pluribuſque obnoxia ſcopulis, ad quos non allidere difficillimum eſt, eam in plures Diſſertationes tribuendam operæ pretium exiſtimavi, ut veritatem e tenebris, quibus obducitur, felicius eriperem, atque in tuto omnino collocarem. In hacce prima Diſſertatione juxta Scripturarum, Patrum, Conciliorum, & Summorum Pontificum mentem Euangelicæ paupertatis, Apoſtolicæ Communitatis, & Monaſtici peculii claras, diſtinctaſque notiones atque earundem invicem connexionem omnium primum ediſſeram. Deinceps vitam communem in Apoſtolico Collegio ortam in Monachos, & a Monachis in Fratres Mendicantes ſucceſſione non in-

Digitized by Google

terciſa demigraſſe, omneſque ſacrorum Ordinum Patriarchas in ſuis Regulis ſervandam præcepiſſe, commonſtrabo. Tandem Conciliorum cum Generalium, tum Provincialium, ſummorumque Pontificum decretis, & perenni traditione fultam, munitamque evidentiſſime oſtendam. Effugia, occaſione data, præcludam, inaniaque commenta, quæ, ut luci meridianæ caliginem prætenderent, excogitarunt non pauci, penitus profligabo. Ultimo denique omnia in pauca contraham, & ſub unica demonſtratione colligam, ut quæ latius, & ſeparatim diſputata ſunt, univerſamque Diſſertationem unico conſpectu, veluti in perlucido ſpeculo, contemplari Lector valeat.

CAPUT PRIMUM.

Vera Monaſticæ paupertatis notio ex Euangelio, & Actibus Apoſtolorum.

I. SErmonem de Monaſtica paupertate inſtituturus, ab ejuſdem vera notione exordium ſumendum eſſe jure ac merito cenſui, quoniam cujuſque cauſſæ deciſio ab ejus rei, quæ in controverſiam adducitur, perſpicua explicatione ſummopere pendet. Id autem præſtare melius haud poſſum, quam ſi id tamquam certum, & inconcuſſum conſtituerim, quod infra ſum demonſtraturus, Monachos videlicet, eam omnino profiteri paupertatem, quam Chriſtus Dominus conſulit, quam Apoſtoli, primique Chriſtiani ſervarunt. Ut itaque Monaſticæ paupertatis ideam promamus, Euangelicum Conſilium, & Apoſtolici Collegii mos, & conſuetudo ob oculos ponenda ſunt.

II. Et ut a primo auſpicemur, conſilium habetur (Matth. 19.) *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.* En totam voti paupertatis Monaſticæ expreſſam materiam, cum remotam, ut vocant, nempe divitiarum privationem, tum proximam, videlicet dominii abdicationem. *Conſideremus*, inquit Hieronymus, *quam ſapienter ſapientia ſit loquuta: Vende quæ habes. Cui iſta præcipiuntur? Nempe illi, cui dictum eſt: Si vis eſſe perfectus. Non partem bonorum tuorum vende, ſed omnia, cumque vendideris, quid ſequitur? & da pauperibus.* In hac, quam Chriſtus conſulit, venditione, & in alterius voluntatem dominium rerum transfertur, & pretium in pauperes tribuitur, & rerum neceſſariarum uſus ab aliena voluntate, Chriſtiana humilitate, & patientia, expectatur. Ex quo palam fit iſtius Euangelici conſilii executionem talem rerum temporalium abdicationem exigere, qualem is præſtat, qui bona ſua abſolute divendit, eorumque pretia in pauperes erogat. Porro qui bonis ſuis hocce modo exuitur, non proprietate dumtaxat, ſeu

do-

Digitized by Google

dominio, verum etiam omni utendi facultate ſeſe privat. Fateamur igitur oportet, Regulares, qui ritu ſolemni hoc conſilium vovent, & bonorum temporalium proprietate, & uſu quoque ſpoliari hoc in ſenſu, ut nihil juris in res temporales ſibi reſervent, ſed tamquam Jeſu Chriſti pauperes uſum bonorum temporalium ab aliorum liberali adminiſtratione ſuſcipiant.

III. Fateor tamen non ſatis adhuc expreſſam eſſe Monaſticæ paupertatis imaginem. Gradus etiamnum incerti, & indefiniti. Servator noſter Divinus alia duo conſilia abnegandæ voluntatis, & virginitatis colendæ per obedientiæ, & caſtitatis ritu paucis verbis expedivit, quod ſuapte natura limites quodammodo haberent. At paupertatis conſilium, quoniam illius limites a voventis intentione plurimum pendent, & fuſiore ſermone explanavit, & ejuſdem exequutionis delineatum exemplar nobis reliquit. Præſentiebat enim, rerum terrenarum cupiditatem omnium malorum fore radicem. Et quemadmodum arborum radix occulte ſerpit, intimos penetrat terræ meatus, & pluribus circumſepta tegumentis nihil inſidiarum timens, ad ſatietatem ſeſe effundit. Eodem ferme paſſu incedit moralis omnium malorum radix cupiditas. Ultimos humani cordis receſſus pervadit, artificiorum fucis obtegitur, & quo abundantiore divitiarum copia affluit, & exquiſitiorem ſibi arrogat ſapientiam, qua tamquam licita, & ſancta defendit, quæ impotenti animo concupiſcit, juxta illud Salomonis oraculum. *Sapiens ſibi videtur vir dives*. (Prov. 28.) Et Auguſtinus ſubdit: *Sanctum eſt quod volumus*. Ut autem Chriſtus ab imis averuncaret horum radicem malorum, omneſque fallacias, & illuſiones convelleret; poſt paupertatis vovendæ conſilium, confeſtim illius terminos conſtituit, & exequutionis methodum deſcribit ſui Euangeliſtæ Lucæ calamo, tam dearticulate, ut nullus remaneat fallendi locus. Optime in rem noſtram diſſerit Auguſtinus (lib. de mendac. cap. 15.) *Divina Scriptura non ſolum præcepta continent, ſed etiam vitam, moreſque Sanctorum, ut ſi forte occultum eſt, quemadmodum accipiendum ſit, quod præcipitur, vel conſulitur, in factis juſtorum intelligatur*.

IV. Quare ſi occultum eſt, atque obſcurum quemadmodum accipiendum ſit hoc Euangelicum conſilium. *Si vis perfectus eſſe: vade, vende quæ habes, & da pauperibus*: ad vitam geſtaque Sanctorum Apoſtolorum oculos convertamus, & hinc plenam hauriamus intelligentiam. Siquidem methodum, qua Apoſtoli, primique Chriſtiani Euangelicæ paupertatis conſilium executioni demandarunt, clare & diſtincte deſcribit Divus Euangeliſta Lucas (Act. c. 3.) *Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia, poſſeſſiones, & ſubſtantias, & vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*. Fuſius, & expreſſius hanc Apoſtolicæ communitatis praxim enarrat Sacer hiſtoricus. (cap. 4.) *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat*,

bat, ſed erant illis omnia communia. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat. Hac igitur methodo conſilium paupertatis Euangelicæ exequuti ſunt Apoſtoli, primique Chriſtiani. Bona omnia communia erant uni vel pluribus miniſtris concredita. Hi ſoli ſingulis diſtribuebant, prout cuique opus erat, victum, & tegumentum. Nullus inter eos egenus: nullus dives: Ananias una cum uxore Saphita, quia divenditi agri pretii partem ſibi retinuit, repentinæ mortis pœnas dedit. Tanta ſeveritate in proprietariorum coryphæum Deus animadvertit, ut poſteros communem vitam profitentes ab uſu proprii peculii abſterreret. Quoniam Apoſtolicæ communitatis indoles, & natura hæc eſt, quod omnia bona, quocumque modo obvenientia, communia ſint, quod ſoli officiales adminiſtrationem habeant, eaque omnibus & ſingulis diſtribuant, prout cuique opus eſſe proſpexerint. Nec ſatis eſt ad hanc communitatem, quod bona Prælati voluntate Monaſterio incorporentur, ut ajunt, & ſub Monaſterii dominio conſtituantur, uſus vero penes ipſos ſubditos remaneat, quoniam commentitia foret communitas iſthæc, non Apoſtolica. Sed eodem modo permiſceri, & confundi debent cenſus, reditus, & cetera omnia ex lectionibus, concionibus, & quacunque alia via obvenientia, ſive ſponte oblata, ſive propria induſtria parta, quo permiſcentur & confunduntur eleemoſinæ oſtiatim emendicatæ, atque reditus ex cœnobiorum fundis provenientes. Hocce communi patrimoni oomnes ali debent, & veſtiri; nemo tamen ſibi quippiam accipere licite valet abſque Prælati licentia, cujus poteſtatis limites infra definiemus. Hæc eſt illa communitas, quam Chriſtus in ſuo Apoſtolico Collegio inſtituit, quamve ut fundamentum præjecit illius cœleſtis perfectionis, quæ in charitate ſita eſt, quæve amoris, & concordiæ vinculis homines invicem, & cum Deo conjungit. Quam ſolidum, quamque aptum ſit hoc fundamentum, cui Euangelicum ædificium ſuperſtruatur, facile quiſque ſibi perſuadebit, cum ſecum reputaverit, temporalium proprietatem fovere & augere in dies cupiditatem. Hæc vero ceu ſeditioſus civis tumultus excitat, conſociationem & commercia infringit, corda animoſque ſejungit, atque in contrarias abſtrahit factiones. Cum itaque perfecta communitas omnem auferat proprietatem, radicem quoque contentionum, rixarum & diſſidiorum revellit, cœleſtium bonorum communionem inducit, & ad faſtigium Euangelicæ perfectionis tenendum viam aperit planiſſimam. Hinc eſt, quod Euangeliſta Lucas loco laudato temporalium bonorum communitatem, & cordium unitatem, atque concordiam animorum una reſplenduiſſe teſtatur. *Erat cor unum, & anima una. Erant illis omnia communia.*

V. Præclare rem hanc deſcribit Divus Baſilius. (Conſt. Mon. c. 19.) *Perfectiſſimam ego vitæ communionem appello, a qua omnis rei cujuſ-*

que

que excluſa poſſeſſio eſt. Itemque unde diſſenſio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis abeſt, & rixæ: contraque univerſa communia, animi, mentes, corpora, eaque quibuſcumque neceſſario ad victum, cultumque utimur. Communis Deus, communis pietatis mercatura, communis ſalus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum exantlatorum coronæ. Ubi multi ſumus, & unus non ſolus, ſed in pluribus. Huic vitæ inſtituto, quid eſt tandem quod jure æquiparari poſſit? quid eo beatius dici? Quid hac conjunctione, unitate, & neceſſitudine aptius excogitari? Quid mutua inter ſe morum, animorumque contemperatione gratioſius fingi? Homines ex diverſis nationibus ac regionibus profectos per exactam morum ac diſciplinæ ſimilitudinem adeo in unum veluti coaluiſſe, ut in pluribus corporibus unus quodammodo animus eſſe videatur: viciſſimque plura corpora mentis unius inſtrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine eſt, is complurium animos imbecillitatis ſuæ participes habet. Qui vero animo æger eſt, & affligitur: ei complures præſto ſunt, a quibus curetur, & a quibus aſſidue erigatur. Hi æquali jure inter ſe alii aliorum & famuli ſunt & domini, & in invicta libertate accuratiſſimam ſibi ſerviunt ſervitutem, quam non neceſſitas caſus fortuiti oppreſſis, & in captivitatem abductis magno ipſorum cum mœrore violenter invenit, ſed cum gaudio libera animi voluntas induxit. Quippe cum charitas ipſos, alioquin liberos inter ſe alios aliis ſubjectos efficiat, & ipſis, nihilominus tamen illorum voluntatis arbitrio libertatem conſervet. Tales nimirum cum ab initio nos fingeret Deus eſſe voluerat, & propterea crearat. Qui ejuſmodi ſunt ſine controverſia primi parentis noxam contegentes antiquum bonum in priſtinum revocant.

CAPUT SECUNDUM.

Voti paupertatis Monaſticæ definitio, ejuſdemque cum rerum communitate connexio, ex Theologorum ſententia. Conſectaria, quæ ex illorum definitione proficiſcuntur.

I. Quamquam integra Diſſertatione ſecunda Theologorum placita exponere, atque juxta eorum communem ſententiam graviſſimam Regularium obligationem ad rerum communitatem ſervandam evincere debeam, nihilominus tamen pauca quædam iſthic ad eorum mentem præfari in rem meam fore exiſtimavi, eo quod ad totius controverſiæ, qua de agimus, ſtatum clariori in lumine collocandum, viam ſternunt. Atque in primis animadvertunt illi paupertatem generatim acceptam plures excipere gradus, quorum alter dominium, & uſum cujuſque rei ceu pro-

propriæ excludit. Alter dominium, & u um proprium reſpuit; capacitatem tamen ad dominium habendum retinet. Tertius, qui nec abſolute dominium abdicat, nec incapax dominii evadit, ſed tantum nulla re tanquam propria utitur. Quartus nec dominii, nec uſus privationem prodit, ſed dumtaxat eam bonorum temporalium menſuram admittit, quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria eſt, & cœtera omnia rejicit. Ad hos quatuor gradus omnes alii reducuntur. Primum paupertatis gradum nunc vovent regulares omnes. Secundum vovebant, ut contendunt illorum aliqui, at, ut ego quidem arbitror, falſo, Monachorum plures antequam ſub Juſtiniano Imperatore publica voti ſolemnitas invecta fuiſſet. Tertium nuncupant ſcholares Societatis Jeſu. Quartum quiſque vovere poſſet. Ex quo conſequitur, votum paupertatis, cum latitudinem admittat, ut hunc præ alio gradum ſubeat, ab intentione pendere voventis, qui arctiorem, vel mitiorem paupertatem pro ſuo arbitratu Deo nuncupare valet.

II. Paupertatis, quam vovent Regulares, hanc illi promunt definitionem. *Votum paupertatis eſt abdicatio dominii*, ſeu, ut aliis arridet, quod in idem tamen recidit: *Votum paupertatis eſt voluntaria bonorum temporalium abdicatio, per quam vovens ipſorum proprietate privetur*. Cujus definitionis ſignificatus eſt, Religioſos voto paupertatis adſtrictos nullius rei dominio potiri, uſu vero frui Prælatorum, quibus ſubſunt, accedente conſenſu, poſſe. Quod ut plenius comprehendas, ſcias oportet, duo ipſos in hocce voto diſtinguere. Primum eſſentiale, ſecundum accidentale vocant, ſeu acceſſorium. Eſſentiam iſtius voti in ſola dominii abdicatione ſitam ajunt; cetera vero omnia, videlicet, quod Religioſi uſum bonorum communem habeant vel peculiarem; quod alii abundanti pecuniarum uſu fruantur, alii penuria laborent; quod alter comtus, alter pannoſus incedat, hæc omnia accidentalia eſse, & præter voti eſſentiam divagari, contendunt.

III. Quibus poſitis, confeſtim apparet connexionem voti paupertatis cum bonorum communitate non eſſentialem eſſe, ſed accidentalem, quoniam abdicatio dominii integram voti eſsentiam conſtituit, cœtera vero extima ſunt, & adventitia. Animadvertendum tamen, quod licet propugnent voti naturam conſiſtere, rerum communitate ſublata, ſubdunt nihilo ſecius ad communitatem Regulares teneri, non vi voti, cui communitas accidit, ſed vi præcepti Eccleſiaſtici communitatem ſeveriſſime imperantis. Eccleſia ſiquidem Divino lumine perfuſa ſummam proſpiciens difficultatem paupertatis votum ſervandi, communitate ablata, hanc repetitis legibus imperavit, ceu adminiculum, ſine quo voti integritas vix, ac ne vix quidem conſiſtere diu poteſt. Quocirca admonent, ſerio perpendendum eſse quid voto per ſe, directe & eſsentialiter conveniat, quid vero per accidens, & ex adjuncto præcepto. Hæc eſt communis Theologorum ſententia, quam fuſius ſuo loco explicabimus. Pauca modo præfari libuit, ut eorum quæ dicturi ſumus prænotio aliqua præcedat.

IV. Ad

Digitized by Google

IV. Ad veritatem porro quod attinet datæ definitionis, tametſi ſano in ſenſu intelligi poſſit, nihilominus, ſi quod ego ſentio effari libere licet, dico, ea ſemper, qua par eſt reverentia, mutilam eſſe, minuſque ad promendam paupertatis Monaſticæ integram notionem, aptam. Ecquam, quæſo te, imaginem claram, diſtinctamque menti imprimunt hæc duo verba: *abdicatio dominii?* Non aliam profecto quam univerſalem quandam ideam alicujus paupertatis, non Monaſticæ, quæ ſuo certo occluditur orbe, ſed generatim conſideratæ, & pluribus gradibus ſuſcipiendis obnoxiæ, ut capite ſequenti, & alibi fuſius palam fiet. Id in præſentia dumtaxat obiter innuimus ex hac arida, & nimium abſtracta definitione, atque ipſius voti in eſſentiam, & accidentia, partitione, plurium Caſuiſtarum laxiſſimas opinationes traxiſſe originem. Quandoquidem licet Theologi omnes, & Canoniſtæ, qui ex profeſſo hanc verſant controverſiam in aſſerendo communis vitæ præcepto conveniant, eorum tamen plures, maxime vero ſummiſtæ; cum de paupertate regularium ſermonem inſtituunt, præceptum hocce ſilentio prætereunt. Voti eſſentiam ad examen vocant, & tricis *Philoſophicis* aſſueti aliqui, hanc quidditatem a præcepto, aliiſque conditionibus avulſam, ſcrutantur, & quod voto in hac metaphiſica abſtractione non repugnat, peſſima conſecutione paupertati monaſticæ abſolute convenire pronunciant. Enimvero, ſemel dato, quod in ſola dominii abdicatione ſalva ſit voti integritas, confeſtim inferunt, uſum bonorum & divitiarum amicabili fœdere cum paupertatis voto consociari poſſe, dummodo Prælati licentia, ſeu conſenſus accedat. Ne autem hæc a Prælati voluntate dependentia (ut ajunt) gravior nimis evadat, neceſſe minime eſt, ut præſens ſit, & expreſſa, ſed futura ſatis eſt, & tacita, vel præſumta. Pecunias expendito, marſupium evacuato, de voluntate Prælati tui præſumito, & paupertatis tuæ eſſentia fulta præſumtionis munimine incolumis perſeverat. Quin etſi præſto adſit explorandæ voluntatis Prælati opportuna occaſio, ſi tamen tu verecundiæ rubore ſuffuſus, aliove humano actus reſpectu, non audes licentiam poſtulare, ad petitionem minime teneris; ſed ſatis eſt, te credere, Prælatum conſenſurum, ſi peteres, ne ſis *proprietarius*. Et, quod plus eſt, addunt, talem invehi poſſe conſuetudinem, vi cujus immunis conſtituaris ab hoc onere petendi expreſſam licentiam a tuo Prælato, ſed generalis licentiæ præſumtione inſtructus, pecunias retinere, & diſtrahere in quoſcumque uſus valeas. Sed numquid in ſuperfluos? utique: an in illicitos? Utique. An in turpes? etiam. Quid plura? parvo ſumto (verba ſunt plurium Auctorum, ut ſuo loco manifeſtabitur) conducere poteris meretricem, quin crimen contra votum paupertatis contrahas, quamquam caſtitatem ſis violaturus.

V. Quis zeli impetum cohibere, quis comprimere lacrymas valet, dum in Monaſticam Theologiam talia monſtra invecta auris audit Chriſtiana? Quod ſi ad hæc profliganda paradoxa in medium proferas Euangelii auctoritatem, Apo-

Apoſtolorum traditiones, Conciliorum Canones, Juris Pontificii Decreta, nullo negotio eadem elidunt, regeruntque hoc vallo muniti. Stat voti natura, quoties abdicato dominio, pecuniarum, auri & argenti uſus tacita, aut præſumta Prælati voluntate approbatur. Hæc enim omnia accidunt voto, cujus eſſentia minime pendet ab accidentibus, inquiunt ipſi. Quiſque nunc perſpicere poteſt hæc confectaria, & plurima alia, quæ tranſmittimus, alibi relaturi, ſponte conſequi ex illa definitione ad metaphyſicæ leges exacta, ac ſi Regulares cujuſdam Metaphyſicæ paupertatis eſſentiam Deo voverent. Incredibile enim eſt tam infeſta Euangelico Conſilio ſcribere potuiſſe, ſi monaſticæ paupertatis indolem, & naturam ex ipſo Euangelio, & Actibus Apoſtolorum, unde originem traxit, & incrementum, hauſiſſent. Verum in hoc proprio domicilio veritatem quærere neglexerunt, quin, his relictis limpidiſſimis fontibus, omnia ad metaphyſicæ definitionis amuſſim eorum non pauci revocarunt. Et quod ſatis mirari non ſubit, non definitionem Scripturarum oraculis, Conciliorum Canonibus accommodant, ſed Patriarcharum regulas, & Conciliorum decreta, & Apoſtolorum præſcripta ad ſenſum ſuæ definitionis inflectunt & detorquent. Ne multa. Eo nervos omnes conatuſque intendunt, ut honeſtatis velamen peculio Monachali prætendant, atque infinitas propemodum ſubtilitates, & commenta excogitant, quibus paupertatem Monaſticam auro, & argento affluentem, ornatu fulgidam, & ſelectioribus dapibus exſaturatam valeant propugnare. At ne plus juſto hæreamus in limine, alio pergat oratio.

CAPUT TERTIUM.

Votum paupertatis Monaſticæ, & bonorum omnium communitas, ita ſunt connexa, ut Regulares voventes paupertatem, voveant ipſam bonorum communitatem. Si ſeparentur, votum ipſum concidat, neceſſe eſt.

I. JAm mihi videre videor, Lectorem meum ex ſolo eorum, quæ probanda propoſui, aſpectu, non minus commoveri, ac ſi ad paradoxum aliquod offendiſſet. Quoniam cum Theologi, tum Canoniſtæ communiter, in contrariam concedunt ſententiam, ut ſuperiore capite indicavi ipſe, nec nunc inficias eo. Idcirco antequam manus conſero, illud te admonendum permagni intereſt, me videlicet, ita iſtius capitis quæſtionem pertractare, ut, etiamſi falſa forent, quæ dicturus ſum, non ob id tamen præjudicii quidpiam accidere poſſit cauſſæ meæ. Iſtius ſiquidem præcipuus, ac ferme unicus ſcopus eo ſpectat, ut evincam, Regulares omnes ad vitam communem amplectendam, & peculia abigenda ſub peccati mortalis, & damnationis æternæ pœna adſtrictos eſſe. Idque ex

com-

Digitized by Google

communi conſenſione & Theologorum & Canoniſtarum aſſerentium vi graviſſimi præcepti laudatæ communitati devinctos eſſe Regulares. Quod autem hujus Communitatis præceptum, ſive communitas ipſa voti eſſentiam ingrediatur, ſive extra divagetur, ſive directe, ſive oblique a voto inſpiciatur, utcumque res hæc ſeſe habeat, ad meum primarium inſtitutum, quod attinet, perinde fere eſt. Non eſt ergo, cur præjudicii quidquam ſubire debeat cauſſa mea principalis, rametſi, quæ hoc in capite ſum dicturus, tibi minime probarentur. Neque, hinc tamen inferas, velim, inutili diverticulo, me ab inita via te abduxiſſe, quod potius oppoſitum, ſi ſerio tecum omnia reputaveris, adſirmes, oportet. Quandoquidem ea eſt præſentis controverſiæ conditio, ut licet ex irrito iſtius capitis conatu nulli ſim obnoxius damno; ex ſecundo tamen proſperoque eventu, & lucri, & victoriæ plurimum cauſſæ meæ acceſſurum eſſe nemo non videat. Præterquamquod cum paupertatis monaſticæ voti examen recurrat, non abs re exiſtimari debet, poſt expoſitam aliorum Theologorum opinionem, ſi, quid ipſe ſentiam, libere pronuntiare, & aliorum judicio ſubjicere velim. Tandem, ut ad id, quod caput eſt, accedam, nil jam amplius ſupereſt, niſi, ut te etiam, atque etiam rogem, ut, quaque anticipatione poſita, mente præjudiciorum vacua ad ea, quæ producturus ſum, rationum momenta, perpendenda te compares.

II. Quid ergo? Qui vovet paupertatem monaſticam; voverne eo ipſo bonorum omnium Communitatem? Id ſcilicet eſt, quod ego aſſero, quodve, ut luculentiſſima ratione evincam, duo ob oculos revocanda ſunt, Primum, paupertatis votum generatim acceptum, & ab omni circumſtantia præciſum, plures excipere gradus, quorum capite ſuperiore mentio fuit: nec in hac acceptione unum præ alio prodit, quemadmodum neque communitatem aut claudit, aut rejicit. Alterum non minus manifeſtum; quodlibet nempe votum materiam certam, & præfinitam ſibi vindicare. Ineptum quippe, & inane foret votum illud, quod rem indefinitam Deo nuncuparet. Ut enim rationabilia ſint obſequia noſtra, deſignatas victimas & certas hoſtias Deo immolandas ſeligere, & præfinire debemus. An imprudentiæ labem evaderet ille, qui votum elargiendi eleemoſinam ederet, nullius rei genere, nullave quantitate præſcriptis? Vel qui ſacram peregrinationem ſuſcipiendam adpromitteret, nullo præſtituto Sanctuario, nulloque deſignato termino? Suam igitur præfinitam materiam votum quodlibet, ut prudens ſit, Deoque gratum, habeat, neceſſe eſt. Paupertas autem, cum ſuapte natura latitudinem, & gradus admittat, ut congrua voti materies conſtituatur, voventis intentione determinari debet. Quibus tamquam certiſſimis conſtitutis, hoc pacto ego diſſero.

III. Regulares omnes paupertatem Deo vovent non incertam, non indefinitam, non ad cujuſdam metaphyſicæ definitionis amuſſim exactam, non denique, quam ſibi, vel Theologi, vel Summiſtæ ſuis abſtractioni-

lius effingunt; ſed eam præciſe, quæ in eorum reſpective Regulis præſcripta reperitur. Quemadmodum non in omnibus obedire Prælatis vovent; ſed in iis dumtaxat, quæ Regulæ ſervanda præcipiunt. Quapropter alia eſt paupertas Franciſcanorum, alia Dominicanorum, alia Jeſuitarum, alia Teatinorum, quia Regulæ eorum ſingularem ſibi vendicant paupertatis gradum. Porro Regulæ omnes Monachales, omniumque Patriarcharum, licet in aliquo additamento differant; in hoc tamen omnino conveniunt, ut ſcilicet non aliam ſuis Religioſis paupertatem vovendam præſcribant, quam bonorum communione exequendam, ſeu non aliam præcipiant paupertatem, quam exactiſſimam vitam communem; quoniam non aliam præcipiunt paupertatem, quam quæ in Actibus Apoſtolorum deſcripta legitur, ut omnes Regulæ clamant, inclamantque. Ergo Regulares voventes paupertatem, bonorum vovent communitatem. Quid ſolidi ad hæc reponi poſſit, fateor, me non tenere. Prima quippe propoſitio nullius vel minimæ dubitationis aleæ ſubjacet. Qua ſiquidem ratione paupertatem in ſua univerſali conſideratione latitudinem, & plures gradus admittere confitentur, eadem concedere quoque debent, voventis intentione præfiniendam fore, ut congrua ſacrificii victima conſtituatur. Intentio autem, qua Regulares certis regionibus ſuam, quam profitentur, paupertatem, definiunt, non a ſingulorum arbitratu pendet; alioqui tot eſſent paupertatis genera, quot voventes. Libere utique edere, vel omittere votum queunt: at hypotheſi data, quod emittere illud velint, ad Regulam, quam Religio ſervandam proponit, exigere, & conformare adſtringuntur. De prima itaque propoſitione non eſt ambigendi locus. Secundam vero infra, productis Regularum Monachalium textibus, luce meridiana evidentiorem demonſtrabimus, quamve tamquam certam nobis nunc concedi jure poſcimus. Tertia tandem neceſſario conſequitur.

IV. His adde vel ipſam Theologorum communem definitionem, mutilam licet, & abſtractam, ut vero quopiam fruatur ſignificatu, meam confirmare aſsertionem. *In Dominii abdicatione* voti eſsentiam ſitam volunt illi. Nec ipſe improbo, ſi ſano in ſenſu intelligatur, & cætera, quæ conſequuntur, ſuum locum habeant. Quid enim hæc Dominii abdicatio prodit, niſi Regulares vi voti, dominium bonorum cum præſentium, tum futurorum, quod ab ſe abdicant, ſub Religionis poteſtate in ejuſdem commune bonum collocare? Porro ſi abdicatur Dominium, potiori jure abdicatur uſus, qui Dominium conſequitur, quemadmodum plantam fructus. Ideo ergo Theologi paucis verbis in Dominii abdicatione votum conſtituunt paupertatis, quia qui Dominium renunciat, eo ipſo uſum Dominium conſequentem renunciet neceſse eſt. Et ſane perridicula foret paupertas illa, quæ, retento ſibi libero bonorum uſu, Dominium Religioni donaret. Quid enim valet Dominium pecuniarum ab uſu ſejunctum? Aut quid nocet Dominii abdicatio, quoties uſus liber eſt? ſiquidem uſus eſt, qui appetitiones noſtras explet, & ſaturat. Quando ergo dici-

dicitur, Regulares uſum habere bonorum, non eſt ſenſus, quod, renuntiato bonorum Dominio, eorumdem bonorum uſum ſibi retineant. Quid namque Evangelicæ paupertati infeſtius? Sed ſenſus, ſeu ſignificatus eſt, quod Religio ſubditis ſuis, qui vi voti paupertatis & Dominio, & uſu omnium bonorum privati ſunt, uſum revocabilem impertiatur earum rerum, quæ ad victum & veſtitum neceſſariæ ſunt, prout quæque Regula, ad cujus normam votum, ut dictum eſt, Regulares omnes emittunt, præſcribit. Sed de hoc plura alibi.

V. Verum ne quis, hiſce meis rationibus, niſi me omnia fallunt, luculentiſſimis, Teſtium auctoritatem deeſſe ſuſpicetur, id quoque generis argumentum adjicere lubet. Et in primis Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum tanquam certum, firmumque ſtatuunt, non aliam in hoc Ordine paupertatem, quam communem vitam voveri (diſt. 1. cap. 13. tex. 2.) *Veruntamen antequam ſtabilitatem, & communem vitam promittant, & obedientiam Prælato, & Succeſſoribus ſuis faciant, tempus probationis eis aſſignetur.*

VI. Hanc eandem veritatem edocet Capitulum Ordinis Præmonſtratenſis anno 1615. celebratum, Præſide doctiſſimo, unaque piiſſimo Abbate Johanne le haige. *Communis vita ratio adeo neceſſaria eſt, ut ea non ſedulo obſervata paupertatis Evangelicæ votum, quod nihil proprii admittit, inviolatum eſſe nequeat.* Sola horum duorum Ordinum authoritas mille prævalet Caſuiſtis.

VII. Non minus perſpicue ſententiam noſtram docet & propugnat Divus Parens Auguſtinus, quo nemo melius ſuæ Regulæ ſenſa comprehendere & explanare poteſt. Sermone autem 49. de diverſis, ſive 355. hæc ſcribit. *Ut non diu vos detineam, præſertim quia ego ſedens loquor, vos ſtando laboratis. Noſtis omnes ſic nos vivere in ea domo, quæ dicitur Domus Epiſcopi, ut quantum poſſumus imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apoſtolorum. Nemo dicat aliquid proprium, ſed erant illis omnia Communia. Non attuli aliquid, non veni ad hanc Eccleſiam, niſi cum iis indumentis, quibus illo tempore veſtiebar. Et quia hoc diſponebam in Monaſterio eſſe cum fratribus, cognito inſtituto, & voluntate mea, beatæ memoriæ ſenex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt Monaſterium, cœpi boni propoſiti fratres colligere Compares meos, nihil habentes, ſicut nihil habebam, & imitantes me, ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogavi, ſic fecerunt & illi, qui mecum eſſe voluiſſent, ut de Communi viveremus. Commune autem nobis eſſet magnum & uberrimum prædium ipſe Deus. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent, nulli licet. Si qui habent, faciunt quod non licet. Qui mecum manent, quicumque habet aliquid, aut vendet, aut eroget, aut donet, & Commune illud faciat.... Malum eſt cadere a propoſito, ſed pejus eſt ſimulare propoſitum. Ecce di-*

co audite, qui ſocietatem communis vitæ jam ſuſceptam, quæ laudatur in Actibus Apoſtolorum, deſerit, a voto ſuo cadit, & a profeſſione ſancta cadit. Obſervet Judicem, ſed Deum, non me. Ego ſcio quantum malum ſit profiteri aliquid, nec implere. Vovete inquit & reddite Domino Deo veſtro, & melius eſt non vovere, quam vovere, & non reddere.

VIII. Poteratne Auguſtinus explicatius docere Communitatem paupertatem illam eſſe, quam Deo vovent Religioſi? Nec in hoc ſermone de alio, quam de proprio, & Communi vita diſſerit, atque expreſſe eos, qui vitæ Communis obſervantiam deſerunt, a voto ſuo, a profeſſione ſua, cadere. Sermone vero 50. ſive 356. rurſus hanc eandem communitatem dearticulatim explicat, atque ut omnem tranſgreſſionis auferat occaſionem, ipſos fideles admonet, ne cuiquam fratrum in particulari aliquid conferant. *Et vos*, inquit, *exhortor, fratres mei, ſi aliquid vultis Clericis dare, ſciatis, quia non debetis, quaſi vitia eorum fovere contra me. Omnibus offerte, quod vultis, offerte de voluntate veſtra, quod Commune erit, diſtribuetur unicuique ſicut unicuique opus erit; gazophilacium attendite, & omnes habebimus. Valde me delectat, ſi ipſum fuerit præſepe noſtrum, ut nos ſimus jumenta Dei, vos ager Dei. Nemo det birrum, vel lineam tunicam, ſeu aliquid, niſi in commune. De communi accipio & mihi ipſi, cum ſciam commune me habere velle, quidquid habeo. Nolo, talia offerat ſanctitas veſtra, quibus ego ſolus, quaſi decentius utar. Offerat mihi verbi gratia birrum pretioſum. Forte decet Epiſcopum, quamvis non deceat Auguſtinum, ideſt hominem pauperem, de pauperibus natum. Modo dicturi ſunt homines, quia inveni pretioſas veſtes, quas non potuiſſem habere, vel in domo patris mei, vel in illa ſæculari profeſſione mea. Non decet. Talem debeo habere, qualem poſſum, ſi non habuerit, fratri meo dare. Qualem poteſt habere Presbyter, qualem poteſt habere decenter Diaconus, talem volo accipere, quia in Commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere ſoleo, ut quando veſtis non poteſt eſſe communis, pretium veſtis poſſit eſſe commune.*

IX. Venerabilis Umbertus Quintus Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis in ſuis aureis ſuper Regulam D. Auguſtini Commentariis, conceptiſſimis verbis docet, juxta mentem Auguſtini Communem vitam ad votum pertinere paupertatis, ſeu votum paupertatis ipſam Communem vitam Deo ſervandam adpromittere. *Nota*, inquit (cap. 31.) *in uno vocat, Auguſtinus, Religionem communem vitam, in alio Monaſterium, ſuperius autem vocat eam ſanctam ſocietatem. Et ſic per tria nomina deſignantur quæ pertinent ad tria vota. Dicitur enim ſancta ſocietas contra immunditiam, Communis vita contra proprietatem. Monaſterium, quod eſt Monachorum ſtatio propter obedientiam.*

X. Ex recentibus Theologis unum pro pluribus laudare ſufficiat Caramuelem, qui in Theologia Regularium hæc ſcribit (num. 631.) *Quam periculoſe ſe fallunt, qui exiſtimant ex vi voti non teneri ad vitam communu-*

Digitized by Google

munem; eo quod tempore ſuæ profeſſionis non ſervabatur in Monaſterio, cum intentio non differat ab expreſſione verborum.

XI. Ultimo tandem adjicio, plures Regulares utriuſque ſexus poſt promulgationem Conſtitutionum Summorum Pontificum Clementis VIII. & Innoc. XII. ut vanis Commentis, fallaciis, & laxitatibus quoquoverſum aditum præcluderent, expreſſe vovere vitam communem. Ipſe teſtis ſum in pluribus Provinciis Ord. Præd. votum paupertatis expreſſa exactæ Communitatis conditione emitti. Pater Oliverius ejuſdem Ordinis Vir eximia pietate inſignis, qui in Conventu S. Birgittæ prope Neapolim abhinc quadraginta annos officio fungitur educandi pro tota Provincia Regni Novitios, quos *Simplices* vocant, mihi teſtatus eſt, neminem unquam ad profeſſionem ſe admiſiſſe, quin expreſſe voverit vitam communem. Eadem in Provincia Apuliæ, aliiſque, conſuetudo obtinet. Idipſum quoque adfirmat Franciſcus Ramirez Archiepiſcopus Brunduſinus in ſuo de vita communi Opuſculo de aliis Regularibus, & Monialibus. Neque ob id novo aliquo onere ſeſe obſtringunt; ſed clarioribus tantum verbis ſuam exprimunt profeſſionem, quemadmodum præceptum Eccleſiaſticum vitæ communis, quod omnes admittunt, nil aliud eſt, mea quidem ſententia, quam intimæ voti paupertatis obligationis expreſſior declaratio.

CAPUT QUARTUM.

Sophiſmata, & Commenta adverſus doctrinam traditam.

I. INtegra quarta diſſertatio tota occupabitur in diſpellendis objectionibus contra debitum vitæ communis, & in peculiorum favorem excogitatis. Quoniam vero doctrina, ſeu in præcedenti capite tradita ſententia, cum non ſit inter Theologos communis, neque communibus ſubjacet incommodis, ſed peculiaribus difficultatibus impeti ſolet, iccirco opportune viſum eſt, eaſdem hoc in capite refellere. Siquidem & juris, & facti veritate coacti non pauci concedunt, & concedere deberent omnes, Regulares voventes paupertatem, vovere bonorum Communionem; ſubdunt tamen quidam haudquaquam hinc conſequi in cœnobiis collapſæ diſciplinæ vitæ communis obſervantiæ obnoxios eſſe Regulares, quamvis eandem voverint.

Primum autem Commentum, quod opponunt, eſt conſuetudo longæva, & immemorabilis, quæ in eorum Cœnobiis obtinet non ſervandi vitam communem, quam vovent. Quam conſuetudinem legitimam reputant ob temporis diuturnitatem, & ob Prælatorum tacitum conſenſum. Laudata diſſertatione quarta, capite quarto nullam obtinere conſuetudinem contra communem vitam, & peculio Monachali faventem, evincam, quamvis vitæ communis debitum & peculii prohibitio vi ſolius præcepti Eccleſiaſtici

ſtici invecta eſſent ; cum quod omnes conditiones ad veram conſuetudinem neceſſariæ, etiam in ea, quæ conſuetudini ſubjecta eſt, materia deficiunt: tum quod communis vita reipſa inſtrumentum eſt, ita cum voto connexum, ut ſine illo vix, ac ne vix quidem voti obſervantia conſiſtere queat. Quare Communitatis præceptum abſolutum non eſt, ſed, ſi ita loqui fas eſt, relativum, quod voti integritatem unice ſpectat; & ut votum, ita neque præceptum cum voto conjunctum ulli eſt præſcriptioni obnoxium. Hæc omnia & plura alia ad veram conſuetudinem neceſſaria loco laudato pro dignitate expendam. Nunc conſuetudinem, quam adverſus votum ipſum opponunt, unanimi Theologorum conſenſione rejicio. Quoniam votum communis vitæ, juris Divini cum ſit, nulla conſuetudine contraria vel abrogari, vel relaxari valet. Quod ne veritatem apertiſſimam, diſputando dubiam efficiam, Theologorum argumenta, quibus id evincunt, ſilentio prætereo, & ad id, quod repetunt, accedo.

II. Opponunt itaque ſecundo, nullam ſcilicet conſuetudinem contra legem, aut naturalem, aut Divinam prævalere, nec votum recta aggredi, vel infirmare quoquo modo poſſe; ſed materia, inquiunt, ipſius voti, conſuetudine mutari valet. Votum immobile, firmumque ſtat nulli obnoxium viciſſitudini; ſecus vero materia, quæ voto ſubjacet. Sit voti materiæ communis vita cujuſque peculii expers a Regulis Monachalibus præſcripta. Conſuetudo tamen efficere poteſt, ut rerum Communitas, ut privatio peculii, quæ olim erant, nunc non ſint paupertatis materia. Quod argumentum refert Paſſerinus (Tom. 1. de ſtat. q. 186. art. 8. Inſpect. 3. num. 166.)

III. Non ſatis laudare eos valeo, qui de rebus ad ſalutis noſtræ negotium nullo modo attinentibus, in utramque partem æquabili animo diſputant: quemadmodum contra vix perferre eos poſſum, qui in ſimilium quæſtionum diſceptatione, quarum nec ignoratio, nec ſcientia, aut incommodi, aut utilitatis multum parit, animo adeo concitato diſputant, ac ſi pro aris & focis pugnarent, aliorum placita vellicant, carpunt, criminanturque, atque in Auctores ipſos ſæpiuſcule maledicta diſtringunt. Ecquid eſt, quod tantum commotionis perciere debeat, cum, ſalvis omnibus, alterutram partem quiſque propugnare valeat? Verum enimvero cum Religionis ſacramenta, pacta, promiſſa, & vota, quæ hominum ſocietatem, Deumque inter & homines commercium fovent amphibologiis circumveniri, & in diſcrimen adduci conſpicimus, piaculum eſſet non commoveri, zelumque non ſuccendi. Non eſt ergo quod iraſci mihi quiſquam jure poſſit, ſi productam objectionem inter putida ſophiſmata, & erronea Commenta amandaverim. Nulli viciſſitudini votum obnoxium eſt, ſecus ipſius voti materia? Nulla conſuetudo voti violationem licitam conſtituere valet. At conſuetudo materiam ſemel voto conſecratam licite mutare, reſtringere, & minuere poteſt? Si hoc paradoxum non eſt, quodnam erit? Ecquid eſt per Numinum fidem ſacra

voco-

votorum jura infringere, niſi victimas jam votorum vi Deo immolatas ſubducere, aut mutare, aut imminuere? Quinimo qua alia via, quove cuniculo poſſibilis eſt voti violatio, niſi earum rerum defraudatione, aut detractione, quæ voto Deo nuncupatæ erant? Ubi iſthic ingenuitas, ubi ſinceritas, ubi bona illa & ſimplex fides, quæ in pactis, quæ in promiſſis, quæve in votis perſolvendis potiſſimum deſideratur, vel ab ipſis Ethnicis & barbaris? Staretne integra promiſſio centum aureorum, ſi variata materia, vel octoginta tantum, vel centum ſolidos redderes? Conſiſteretne caſtitatis votum, ſi uxoris privationi ſubſtitueretur Matrimonii uſus? Minime gentium, inquiunt, eo quod caſtitas ſuos habeat a natura limites definitos. Quid inde? quamvis paupertas ſuapte natura latius effundatur, ſi ſemel per Regulas Monachales infra perfectæ Communitatis cancellos circumſcribitur, non minus hæc, quam illa determinata & invariabilis conſtituitur. Aſſignent ipſi, ſi queunt, modum aliquem, quo poſſit aut promiſſum, aut votum violari citra rei promiſſæ vel in totum, aut in partem ſubtractionem.

IV. At ut confictum ſophiſma funditus corruat, duplicem modum, quo iſtius materiæ variatio contingere poteſt, diſtinguo. Neque admonendum exiſtimo, in præſentia ſermonem eſſe de materia, quæ jam per legem ſit voto ſubjecta, quoniam voventem pro ſuo arbitratu poſſe abſolute modo unam, modo aliam vovere materiam, nimis eſt exploratum. Iſtius itaque materiæ mutatio dupliciter contingere poteſt, vel ante, vel poſt votum emiſſum. Puta: expreſſe voviſti Communitatem ad Regulam vel Auguſtini, vel Benedicti quodlibet peculium excludentem. Emiſſo voto tractu temporis loco communitatis votæ peculium tibi aſſumis. Hac in hypotheſi quis inficias ire auſus fuerit te violati voti reum eſse? Aut hæc materiæ variatio ante emiſsum votum evenire valet, quod ut clarius *explicetur*, prolixitatis vitio mihi vertas nolim, ſi fuſius expenderim id, quod adverſarii ſummopere amplificant, & fuco mirum in modum illudente, atque decipiente obtegunt.

V. Objiciunt itaque tertio ſe ab adimpletione communis vitæ immunes eſse, quod non aliter eam ſervandi votum emiſerint, ac eo modo, quo tempore profeſſionis ſuæ cæteri Fratres obſervabant. Illi autem, pulſa bonorum communione, ſuos annuarios redditus, ſuaſque peculiares habebant crumenas. Ad hujuſmodi conſuetudinis, inquiunt, quam vidimus vigere, formam, votum nuncupavimus, quod cum ultra voventis intentionem non protendatur, planum eſt, nos ab onere communis vitæ exemptos eſse. Ex quo liquet, ante voti nuncupationem, vi conſuetudinis materiam variatam eſse. Idque auctoritate confirmant plurium Scriptorum docentium illos, qui ſe ſervaturos jurant decreta, regulas, ſtatuta alicujus Congregationis, Univerſitatis, vel Capituli, ad ea ſolum ſervanda teneri, quæ ſunt in uſu, & a majori parte obſervantur; ſecus cætera, quæ jam obſolevere.

VI. Si

Digitized by Google

VI. Si quanta iſti ſubtilitate proponunt, tanta ego perſpicuitate valerem excogitatum ſophiſma diſpellere, dubio procul odii, & horroris plenum evincerem. Ut autem pro viribus ab imis illud ſuffodiam, modo ſub uno, modo ſub altero aſpectu excutiam, ut omni ex parte falſitas ſitco obtecta erumpat, & undiqueverſum penitus corruat. Atque in primis recordari juvat Legem, quam Sacer Prædicatorum Ordo rogavit, ut huic ineptæ excuſationi aditum omnem præcluderet. Statuit enim ſeveriſſimo Decreto Candidatos, antequam profeſſionem edant, a Prælato monendos eſſe, quod eorum tria vota obligabunt non ſecundum morem, aut conſuetudinem, aut abuſus in dies gliſcentes, ſed ſecundum Regulam Divi Auguſtini, & Conſtitutiones Fratrum Prædicatorum. (Diſt. 1. cap. 14. tex. 10.) *Proteſtetur eidem quod ſua Profeſſio eundem obligabit ad tria vota, paupertatis videlicet, caſtitatis, & obedientiæ ſecundum Regulam Beati Auguſtini, & Inſtitutiones Fratrum Prædicatorum, & non ſecundum quod hic, vel alibi hodie vivitur.* Lex iſta & votum paupertatis non abſolute, & ſub quadam metaphyſica abſtractione, ut ex plurium definitione Summiſtarum infertur, ſed juxta Regulam emitti, & nulla oppoſita conſuetudine immutari quoquo modo decernit. Verum his miſſis, ut recta adverſarios aggrediar, huic inſiſto viæ. Aut eo in Cœnobio, in quo profeſſi ſunt vitam Communem, obſervabant cæteri Fratres, aut ſecus. Primum ſi fatentur, & alterum fateantur oportet, ſe videlicet vi voti ad vitam teneri communem, quoniam voverunt exequi ut ab aliis obſervari viderunt. Servabant alii, ſervent igitur & ipſi. Secundum ſi aſſerunt, ſe nempe ſpectaſſe cæteros Fratres vitam communem minime ſervare, ſed peculia & cenſus tenere, & juxta eorumdem morem votum nuncupaſſe, jam ego legitime infero: Ergo votum ea intentione edidere, non vitam ſervandi communem, ſed peculium habendi: Ergo voverunt vivere, non ſecundum, ſed contra regulam. Quo dato, quem fugit hanc, non ſacram promiſſionem, ſed impiam irriſionem, non Religioſæ Profeſſionis ſacrificium, ſed ſacrilegam fraudem, non denique pium votum, ſed audax effronſque facinus in Deum, in Eccleſiam, in Divos injurioſum, atque Religionis ſinceritati, & veritati adverſum, & exitiale?

VII. Porro ne cujuſque exaggerationis ſuſpicio oriatur, ſub clariore lumine rem totam pandam. Quod ut perficiam altius, & originem & indolem iſtius conſuetudinis repetere expedit. Non tenentur ergo Regulares ad vitam communem, quod juxta oppoſitam peculiorum conſuetudinem tempore profeſſionis obtinentem, paupertatis votum ediderunt? Inquiro nunc ego, quandonam iſthæc conſuetudo ſua jecerit primordia? Siquidem tamquam certum ſtatuere debemus ſanctos Religionum Fundatores, cæteroſque Fratres ſub initium ſaltem Ordinis votum paupertatis ad Regulæ præſcriptum & emiſiſſe & obſervaſſe. Ita ut materia iſtius voti tunc fuerit rerum omnium perfecta communitas, cujus obſervantia mirum in modum efflorebat. Hanc propoſitionem ultro admittunt adverſa-

rii,

rii, quorum argumentum omnino fundatur in materiæ immutatione per conſuetudinem contra & Regulam & votum invecta. Quibus conſtitutis hoc pacto diſſero. Negari minime poteſt, imo nec in dubium revocari quin primi, qui contra obſervantiam Communitatis voto conſecratæ peculia induxerunt, votum tranſgreſſi enormiter fuerint. Cur autem iſti tranſgreſſi ſunt votum? Non certe alia ratione, niſi quod præfinitam & a voto, & a regula materiam variarunt communitati peculia ſubſtituentes. Ergo conſuetudo variandi materiam voto ſubjectam eſt conſuetudo violandi votum; immo nulla alia via votum infringi poteſt, niſi victimarum per votum promiſſarum immutatione ſeu defraudatione. Atqui conſuetudo violandi votum, nulla temporis diuturnitate, omnibus fatentibus, nec a culpa purgari, nec licita conſtitui valet. Ergo neque conſuetudo immutandi materiam a lege præſcriptam. Ergo ſi primi peccarunt, peccarunt & ſucceſſores; Ergo & poſtremi. Ergo qui vovere intendunt paupertatem, ſeu vitam communem juxta recentem peculiorum morem, votum ſuum non ad legitimam conſuetudinem, ſed ad putidum abuſum, & ſacrilegam tranſgreſſionem conformant. Quæ ſane intentio non magis illis prodeſt, quam prodeſſet illi, qui ſequens votum emitteret. Voveo virginitatem, non alia intentione, quam ſervandi illam prout video ſervari ab uxoratis Filios procreantibus. Perbelle rem totam declarat, vel ipſe Caramuel, cujus auctoritas eo majoris momenti eſſe debet, quo eſt a cujuſque ſeveritatis ſuſpicione remotior. Is autem (Theolog. Regul. Diſp. 48. art. 1. num. 631.) hæc ſcribit. *Ex prædictis omnino clarum evadit quam periculoſe illi ſe fallant, qui cum in ſua profeſſione Deo voverint converſionem morum ſuorum, & ſecundum Regulam S. Benedicti, exiſtimant tamen ſe ex voto ſuo non obligari ad vitam communem, quia illo tempore profeſſionis ſuæ non ſervabatur in Monaſterio; & quia non intendebant (ut putant) ſe ad aliud obligare vi voti, quam ad id, quod videbant in Monaſterio obſervari. Cum enim in iis, quæ claris & ſpecialibus verbis deliberateque prolatis vovent, non differat intentio ab expreſſione verborum, clarum eſt omnes dictos Religioſos intendiſſe Deo vovere quod verbis expreſſerunt. Multitudo autem peccantium & violantium votum ſuum, neminem a peccato excuſat. Similes autem ſunt tales Religioſi illis conjugibus, qui putant ſe non violare fidem uxori promiſſam, ſi cum aliis mulieribus congrediantur, eo quod plures conjuges ſui pagi, vel oppidi adulteri ſint, aut iis, qui putant ſe non perjuros eſſe dum jurant ſe non ſimoniace obtinuiſſe beneficium, quod ſimoniace acquiſierunt, propterea quod illi inter quos habitant ſimili ſimonia pervenerunt ad beneficium, & ſimiliter perjuri ſunt.*

VIII. Ea vero, quæ in confirmationem objectionis adducunt, inepta prorſus ſunt & futilia, nullamque cum re, qua de agimus, connexionem habent; & qui illa objectant neque voti paupertatis indolem, neque Theologorum ſententiam, quam opponunt, ullo modo tenent. Docent

Digitized by Google

Theologi jurantes ſtatuta Collegiorum, Univerſitatis, & Magiſtratuum ad ea dumtaxat teneri, quæ in uſu ſunt; tum quod cætera juſta, & legitima conſuetudine obſoleta reputant, utpote ab humana auctoritate prodeuntia, tum quod juramentum ſuam habet congruam materiam veritatis; illa nempe ſtatuta, quorum obſervantia floret, quoniam ſtatuta iſta, non ita ſunt connexa, ut obſervantia unius pendeat ab obſervantia alterius: Tum denique quod ſtatuta illa neque conſtituunt ſtatum aliquem jurantis, neque ad eundem perficiendum referuntur. Quæ rationes nullo modo aptari queunt cauſſæ noſtræ. Et, ut a prima auſpicemur, jam demonſtratum eſt, neque materiam, neque votum paupertatis, juris Divini cum ſit, conſuetudine aliqua mutari poſſe. Præterquamquod etiamſi profeſſio communitatis monaſticæ conſuetudini obnoxia foret, neque ex hoc quidquam præſidii nanciſcerentur adverſarii, eo quod conditiones omnes deficiunt ad veram conſuetudinem neceſſariæ, maxime vero conſenſus Eccleſiæ ſacrorum Canonum voce reclamantis, ut ſuo loco palam fiet. Et hæc ſola diſcriminis ratio ſatis eſſet ad retundendam inaniſſimam paritatem. Deinceps accedit quod votum paupertatis neque plures habet diſparatas materias, neque indefinitam, quemadmodum juramentum laudatum plura & diſparata reſpicit ſtatuta. Quod ſi unicum ſtatutum foret materia juramenti, ſicuti unica eſt voti paupertatis materia, certo orbe concluſa, tunc jurantes ad obſervantiam determinati ſtatuti profecto tenerentur; alioqui juramentum irriſorium eſſet, & perjurium ex materiæ defectu. Poſtremo latiſſimum diſcrimen eſt, quod ſtatuta & decreta Univerſitatis & Magiſtratuum non conſtituunt jurantes in aliquo perfectionis ſtatu, qui immutabilitatem præferat. Vota autem Religionis ſolemnia ad perfectionem attinent profitentium, eoſque ad firmum divinumque ſtatum extollunt. Porro qui aliquem ſtatum profitentur, ad omnia illi ſtatui adnexa & connexa adſtringuntur. Vita autem communis vel ipſius ſtatus eſſentiam ingreditur, vel eidem annexa eſt. Quemadmodum, qui uxorem ducit, ad omnia ſtatui matrimoniali annexa tenetur. Neque hujuſmodi ſtatus aſſumentes liberi ſunt, ut valeant ſe ad unum, ſecus ad alterum obligare; alioqui uxores ducentes poſſent contractum inire ſolum tempore juventutis, aut ſanitatis duraturum; & profitentes Religionem unum emittere, cætera vota relinquere. Et quanquam intentionem haberent ſe minime ad ea, quæ ſtatum conſequuntur, obligandi, non ideo tamen fides eis danda foret: *Si enim* (inquit Cardinalis Cajetanus 2. 2. quæſt. 88. art. 1.) *de proprio animo contrario publicis factis & dictis a ſe, fides danda eſſet jurantis, quotidie Matrimonia diſſolverentur, Sacerdotes fierent laici, & omnis humana & Eccleſiaſtica converſatio deſtrueretur.* Nec quidquam ſuffragii eis afferret pravus animus, quoniam eo ipſo, quod intentionem habent aſſumendi ſtatum Religionis, intentionem habeant oportet, ea omnia adimplendi, quæ, non relaxatio invexit, ſed quæ regula illius ſtatus præcipit, ſicuti communiter docent Theologi, quos in-

ter

Digitized by Google

ter Pater Lezana De Regularibus (cap. 7. num. 16.) *Quando in aliqua Religione Regula fuit deformata, & relaxata quoad vota, tenentur Regulares illam ſervare non ſic deformatam & relaxatam, ſed in ſuo priſtino vigore: quia quamvis Religioſi illam profitentes non habuerint intentionem expreſſam profitendi, & ſe obligandi ad illam, niſi prout ſic relaxatam & deformatam; quia tamen habuerunt intentionem expreſſam profitendi ſtatum Religioſum, & ſtatus Religioſus includat eſſentialiter obſervantiam votorum; ideo virtualiter & implicite habuerunt intentionem ſe obligandi ad vota, & ad regulam integram. Sicut ſuſcipiens* Ordinem *ſacrum, quamvis non intendat ſe obligare ad caſtitatem, manet tamen obligatus ex vi talis ſtatus, eo quod eſt illi votum caſtitatis annexum.*

CAPUT QUINTUM.

Peculii Monaſtici notiones, atque ad ejus licitum uſum conditiones, quas præſcribunt Theologi, recenſentur, & quibuſdam animadverſionibus explicantur.

1. QUoniam frequens Monaſtici peculii, cum in hac, tum in ſequentibus Diſſertationibus ſermo recurrere debet, non minus ac ipſiuſmet Communitatis, congruum atque conſentaneum eſt, ut quemadmodum iſtius indolem hactenus delineavimus, ita quoque illius notionem nunc exhibeamus. Et ut ab iis, quæ omnibus pervia ſunt, auſpicemur, peculium dicitur puſilla pecunia, ſive quaſi parvum pecus, quod veteres in pecoribus ſua bona habebant. Peculium itaque communiter deſcribitur quod ſit *parvum patrimonium a magno Domini patrimonio ſeparatum*. Peculium iſtud in varias tribuunt ſpecies, videlicet in *Caſtrenſe*, *quaſi Caſtrenſe*, *adventitium & profectitium*. Religioſus nullo dominio cum polleat, incapax quoque eſt peculii ſive caſtrenſis, ſive quaſi caſtrenſis, ſive adventitii. Ut vero Regularium peculii clarior habeatur notio, animadvertendum ſummopere eſt, non quamcumque bonorum conceſſionem peculium nuncupari poſſe. Peculium namque preſſe acceptum bona immobilia, fundos frugiferos, annuarios reditus ex pecunia ad cenſum expoſita perceptos, vel aliunde obvenientes includit. Non negaverim tamen, quin fateor; peculium quoque conflari poſſe ex bonis mobilibus, quæ ad tempus indefinitum uſuſque incertos impertiuntur, quæve ex communi penu non conferuntur, ſed propria induſtria comparantur. Qua de cauſſa peculium merito nuncupamus parvum patrimonium a magno, & communi Domini patrimonio ſeparatum. Contra vero, quæ ex communibus bonis ſuppeditantur pro victu & veſtitu, & omnia, quæ ſub iſtorum nominum ſignificatu veniunt, quoties indigentia occurrit, a peculii ſpecie perquam longe abſunt. Aliter non eſſet filius, non Religioſus, qui

Digitized by Google

peculium non haberet. Illi itaque Religioſi peculium habere dicuntur; qui fundos frugiferos, qui annuos redditus, aut propriorum laborum mercedem, aliaque lucra, ſive propria induſtria parta, ſive aliunde obvenientia, adſervant, licet in communi ærario, proprio obſignata nomine & impermixta collocentur.

II. Peculii notione paucis expoſita, conditiones, quas pro illius honeſto uſu Theologi, & Canoniſtæ unanimi conſenſione obſervandas præſcribunt, recenſentur. Prima eſt, quod Regulares non teneant peculium iſtud tamquam proprium, & veluti Domini, ſed ad purum uſum facti. Secunda, quod licentia Prælati vel expreſſa, vel tacita accedat, Tertia: hæc licentia, ſeu conceſſio juſta tantum de cauſſa impertiri debet. Quarta: peculium iſtud cum Patrimonio communi incorporatum eſſe debet. Quinta, quod ad ſuperioris nutum, & arbitrium revocabile ſit. Sexta: quantitas hujus peculii ſtatui religioſæ paupertatis reſpondere debet, nihilque ſuperflui elucear. Septima: eo peculio uti nequeunt in uſus vanos, ſuperfluoś, illicitos, turpeſque, ſed ſolum in uſus neceſſarios, pios & ſtatui Religioſo conſentaneos. Octava: peculium hocce, non penes Religioſum, ſed in communi ærario conſervetur, ut a publicis Miniſtris expendatur. Nona: quoties Religioſus peculiari indigentia premitur, eam Prælato ſuo pateſacere debet, ut ille Miniſtro jubeat, illius rei, qua indiget, proviſionem; & indigentia ceſsante, quod ſupereſt peculii in communes omnium uſus converti debet. Decima tandem: Religioſi habentes peculium ſincero animo parati ſint oportet ad illud ex Prælati arbitrio deponendum. Inſuper communitati invehendæ, non modo refragari nequeunt, ſed proni ad illam ſuſcipiendam & expediti eſse debent, & pro viribus, ut eorum fert conditio, adlaborare & cooperari tenentur, ut, pulſis peculiis, exacta rerum communitas introducatur.

III. Hæc ſunt pro licito peculii Monaſtici uſu conditiones, quas communiter præſcribunt Theologi, quarumve obſervantia longe difficilior eſt, quam perfectæ executio communitatis. Eapropter maxima rapior admiratione, cum impoſſibilitatem vitæ communis obtrudi audio, ut peculiorum uſus propugnetur, ac ſi facile eſset cum paupertatis voto peculii uſum conſociare. Iſtarum conditionum infra ſæpius recurret ſermo, & ex earum neglectu & tranſgreſſione, proprietatis crimine infectos non paucos demonſtrabimus. In præſentia breves quaſdam animadverſiones in eaſdem exhibebimus.

IV. Ad primam quod attinet conditionem, omnes facillime oretenus enunciant, nullum habere ſuorum bonorum dominium, ſive proprietatem, ſed merum uſum facti. Verum an reipſa hocce dominium, ſeu effectus, & prærogativæ dominii vere ab eis exulent, nimis incertum. Imo ſi ad liberum pecuniarum in ludis, in ædificiis peculiaribus, in contractibus, in ſplendido ornatu uſum, convertimus oculos, aliud præſumendi argumenta occurrunt, parumque in re, eos inter, & veros dominos, diſcri-

minis

Digitized by Google

minis elucet. Quando autem verbis facta contraria ſunt, his, non illis præſumtio favet. Licentiam Prælatorum, quam ſecunda conditio requirit, vix unquam expreſsam poſcunt, imo conſuetudinem jactant, eos ab hoc petendi onere eximentem; quare ex tacita & præſumpta, bona diſtrahunt, & accipiunt. Ut ſuorum nummorum, aliorumque bonorum retentionem excuſent, ſe illa habere de licentia Superiorum inclamant. Cum vero de iſtius licentiæ petendæ debito recurrit occaſio, vi contrariæ conſuetudinis debitum talis petitionis antiquatum eſse contendunt, ut reipſa tandem ceu veri domini de rebus ſuis diſponere valeant. Tertia conditio merito poſtulat, ut hæc licentia juſta tantum de cauſsa concedatur. Cæterum ut debitum impertiendi licentiam ſine petitione, ita ratio juſtæ conceſſionis in conſuetudinis jus jam tranſiit; quamquam cum Theologi, tum Canoniſtæ ſolam neceſſitatem alendæ vitæ juſtam eſse cauſsam, affirment uſum peculii concedendi; quæ neceſſitas, vel in negligentia Prælatorum, vel in Cœnobiorum paupertate fundatur, cum videlicet Cœnobia ob patrimonii tenuitatem ſubditorum indigentiis ſuccurrere nequeunt; Tametſi Cœnobia, ſi quæ ſunt, tanta penuria oppreſsa, non ſine fundamento vereor, ne Religioſorum culpa id contingat. Quoniam & experientia & Scriptura ſancta teſte didicimus regularem obſervantiam ditiſſimum eſse patrimonium Religioſorum. *Multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* (Tob. 4.) Quod confirmat David Propheta. *Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, & ſemen ejus quærens panem.* (Pſ. 36.) Incorporationem, quam vocant peculii cum patrimonio communi, ejuſdemque ad nutum Superioris revocabilitatem, ſicuti quarta & quinta conditiones præſcribunt, in executione vix unquam reperiri, grave adeſt dubitandi fundamentum. Incorporatio, ſeu permiſſio hæc dominium ſeu proprietatem excludit, minime vero uſum facti ſingulari perſonæ appropriarum, ut ipſi dicunt. Revocabilitas in Prælato poteſtatem prodit peculium ad libitum auferendi, illudque cum cæteris bonis permiſcendi, quoties ſibi bene viſum fuerit; in ſubditis vero promtitudinem animi præfert ſeſe ad Prælati voluntatem conformandi. Hæc tamen nec reſpectu Prælatorum, nec reſpectu ſubditorum vix unquam in actum prodeunt, ſed in profundo ſolius capacitatis ſinu latitant.

V. An poſtea obſervent ſextam & ſeptimam conditiones, quæ & præfinitam & tenuem peculii quantitatem humili Religioſorum ſtatui, & indigentiæ conſentaneam præſcribunt, inde colligere quiſque valet, quod alii decem, alii quinquaginta, alii centum, alii ducenta ſcuta, præter lucra propria induſtria parta, plus minuſve, prout ſors propitia fuerit, pro peculio habent. In qua magna, & ſæpius maxima inæqualitate inter obſtrictos eodem voto, non unum, ſed plura vitia occluduntur. Quod exinde non ad ſolos uſus neceſſarios, & pios peculio utantur, horologia argentea, cubiculorum pluralitas, picturarum varietas, aulæorum apparatus,

ratus, ludorum frequens exercitium teſtari poſſunt. Et ſi de Eccleſiaſtico ſæculari ſcribit D. Bernardus (epiſt. ad Ful.) *Quidquid præter neceſſarium victum, & veſtitum retines de altari, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Quid de Monacho, quid de Fratre mendicante voto paupertatis devincto dicendum erit? Crumenæ autem, quas communiter penes ſe retinent, & quotidiana pecuniæ diſtractio, & commutatio, octavam & nonam conditiones explodunt.

VI. Decima tandem conditio ita uſum iſtius peculii permittit, ut eo utentes, non modo parati ſint, & expediti ad illud abigendum, vitamque communem ſuſcipiendam Prælato imperante, verum etiam conatus ſuos exerere tenentur, ut, pulſis peculiis privatis, rerum communitas introducatur. Quam conditionem maxime tum Theologi, cum Canoniſtæ inculcant. Quid porro? An ne ſincero deſiderio flagrant communitatis, & Superiores & ſubditi illi, qui tot Conciliorum Decretis, tot Pontificum Conſtitutionibus reluctati ſunt, & in dies reluctantur, modo ementitam Cœnobiorum egeſtatem, nunc ſubditorum veram contumaciam, modo alios inanes futileſque prætextus obtrudentes? Verum de his fuſius ſuo loco. Nunc ex his paucis, ſatis ſuperque liquet longe difficiliorem eſſe, ut jam dixi, iſtarum conditionum executionem ſinceram, quam ſit communitatis obſervantia. Meminerint autem non voce, ſed opere haſce conditiones implendas eſſe, ſi proprietaris crimen evitare velint. *Renunciare profeſſi eſtis, non ſolum vocibus, ſed etiam moribus, non tantum ſono linguæ, ſed & actu vitæ, nec tantum labiis ſonantibus, ſed operibus pronunciantibus.* (Auguſt. de Symb. ad Catechum.)

CAPUT SEXTUM.

Communis vita in Apoſtolico Collegio orta in Monachorum & Regularium Cœnobia commigravit.

I. NOtionibus explicatis Monaſticæ paupertatis, communitatis, & peculii, quæ materiam controverſiæ principalis conſtituunt, ad id nunc, quod caput eſt, diſcutiendum accedimus; communem ſcilicet vitam ab Apoſtolis in Monachos, & Regulares demigraſſe: Eandem Patriarchas Sacrorum Ordinum Inſtitutores in ſuis Regulis præcepiſſe, Concilia & Pontifices Summos repetitis Decretis & Conſtitutionibus confirmaſſe. Hæc omnia ſigillatim, & per diſtincta capita pro rei dignitate oſtendam. In præſentia perennem dumtaxat iſtius communitatis ab Apoſtolis in Monachos ſucceſſionem paucis expediam. Nec enim multis opus eſt, ut id demonſtrem, quod iis omnibus, qui vel primoribus labiis Monaſticam deguſtarunt hiſtoriam, exploratum eſt, atque compertum.

II. Quamvis in Veteri Teſtamento figuræ, & præſagia quædam ſtatus Monachalis extiterint, nulla tamen vera Monachiſmi forma Chriſti adven-

Digitized by Google

venturi præceſſit. Primum iſtius ſtatus exemplar in Apoſtolorum, aliorumque fidelium cœtu præfulſit. Quoniam non aliam Monachi & Regulares perfectionis imaginem anhelant, niſi illam, quam Chriſtus ipſe imitandam conſulit, & penicillo proprio venarum ſanguine tincto depinxit, quamve ejus diſcipuli omnes in ſemetipſis vivis coloribus expreſſam referebant. Duobus ſiquidem primis Eccleſiæ Catholicæ ſæculis, cum adhuc incalebat Jeſu Chriſti cruor, ſplendebat recens credentium fides, ardebat charitatis Divinæ ignis, univerſus populus Chriſtianus unam efformabat Sanctorum Congregationem, in qua omnigenarum virtutum ſplendor elucebat. Aſt proh dolor! Evoluta aureæ ætatis ſæculorum ſerie dies boni defecere, obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, elanguit fides, charitas refriguit, Crux Chriſti vel ipſis Chriſtianis vileſcere cœpit, eorumque animos tepor, ſegnities, deliciarumque amor occupaverunt. Amariſſimas fundebant lacrymas ii pauci, in quibus Evangelicæ perfectionis zelus haud erat extinctus, & ne totus Iſrael periret, de ſalvandis reliquiis iniere conſilium. Aſpectantes enim viri Dei laxitatum, vitiorum, ſcelerumque colluvionem quoquoverſum graſſari, Evangelica mandata, nedum conſilia, obſoleſcere; ut aliquam ſaltem Chriſtianæ perfectionis imaginem ſartam rectam tuerentur, ad montes & ſylvas eam attulerunt. Nuncio igitur Civitatibus remiſſo, ab hominum contubernio ſejuncti deſerta, & ſpeluncas incolere, ibique alii Cœnobiticam, alii Eremiticam vitam ducere auſpicati ſunt. Primi autem Auctores, qui tam præclarum facinus aggreſſi ſunt, ut tranſmittamus Nazaræorum, Reccabitarum, Eſſænorum, idque genus aliorum inſtituta, quæ rudimenta potius Monachiſmi dicenda videntur, fuerunt Paulus, & Antonius, qui duo Monachorum genera in Ægypto inſtituere: alterum Eremitarum ſeorſim ſine Præfecto degentium: Cœnobitarum alterum in unam coeuntium Societatem ſub uno Præpoſito. Paſſim tamen miſcebantur, itaut ex Eremo in Cœnobium, & viciſſim ex Cœnobio in ſolitudinem remearent. Temporis decurſu periculoſiore deprehenſa Eremitarum vita, prævalere cœpit Cœnobitica, atque præ illa mirum in modum celebrari, præſertim poſt S. Pachomii Regulam, quam dictante Angelo ſcripſit, quamve latinitate donavit S. Hieronymus. Non diu intra Ægypti limites ſubſtitit Monaſtica Inſtitutio, ſed inde egreſſa in omnes fere terras ſeſe diffudit. Hilarion Antonii Magni Diſcipulus ex Ægypto in Syriam, Baſilius pariter Magnus in Pontum, Aſiamque minorem hanc diſciplinam tranſtulerunt, & aliorum opere idem Inſtitutum in Æthiopiam, Perſidem, & Indiam penetravit. Porro cum ex Ægypto, tum ex Syria in Italiam conceſſit. Siquidem illico ac S. Athanaſius Romam pervenit, vita S. Antonii a ſe ſcripta, publici juris facta, plurimos ad Monaſticam vitam inflammavit. Sanctus Iſaac Syrus in deſerto prope Spoletum Monachorum cœtum congregavit, quorum veſtigia etiamnum viſuntur. Plures enim vel hac noſtra ætate ſacram illam ſylvam frondoſis, ſemperque viridibus arboribus conſitam incolunt

Ere-

Eremitæ eximia pietate & exemplaritate viri, quorum hoſpitalitatis beneficium ipſemet expertus ſum, & ſanctitatem veneratus. At S. Euſebius Vercellenſis, non intra lucos, ſed in Eccleſiam ſuam Monaſticum tranſtulit Inſtitutum, & Clerum ſuum ad Monachorum Regulam reformavit. Non enim intra Monachorum Cœnobia Apoſtolica diſciplina ſeſe continuit, ſed Clericorum quoque ſæcularium cœtus pervaſit, ſeu potius hæreditario jure in eos deſcendit; ita ut ex ſuo fonte his duobus limpidiſſimis rivulis Clericorum, & Monachorum perenni ſucceſſione ad nos uſque pervenerit. Tempus tererem & Inſtituti mei limites tranſilirem, ſi propagationem iſtam per ſe manifeſtam ultra producerem. Satis quippe mihi eſt indicaſſe ab Apoſtolis Monaſticam vitam & profeſſionem originem duxiſſe, quod omnes ad unum teſtantur Patres. Hieronymus in vita S. Marci: *Talis*, inquit, *primo credentium fuit Eccleſia, quales nunc Monachi eſſe nituntur, & cupiunt, ut nihil unquam proprium ſit. Nullus inter eos dives, nullus pauper. Patrimonia egentibus dividuntur, ut orationi vacetur, & Pſalmis, doctrinæque & continentiæ, quales & Lucas refert primum Hieroſolymis fuiſſe credentes.*

III. Fuſius rem hanc deſcribit Caſſianus, ſive apud Caſſianum piiſſimus Abbas Pammon (collatione 18. cap. 5.) *Itaque Cœnobitarum diſciplina a tempore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium. Nam talis extitit in Hieroſolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apoſtolorum ita deſcribitur.* Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquod ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. *Talis, inquam, erat omnis Eccleſia, quales nunc perpaucos in Cœnobiis invenire difficile eſt. Sed cum poſt Apoſtolorum exceſſum tepeſcere cœpiſſet credentium multitudo, ea vel maxime, quæ ad fidem Chriſti de alienigenis, ac diverſis gentibus confluebat, a quibus Apoſtoli pro fidei rudimentis ac inveterata gentilitatis conſuetudine nihil amplius expetebant, niſi ut ab immolatitiis Idolorum & fornicatione & ſanguine & ſuffocatis temperarent; atque iſta libertas, quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta eſt, etiam illius Eccleſiæ, quæ Hieroſolymis conſiſtebat, perfectionem paulatim contaminare cœpiſſet, & creſcente quotidie vel indigenarum numero, vel advenarum primæ illius fidei refrigeſceret fervor, non ſolum hi, qui ad fidem Chriſti confluxerant; verum etiam illi, qui erant Eccleſiæ Principes ab illa diſtrictione laxati ſunt. Nonnulli enim exiſtimantes id, quod videbant gentibus pro infirmitate conceſſum, ſibi etiam licitum, nihil ſe detrimenti perpeti crediderunt, ſi cum ſubſtantiis ac facultatibus ſuis fidem Chriſti, confeſſionemque ſequerentur. Hi autem, quibus adhuc Apoſtolicus inerat fervor, memores illius priſtinæ perfectionis, diſcedentes a Civitatibus ſuis, illorumve conſortio, qui ſibi vel Eccleſiæ Dei remiſſioris vitæ negligentiam licitam eſſe credebant; locis ſuburbanis, ac ſecretioribus commanere, & ea, quæ ab Apoſtolis per univerſum corpus*

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ generaliter meminerunt inſtituta, privatim, ac peculiariter exercere cœperunt, atque ita invaluit iſta, quam diximus, diſcipulorum, qui ſe ab illorum contagio ſequeſtraverunt, diſciplina. Qui paulatim tempore procedente, ſegregati a credentium turbis, ab eo, quod a conjugiis abſtinerent, & a parentum ſe conſortio, mundique iſtius converſatione ſecernerent, Monachi, ... nominati ſunt. Unde conſequens fuit, ut ex communione conſortii Cœnobitæ, Cellæque ac diverſoria eorum Cœnobia vocarentur.

CAPUT SEPTIMUM.

Sancti Patriarchæ Auguſtinus, & Benedictus in ſuis Regulis vitam communem in Actibus Apoſtolorum deſcriptam ſub peccati mortalis pœna præcipiunt. Nonnulla præmittuntur de antiquitate Regulæ Auguſtinianæ.

I. DUas dumtaxat SS. Auguſtini, & Benedicti Regulas hoc in capite examinandas aſſumo, cum quod aliis omnibus ſunt celebriores, tum quod Monachorum & Regularium potior pars eaſdem profitetur. Cæteras vero ſequenti capite expendam. Priuſquam rem aggrediar, a lectore veniam peto, ut pauca & obiter de Auguſtini Regula præfari mihi liceat. Tres circumferuntur hujus Doctoris Regulæ, quarum ſola tertia, ceu genuinus illius fœtus habetur. Id autem quod acri contentione in controverſiam revocant periti Critici eſt: Utrum hæc tertia Regula deprompta ſit ex epiſtola 211. alias 109. ſanctimonialibus ſcripta: aut e contrario primum pro viris edita fuerit ab Auguſtino, & deinceps ab eodem ſenio confecto fœminis accommodata. Nimis longe & præter Inſtitutum meum orationem ducerem, ſi omnia pro dignitate, quæ in utramque partem diſputant eruditi, expendere vellem. Iccirco brevi manu utriuſque opinionis momenta perſtringam.

II. Plures, iique graviſſimi Critici, cum Eraſmo propugnant nullam D. Auguſtinum Regulam pro Clericis, ſive Monachis ſcriptis conſignaſſe, hoc præcipuo & fere unico argumento negante ducti, quod neque Auguſtinus in libris retractationum, nec Poſſidius in Indiculo, nec Concilium Turonenſe tertium, nec Cabilonenſe ſecundum iſtius Regulæ mentionem ullam fecerint. Alias leviores adjiciunt conjecturas, nempe plura hac in Regula contineri, quæ viris minus quadrant, cujuſmodi ſunt illa. *Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus .... Indumenta veſtra laventur ſive a vobis ſive a fullonibus .... Quicumque .... litteras ab aliquo acceperit*. Idque genus alia. Ex quibus inferunt nullam D. Auguſtinum Regulam viris ſcripſiſſe. Addunt autem: Octavo præter propter, ſæculo Benedictum Abbatem Ania-

Digitized by Google

nenſem Regulam in laudata epiſtola Sanctimonialibus ab Auguſtino ſcriptam viris accommodaſſe mutato tantum nominum genere, eumdemque Regulæ ſic accommodatæ hunc præfixiſſe titulum: *Ad Servos Dei*.

III. Hæc ſunt momenta eorum, qui hanc Regulam abjudicant Auguſtino, quæ nullo negotio elidere ſibi blandiuntur contrariæ ſententiæ Auctores. Ad primum ſiquidem, quod merum negativum vocant, ſic reſpondent, ſilentium Auguſtini & Poſſidii in locis laudatis nihil obſtare: quominus Regula hæc adjudicanda ſit Auguſtino, quandoquidem nec in Retractationum libris, nec in Indiculo Poſſidii omnia Auguſtini opera numerantur. Id aperte teſtatur vel ipſe Bellarminus in obſervatione ad ſextum Tomum operum D. Auguſtini, inquiens: *Tractatus de Stoicis & Epicureis, & tractatus in illud* Ego ſum qui ſum, *pulcherrimi ſunt & Auguſtino digniſſimi; neque mirum eſt non haberi hos tractatus in retractationibus, aut in Indiculo ... Poſſidius quoque non ſingulos tractatus in indicem redegit*. Quoniam ſubdit in Obſervatione ad Tomum ſeptimum. *Fieri poteſt, ut in tanto numero librorum, tum ipſe Auguſtinus, tum Poſſidius unius libelli oblitus fuerit*. Addunt, ambos Regulam omittere potuiſſe, eo quod non egeret ſpeciali recenſione Regula illa, quæ tot Clericorum & Monachorum manibus terebatur, & quæ ſemel in ſeptimana ſemper legenda erat. Laudata Concilia neque Baſilii, neque Pachomii Regularum mentionem fecerunt, nec propterea ſuis Auctoribus abjudicantur. Cæteras vero conjecturas ut futiles & reipſa inanes rejiciunt. Nam & veſtium lotionem præcipiunt & earundem vanitatem prohibent plures aliæ Patriarcharum Regulæ viris datæ. Clandeſtinam occultamque epiſtolarum acceptionem & munuſculorum, omnium Religionum Conſtitutiones vetant. Vel ipſe Eraſmus in ſua cenſura fatetur, nihil in hac Regula reperiri, quod æque viris, ac fœminis aptari non poſſit. Imo ad hoc quod attinet, forte potius aliquid eſſet, quod fœminis minus apte accomodari poſſet, quam viris, cujuſmodi eſt illud. *Sive qui cellario, ſive qui Codicibus præponuntur. Codices ſingulis diebus petantur*. Quodnam enim fœminis Commercium cum Bibliothecis & Codicibus? An ne pro colo, & fuſo Codices & volumina petere & volvere mulieribus quadrare videtur? Quod argumento eſt prius viris, Auguſtinum hanc Regulam ſcripſiſſe, deinceps ſenio confectum ſanctimonialibus eam accommodaſſe, & periocham illam incidenter irrepſiſſe.

IV. Quod autem res ita ſe habuerit evincere conantur iſtius ſententiæ fautores in primis, quod Adverſarii nullum præter Auguſtinum iſtius translationis Auctorem deſignare valeant. Nam Benedictum Abbatem Anianenſem Regulam hanc primo viris non accommodaſſe aperte oſtendunt. Siquidem doctiſſimi Patres Benedictini admonent in Codice Corbejenſi mille antiquitatis annos præferente, hanc Regulam viris ſcriptam contineri. Benedictus autem Abbas Anianenſis natus eſt anno 750. obiitque anno 821. teſte Bollando in Commentario prævio ad ejus vitam 12. Febru-

brua-

bruarii n. 7. Itaque ſi anno 1679. quo peracta fuit noviſſima Operum D. Auguſtini Editio, Codex Corbejenſis mille vetuſtatis annos præferebat, conſequitur anno 679. eundem Codicem exaratum fuiſſe, ideſt ſeptuaginta annis ante nativitatem Benedicti Anianenſis Abbatis. Non me fugit in deſignandis antiquorum Codicum annis exactum calculum fieri minime poſſe. Idcirco, quod cauſſam conficere videtur, addendum in Regula Monachorum Tarnatenſium, ſeu Agaunenſium integram D. Auguſtini Regulam viris datam, ad verbum exſcriptam contineri, ſolummodo capitulorum ordine mutato, ut animadvertit Clariſſimus Henricus Noriſius (lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 3.) & cuilibet utramque Regulam mutuo conferre volenti in Codice Regularum a Luca Holſtenio edito, patere poteſt. Porro Monaſterium Tarnatenſe, ſeu Agaunenſe extructum fuiſſe ſexto ineunte ſæculo ſcribunt Joſephus Simcerus in deſcriptione Valeſiæ (lib. 1.) & Marius Aventicenſis in Chronico ad annum Chriſti 515. At Noriſius loco laudato luculentiſſimis documentis evincit hoc Monaſterium ædificatum eſſe ante annum 500. Simul autem cum Monaſterio conditam fuiſſe Regulam ſatis veriſimile eſt. Quo poſito, Regula D. Auguſtini *Ad Servos Dei* qualis nunc legitur, talis habebatur eodem D. Auguſtini ſæculo, & paucis poſt ejus obitum annis in Monaſterio Agaunenſi. Falſo itaque jactant ſæculo octavo viris aptatam fuiſſe.

V. Accedit quod licet Auguſtinus in Retractationum libris ſilentio hanc Regulam prætereat, illius tamen meminit (ſerm. 1.) De Vita Clericorum. *Noveram enim, & novi omnes qui mecum viverent noſſe propoſitum noſtrum, noſſe legem vitæ noſtræ.* Poſſidius quoque in ejuſdem Auguſtini Actis (cap. 5.) inquit, *Factus ergo Presbyter, Monaſterium mox inſtituit, & cum Dei ſervis cœpit vivere ſecundum Regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam.* Legem ſui Monaſterii omnibus compertam prædicat Auguſtinus. Legem hanc, Regulam Apoſtolicam compellat Poſſidius. Quid? An ne legis nomine, Evangelium, & Regulæ Apoſtolicæ mentione Actus Apoſtolorum indicant Auguſtinus & Poſſidius? Hæc ſane interpretatio legitima non videtur. An ne optime Auguſtinus & Poſſidius proprii Monaſterii legem, diſciplinam, conſuetudinemque vivendi peculiarem, nempe Monaſticam explicaſſent, Evangelicam legem omnibus Chriſti Fidelibus communem recordantes? Revera quiſque, vel rudiſſimus, dum peculiarem alicujus Cœtus, Congregationis, aut Monaſterii legem nominat, nunquam legem univerſalem & omnibus communem prodit.

VI. Age dum, quid, amabo te, nos prohibet, hanc legem, hancve Regulam, cujus meminere Auguſtinus & Poſſidius, aſſerere eamdemmet eſſe ac illa, quæ inſcribitur *Ad Servos Dei* quibuſcum vixit Auguſtinus? Quid inquam hancce vetat intelligentiam? Quod nec in indiculo, nec in retractationibus recenſita habetur? Sed ſi ibi omittitur, locis a me laudatis recenſetur. Sed plura alia in retractationum libris, & in indiculo prætermittuntur opera, quæ parentem Auguſtinum cognoſcunt. Quid plu-

Digitized by Google

ra? An ne ſolum ſilentium in libris retractationum, & in indiculo ſufficiens erit argumentum hanc ſuffurandi Auguſtino Regulam, cum illius genuinum partum evincant, tot validiſſima momenta? Videlicet & recenſio ejuſdem Regulæ in ſermone de Vita Clericorum, & in Auguſtini vita, & decem ſæculorum imperturbata poſſeſſio, & conſenſus unanimis omnium Doctorum in tam longa centuriarum ſerie, & Regula Tarnatenſis, quæ tempore, ſin minus Auguſtino coævo, certe ſatis proximo Auguſtinianam Regulam ſervis Dei ſcriptam ad verbum in ſe continebat. Tum quod hæc Regula ſemper fuerit in uno Operum D. Auguſtini diſtincto Tomo, ut nunc eſt in primo; Regula vero in Epiſtola contenta, & fœminis data in ſecundo. Tum quod hæc Regula ſemper prærulerit hunc titulum *Ad ſervos Dei*, quem titulum etiam poſt Eraſmi cenſuram adoptarunt & Lovanienſes, & Benedictini, quemve gratis & ad arbitrium aſſerunt additum eſſe ab Regulæ translatore, cum nullum adhuc iſtius translationis certum auctorem deſignare potuerint; Quorum tamen intererat id præſtare, ut quidquam evincerent. Nec enim de centenaria, ne dum de millenaria pacifica poſſeſſione alicujus fundi quemquam detrudere merito poſſumus, niſi & injuſtæ poſſeſſionis titulo, & auctore, ad quem jure pertineat, inconcuſſis & luculentiſſimis documentis prius demonſtratis.

VII. Poſtremo ſi conjecturis indulgendum eſſet, an ne veriſimile videtur, Auguſtinum paucis fœminis in unico degentibus Monaſterio Regulam ſcripſiſſe, nullam vero pro ſuis edidiſſe clericis, quibuſcum quadraginta annorum ſpatio vixit, nullam pro Monaſterio in horto Valerii extructo? Quis in animum ſibi inducet, Auguſtinum virum, non minus ſapientia, quam prudentia, & dexteritate inſtructum, tam numeroſam ſocietatem cum Clericorum, tum Monachorum, ipſomet vivente in pluribus & Eccleſiis, & Monaſteriis diſtributam & amplificatam ad peculiarem, ſublimemque vivendi methodum redegiſse ſine lege, ad cujus amuſſim, & mores componere, & tranſgreſſiones punire poſsent? Quis Patriarcharum ante Auguſtinum ſic ſe geſſit? Antonius certe, Pachomius, & Baſilius regulas ſcriptas ſuis Monachis ſervandas ediderunt. Quis vero poſt Auguſtinum Religionem aliquam inſtituit unquam abſque ulla Regula? Ædepol nemo unus. Solus ergo Auguſtinus inter omnes Patriarchas, non unam, ſed plures Religiones inſtituit, abſque lege, abſque Regula? Ecquidnam incredibilius? Quid menti præjudiciis vacuæ violentius? Ecquodnam quæſo argumentum adeo evidens, adeo luculentum, adeo ineluctabile nos perurget ut id credamus, ut hanc imprudentiæ notam Auguſtino impingamus? Quodnam inquam momentum adeo decretorium ad has incitas nos redigit? Unicum argumentum negans ab Eraſmo primum invectum, & omnibus iis prærogativis deſtitutum, quas vel ipſi adverſarii præſcribunt, ut virium aliquid habeat. Quare non immerito clamat Richardus Cœnomanus in antidoto ad Cenſuram Eraſmi, *Denique cum*

tot

tot ſæculis tam multi Doctores & præclari viri hanc crediderint Regulam Auguſtini traditam viris, quin & commentariis illuſtraverint ſimul, & ſedes Apoſtolica approbaverit, neſcio, ſi tot proceribus Eccleſiæ neglectis, quiſquam inveniatur uſque adeo inſani cordis, ut uni Eraſmo Monachorum nomen tam graviter inſectanti, adhæreat. Similia ſcribit Franciſcus Suarez (Tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 8. num. 15.) *Omitto enim cenſuram Eraſmi ab omnibus piis, & doctis viris merito damnatam, qui negavit, Auguſtinum ſcripſiſſe illam Regulam pro viris Religioſis, ſed tantum illam, quæ virtute habetur in epiſtola* 109. *Auguſtini, quæ eſt ad Monachas, quæ revera eadem eſt, ſed ſine dubio fuit pro viris ſcripta, & facile potuit ab eodem auctore ad fœminas accommodari, & in hoc ſenſu communiter recepta eſt, & citatur a D. Bernardo* (in lib. de præcept. & diſpenſ.) *& expoſita ab Hugone de S. Victore, ut notarunt D. D. Lovanienſes in fine primi Tomi Auguſtini tacite contemta cenſura Eraſmi, quam Pariſienſis Accademia jam damnaverat;* ſed de his pluſquam ſatis, & ad id, quod propoſui, explicandum gradum facio.

VIII. Duo declaranda ſunt, quorum primum per ſe patet, videlicet Auguſtinum vitam communem cujuſque peculii expertem in Actibus Apoſtolorum deſcriptam in ſuas Regulas præcipere. Inquit enim: *Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia ..... Sic enim legitur in Actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia, & diſtribuebantur unicuique, prout cuique opus erat.* Magnam Auguſtinianæ Regulæ partem exhibere deberem, ſi omnia quæ ad bonorum communitatem vel explicandam, vel præcipiendam attinet, referre vellem.

IX. Secundo non minus clare, ac ſevere bonorum omnium communitatem præcipit S. Patriarcha Benedictus, & ejuſdem violandæ occaſiones omnes radicitus amputandas jubet in ſua Regula. Siquidem hæc habet (cap. 33.) *Præcipue hoc vitium peculiare radicitus amputandum eſt de Monaſterio, ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere ſine juſſione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem; neque codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino: quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria poteſtate. Omnia vero neceſſaria a Patre ſperare Monaſterii, nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiſerit. Omniaque omnibus ſint communia, ut ſcriptum eſt* (Actorum 4.) *nec ſuum quiſquam aliquid dicat aut præſumat. Quod ſi quiſquam hoc nequiſſimo vitio deprehenſus fuerit delectari, admoneatur ſemel atque iterum, ſi non emendaverit, correptioni ſubjaceat.* (Et cap. 34.) *Sicut ſcriptum eſt.* Dividebatur ſingulis prout cuique opus erat (Act. 4.) *ubi non dicimus, quod perſonarum, quod abſit, acceptio ſit, ſed infirmitatum conſideratio.* (Et cap. 55.) *Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria: ideſt cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabula, ut omnis auferatur neceſſitatis*

tis excuſatio. A quo tamen Abbate ſemper conſideretur illa ſententia Actuum Apoſtolorum, quia dabatur ſingulis, prout cuique opus erat. (Act. 4. & cap. 59.) *Si quis forte de nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio, ſi ipſe puer minori ætate eſt, parentes ejus faciant petitionem, quam ſupra diximus. Et cum oblatione ipſam petitionem, & manum pueri involvant in palla Altaris, & ſic eum offerant. De rebus autem ſuis, aut in præſenti petitione promittant ſub jurejurando, quia nunquam per ſe, nunquam per ſuffectam perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi.*

X. Quemadmodum ex productis textibus planum eſt; Sanctos Patriarchas Auguſtinum, & Benedictum bonorum omnium communitatem in Actibus Apoſtolorum deſcriptam, ideſt cujuſque peculii expertem ſuas Regulas profitentibus præcipere; ita quoque compertum eſt eandem communitatem ſub graviſſima obligatione imperare, ſive poſtea hæc obligatio intima voto paupertatis ſit, ſive extima. Quare licet ſupra capite quarto demonſtraverim communem vitam voti paupertatis eſſentiam ingredi; nunc tamen illam ſententiam, ut ego quidem arbitror evidentem, in ſuo ſtatu relinquo, & communi Theologorum voce impoſterum loqui volo. Omnes enim fatentur Regulares vitæ communi Apoſtolorum devinctos eſſe fortiſſimo præcepti ligamine. Quod autem præceptum iſtud ſit quædam major expreſſio & plenior ipſius voti explicatio, ſive onus extrinſecus impoſitum, utcumque res ſeſe habeat, perinde mihi eſt, qui eo conatus meos refero, ut evincam Regulares communis vitæ debitum negligentes, damnationis æternæ pœnam manere. Nec enim minus infernalis ſupplicii rei ſunt præceptorum, quam votorum violatores. Porro quod communis vita in Auguſtiniana, ſive Benedictina Regula contenta ſub graviſſimo præcepto imperetur, omnes earumdem Regularum Interpretes fatentur. Pro Fratribus Ordinis Prædicatorum res eſt extra diſputationis aleam, quoniam ejuſdem Ordinis Conſtitutiones ſuper textum primum ipſius prologi hanc continent declarationem. *Declaramus quod unitas cordium in his, quæ Dei ſunt ſecundum Regulam noſtram eſt in præcepto, ſicut & communitas rerum, ſed ratione diverſa; nam ad unitatem cordis ſervandam ex Divinæ Legis generali præcepto, de quo in Regula, admonemur. Ad communitatem autem rerum ex ipſius regulæ præcepto adſtringimur.* Et ideo circa unitatem cordium, & unitatem rerum magna diligentia adhibenda eſt.

XI. Donatus Lainenſis (Tom. 4. Tract. 15. quæſt. 4.) *Sanctus Auguſtinus non ſolum præceptum poſuit circa virtutem vitæ communis, ſed etiam prohibitionem circa vitium oppoſitum dicens: Non dicatis aliquid proprium. Et ratio potuit eſſe, quia licet ſine tali vita communi poſſit obſervari votum paupertatis, adhuc tamen videas, quod ſine tali vita communi difficulter & valde difficile obſervari poſſit prædicta Religioſa paupertas, dictum præceptum poſuit ad vivendum in communi.*

XII. Jo-

XIII. Joannes Gerſonius Cancellarius Pariſienſis, ſive quicumque ſit auctor illius tractatus ſuis operibus inſerti adverſus proprietarios Regulæ Auguſtinianæ viginti novem argumentis ex ipſa Regula petitis evincit communitatem rerum ſub graviſſimo præcepto imperari. Pauca hic delibabo. *Et non dicatis aliquid. Gravius autem peccatum eſt facere, quam dicere. Ergo ſi prohibet expreſſe verbum proprietatis, a fortiori & factum. Secundo mox ſequitur in Regula. Et ſint vobis omnia communia. Omne autem ſecundum Logicos eſt univerſale ſignum, quod diſtribuit pro univerſis rebus: Ergo falſificatur univerſalis Regula in voti veſtri periculum per quodcumque particulare, quia proprium & commune opponuntur. Et ſicut paſcimini ex uno Cellario, ſic induamini ex uno veſtiario. Cum ergo jubeat unum & commune veſtiarium, ſequitur per locum ab oppoſitis, quod prohibeat proprium & ſingulare multum. Videte ergo, ſi votum ſervetis Regulæ, cum toties infrangitis & tam expreſſe, non ſemel, ſed quotidie. Judicate ſi ex uno veſtiario induamini, & eo modo quo paſcimini ex uno cellario, & ſi quæ ſervatis in veſtris Cameris, & Ciſtis ſub communi ſunt cuſtodia. Quod ſi dixeritis, diem profecto negatis & experientiam oppoſitam, & contradictoria ſimul vera concedetis, contra quos nihil amplius diſputandum dicit Ariſtoteles, niſi tales aut in ignem projicere aut excæcare. Negare ergo non poteſtis quin promiſſam paupertatis fidem violetis, & ad vomitum revertimini profeſſionis derelictæ. Quo ergo animo tanto tempore diſſimulatis præterire commune veſtiarium, ut induamini ex uno veſtiario, ſicut paſcimini ex uno cellario? Negare non poteſtis, quin hoc voto promiſeritis ſolemni, quod in Regula legiſtis quotidie tot in paſſibus & locis. Ante votum dicit Auguſtinus liberum erat reddere, ſed neceſſarium ſaluti poſt votum. Voto namque, conſilia facta ſunt vobis præcepta, & libera neceſſaria.*

XIV. Chriſtianus Lupus de Regula Auguſtiniana ſermonem habens, hæc ſcribit (Tom. 12. pag. 35.) *Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia. Hic eſt cardo, in quo vertitur ac pendet tota Regula, totaque monaſtica diſciplina Auguſtini ..... Auguſtinus ergo diſciplinæ ſuæ baſim, columnam, ac fundamentum eſſe voluit, non bardocucullum aut ſaccum pannoſum, non nudos pedes, non vitam doliarem, ſed perfectam unitatem ac communitatem, in qua nihil omnino eſſet proprii frigidi iſtius, ac ad multa propellentis verbi. Voluit commune eſſe, non ſolummodo Monaſterii cælum, neque ſolummodo commune cœnaculum, & tectum, ſed etiam communem victum, habitum, communem nummum præciſis omnibus ſtrumis & variis. Ex hac perfecta rerum adjacentium unitate ſibi non vane ſpondens perfectam unitatem animorum in Deo, ac vagantis permultum amoris in unum collectionem. Et jure merito. Colligendis namque, & coadunandis quibuſcumque amoris noſtri diſperſionibus ac concuſſionibus, nulla eſt efficacior vis, quam rerum temporalium a Deo conditore in Paradiſo primitus inſtituta, ac Chriſto Redem-*

dem-

Digitized by Google

demptore poſtliminio in Eccleſiam revocata ſincera & plena communitas; neque Monaſteria pati poſſunt cloacam peſtilentiorem, quam proprietatem. Ex hac cloaca alius quidem eſurit, alius ebrius eſt, alius pannoſus, aut lacer, alius veſte ſplendet, aliaque id genus multa, quæ quomodo animas variant, ac ſeparant, facile eſt conjectare. Hinc ergo dicit Sanctus Poſſidius. Factus ergo Presbyter Monaſterium infra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundum Regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam maxime ut nemo quidquam proprium in illa ſancta ſocietate haberet; ſed eſſent omnia communia. Particula iſta maxime importat habitudinem fundamenti. Ab aliis commentationibus referendis ſuperſedeo, tum quod res per ſe manifeſta eſt, cum quod iterum de hoc infra ſermo recurret.

CAPUT OCTAVUM.

Apoſtolicam Communitatem præcipiunt Monachis, & Regularibus aliorum Patriarcharum Regulæ.

I. SAnctus Benedictus Abbas Anianenſis concordiam Regularum ſanctorum Patrum, tum Orientalium, tum Occidentalium compoſuit, quod opus in ſeptuaginta ſeptem capita tributum, notis & obſervationibus illuſtratum, typis vulgatum edidit Hugo Menardus. Integras quoque omnium Patriarcharum, qui ipſum præceſſerunt Regulas, in unum collegit codicem, quem in tres partes digeſtum & auctum edidit Lucas Holſtenius. Hoc idcirco indicare volui, ut ſi de ſinceritate textuum, quos ſum producturus, ſuſpicio aliqua oriretur, quiſque digitum ad fontem intendere poſſit.

II. Ut autem evincam omnium Regularum conſenſionem in præcipienda communi Apoſtolorum vita a Regula Divi Baſilii Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi auſpicari lubet. Quæ Regula continet Conſtitutiones tam fuſius, quam brevius diſputatas in ducentas & amplius interrogationes diviſas ex interpretatione Ruffini Aquilejenſis, (Interrogatione 35. Reg. brev.) hæc habet: *Si debet habere aliquid proprium, qui inter Fratres eſt?* Reſp. *Huic contrarium eſt illud teſtimonium, quod in Actibus Apoſtolorum de illis, qui credebant primitus, ſcriptum eſt. Ibi enim ita dicit (*Act. 4.*).* Quia nemo quicquam ex bonis ſuis proprium dicebat eſſe, ſed illis erant omnia communia. *Si quis vero proprium ſibi dicit eſſe aliquid, ſine dubio alienum ſe facit ab electis Dei, & a charitate Domini, qui docuit verbo, & opere complevit. Et quia animam ſuam pro amicis dedit, quomodo nos etiam quæ extra animam ſunt, propria vindicamus?*

III. Regula S. Pachomii, quam, revelante Angelo ſcripſit, quamve de Ægyptiaca lingua in Græcam verſam latinam fecit S. Hieronymus, hæc habet (art. 81.) *Nemo in domo ſua & in cella ſua habeat præter ea*

quæ

quæ in communi Monaſterii lege præcepta ſunt: non tunicam laneam, non pallium, non pellem intonſis arietum lanis molliorem, non paucos nummos, non pulvillum quidem ad caput, aut aliud variæ ſupellectilis, exceptis his, quæ a Patre Monaſterii per Domorum Præpoſitos dividentur.

IV. Sanctus Orſieſius S. Pachomii diſcipulus, & Abbas Tabennenſis in ſua Regula, ſeu Doctrina de inſtitutione Monachorum hæc præſcribit: (cap. 21.) *Vigilemus attentius, & ſciamus, quod magnam nobis Deus præſtiterit gratiam per Patrem noſtrum Pachomium, ut renunciaremus ſæculo, & omnem ſollicitudinem mundi, & curas rerum ſæcularium pro nihilo poneremus. Quæ nobis occaſio relicta eſt, ut habeamus quidquam proprium a funiculo uſque ad corrigiam calceamenti. Cum habeamus præpoſitos, qui pro nobis cum timore & tremore ſolliciti ſunt, tam in cibo & veſtitu, & corpuſculi languore, ſi forte obvenerit, ut in nullo timeamus & per occaſionem carnis animæ emolumenta perdamus. Liberi ſumus, jugum de cervicibus noſtris mundanæ ſervitutis abjecimus, cur rurſum volumus reverti ad vomitum noſtrum, & aliquid habere, unde ſolliciti ſimus, & quod perdere metuamus? Ad quos uſus ſuperfluum palliolum, aut epulæ lautiores, aut melior lectus, cum omnia in commune ſint præparata, & nihil cruce Chriſti durius ſit? Juxta quam viventes Patres noſtri ædificaverunt nos ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum & Evangeliorum diſciplinam, quæ angulari continetur lapide Domino Jeſu Chriſto.* (Et cap. 22.) *Qui autem vixerunt in Cœnobio, & de communi in ſuos aliquid averterunt uſus, væ eis cum de corpore exierint, dicetur illis:* Mementote, quia recepiſtis bona in vita veſtra: (Luc. 16.) *fratribus laborantibus & jejuniis & continentia & inceſſabili labore ſudantibus.* (Et cap. 32.) *Hoc quoque obſervandum eſt, ne quis ſtulta cogitatione deceptus, immo Diaboli laqueis irretitus dicat in corde ſuo: Quando morior, tunc dono fratribus quod habuero.* Quemadmodum faciunt non pauci obcæcati, qui ad vitæ extremum cubiculorum expoliationem, ut vocant, differunt.) *O ſtultiſſime hominum, ubi hoc ſcriptum inveniſti? Nonne omnes ſancti ſervientes Deo ſtatim omnem ſæculi ſarcinam depoſuerunt? Nonne in Actibus Apoſtolorum omnia quæ habebant ad pedes Apoſtolorum deferebant?* (Act. 4.)

V. Regula Sanctorum Pauli & Stephani Abbatum (cap. 27.). hæc præcipit. *Nulli liceat vel veſtimentum, vel calceamentum aut tabulas vel cujuſquam rei parviſſimæ, tam novum, quam vetus quicquam, quod alii fratri datum fuerit prava præſumptione contingere ad utendum, nec inter ſe fratribus liceat, ut id, quod de communi quiſquam acceperit, niſi permiſſu Abbatis Prioris cum alio Fratre, quaſi peculiari amore mutuare* (*commutare,* Tritem.) *ne hac occaſione naſcatur amor illicitus. Sed unuſquiſque quod ei charitatis diſtributione datur, hoc libens & bona voluntate accipiat, & ad utendum delectetur habere.*

VI. Regula Tarnatenſis, ſeu Agaunenſis Monaſterii, quod in Helve-

Digitized by Google

tiis conditum eſſe ſub ſancti Mauritii auſpiciis ſcribit Hugo Menardus in obſervationibus ad concordiam Regularum, hæc præcipit (cap. 14.) *Hæc ſunt, quæ in Monaſterio conſtitutis pro Dei amore & timore convenit obſervare. Propter quod in unum eſtis pro timore Domini congregati, oportet ut in domo Domini unanimes habitetis, & ſit vobis anima una, & cor unum in timore Domini pervigilans, nihilque habere vos proprium reputetis, ſed ſint vobis cuncta communia, quæ vobis Abbatis imperio diſpenſentur, non æqualiter omnibus. ſed ſicut ratio diſpenſationis aut cauſſa infirmitatis exegerit; unicuique tamen ſecundum quod opus fuerit tribuatur; ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus*, quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique, ſicut cuique opus erat. *Qui enim aliqua habuerint in ſæculo, quando expetere Monaſterium meruerint, libenter tradant omnibus profutura.*

VI. Sanctus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus in ſua Regula ad Monachos (capitibus 3. & 16.) hæc ſtatuit. *Sint vobis omnia communia ..... Victum & veſtimenta Abbas miniſtret, quia ſicut ſancitum, ut nihil proprium habeant; ita juſtum eſt, ut omnes, quæ neceſſaria fuerint, a ſancto Abbate accipiant.*

VII. Aurelianus Epiſcopus Arelatenſis, & Vigilii Papæ in Galliis delegatus duas edidit Regulas, unam Sanctimonialibus inſcriptam, ut videre licet apud Trittemium de proprietate Monachorum (cap. 15.) alteram Monachis, quam integram in ſuo Regularum codice exhibet Lucas Holſtenius, Porro (cap. 25.) hujus Regulæ hæc jubet. *Nullus præſumat quicquam ſuum dicere, aut ſuum proprium vindicare, ſed ſecundum Actus Apoſtolorum* (4.) *ſint vobis omnia communia: ſit vobis anima una, & cor unum in Domino.*

VIII. Regula S. Ferreoli laudatur a Trittemio ſub nomine S. Ferreoli Epiſcopi & Martyris. Hugo vero Menardus probabilius cenſet Auctorem iſtius Regulæ eſſe Sanctum Ferreolum, non Martyrem, ſed Epiſcopum tantum Ucecienſem virum litteris ſatis inſtructum, qui inſtar Sidonii Epiſtolas compoſuit, ſuamque Regulam dicavit Lucretio Epiſcopo Deenſi. Capite autem decimo ſuæ Regulæ hæc ſervari mandat. *Illud etiam ſtatui debere proſpeximus, ut nullus Monachorum aliquid ſibi proprium abſque ſocietate fratrum audeat vindicare. Ita ut etiam in his quæ ſua ſunt, nihil amplius credat ſibi juris eſſe, quam cæteris; quia cum ſeipſum alterius ſubdidit voluntati, omnia ſecum in alienam poteſtatem tranſmiſit. Quicquid ergo ſecum rerum detulerit, expetito conſortio Monachorum, ac ubi corpori Congregationis membrum factus adhæſerit, ſtatim cognoſcat omnia in Communionem tranſiiſſe, & hoc tantum judicet proprium, quidquid cum fratribus poſſederit indiviſum. Nam & lectio Actuum Apoſtolorum tempore ſurgentis Eccleſiæ taliter fideles Chriſti vixiſſe commemorat.* Nullus, inquit, ex bonis ſuis dicebat aliquid ſuum eſſe, ſed erant illis omnia communia. (Act. 4.)

IX. Re-

Digitized by Google

IX. Regula S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, quæ extat inter ejus opera Coloniæ edita, hæc præcipit (cap. 5.) *Monachi in communi viventes nihil peculiare ſibi facere audeant, neque in ſuis cellulis quidquam, quod ad victum, vel ad quamlibet rem aliam pertineat ſine ſingulari diſpenſatione habere, vel poſſidere præſumant. In Pentecoſte autem, qui eſt dies reviſionis, omnes fratres ſub Divina profeſſione ſe alligent nihil peculiare apud conſcientiam ſuam habere. Si quid a Parentibus vel extraneis Monacho collatum fuerit, non erit ſub jure privatæ rei habendum, ſed poteſtate Abbatis, in commune redactum, cui neceſſe erit præbeatur.* (Et cap. 13.) ait: *Veſtimenta non erunt æqualiter diſtribuenda omnibus, ſed cum diſcretione, prout cujuſque ætas vel gradus expoſtulat; Ita enim & Apoſtolos feciſſe legimus ſicut ſcriptum eſt* (Act. 4.) Erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique prout cuique opus erat. *Uniuſcujuſque autem fratris ſupplementum vel indigentia inſpiciatur.*

X. S. Fructuoſus Epiſcopus Bracarenſis Regulam pro Monachis ſcripſit, eamque in viginti quinque capita tribuit, quæve diſtincta eſt ab altera Regula, quæ tribuitur cuidam Fructuoſo, quem ſe ignorare fatetur Hugo Menardus in obſervationibus ad concordiam Regularum. Utraſque exhibet Lucas Holſtenius in ſuo Regularum codice. In Regula Sancti Fructuoſi Epiſcopi Bracarenſis (cap. 4.) hæc habentur. *Nec quiſquam e Monachis ſuum aſſerens dicat: Codex meus, Tabula mea, vel reliqua. Quod verbum, ſi de ore eius effugerit, pœnitentiæ ſubjacebit; ne velut propria qualibet in Monaſterio habere videatur. Sed ſint illis, ſicut ſcriptum eſt, omnia communia* (Act. 4.) (Et cap. 8.) *Peculiaritas, aut in utenſilibus, aut in veſtimentis, aut in quibuslibet rebus viliſſimis, & abjectis omnimodo vitetur. Quia abominatio Monachis eſt, & infamium* (infamia), *quicquam poſſidere ſuperfluum, aut reſervare proprium, vel occultum, quod non longe ab Ananiæ, vel Saphyræ exemplo ſegregatur. Munus denique quodlibet, ſive epiſtolas nemo Monachus accipiat.*

XI. Caſſianus in ſua Regula, ſeu libro quarto de inſtitutis renunciantium (cap. 13.) inquit: *Nec quicquam peculiare licet Monacho poſſidere.* Similiter & illud: *Qui convertitur, præ omnibus erudiri debet, ut nihil peculiare ei liceat poſſidere: ſed ita ſe nudatum ex omni parte cognoſcat, ut præter tunicam, pallium, calciarium vel mattulam ſuam nihil amplius habeat. Et nec verbo quidem audeat dicere aliquid ſuum; quod magnum ſit crimen ex ore Monachi proceſſiſſe tunicam meam, codicem meum, tabulas meas, graphium meum & cætera his ſimilia. Nam ſi hujuſmodi verbum per ſubreptionem, vel ignorantiam de ore ejus effugerit, digna pro hoc pœnitentia ſatisfaciens veniam petat in terra proſtratus.*

XII. Regula cujuſdam Patris duplex eſt. Auctor primæ prorſus ignotus eſt, inquit Hugo Menardus. In ea (cap. 17.) hæc habentur. *Nihil poſſidendum tamquam proprium & ſpecialiter inter Monachos, ſed ſint eis omnia communia. Qui autem dixerit, meum eſt hoc, aut illud, peccavit*

Digitized by Google

coram Deo, niſi tantum per obreptionem ſermonis; ſed pro hoc ipſo tamen veniam petat a Deo, & caveat de reliquo, & ne iterare audeat. Si quis ex hoc vitio exiſtat inſanabilis, expellendus eſt ab univerſis fratribus, quoniam vitium phylargiæ graviſſimum eſt præ omnibus vitiis, & radix omnium malorum eſt phylargia.

XIII. Altera Regula, quæ ſub nomine cujuſdam Patris laudatur, eſt veluti quædam Regulæ Sancti Benedicti paraphraſis. Illius auctor appellatur a Trittemio (lib. de proprietate Monachorum) Servus Dei; ſed cum multi fuerint hoc nomine nuncupati, quis illorum iſtius Regulæ Scriptor fuerit, non conſtat. In ea (cap. 17.) hæc imperantur. *Proprii aliquid in Monaſterio nihil habendum ..... Amputandum ergo eſt hoc vitium radicitus ab omni Monacho, ut nullam rem, vel in veſtimentis, vel in calceamentis, vel in quibuslibet rebus ſibi vindicet, vel ſuum eſſe dicat, niſi quantum ex Abbatis juſſione penes ſe præcipitur; ac ſi cuſtos alterius, non propriæ rei Dominus. Et ea quæ ab Abbate ſibi fuerint commendata, ideſt ad neceſſitatem præſentem, aut in veſtimento, aut in qualibet re, nihil exinde, aut dare, aut commodare cuiquam præſumat, niſi tantum ſi ab Abbate illi fuerit ordinatum. Quid enim de rebus Mundi alteri Fratri conferat, qui ſuas in omnibus voluntates propter Chriſtum in Abbatis tradidit voluntatem? Omnia ergo, quæ in Monaſterio habentur, ſint omnibus communia, juxta quod in Actibus Apoſtolorum legimus* & erant, *inquit*, eis omnia communia. *Sic tamen communia ſunt habenda, ut nullus dare, aut accipere, niſi Abbate ordinante, præſumat.*

XIV. Regula Magiſtri ſic appellatur, quia in ea Diſcipulus interrogat, & Magiſter reſpondet. Magiſtrum hunc Trittemius (lib. De proprietate Monachorum) ſcribit eſſe Vigilium Abbatem, & Diaconum, quem vixiſſe autumat Hugo Menardus tempore Clodovei Secundi Francorum Regis, non multo poſt S. Gregorium Magnum. In hac Regula Diſcipulus (cap. 82.) interrogat ſi debet in Monaſterio Frater aliquid peculiare habere, cui reſpondet Dominus per Magiſtrum: *Omnis homo in vita ſæculi hujus tribus rebus excitatur, laborat, & ſtudet. Peregrinus in via, miles in pugna, Imperator in Palatio, agricola in agro, mercenarius in negotio, omnes excitantur & laborant, ut habeant dum vivunt unde veſtiantur, calcientur, & vivant. Sed quibus Dominus ſervitii ſui contulit donum & oſtendit eis non ſatis de præſenti ſæculo cogitare; quia hæc omnia pertranſeunt, & omnia iſta, quæ videmus, & utimur, paucorum in nobis dierum ſunt uſus, & momentaneæ cum vita noſtræ tempore tranſeunt ..... Unde præcipit Dominus ſervis de neceſſariis vitæ hujus non debere quemquam eſſe ſollicitum. Etiam fideles in ſe admonet de craſtino non cogitare, ſed regnum & juſtitiam ejus ſolummodo deſiderare, dicens in S. Evangelio:* (Matth. 16.) Nolite cogitare quid manducetis, aut quid bibatis, aut quid induamini, ſed quærite Regnum, & juſtitiam Dei, & hæc omnia apponentur vobis. *Ergo cum hæc omnia neceſ-*

neceſſaria nobis a Domino præparentur, & de omnibus adminiſtrandis cum Deo ſolus Abbas ſollicitus; quare diſcipulus ſibi peculiariter aliquid audeat facere, aut habere, aut vindicare? Nam ideo peculiare aliquid habere denegatur, quia Nemo ſerviens Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit. (2.Tim. 2.) .... *Nam de peculiari Ananias & Saphira fidem ab Apoſtolis non meruerunt percipere; quia omnia ſua cum ante pedes Apoſtolorum adſignarent, de peculiaribus fraudulenter ſubtractis judicio ſubitæ mortis damnati ſunt, quia fraus Deo fieri non poteſt, cum nihil eſt occultum, quod ab eo non revelabitur. Ergo cum victum & veſtitum corpori, calceamenta pedibus unicuique fratri Abbas præcogitaverit, ut quid alicui ſit aliquod peculiare opus habere, aut rem aliquam, aut aurum, aut nummos, vel quodvis neceſſarium, cum omnia vel emenda vel habenda Deus ei per Abbatem Monaſterii apparat? Sed quod ergo peculiare inventum in aliquo fuerit, grandi eum Abbas, & diuturna excommunicatione condemnet, ut exemplo illius vindictæ, nullus hoc audeat imitari.*

XV. Regula Solitariorum (cap. 41.) omnium bonorum communitatem præſcribit, & peculium vetat. *Nihil ergo proprium ſolitarii habeant præter utenſilia & vilia ſupellectilia, ſine quibus vivere nullatenus poſſunt ..... Poſt hæc autem memorari oportet hoc quod in Actibus Apoſtolorum legitur:* Afferentes pretia prædiorum ſuorum & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diſtribuebantur autem ſingulis, prout cuique opus erat .... Neque egens quiſquam erat inter illos .... Nec quiſquam ſuum eſſe aliquid dicebat, ſed erant illis omnia communia. *Ita ergo & Solitarii nec ſuum quicquam dicant, ſed ſint fideles diſpenſatores, & ea quæ pauperibus dare debent, non nimis in ſuos uſus reflectant, ne, quod abſit, cum Juda, qui loculos Domini furatus fuerat, ſententiam damnationis incurrant.*

XVI. Regula S. Donati ex pluribus Patrum Regulis conflata eſt, maxime ex Regulis Sanctorum Cæſarii, Benedicti, & Columbani. Qua de cauſſa Hugo Menardus hanc Regulam adjudicat, non S. Donato Afro, qui multis annis ante S. Columbanum e vivis deceſſit, ſed D. Donato Archiepiſcopo Veſonſionenſi. In iſta Regula, quæ pro ſanctimonialibus edita fuit (cap. 8.) hæc habentur, mutato nominum genere. *Hoc præcipue vitium radicitus amputandum eſt de Monaſterio, ut nullus præſumat aliquid proprium habere, nec quicquam dare, aut accipere, vel tenere ſine juſſione Patris, nullam omnino rem, neque Tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino. Quippe quibus nec corpora ſua, nec voluntates licet habere in propria voluntate. Omnia vero neceſſaria ab Abbate Monaſterii ſperare. Nec quicquam liceat habere, quod ipſe non dederit, aut permiſerit. Omniaque omnibus ſint communia, ut ſcriptum eſt* (Act. 4.) Et erant illis omnia communia. *Nec quiſquam ſuum aliquid eſſe dicat, aut vendicare præſumat. Quod ſi quis hoc nequiſſimo vitio deprehenſus fuerit delectari, tribus ſuppoſitionibus pœniteat.*

XVII. Re-

Digitized by Google

XVII. Regulis Monachorum ſuccedunt Fratrum Mendicantium ; & Clericorum Regularium Regulæ & Conſtitutiones, quæ compertæ omnibus cum ſint, earum dumtaxat aliquas indicabo. In primis fere hæ omnes ſeveriorem quam Monachales præcipiunt paupertatem, quam, vel in ipſo mendicantium nomine exprimunt. Divus Patriarcha Dominicus præter Apoſtolicam communitatem, quam juxta Auguſtini Regulam ſervandam imperat, in ſuis conſtitutionibus (Diſt. 1. cap. 14. Tex. 11. lit. D.) *Doceat eos ſine proprio vivere, ſicut mandatur in Regula, ubi dicitur : Nec dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia :* Præter inquam hanc communitatem omnibus Regularibus eandem, bona ſtabilia vel in communi poſſidenda ſeveriſſime vetuit.

XVIII. Seraphicus Patriarcha Franciſcus anguſtiorem etiam calcandam paupertatis viam fratribus ſuis aperuit; quoniam vel ipſam pecuniarum acceptionem & tractationem ſeveriſſime prohibuit, iiſque animos addidit ad abigendum ruborem, quo in eleemoſynarum petitione ſuffundi poſſent. *Præcipio firmiter* (inquit cap. 4. ſuæ Regulæ) *Fratribus univerſis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam.* (Et cap. 6.) *Fratres nihil ſibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Sed tamquam peregrini, & advenæ in hoc ſæculo in paupertate & humilitate, Domino famulantes vadant pro eleemoſina confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo.*

XIX. Eandem auſteriſſimam paupertatem præcipit D. Franciſcus de Paula (cap. 5.) ſuæ Regulæ. *Præterea ſub paupertate Evangelica perpetuo militantes omnes dicti Fratres, Clerici & Laici, pecunias nullatenus tangant, nec illas ſcienter deferant.*

XX. Divus Patriarcha Ignatius, ut obſervantia rigidiſſimæ paupertatis quam non minorem Franciſcana, ſuis præſcripſit, perennis ſemper in ſua Religione floreret, legem condidit, qua omnes profeſſi ſpondere obſtringuntur, ſe nunquam conſenſuros promiſſæ paupertatis remiſſioni, ſed in id potius operam daturos, ut pro temporum ratione potius reſtringatur. (6. part. Conſt. cap. 2.) *Paupertas, ut murus Religionis firmus, diligenda, & in ſua puritate conſervanda eſt, quantum Divina gratia aſpirante fieri poterit. Et quia humanæ naturæ hoſtis ad hoc propugnaculum, ac refugium debilitandum, (quod Deus Dominus noſter Religionibus inſpiravit, contra illum, alioſque Religioſæ perfectionis adverſarios) eniti ſolet, ea quæ a primis fundatoribus bene ordinata fuerunt immovendo per declarationes vel innovationes primo illorum ſpiritui minime conſentaneas, ut quod in nobis ſitum fuerit, hac parte ſocietati proſpiciamus, quicumque in ea profeſſionem emiſerint, ſe ad innovationem Conſtitutionum in iis, quæ ad paupertatem pertinent, nihil facturos promittant, niſi aliquo modo pro rerum occurrentium ratione eam in Domino magis reſtringendam judicarent.*

XXI. S.

XXI. S. Cajetanus Clericorum Regularium Inſtitutor paupertatem omnium ſeveriſſimam præſcripſit. Siquidem non modo bonorum omnium communionem præcepit, & redituum poſſeſſionem inhibuit; verum etiam vetuit, ne Clerici ſui vitæ ſubſidia a fidelibus, quemadmodum cæteri Mendicantes, oſtiatim peterent; ſed ſolis ſponte oblatis viverent eleemoſinis.

CAPUT NONUM.

Falſa quædam Regularum Monachalium interpretamenta diluuntur.

I. QUis unquam ad ſinceritatem bene compoſitus, ac præjudiciis vacuus; in animum ſibi induceret Theologorum aliquem repertum iri, qui ex recitatis Regulis peculium effoderet? Verum tantum poſſunt, vel inveterata conſuetudo, vel propriæ commoditatis impotens amor, vel a teneris unguibus imbibitus error, vel nimia de rebus ſacris philoſophandi libido, ut omnem prorſus doctrinam adimant, rationem hebetent, ipſum denique communem ſenſum furentur, rapiantve. Hoc nemo inficias iverit, poſtquam commentum audierit, quod ad eludendos clariſſimos Regularum, quos produximus textus refert Magiſter Petrus Paſſerinus (Tom. 1. de hom. ſtat. q. 186. de vot. paup. inſpect. 11. n. 304.) ubi omnium Scriptorum cavillationes in peculiorum favorem excogitaras in unum collegit; minime tamen calculo ſuo probat; ſed ut proprii acuminis periculum faceret, atque diſputandi nimio forte pruritui indulgeret, peculiorum cauſſam longius cæteris pertractavit, ea tamen animi trepidatione, ut videas ſummum virum in utrumque latus ſeſe vertere. At vir cum eſſet, non minus doctrina, quam probitate conſpicuus, numquam contra ſed ſemper, quoad licuit, pro veritate ſtetit. Solius autem Paſſerini verba recitabo, tum quod profligatis commentis, quæ ipſe allegat, omnia aliorum interpretamenta corruunt, eo quod nihil ab aliis exagitatum fuerit, quod ipſe ſubtilius etiam effectum larga manu non promat, cum maxime, ne imperiti lectores ex præſtantiſſimi viri auctoritate aberrandi occaſionem arriperent, exiſtimantes eum favere Monachorum peculio, quod fluctuante animo ſæpius loquatur, cum tamen peculium Monaſticum diris eum devovere, naturalis neceſſitatis cauſſa ſublata, ſuo loco evidentiſſime demonſtrabo. Hæc in obſequium perdocti Auctoris, quem maximi ſemper feci, dicta ſint; nunc ejus verba ex loco laudato tranſcribam.

II. Quantum autem colligi poteſt ex Regulis Monachalibus, quas " in unum collectas exhibet Hugo Menardus (cap. 42.) concordiæ Re- " gularum, non erat prohibitum peculium rerum mobilium de licentia " Superioris. Sic in Regula S. Benedicti (cap. 33. §. 1.) *Nec quicquam* " *liceat habere, quod Abbas non dederit aut permiſerit.* Ubi ſolum pro- " hibetur aliquid habere ſine licentia. Et in Regula S. S. Pauli & Ste- "

„ phani

„ phani (cap. 23. §. 9.) *Nulli liceat vel inſtrumentum vel calceamen-*
„ *tum vel cujuſquam rei parviſſimæ, tam novum quam vetus quicquam,*
„ *quod alii Fratri datum fuerit, prava præſumtione contingere ad uten-*
„ *dum.* Et ibi ſubſequenter prohibetur mutuum dare invicem. Et in Re-
„ gula S. Iſidori (cap. 6. §. 10.) *Neque in ſuis cellulis quicquam, quod*
„ *ad victum, vel ad quamlibet rem aliam pertineat, ſine regulari diſ-*
„ *penſatione habere vel poſſidere præſumat.* Permittebatur igitur illis ha-
„ bere & poſſidere in propriis cellis etiam cibaria, (& §. 11.) permittit
„ inter Monachos mutuum de licentia Superioris. In Regula etiam S. Fru-
„ ctuoſi (§. 14. cap. 8.) conceditur recipere donata de licentia Superio-
„ ris. Et in Regula Orientali (§. 19.) permittitur accipere res, & dare
„ de licentia Superioris. Et Regulas illas omnes inſpiciendo apparet duo
„ prohiberi, ſcilicet habere aliquid ut proprium, & habere aliquid ſine
„ licentia. Et inſpecto illarum tenore bene apparet, quod ſecundum illas
„ parum peculii concedi poterat, & licebat habere ſolum peculium val-
„ de moderatum. Unde eſt, quod etiam ſi eſſet ſolitum, ut aliquod pe-
„ culium concederetur, de facili contingere poterat, quod Monachi ali-
„ qui minus amatores vitæ communis ab illis Sanctis inſtitutæ, aliquid
„ proprietario modo & clandeſtine haberent, detinendo vel in quantitate
„ vel in qualitate, ea quæ non permittebantur, & in Superioribus etiam
„ aliquibus inveniretur conniventia reprehenſibilis reſpectu talis abuſus,
„ quamvis & ubi ſolitum ſit ut de facili Superiores permittant uſum pe-
„ culii, non deſint, ſed immo multiplicentur, vel qui ſint nimis faciles
„ ad præſumendum licentiam habendi peculium vel negligentes ſe ſubji-
„ cere Prælato vel qui ſint cupidi, ut non ſciantur quæ retinent, & ita
„ quod forte magis abundent proprietarii, ubi major eſt facilitas habendi
„ apud ſe pecuniam etiam de licentia Superioris. „ Concluſio experien-
tia teſte veriſſima.

III. Plura in deſcripto commento animadverſione digna continentur: In primis ex Regulis Monachalibus licita peculii conceſſio colligitur, hac duntaxat adjecta conditione, quod parva eſſe debeat peculii quantitas. Deinceps cum in ſubditis, tum in Prælatis ex uſu peculii periculum violandi votum infertur, eo quod & illi facillime peculium rerum non permiſſarum clandeſtine retinent, & iſti non minus facile in illorum proprietatis crimine connivent. Quapropter concluditur eo majorem eſſe proprietariorum numerum, quo major eſt Prælatorum facilitas in peculiis permittendis.

IV. Ut ab hoc ultimo auſpicemur, grates ſunt Diis referendæ, quod nobiſcum, velint, nolint, confiteri cogantur abuſum permittendi peculium, latiſſimam aperire in primis viam ad invehendum illud in Monaſteria proprietatis crimen, quod vitium nequiſſimum compellat D. Benedictus. quodve, ut e Monaſteriis propellerent exterminarentque, nullum non moverunt lapidem, nihilque intentatum reliquerunt ſanctiſſimi Patriarchæ

omnes.

omnes. Fatentur quoque aliqua eſſe, quæ Monachis non permittebantur etiam ex licentia Prælatorum. Quæ certe non alia ſunt, quam nummi, ſeu pecuniæ. Quam porro bene iſta cohæreant cum iis, quæ ſub initium recitati commenti produntur; nempe ex Regulis Monachalibus colligi permiſſionem peculii, judicet prudens lector, advertatque tantam eſſe manifeſtæ veritatis vim, ut vel ab invitis hoſtibus ſuffragia extorqueat, eorumque machinationibus altius aſſurgat. Sed hæc obiter dicta ſint.

V. Ut autem univerſum commentum ſeipſo corruat, & in fumum penitus evaneſcat, id in mentem revocandum eſt, quod (cap. 4. n. 1.) jam indicavimus: videlicet peculii nomine, non victum, & veſtitum, ſeu ſupellectilem, quæ de communi ſuppeditantur, ſed bona quædam a communi patrimonio ſeparata venire, cujuſmodi ſunt cenſus, pecuniæ, cæteraque id genus. Si quis ex omnibus Regulis Monachalibus vel unam producat, quæ vel annuarios reditus, vel pecuniam privatim Monachis impertiat, continuo ei aſſurgo, victoriamque illi cano. Ac ut de Regula Benedictina pauca dicam, mirari ſatis minime ſubit, qua fronte poſſit primo loco in peculii ſavorem allegari, cum nullum in ea vitium ſeverius proſcribatur, quam peculii abuſus. Anne peculium permittit laudato 33. cap. cum ait? *Præcipue hoc vitium amputetur de Monaſterio*. Anne peculium permittit (cap. 55.) cum ſic alloquitur Abbates? *Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria, ideſt cuculla, Tunica, pedales, caligæ, bracile, cultellus, graphium, mappula, acus, tabulæ, ut omnis auferatur neceſſitatis excuſatio*. Anne peculium concedit, dum (cap. 59.) Parentes Nobilium Candidatorum Monachatum anhelantium obſtringit, ut ſpondeant ſub jurejurando ſe nunquam vel aliquid collaturos, vel quidquam habendi occaſionem filiis ſuis exhibituros? Si Regula præcipit & omnia eſſe communia juxta formam deſcriptam in Actibus Apoſtolorum, & omnia neceſſaria ab Abbate ſubminiſtrari uſque ad parvulum acum omnibus Monachis, ſive intra, ſive extra clauſtra degentibus, ſive ſanis, ſive infirmis, prout cuique opus eſt *ut omnis neceſſitatis excuſatio auferatur*, cuinam uſui monachali inſervire deberet peculium iſtud? neceſſarione, an ſuperfluo? Fateare ergo oportet, aut Regulam non imperare omnium neceſſariorum collationem: Et hoc eſt negare Solem in meridie lucere: vel concedere ſuperflua ſtatui, & hæc eſt blaſphemia: vel damnare peculium, quod eſt veriſſimum.

VI. At, inquiunt, peculium Regulæ improbant clandeſtine, & inconſulto Abbate retentum, nullo modo vero conſentiente ſuperiore habitum. Lepide ſane, atque ſubtiliter. Poterunt ergo Religioſi, ſuperioribus conſentientibus, Apoſtolicæ communitatis jugum excutere, aurum argentumque tractare, crumenam lateri hærentem deferre? Anne in Abbatum, vel ſuperiorum arbitrio paupertatis votum conſtitutum? Ut hoc ſophiſma fraude doloque plenum quodve inflatis buccis ubique jactant, nullo negotio

convellam, duo diſtinguenda ſunt. Lex communitatis Apoſtolicæ, quam omnes Regulæ ſervandam præcipiunt. Et Sphæra, intra quam circumſcribitur Prælatorum poteſtas. Omnia bona, ſive propria induſtria parta, ſive a parentibus oblata, ſive aliunde obvenientia, communia eſſe debent. Et hæc eſt lex, in quam nihil prorſus auctoritatis habent Prælati, ſi neceſſitatis, alteriuſve extraordinarii eventus cauſſam excipias. Alioquin ſi ab hac communitatis lege diſpenſare abſolute poſſent Prælati, & bona privata concedere, actum eſſet conclamatumque de paupertatis voto. Quoniam poſſent Superiores ſibi invicem ſuccedentes talem effingere paupertatem, qualem eorum depingeret cupiditas. Quis ergo ſenſus illius ad ravim uſque repetitæ clauſulæ? *De licentia Superioris* Regulares ſubditi poſſunt habere, accipere, dare &c. Genuinus horum ſimiliumque verborum ſignificatus eſt, quod Monachi ſive Regulares de conſenſu Superioris poſſunt habere, & accipere bona de communi patrimonio ſubminiſtrata, quod Monachi inconſulto, & inſcio Superiore nequeant vel de ipſis bonis communibus quidquam accipere, retinere, dare &c. Sphæra itaque, intra quam circumſcribitur Abbatialis poteſtas eſt diſtributio victus, & veſtitus de communi patrimonio, prout cuique opus eſt. Prius ergo bona communia conſtituenda ſunt ex Regularum præcepto, haudquaquam Prælatorum poteſtati, ad hoc quod attinet, ſubjecto. Deinceps Prælatorum prudentia, & charitate ſingulis juxta majorem, minoremve indigentiam tribuenda. Quem ſenſum produnt omnes Regulæ Monachales. Sed, quod magis feſtivum eſt, ac lepidum, ipſamet Regula S. S. Pauli & Stephani, quæ opponitur in commento, explicatius cæteris hunc exprimit ſenſum, quem ne imperiti lectores perciperent, textus Regulæ truncatus producitur. Textus enim allegatus hæc immediate, ut ajunt, ſubdit. *Nec inter ſe fratribus liceat id, quod de communi quiſquam acceperat, niſi permiſſu Prioris cum alio fratre peculiari amore mutuare* (rectius commutare) *ſic tamen communia ſunt habenda* (inquit Regula Servi Dei) *ut nullus dare aut accipere, niſi Abbate ordinante præſumat.* Idque conceptiſſimis verbis Regulæ cæteræ reſonant omnes. Sed vereor, ne prolixior reſponſio veritatem certiſſimam perſpicuamque efficiat obſcuram.

VII. Ut itaque plura in pauca contraham, quis ſibi temperare valet, ne calamum acuat, ſtylumque diſtringat, dum audit Theologos poteſtatem hanc Prælatorum ad majorem Apoſtolicæ communitatis conſervationem, datam ad ſacrilegam proprietatem fovendam detorquere? Quia Monachi de Superiorum poteſtate poſſunt victum & veſtitum ex communi accipere: codicem, tunicam, acum hiſque ſimilia de communi ſibi collata alteri fratri mutuo dare, qua bona fide, quo animi candore, hinc inferre audent, poſſe Monachos, & Regulares de eorumdem Prælatorum voluntate peculium habere moderatum, ideſt crumenulas ſin minus plenas, moderate ſaltem turgentes, privatam ſupellectilem, annuos cenſus, cæte-

cæteraque id genus? Regulæ omnium Patriarcharum, tum Orientalium, tum Occidentalium, tum Monachorum, tum Mendicantium clamant, inclamantque: *Sint vobis omnia communia, ut legitis in Actibus Apoſtolorum, ut ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum: Apoſtolica vita optamus vivere. Ad commonendum vos ipſa de Actibus Apoſtolorum lectio recitabitur, ut videatis ubi ſcripta ſit forma, quam deſideramus implere.* Ex his autem Monachalibus Regulis, ex his Apoſtolicis documentis, quid inferunt Theologorum noſtri temporis non pauci? Audite Cœli & obſtupeſcite. *Quantum autem colligi poteſt ex Regulis Monachalibus* (inquiunt in citato commento) *non erat prohibitum peculium rerum mobilium de licentia Superioris ...... Permittitur accipere, & dare de licentia Superioris ..... Inſpecto illarum* (Regularum) *tenore bene apparet, quod ſecundum illas parum peculii concedi poterat, & licebat habere ſolum peculium valde moderatum.* Vah putidum commentum dixerim, an delirium!

VIII. Ex quibus omnibus hoc elicio, per ſe alioqui fluens, conſectarium. *Si* jam inde ab Apoſtolorum tempore ad hanc uſque ætatem noſtram, omnes ad unum ſacrorum ordinum Inſtitutores votum paupertatis bonorum omnium perfecta communitate explicarunt, ſicque explicatum, non ad Metaphyſicas leges exactum Deo nuncupandum proponunt præcipiuntque: *Si* omnes privati peculii vitium ſeveriſſime prohibuerunt, & illius occaſionem ab imis radicibus amputari omni ſtudio curarunt. Conſequitur neceſſario peculium, ſive directe, ſive oblique, quod in executione perinde eſt, voto paupertatis Monaſticæ repugnare; & Regulares communem vitam non ſervantes, omnium Sanctorum Patriarcharum ſententiam in extremo damnationis verſari periculo, naturalis neceſſitatis cauſſa ſublata. Quod eo magis verum eſt, quod omnes Religionum Inſtitutores, leges, quas aut experientia, aut alia ratione obſervatu difficiles inſpexere, vel temperarunt, vel penitus abrogarunt, aliaſque modo mitiores, modo ſeveriores pro temporum ratione ſubſtituerunt. Difficillimam experti ſunt communitatis Apoſtolicæ obſervantiam. Abuſum peculiorum ab Anania & Saphyra ad hæc uſque tempora ſcopulum ſemper fuiſſe, ad quem alliſit Monachorum fragilitas, agnoverunt. Eorum erat tot Naufragiorum Scyllam evitare, tot laqueorum Charybdim removere, legemque obſervatu difficillimam aut temperamento aliquo delinire, aut penitus de medio tollere. Tantum vero abeſt, ut iſtius paupertatis, ſeu communitatis legem vel in minimo laxaverint, quod contra novis ſemper ſtatutis roboraverint, ſemper munierint & firmaverint. Quæ unanimis & a tot ſæculis perennis omnium Patriarcharum conſenſio argumentum adeo validum, atque luculentiſſimum eſt, ut cauſſam meam non modo oret, peroretque, ſed cumulate conficiat, & in ultimo evidentiæ lumine conſtituat. Apage ergo procul amice lector, eos omnes Scriptores, qui neglectis Sanctorum Regulis, propriis famulantur cogitatis; Tuæque pro-

Digitized by Google

feſſionis eos habeto interpretes, ac Magiſtros, qui lumine ſuperno perfuſi, Regulas Evangelicæ & Monaſticæ perfectionis condidere, ut ea; qua par eſt, ſinceritate & ſanctitate reddere poſſis Domino Deo tuo, vota, quæ diſtinxerunt labia tua.

CAPUT DECIMUM.

Communis vitæ præceptum antiquorum Pontificum Decretis, Conciliorumque Canonibus confirmatur.

I. HUcuſque communis vitæ præceptum ex Actibus Apoſtolorum, ex Patribus præcipue Monachalium Regularum conditoribus innotuit: Nunc autem in majorem veritatis explanarionem, Pontificum Decreta, Conciliorumque Canones proferemus. Clem. Papa Primus (epiſt. 4.) quæ habetur in Decreto (cauſ. 12. 9. 1.) ait: *Dilectiſſimis fratribus, & Condiſcipulis Hieroſolymitanis cum chariſſimo fratre & Coepiſcopo Jacobo habitantibus ſalutem. Communis vita omnibus ſcilicet Clericis neceſſaria eſt & maxime his, qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum, & diſcipulorum eorum imitari volunt. Quapropter hæc vobis cavenda mandamus, & doctrinis, & exemplis Apoſtolorum obedire præcipimus, ut ab Apoſtolicis Regulis non diſcedatis, ſed communem vitam ducentes adimplere ſatagatis.*

II. Urbanus I. (c. ſcimus. 12. 9. 1.) *Quicumque veſtrum vitam communem ſuſceptam habet, & vovit, ſe nihil proprium habere, videat ne pollicitationem ſuam faciat irritam, ſed quod Domino pollicitus eſt fideliter cuſtodiat, ne damnationem ſed præmium ſibi acquirat.* Gratianus in ſuo Decreto loco laudato plura alia congerit; verum quia omnes ad unum eruditi iſtas, aliaſque non paucas veterum Romanorum Pontificum epiſtolas decretales, ceu ſpurias, atque ſub finem ſeptimi ſæculi ab Iſidoro Mercatore confictas rejiciunt, eas ſilentio prætereo. Nihil tamen officit, quin cauſſæ noſtræ plurimum proſint. Cujuſque enim fœtus ſint, plura continent documenta & Evangelio conſentanea, & antiquitate veneranda. Genuina igitur, & irrefragabilia Pontificum, Conciliorumque Decreta in medium promamus.

III. Concilium Lateranenſe III. ſub Alex. III. anno 1179. celebratum expreſſius vitam communem præcipit, peculium quodlibet damnat, & ut ab imis proprietatis ſeu peculii radicem amputet, pœnas infligit ſeveriſſimas Abbatibus, qui præceptum non impleverint, vel impleri non curaverint. *Monachi nequaquam habere permittantur peculium. Qui vero peculium habuerit, niſi ei ab Abbate fuerit pro injuncta adminiſtratione permiſſum, a communione removeatur Altaris, & qui in extremis cum pecu-*

peculio inventus fuerit & digne non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat ſepulturam. Quod etiam de univerſis Religioſis præcipimus obſervari, ſcilicet quod non habeant peculium ſeu proprium.

IV. Hoc idem confirmat Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. anno Domini 1215. celebratum. *Prohibemus diſtricte ſub obteſtatione Divini Judicii, ne quis Monachorum proprium aliquando poſſideat; & ſi quis habuerit proprium aliquid, incontinenti reſignet. Si vero poſt hæc proprietatem aliquam habere aliquis fuerit deprehenſus, regulari monitione præmiſſa, de Monaſterio expellatur. Neque ulterius recipiatur, niſi pœniteat ſecundum Monaſticam diſciplinam. Quod ſi proprietas apud quemquam fuerit inventa in morte, cum eo in ſignum perditionis extra cæmeterium in ſterquilinio ſubterretur, ſicut Beatus Gregorius in Dialogo narrat ſe feciſſe. Unde ſi quidquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum, non præſumat illud accipere, ſed Abbati, ſeu Priori vel Cellerario aſſignetur; nec æſtimet Abbas quod ſuper habendo proprio poſſit cum aliquo diſpenſare. Quoniam abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut nec ſummus Pontifex poſſit indulgentiam concedere.*

CAPUT XI.

Tergiverſationes, & interpretationes, quibus Scriptores non pauci obſcurare audent laudata Pontificia decreta, diſpelluntur.

I. QUamvis Pontificum ſive Conciliorum Decreta, quæ capite ſuperiore produximus, adeo manifeſta ſint, ut nullus relinqui videatur tergiverſationi locus; nihiloſecius peculiorum propugnatores tenebras offundere iis conantur. Ut prolixitatem evitemus, horum omnium interpretamenta a Petro Paſſerino collecta profligabimus. Ne autem invidiam illis conflare videamur, eorum reſponſa propriis ipſius Paſſerini verbis expreſſa dabimus. In uno Paſſerino omnes alios impugnandos aſſumimus, tum quia Paſſerinus præ cæteris controverſiam hanc diſcuſſit, tum quia omnium cavillos & inanes ſubtilitates in unum conglomeravit. Hinc uno Paſſerino devicto, proſtrati jacebunt cæteri. Quamquam tempeſtive admonendum lectorem ducimus, Paſſerinum non tam adverſarium, quam commilitonem noſtrum pro Communitate pugnantem extare. Quandoquidem licet fuſo calamo Auctorum commenta referat, & ad quandam, ut ipſe fatetur, acuminis oſtentationem, proprio marte alia non meliora excogitaverit: attamen neque ſua, neque aliena approbat, ſed fluctuanti animo huc, atque illuc circumfertur, ut accidit cuilibet veritatis anchora deſtituto, & tandem ſub finem diſputationis omnia retractat,

Digitized by Google

ctat, & Regulares ad vitam communem ex graviſſimo præcepto adſtrictos conceptiſſimis verbis adfirmat, ut ſuo loco demonſtrabimus. Placuit hæc iterum de homine ſapientia & pietate eximio repetere, ne ejus auctoritate decipiantur, qui in librorum lectione, quæ ſibi favere arbitrantur, altius memoriæ commendent: quæ vero ſibi adverſantur, clauſis oculis prætereant. Ad rem modo accedamus.

II. Ad Decretum igitur Concilii Lateranenſis III. inquientis: *Monachi nequaquam peculium permittantur habere; Qui vero peculium habuerit, niſi &c.* Reſpondent apud Paſſerinum (Tom. I. de ſtat. hom. quæſt. 186. art. 7. Inſpect. II. n. 293.) „ decretalem illam (verba ſunt Paſſerini) non „ debere limitari ex illa particula *pro injuncta adminiſtratione* ad ſolam „ adminiſtrationem ex titulo communis, & ordinarii Officialis Conventus, quia Concilium abſolute loquitur, & ideo adminiſtratio abſolute, „ & univerſaliter debet accipi; ita quod ſi etiam Prælatus uni vel alteri „ committat hujus vel illius rei adminiſtrationem, excuſatus remaneat a „ vitio proprietatis is, cui id fuerit commiſſum.

III. En nobilem interpretationem! Concilium Monachos ut Monachos peculio privat, ſed Monachos Prælatorum poteſtate miniſtros effectos peculio donat. Monachi in miniſterio conſtituti, non peculii, ſed communium bonorum miniſtri appellantur. Si Monachi omnes, Prælati arbitrio munere adminiſtrationis decorati peculium retinere queunt, qui ſunt ii Monachi, rogo te, quibus Concilium peculium interdicit? Nunquid Synodus Oecumenica præciſionem quandam metaphyſicam prohibuit, ne ſcilicet Monachi peculium habeant, niſi pro injuncta adminiſtratione, ideſt niſi Monachi ab Abbate declarati ſint proprii peculii adminiſtratores? Quid, quæſo, obvio illius decretalis ſenſui violentius? Siquidem illa verba: *Niſi ab Abbate ei fuerit pro injuncta adminiſtratione permiſſum:* hunc reddunt germanum ſenſum, ut ex communi Caoniſtarum ſententia docet Fagnanus ad Caput (Monach. n. 122.) ſcilicet „ ut bonorum ſtabilium adminiſtrationem habere poſſint officiales ad nutum amovibiles. Nam gloſa in figuratione caſus: Nota, inquit, con„ cedi peculium ex cauſſa adminiſtrationis, quæ verba gloſæ ſic expli„ canda videntur. Non enim dicitur concedi in adminiſtrationem, ſed „ cauſſa adminiſtrationis „ Hæc omnia clarius explicamus, ſi uno verbo aſſeramus, quod bona officiali in adminiſtrationem aſſignata peculium privatum dici nequeunt, ſed portio communis Patrimonii.

IV. Cæterum, ut reſponſionis inanitas evidentius pateat, ratio, qua eam roborare conantur, audienda „ Quod vero, inquiunt apud Paſſeri„ num loco laudato (num. 195.) hujuſce adminiſtrationis conceſſio poſſit „ eſſe occaſio mali, cum hoc illi per ſe non conveniat, non ſequitur, „ quod fuerit omnino prohibita, & non fuerit permiſſa, maxime quod „ in hoc legum penſanda ſunt verba, & in pluribus caſibus poteſt eſſe „ honeſta „ Hac doctrina admiſſa, actum eſt de omnibus poſitivæ legis man-

mandatis. Alloquutio Monachi cum Moniali ex ſe mala non eſt, ſed pluries ſancta. Delatio armorum, comeſtura carnis die Veneris, Matrimonium clandeſtinum quid mali præſeferunt ex ſeſe? Quid plura? Non modo peculii, ſed divitiarum & theſaurorum uſum, imo & dominium Deus ipſe hominibus conceſſit, quia ex ſe nil mali produnt. Cur ergo tu ſolemni voto divitias omnes Deo nuncupaſti? Reſpondet Paſſerinus (n. 282.) „ *Sed & advertendum* eſt id quod ex Oſtienſi conſideravit S. Antoninus " (par. 3. Tit. 16. c. 1. §. 11. not. 4. Summæ Theol.) nimirum quod " concedere Religioſo res ad uſum, eſt res periculoſa & invidiæ, & " exempli mali cauſſa, & quod ſine magna & evidenti cauſſa non eſt hoc " permittendum Monacho non habenti adminiſtrationem. Nam vere negari non poteſt quod poſſidere, licet ad nudum uſum facti, non ſit " multorum malorum occaſio. „ Inſpice privilegium veritatis, cui lucri plurimum ex ipſis vel adverſariis accedit. Idem os uno hiatu calidum, & frigidum efflat. Quia peculium per ſe mali occaſio non eſt Concilium Lateranenſe omnino illud non prohibuiſſe aſſerit. Nunc vero ait conceſſionem peculii multorum eſſe occaſionem malorum, ideo Religioſo nullo modo impertiendam, niſi abſque magna, & evidenti cauſſa. Si negari haud poteſt quin peculium ſit invidiæ, ſcandali, aliorumque ſcelerum origo, & occaſio, quo fundamento poſtea ſubdit, Concilium illud non vetaſſe, quia per ſe mali occaſio non eſt? Num Concilia in formandis morum Regulis ad metaphyſicas abſtractiones animum intendunt? Nonne potius contrario innumera vetant, licet ſuapte natura mala non ſint, quod in praxi moralique commercio ad malum paſſim provocant, urgentque? Sentit & ipſe harum reſponſionum levitatem ideo ad alia ſeſe recipit perfugia. Reponit itaque (num. 299.) vetitum peculium repugnante, minime vero annuente Prælato habitum, ſeu modo proprietario retentum, quod *hac* ratione evincit " Quia, inquit, de eo peculio eſt ſermo, etiam in Conc. Later. quod habebatur occulte, & cujus detentio " erat punienda communionis Altaris privatione, expulſione a Conventu, & ſepultura in ſterquilinio, nec ullus unquam dicet quod ſit privandus communione Altaris & expellendus a Monaſterio, & ſepultura " in ſterquilinio puniendus, qui quod retinet, retinet de licentia Superioris. "

V. Utique nemo aſſerit Monachum habentem peculium de Prælati licentia aſini ſepultura puniendum, ſed omnes aſſirmant, ut ſuo loco oſtendam, & Monachum recipientem, & Prælatum impertientem peculii habendi licentiam infernali carcere plectendos, niſi evidens & urgens neceſſitas excuſet, quam evidentem neceſſitatem, juſtamque cauſſam rariſſime contingere infra demonſtrabimus. Duo igitur Concilium Lateranen. ſtatuit. Primum legem rogat interdicentem Prælatis, ne Monachis peculia permittant. *Monachi nequaquam peculium permittantur habere.* Secundo in *tranſgreſſores pœnas infligit.* *Qui vero peculium habuerit, niſi*

ab

ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum, a communione removeatur Altaris. Hæc duo ſi ſecernantur, evaneſcunt cavilli omnes.

VI. Ad ultimum tandem accedimus reſponſum, quod exhibet (n.300.) „ Dicitur tertio, quod dictæ Decretales nihil novi decernunt ſupra id, „ quod ex vi voti & regulæ cujuſcumque Ordinis Monachalis eſt debi- „ tum, niſi pro quanto imponunt pœnas in dictis decretalibus contentas. „ Ideo earum decretalium eſt ſenſus, quod Monachi non permittantur „ habere peculium contra præſcriptum legis Divinæ proprietatem prohi- „ bentis, & præſcriptum Regulæ. Quod probatur, quia in hac parte „ Concilium Lateranenſe non prohibet directe habere peculium, ſed ſup- „ ponit illud eſſe prohibitum, & prohibet ne Prælati illud permittant ha- „ beri. Quod certe habet hunc ſenſum, ut non permittant haberi pecu- „ lium contra legum præſcriptum. Quod ſi Concilium aliquid novi con- „ dere voluiſſet, id faciendi planus modus & conſuetus erat prohibere „ directe, ne peculium haberetur, non vero prohibere illius permiſſio- „ nem. Sed ex quo prohibita eſt permiſſio, prohibitio reſpicit Superio- „ res, & prohibentur, ne permittant in materia peculii legum rigorem „ relaxari, & non obſervari. „

VII. Grates Diis referendæ, quod tandem Paſſerinus fateatur Concilium Lateranenſe, non tam prohibere peculium, quam declarare illud eſſe prohibitum; atque prohibitionem Concilii proxime Prælatorum poteſtatem coercere, ne in peculii materia legum ſeveritatem ullatenus relaxari ſinant. Eccuinam in mentem veniret, Paſſerinum poſt deciſionem adeo patentem potuiſſe denuo deſperatam peculii cauſſam ſuſcipere; imo quod pejus eſt ex ipſo Concilio peculii conceſſionem inferre? Id certe creditu difficile foret, niſi ipſemet conceptiſſimis verbis aſſereret aliud eſſe prohibitionem permittendi peculium, aliud vero prohibitionem impertiendi licentiam habendi peculium. En ejus verba (num. 302.) „ Nam pro- „ hibitio permittendi aliquid non eſt prohibitio dandi licentiam ad il- „ lud habendum vel agendum juxta legum præſcriptum & indulgen- „ tiam, ſed eſt prohibitio permittendi malum, permiſſio enim malum re- „ ſpicit. Nam & Deus, & leges malum permittunt ſæpius. Ideo eſt pro- „ hibitio ne Superiores contra votum paupertatis & profeſſionis, & re- „ gulas permittant proprietatem ſerpere in Ordinibus Monachorum: un- „ de non prohibetur haberi peculium de licentia juſta, quia hoc non eſt „ malum, ſed prohibetur haberi illud contra leges, & ideo proprietario „ modo vel ex cauſa non juſta. „

VIII. Hæc ſunt inventa pluſquam poetica. Prohibet Concilium permiſſionem peculii, & non prohibet conceſſionem peculii? Nequeunt Prælati peculii permiſſioni aſſentiri, & poterunt operam dare, licentiam impertientes, ut Monachi peculium habeant? Quid ineptius, quid inſulſius excogitari unquam potuit? Dum hoc inventum concepit Paſſerinus, communi ſenſui, ipſiſque grammaticalibus regulis renunciaſſe videtur.

Quam-

Digitized by Google

Quamquam enim Theologi ſæpe verbum hoc *permittere* ad illud ſignificandum malum adhibeant, in quod permittens minime influit, ſuapte tamen natura idem ſonat ac concedere, ut vocabularia omnia edocent. Hocque in ſenſu illud uſurpant ſæpius Theologi latine loquentes, illudque uſurpavit Concilium Lateranenſe, imo & ipſum Tridentinum a viro latinitatis callentiſſimo exaratum. Aliter dum (ſeſſ. 25. cap. 2. de Reg. Ref.) ait: *Mobilium vero uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis conveniat*. Si quid explanatio Paſſeriniana valeret, inferendum eſſet Concilium permittere ſacrilegam proprietatem, ceu ſtatui paupertatis convenientem. Sed Paſſerinus in tota hac controverſia, ut variis Caſuiſtarum quorumdam cogitatis indulgeat, a contradictione in contradictionem ruit. Siquidem faſſus eſt numero præcedenti Concilium Lateranenſe, non tam prohibere, quam declarare peculium vetitum eſſe Monachis, tum lege Divina ipſius voti, tum Regula propriæ profeſſionis. Nunc vero ſibi minime conſtans docet Prælatum poſſe juxta Regulas Monachales peculium concedere. Ut vero lectori fucum faciat, addit, id fieri debere *juſta* de cauſſa. Impræſentiarum ſermo non eſt, an aliquando juſta cauſſa occurrere poſſit, ob quam Prælatus aliquo in eventu facultatem ſubdito impertiri valeat pecunias, debitis circumſtantiis ſervatis, retinendi; ſed inquirimus num Regulæ Monachales & Concilia ſacra abſolute pecula prohibeant, & hanc legem peculia omnia abſolute prohibentem, ſeveriſſimaſque pœnas in violatores ferentem, evidentiſſimam eſſe aſſerimus. Quænam, amabo, Dialectica hanc admittit argumentationem? Neceſſitate quandoque cogente lex obſervatu non eſt poſſibilis. Ergo lex abſolute non eſt, non obligat, non urget. Die Veneris aliquo in eventu neceſſaria eſt carnis comeſtura: Ergo tali die comeſturam carnis Eccleſia non prohibet? Et ſic de quibuſque aliis poſitivæ legis *præceptis* diſſerere poſſumus. Verum quid diutius immoramur in his refellendis cavillorum quiſquiliis, cum ſolæ antilogiæ, quibus Paſſerinus ſe conficit, ad veritatis, quam defendimus, manifeſtationem ſufficiant. & revera nec ipſe his ſophiſmatibus multum fidit; ideo vaniſſimum commentum, quod ſupra propulſavimus, iterum nobis obtrudit (n. 303.) „ Reſpondetur quod particula illa *pro injuncta adminiſtratione* importat, nedum adminiſtrationem publici, & ordinarii Officialis, ſed quamlibet adminiſtrationem, ſeu licentiam & obedientiam. „

IX. Clarius hic mentem ſuam prodit, cum aperte aſſerit Concilium, non limitaſſe adminiſtrationem pecuniarum, ſeu bonorum Conventuum ſolis Officialibus publicis, ſed ad quemlibet Monachum Prælato conſentiente extendiſſe. Quare Superiores, licet abſolute nequeant Monachis, qua Monachis, licentiam retinendi peculium concedere, valent tamen quemlibet Monachum, & ſi quemlibet, cur non omnes, Miniſtros conſtituere, hacque præditis adminiſtratione marſupia, crumenas, congruamque ſupellectilem impertiri. Hinc impoſterum, non amplius Monachi ab

Digitized by Google

uno cellario paſcendi, non ab uno veſtiario induendi, ſed quilibet ſibi veſtiarius, quilibet Cellarius, propriæ quilibet Oeconomus domunculæ, & procurator, quia per Paſſerinum Prælatus poteſt omnes Monachos proprii peculii miniſtros conſtituere. Dum hæc in Paſſerino legebam, verebar, ne meorum imbecillitas oculorum mihi fucum faceret, adeo a veritate & bono ſenſu aliena ſunt. Quapropter majore non egent impugnatione, præ ea, quam ſuperius dedi.

CAPUT XII.

Conciliorum Lateranenſium Decreta ex aliis Conciliis clariora fiunt.

I. Hic mos in Eccleſia Catholica viguit, ut ſoluto aliquo Oecumenico Concilio Epiſcopi ad proprias ſedes remeantes, nunc Provincialia, nunc Diœceſana, prout res ferebat, Concilia convocarent, in quibus ſtatuta, & Canones Univerſalis Concilii proprio Clero & univerſo gregi ſibi commiſſo annunciabant, & ſi quid minus obvium, apertumque occurrebat, clarius exponebant. Igitur poſt ſolutionem Synodi Lateranenſis IV. anno inſequente, ſcilicet 1214. celebratum fuit Concilium Montiſpatulanenſe, in quo Decretum Synodi Oecumenicæ ad Monachorum attinens diſciplinam patentius expoſitum eſt. Hunc ſiquidem Canonem conditum legimus. *Nullus Monachus vel Canonicus Regularis proprium habeat, nec etiam de ſui Abbatis vel Prioris licentia habeat, cum ipſis hujuſmodi licentiam dare non poſſint.* Vetuit inſuper hoc Concilium ne Monachis pecuniæ ad veſtes comparandas conſignarentur, ſed per publicos Miniſtros proviſionem fieri præcepit (can. 18.) *In omni Monaſterio vel Canonica Regulari certi reditus deputentur, de quibus per manus unius, qui eos colligat, fratribus provideatur de veſtimentis.* Etenim abuſum pecunias Monachis ſingulis conferendi pro veſtium emptione reprobat tamquam ſacrilegæ proprietatis occaſionem. *Quia ex hoc*, inquit, *datur materia poſſidendi proprium.* Idem ſtatuit Concilium Biterrenſe anno Domini 1233. Et Concilium Campriniacenſe anno Domini 1238. Decretum Concilii Montiſpeſſulani inſtauravit. Concilium Salmurienſe anno Domini 1253. diſpenſationes omnes ab Abbatibus & Prioribus in hac materia datas, irritas caſſaſque declaravit, idque præſtiterunt plura alia Concilia, ut videre eſt apud Thomaſinum (Tom. 1. Diſcipl. Eccl. pag. 693.) Brevitatis cauſſa ſufficiat unicum addere Concilium Turonenſe anno Domini 1239. celebratum, cujus 26. Canon. hæc habet. *Monachi niſi ſint in adminiſtratione conſtituti, non habeant ſub aliquo colore aliquam poſſeſſionem, vel aliquam proprietatem etiam de licentia Abbatum, cum licentia Abbatis in hoc eis non valeat ſuffragari.*

II. Si omnes Auctorum ſubtilitates in unum conglomerentur, tanti

non

non ſunt, ut valeant tergiverſatione aliqua hunc eludere Canonem. Siquidem dum vetat, ne Monachi *ſub aliquo colore* peculium habeant, quemlibet excludit prætextum. Neque aliquod faceſſit negotium, quod Synodus non vocabulo *proprietatis* utatur. Quandoquidem eam proprietatem prohibet Monachis privatis, quam concedit Miniſtris publicis. Patet autem neque ipſos Miniſtros publicos habere poſse proprietatem cum Dominio, vel independentia. Nomine igitur proprietatis peculium intelligit, ſicut intellexit Concilium Lateranenſe III. (cap. Monach.) *Hoc de univerſis Religioſis præcipimus obſervari, ſcilicet quod non habeant peculium ſeu proprium.* Tandem dum expreſse aſserit licentiam Abbatis nullam eſſe, neque ſuffragari aliquo modo Monachis poſse, omnem cavillandi materiam tollit. Placet hoc Capitulum claudere doctrina Dionyſii Carthuſiani, qui de Reformatione Clauſtralium articulum 13. inſtituit. *Contra* (ſunt ejus verba) *quoſdam peculium Monachorum periculoſe & imperite excuſantes.* Hic eſt articuli titulus, in quo hæc ſcribit: *Denique ad ea, quæ ſupra inducta ſunt ex Concilio Lateranenſi & conſtitutione Domini Papæ, reſpondent: quod prohibitio illa de habendo peculio aut proprio intelligenda ſit, quod Monachus non debet aliquid poſſidere aut habere peculium nomine proprio. Non autem ibi prohibetur Monachus aliquid poſſidere nomine Abbatis & de expreſſa permiſſione illius. Similiter dicunt quod cum Monacho non poteſt diſpenſari ut habeat proprietatem nomine ſuo, ſed poteſt cum eo diſpenſari ut habeat aliquid peculiare nomine Abbatis aut Monaſterii.* En paucis verbis quorumdam Caſuiſtarum tergiverſationes, quibus periculoſe, & imperite, ait Carthuſianus; obſcurare conatur Decreta Pontificia, & Synodales Canones; ſed audiamus doctiſſimi, unaque piiſſimi viri reſponſum.

III. *Iſtud videtur inconſideratiſſime dictum; in ipſo namque Concilii Lateranenſis Decreto peculium luce clarius Monachis adminiſtrationem communem non habentibus prohibetur. Et Abbati ſub pœna abſolutionis a ſuo officio diſtricte præcipitur, ut non permittat aliquem Monachorum ſuorum habere peculium, niſi ratione adminiſtrationis; quod item habentes peculium & morientes in eo ſecundum determinationem Concilii puniat.. Quomodo ergo Monachus nomine Abbatis poteſt habere peculium, cum Abbati prorſus prohibitum ſit peculium Monacho dare, imo & permittere, ut habeat illud? Præterea quæro ab illis peculii Monachorum excuſatoribus, quomodo intelligunt id, quod dicunt, Monachum nomine Abbatis poſſe habere peculium? Si namque ita intelligunt nomine Abbatis, ideſt ex parte, ſeu conceſſione vel licentia Abbatis, jam patuit quod hoc prohibitum ſit Abbati hoc ipſum concedere, licentiare, ſeu permittere. Si autem intelligant nomine Abbatis, ideſt in quantum eſt Abbas vel repræſentet Abbatem, conſtat hoc fatuum, riſuque dignum eſſe. Siquidem ſimplex Monachus non eſt Abbas, nec repræſentat eum in aliqua publica adminiſtratione, peculio, ſeu peculiis indigente.* Neque ipſe

modeſtiſſimus Carthuſianus cohibere ſe potuit quin inconſiderantiæ & ſatuitatis argueret futiles violentaſque interpretationes, quibus imperiti tenebras offundere audebant manifeſtis Synodorum Decretis. Quæ autem non vibraſſet jacula, ſi poſterorum audiſſet reſponſa: Scilicet Concilium prohibere permiſſionem, non vero conceſſionem peculii, & quod omnes Monachi conſtitui queunt adminiſtratores proprii peculii? Verum nos eorum meritas cenſuras ſilentio prementes, ad alia properamus.

CAPUT XIII.

Concilii Tridentini Decreta communem vitam Regularibus præcipiunt, peculiumque vetant.

I. QUoniam ex morum depravatione, ceu ex fonte rivuli, hæreſes omnes, deplorabili experientia teſte, originem trahunt, ſacra Tridentina Synodus, ut ab imis hæreſum radices præcideret, non Canones dumtaxat, quibus catholica dogmata ſarta recta tueretur, condidit; verum etiam Chriſtianorum moribus reparandis, formandiſque conſentanea aptavit remedia. Et quia populi Chriſtiani reformatio morumque integritas a ſupremi Eccleſiaſtici ordinis ſanctitate plurimum pendet, præcipuum ſacræ Synodi inſtitutum eo ſpectavit, ut profligatis hæreticorum monſtris, Eccleſiaſticæ diſciplinæ priſtinum reſtitueret ſplendorem. Porro hujus diſciplinæ nobiliſſima portio eſt Monaſtica, quæ cum ad ſanctiſſimas, quas profitetur, Regulas, vitam componit, in univerſam Chriſti Eccleſiam clariſſimam diffundit lucem, totiuſque ſanctuarii decus eſt, & ornamentum. Hoc in capite ea tantum referam; quæ Tridentinum Concilium ſtatuit pro reformatione iſtius, ubi collapſa eſt, diſciplinæ, & pro perenni, ubi viget, cuſtodia. Tria integra capita, quæ habentur (ſeſſ. 25.) quæve hanc Regularium reformationem reſpiciunt, iſthuc tranſcribere lubet, ne dum ſequentibus capitibus de eiſdem occurrerit ſermo, ſuſpicari lector poſſit, quod ſint vel doloſa fraude truncata, vel in alienum ſenſum detorta.

II. Primum caput (ſeſſ. 25.) pro Regularium reformatione ea præcipit, quæ Regulares adamuſſim ſervare tenentur, eſtque hujus tenoris: „ Quoniam non ignorat Sancta Synodus, quantum ex Monaſteriis pie „ inſtitutis & recte adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris atque utilitatis oriatur, neceſſarium eſſe cenſuit, quo facilius ac maturius, ubi collapſa eſt, vetus & regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantius ubi „ ſervata eſt, perſeveret, præcipere, prout hoc decreto præcipit, ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad Regulæ quam profeſſi „ ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant & componant, atque in primis, „ quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ paupertatis, & „ caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus regulæ & ordinis peculiaria vota &

præ-

præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum & veſtitum conſervanda, pertinentia, fideliter obſervent, omniſque cura & diligentia a Superioribus adhibeatur tam in Capitulis Generalibus & Provincialibus, quam in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur: cum compertum ſit ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius regularis diſciplinæ exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt. „

III. „ Caput II. Nemini igitur Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo acquiſita tamquam propria aut etiam nomine Conventus poſſidere vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum vel uſum, adminiſtrationem, aut Commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conventuum ad ſolos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium vero uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod ſit neceſſarium eis denegetur. Quod ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus aut convictus fuerit, is biennio activa & paſſiva voce privatus ſit; atque etiam juxta ſuæ Regulæ & Ordinis Conſtitutiones puniatur. „

IV. „ Caput III. Concedit Sancta Synodus omnibus Monaſteriis & domibus tam virorum, quam mulierum & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Franciſci Capuccinorum, & eorum, qui Minores de Obſervantia vocantur, etiam quibus aut ex Conſtitutionibus ſuis erat *prohibitum*, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia poſſidere liceat. Quod ſi aliqua bona ex prædictis, quibus auctoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint: eadem omnia illis reſtituenda eſſe decernit. In prædictis autem Monaſteriis & domibus tam virorum quam mulierum bona immobilia poſſidentibus vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur ac impoſterum conſervetur, qui vel ex reditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari. Nec de cætero ſimilia loca erigantur, ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta. „

V. Communitas, quam Sancta Synodus in primo ſuo decreto præcipit, ea eſt quam Regulæ Monachales præſcribunt. Quiſque igitur ſuam conſulat Regulam, quam profeſſus eſt, ut inde habeat expreſſam communis vitæ imaginem, quam Tridentinum Concilium ſervari mandat. Satis vero Concilio haud fuit Communitatem præcipere, ſed ad profliganda omnia commenta, quæ, ut ſua ſtatuta eluderet, excogitare poſſet ſagax divi-

Digitized by Google

divitiarum cupiditas, ſecundum edidit decretum, in quo primum vetat Regularibus omnibus, bona ſive mobilia ſive immobilia quovis modo acquiſita, tamquam propria, vel etiam nomine Conventus poſſidere vel tenere. Secundo mandat omnia bona Superiori conſignari debere, atque Conventui incorporari, ſeu cum communi Conventus patrimonio confundi & miſceri. Tertio Superioribus impertiendi ſubditis bona ſtabilia etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut Commendam adimit poteſtatem. Quarto omnia bona Monaſteriorum per ſolos Officiales ad nutum Superioris amovibiles jubet adminiſtrari. Quinto Prælatos admonet ut Religioſis de communibus bonis ita provideant, ut nil ſuperflui ſit, nihilque, quod neceſſarium ſit, deſit. Sexto in horum decretorum tranſgreſſores pœnas infligit.

VI. Tandem poſt hæc tria decreta, quæ Regularis diſciplinæ baſim atque ſubſtantiam vitæ communi nixam intime tangunt; pluribus aliis per diſtincta capita editis, pro eorumdem Regularium reformatione ſanctiſſimis ordinationibus earum omnium exactam obſervantiam præcipit, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, Conſtitutionibus, Conſuetudinibus vel præſcriptionibus etiam immemorabilibus. *Hæc omnia* (inquit cap. 22.) *& ſingula in Superioribus decreta contenta obſervari ſancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis & Monaſteriis ... non obſtantibus eorum omnium & ſingulorum privilegiis ſub quibuſcumque formulis verborum conceptis ac Mare Magnum appellatis etiam in fundatione obtentis, necnon Conſtitutionibus aut Regulis juratis, atque etiam conſuetudinibus vel præſcriptionibus etiam immemorabilibus.* Deinde Epiſcopis omnibus, Abbatibus, Generalibus, aliiſque Superioribus mandat, ut omni conatu, nullaque interpoſita mora hæc omnia, & ſingula obſervari curent. Si qui vero in executione minus ſolliciti reperti fuerint Epiſcoporum negligentiam per Concilia provincialia & Generalium, Abbatum, aliorumque Superiorum per Capitula generalia imperat coerceri. *Et ſi quid executioni mandatum non ſit, Epiſcoporum negligentiam Concilia ſuppleant & coerceant; Regularium vero Capitula provincialia & generalia provideant.* Denique ut ardentiſſimum ſuum zelum pro horum omnium executione evidentius prodat, brachii ſæcularis auxilium enixe implorat, efflagitatque necnon pro viribus imperat, ut Reges, Principes, & omnes ſæculares poteſtates velint in tam neceſſariæ Regularium reformationis executionem, ſuam auctoritatem interponere. *Hortatur etiam ſancta Synodus omnes Reges, Principes, Reſpublicas, & Magiſtratus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut velint prædictis Epiſcopis, Abbatibus, ac Generalibus & cæteris præfectis in ſuperius contentæ reformationis executionem ſuum auxilium & auctoritatem interponere quoties fuerint requiſiti, ut ſine ullo impedimento præmiſſa recte exequantur ad laudem Dei omnipotentis.* Hinc colligant Chriſtiani omnes Principes altiſſimum illud onus, quo tenentur illius ſupremæ poteſtatis gladium a Deo ſibi collatum diſtringere

gere ad Divinæ legis obſervantiam promovendam in ſanctuarii cuſtodiam atque ad Regularium reformationem procurandam, ex qua in univerſa Dei Eccleſia, ipſa Tridentina Synodo teſtante plurimum ſplendoris & utilitatis oritur.

CAPUT XIV.

Vana quorumdam Commenta, ineptæque cavillationes in Tridentini decreta.

I. ANimum attollas aureſque erigas, velim, amice lector, ad ea, ſomnia dixerim, an deliria audienda, quæ effingere homines ratione præditos potuiſſe incredibile foret, niſi ad id credendum evidentia ipſa nos cogeret. Quare ut ea convellam, non rationum momenta, non ſanctorum Conciliorumve auctoritatem proferam, ſed ea dumtaxat propriis ſuorum auctorum concepta verbis ob oculos ponam, ut ſeipſis nullo extraneo impulſu admoto, ſed mutuo inteſtinoque conflictu in præceps ruant. Neque aliquis mihi ſuccenſere jure poteſt quaſi invidiam eorum auctoribus creare velim, eoſque inſcitiæ, aut ſubdolæ fidei accuſare, dum eorum commenta ceu vana ſomnia exſibilanda propono. Quoniam id mihi dumtaxat in votis, ac animo eſt ea omnia in medium adferre quæ cauſſæ bene vertunt meæ, quæve veritati manifeſtandæ viam ſternunt ampliorem. Quandoquidem ſi peculiorum propugnatores nihil ſolidi, imo ſi nihil niſi inane, niſi umbratile, niſi chimæricum reponere valent ad Tridentini decreta, hæc ex hoſtium machinationibus profundiores agunt radices, fortius firmantur, altiuſque aſſurgunt. Porro in refellendis captioſis paralogiſmis eam perſequar methodum, quam ſuperiore capite tenui in propugnandis Concilii Lateranenſis Decretis, ideſt in uno Paſſerino cæterorumque omnium confutabo reſponſa.

II. Ad primam igitur ſecundi decreti Tridentini partem, in qua quorumcumque bonorum poſſeſſio Regularibus adimitur, *etiam nomine Conventus*, reſpondet Concilium inhibere bonorum detentionem etiam nomine Conventus, ideſt inſcio Prælato & clandeſtine. Tam acuti interpretamenti audi rationis momentum, quod aſſignant apud Paſſerinum laudata Inſpectione II. n. 314. „ Quod vero, inquit, hic ſit ſenſus, ex eo eſt manifeſtum, quod Concilium ſubjungit, *ſed ſtatim ea Superiori tradantur, & Conventui incorporentur*, ubi conſiderandum quod dictio " adverſativa *ſed*, quæ in materia prohibitiva poſt orationem negativam " ſtat *incluſive*, ita ut denotet, quod poſitum in oratione negativa " ſtat *excluſive*, & id quod dictioni adjungitur ſtat *incluſive* per tradita a " Domin. (in cap. 2. de rebus Eccleſ. non alien. in 6.) & aliis quos refert Barboſa (*diſt. 360. n. 4.*) Ita accipitur in præſenti, & explicat, " quod intentum Concilii eſt, quod Religioſus utatur rebus per Præla- "

tum

Digitized by Google

„ tum receptis, & Conventui incorporatis, & quod hujus oppoſitum „ prohibet, quod eſt Religioſum tenere clandeſtine, inſcio Prælato, aut per Prælatum nondum incorporatas Conventui. „

III. Ut item promiſſis, me ſcilicet velle ſolas reſponſiones ob oculos ponere, ut ſua imbecillitate ruant, ineptæ reſponſioni nihil adjiciam: Hæc ſiquidem intra futilium particularum aſperum corticem, & clauſularum umbratile involucrum, marceſcit, diſperitque. Quamquam etſi quid reponere vellem fortaſſis non ſuppeteret; quemadmodum rationes deficerent, quibus Solem ſereno Cœlo in meridie ſplendere evincerem. Enim vero quid aliud ſignificat penes, non dicam omnes Juriſtas, Theologos, Grammaticos, ſed quemque mentis compotem, poſſidere nomine Conventus ſeu Abbatis, niſi poſſidere de licentia & approbatione ipſius Abbatis & Conventus? Et Paſſerinus aſſerit quod poſſidere bona nomine Conventus & Abbatis reddat hunc ſenſum, ſcilicet poſſidere ea inſcio Conventu, & repugnante Abbate? Ut autem erroneus iſte ſenſus eruatur, ſufficit, ſi Diis placet, ut illa dictio *ſed excluſive* & *incluſive*, *negative* & *affirmative* collocetur in oratione. His revera cymmeriis opus erat tenebris ad tantam lucem obtenebrandam.

IV. Cæterum, ut pleniorem datæ reſponſionis habeamus intellectum, ea, quæ ad illam fulciendam conglobant, prætereunda non ſunt. Quoniam poſt ſeveram dictionis *ſed* diſcuſſionem, ad criſim exigunt ea, quæ proxime ſequuntur. *Statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Et ut fabricatæ patellæ congruum aptent operculum, inquiunt incorporationem bonorum minime ſignificare cum communi Conventuum Patrimonio confuſionem & phyſicam mixtionem, ſed civilem tantum ſuperioris acceptationem; ſeu ſignificant illa verba, quod Superior mente & animo ea bona Conventui incorporanda deſtinet: at in effectu licentiam impertiatur Religioſis, qua ad proprium commodum, uſumque revocabilem eadem bona retineant; ita ut incorporatio bonorum cum Conventu ſit mentalis, cum Religioſis vero privatis ſit realis, & phyſica. Sic Paſſerinus (loco laud. n. 319.) „ Quod vero addit Concilium, ſci- „ licet quod hujuſmodi bona incorporentur Conventui, Lezana quidem „ (cap. 6. num. 19.) putat quod incorporari ſit confundi. & miſceri „ cum aliis bonis Communitatis ſine ullo diſcrimine peculii. Idem docet „ Donat. (q. 10. n. 10.) Sed certe rem incorporare non importat quid „ novum diſtinctum a receptione Superioris, ſeu a licentia recipiendi & „ habendi „ Valeant iſta penes jus civile quantum valere poſſunt. Ad intentum Concilii Tridentini Chimæræ ſunt & deliria. Si incorporatio hæc nil adfert aliud, niſi licentiam habendi & poſſidendi: Ergo dum Tridentinum mandat bona omnia Conventui incorporari, nil aliud præcipit, niſi ut Abbates & Superiores licentiam ſubditis impertiant peculium retinendi: Ergo Tridentinum non communitatem, ſed proprietatem cum licentia Abbatis habitam præcipit. Heu! Quæ non valet excogitare avara cupi-

Digitized by Google

cupiditas! Eo ergo unice tendunt ſacra Tridentini decreta ut Abbates & Superiores voluntate & intentione bona Monaſteriis applicent; reipſa vero Religioſis partita conſignent. Iſte ne ſcopus, & finis ferventiſſimi zeli, quo ſancti illi Patres decreta efformarunt ad ſartam tectam tuendam Apoſtolicam Communitatem? Neceſſarium ne erat aliquo Conciliari Decreto Prælatos obſtringi ad acceptanda bona, quæ eorum Monaſteriis obvenire contingunt, vel ad ea ſubditis tribuenda.

Verum enimvero hæc inventa explodit ipſamet ſacra Synodus inquiens. *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem aut Commendam*. Quo patentior eſt lex iſta, eo denſiores tenebras eidem affuderunt. Si quæ ſuperius oppoſuerunt peculiorum propugnatores contra primam Tridentini decreti partem, ſomnia tibi viſa ſunt: quæ nunc in medium producunt ad hanc ſecundam eludendam legem, inaudita portenta, quin tibi appareant nullus dubito.

V. Animadvertunt in primis apud Paſſerinum (num. 317.) quatuor in laudata lege reperiri particulas myſteriis gravidas, proindeque matura ſeriaque critica dignas. Prima *Deinceps*, ſecunda *Etiam*, tertia *Vel*, quarta *Aut*. Primam aſſerunt aptam eſſe prodere tam novi juris editionem, quam antiqui declarationem. Si novi juris editionem invehit, fit ſenſus. Sive ante Tridentinum Regularibus non officialibus habere rerum ſtabilium adminiſtrationem liceret, ſive non liceret, ſive tandem res dubia eſſet; impoſterum tamen nullo modo liceat. Si antiqui juris declarationem exprimit, hunc reddit ſenſum: videlicet quod Regulares impoſterum non poſſint habere adminiſtrationem rerum ſtabilium modo proprietario tamquam Domini; ac ſi licuiſſet eis ante Tridentinum ſacrilega proprietas. Hujus porro interpretamenti rationem aliorum Caſuiſtarum nomine exhibet Paſſerinus (num. 318.) „ Quia dictio *Etiam* eſt implicativa & " ſtat *ampliative & extenſive* ad caſum alterum, & magis dubitabilem, " ut habet Barboſa (dict. 112.) ſequitur, quod prima pars hujus legis " intelligi debeat de conceſſione proprietatis immobilium. „

VI. Si iterum perconteris ab eis, cur de conceſſione Dominii, non autem uſus interpretanda ſit, cum expreſſe non dominium, ſed uſum prohibeat? *Neque deinceps liceat concedere etiam ad uſum*. Illico reponunt in immobilibus duo conſideranda eſſe, & dominium & uſum rei. Clara ſunt hæc, obſcuriſſima quæ ſequuntur. Nam inquiunt: modus utendi re antecedens dictionem *etiam* competit mero uſuario; uſus vero ſequens dictionem *etiam* competit domino proprietario, & quia lex ampliat & extendit ſuam diſpoſitionem per particulam *etiam*, ſequitur, quod diſpoſitio antecedens eamdem dictionem *etiam*, reſpiciat ſolam proprietatem vero domino, & non uſuario convenientem. Hinc Tridentinum ſolam adminiſtrationem, quæ dominium involvit, prohibuit. Ex quibus omnibus tandem colligunt Tridentinum nihil prohibuiſſe, quod prius lege Divina;

& Canonica vetitum non eſſet. Ne autem ipſis imponere videar, ipſiſſima Paſſerini verba exſcribo „ Nam, inquit, (eodem num. 318.) in im„ mobilibus conſideratur proprietas, & Dominium rei, & uſus fructuum „ ejus, qui non Domino, & non proprietario competere poſſit. Cum „ vero modus utendi qui poſſit competere non proprietario, ſit poſitus „ poſt dictionem *etiam* & contineatur in hac lege tamquam id ad quod „ lex ampliavit & extendit ſuam diſpoſitionem per particulam *etiam*, ſe„ quitur quod diſpoſitio eandem dictionem *etiam* antecedens reſpiciat pro„ prietatem, & uſum, qui Domino poſſit competere; & ſit ſenſus, quod „ licet Superiori concedere ſuis Religioſis proprietatem immobilium, ſeu „ quod eis utantur tanquam Domini, quod certe eſt prohibitum jure di„ vino. Unde ex hac parte lex iſta nihil novi prohibet, quod prius per „ legem Divinam, & Canonicam non fuiſſet prohibitum. „

VII. Sed heu! Cur mentem animumque hucuſque tot verborum farragine obruiſti, ut omnium commenta in medium adduceres? Cur ſimplici ſermone non es faſſus plures Caſuiſtas aſſerere Tridentina decreta nil prohibere, otioſaque eſſe & inutilia? Quia horrorem incuſſiſſet effrons, perfractaque denegatio nullo delinita fuco, ideo inter barbaras, rugoſaſque particulas *ampliativas*, *extenſivas*, *implicativas*, ſimileſque locutionum amfractus collocanda erat interpretamenti nugacitas; ut lectores ex una parte clare intelligerent peculia minime per Tridentinum eſſe vetita: ex alia vero parte ceu turgidas myſteriis intellectu difficillimis, nihilque bonis auribus ſignificantibus venerarentur particulas illas, quæ ad tranſmutandam penes imperitos veritatem in falſitatem ſæpius aſſumuntur.

VIII. Noli quæſo, optime lector, animum deſpondere. Duæ adhuc ſuperſunt explanandæ particulæ, nimirum *Vel*, & *Aut* ut plena Tridentini textus intelligentia habeatur. Narrat Paſſerinus, plures diſputare, cur Tridentinum inter uſum, & uſumfructum poſuerit particulam *Vel*, cum poſtea inter adminiſtrationem & commendam collocet particulam *Aut*. In hac varia particularum tranſpoſitione magnum occultari myſterium quidam putant. Quia ajunt particula *vel* disjunctivum efficit ſenſum, particula vero *aut* explicativum conſtituit, & idem ſonat ac *ſive* vel *ideſt*. Conjecturas & conſequutiones quas hinc eliciunt miſſas facio, cum & ipſi eis parum fidant. Si per otium tibi licet, percurre integrum Paſſerini numerum 320. & ego interim ultimam, quam ille refert interpretationem, ea qua potero brevitate referam.

IX. Docent igitur apud ipſum non pauci (num. 321.) commendam fructuum dominium involvere, & Commendatarium, ficut & cæteros beneficiatos veros dominos redituum conſtitui. Rem dubiam pro certa venditant; ſed ad rem, de qua agimus, id parum, nihilque attinet. Ex his inferunt, adminiſtrationem rerum ſtabilium in Tridentino textu expreſſam, dominium claudere, eamque prohiberi; minime vero adminiſtrationem, quæ ſit meri uſus, ſeu facti, & non juris. Concludunt tandem,

dem,

Digitized by Google

dem, poſſe Superiores præter publicos officiales, omnes alios, ſi illis placuerit Religioſos creare procuratores, ſeu Miniſtros, ut hac miniſterali dignitate præditi annuos reditus, pecuniaſque retinere valeant. „ Quia, " inquit Paſſerinus (num. 322.) dictio *Etiam* eſt implicativa & exprimit " caſum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem ..... Tota " autem hæc prohibitio Concilii regitur per dictionem *etiam* poſitam in " principio *Etiam ad uſumfructum vel uſum vel adminiſtrationem ſeu* " *commendam*. Unde Concilium ordinate procedit exprimendo ſucceſſive " ſemper *caſum magis dubitabilem*, illum ſcilicet in quo minus ſit " de dominio in uſu fructuum rei ſtabilis; quia ex quo minus ſit de dominio, " magis dubitabile eſt an excludi debeat, quam caſus præcedens, " in quo magis de dominio extat. Et ſic primo particula *Etiam* implicavit " caſum, in quo conceditur rei proprietas, & expreſſit *caſum magis* " *dubitabilem*, in quo ſolum conceditur uſus fructus, & ſucceſſive hunc " implicando expreſſit *caſum magis dubitabilem*, quo longe minus ſit de " dominio, ſcilicet caſum, in quo ſolum conceditur uſus. Ultimo vero " *implicando caſum magis certum*, ſcilicet adminiſtrationem, expreſſit " *magis dubitabilem* prohibendo commendam, in qua præcipue ſi ſit " temporalis, minus eſt de dominio. Igitur per adminiſtrationem intelligit " eam, in qua datur aliquod dominium, & quidem majus, quam " in commenda, ſi pro eodem non ſumit adminiſtrationem, & commendam. „

X. Tandem (num. 324. & 325.) refert opinionem quæ ſtatuit poſſe Prælatos omnes Religioſos conſtituere ſuorum marſupiorum, crumenarumque procuratores „ Nec, inquit, alicubi Concilium prohibet procuratorem " Conventus non poſſe ad ſui utilitatem adminiſtrare ſine proprio, " & de ſola Superioris licentia, ſicut nec Concilium prohibet quod " Conventus poſſit ad libitum *tot Procuratores & Officiales inſtituere* ad " miniſtrandum res ſuas, quot ſibi bene viſum fuerit. „

XI. Iſtine ſunt Theologi ſacros Canones explicantes, & non potius Sophiſtæ nugas venditantes? Ad has quiſquilias, ad has inanes fatuaſque ſubtilitates, *ad caſus magis dubitabiles & minus dubitabiles*, ad inanem particularum tranſpoſitionem variamque combinationem detorquetur, deprimitur ſanctorum Canonum veneranda majeſtas? Concilium Tridentinum expreſſiſſime prohibet Prælatis ne reditus Religioſis concedant *etiam ad uſum fructum, vel ad uſum, adminiſtrationem, aut commendam*, hancque adminiſtrationem *ad ſolos officiales* vult pertinere. Hi vero interpretes, qui libenter aliis indulgent, ut largius indulgeant ſibimetipſis, ineptis circumlocutionibus, vanorumque verborum ambagibus candida in nigra vertunt, dominiumque pro uſu, & uſum pro dominio atque pro ſolis officialibus omnes Religioſos obtrudunt, ut notavit Plautus illis verſibus (curcul. act. 4. ſcen. 2.)

Rogationes plurimas propter vos populus ſcivit.

Quas vos rogatas rumpitis, aliquam reperitis rimam.
Quaſi aquam ferventem frigidam eſſe, ita vos putatis leges.

XII. Quid diceret Juriſta Paulus, quid Ulpianus, ſi has cavillationes a Theologis Chriſtianis, quorum intereſt Evangelicæ perfectionis viam patefacere, audirent? Horum paganorum ſententia lex dupliciter infringitur, aut cum contra legem aliquid committitur, aut cum callida interpretatione ſenſus illius eluditur. Illud contra legem dicunt, hoc in illius fraudem. *Contra legem facit*, inquit Paulus, *qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem vero, qui, ſalvis verbis legis, ſententiam illius circumvenit.*

XIII. Pudere certe deberet ſacrorum Canonum interpretes integritate atque candore ſententiarum ſuperari ab Ethnicis Juriſconſultis; qui nulla vera Religione imbuti, ſed ſola naturali honeſtate præditi, morum controverſias longe definiere ſeverius, & interpretationis regulas longe tradidere graviores. Illi ceu legum violatores damnant eos qui dictum legis ſervantes, ſententiam diſſolvunt licereque putant, quicquid nominatim non prohibetur. Quoniam præter expreſſa in lege, ſæpius occurrunt alia innumera, quæ occulto legum judicio damnantur; quia, inquiunt, longe plura ſunt negotia, quam vocabula. Hinc ſubjicit Ulpianus (l. penul. §. ad exhiben.) *Fraus legi fit ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit; & quo diſtat dictum a ſententia, hoc diſtat fraus ab eo, quod contra legem fit. Non enim oportet jus civile captare, neque calumniari, ſed qua mente, quidve dicatur attendere.* Hæ ſunt ſinceræ interpretationis regulæ, quas vel ipſi pagani tradidere. Noſtratum vero aliqui, nedum legis ſententias diſſolvunt, circumveniuntque, ſed legem ipſam eludunt, atque peſſumdant. Non modo a Tridentinæ legis intentione, ſcopo, & mente per abrupta aberrant, verum etiam, ut ipſius legis verba plana & pervia tenebrarum caligine obducant, per cuniculos, per rimas, per anfractus eos ire ſummo cordis dolore conſpicimus. Quoddam tamen doloris noſtri linimentum vel ex eo ſperamus, quod cum argutationes nimis craſſæ ſint, & patentes; ipſæ contra ſeipſas clamant, lectoremque, ne ſe decipi ſinat, admonent. Tantum caveat ille, ne clariſsimæ luci occludat oculos. Quare earum omnium, quæ contra Tridentinum relata ſunt, meliorem impugnationem exhibere non poſſumus, quam perſuadere lectori, ut animo præjudiciis vacuo, & mente conſiliorum Evangelicorum lumine illuſtrata, ea legat, relegatque, & ex eorum inanitate evidentiſsime colliget Tridentina decreta peculia vetantia adeo perſpicua eſſe, ut nulla valeant tergiverſatione obſcurari. Quandoquidem prohibent tum poſſeſsionem tum retentionem peculii, *poſſidere vel retinere*, prohibent habere bona tum clandeſtine, & occulte, tum palam, & de licentia Superioris, & nomine Conventus. Prohibent denique dominium, proprietatem, uſumfructum, & uſum. Quæ omnia adeo luculenta ſunt, ut non alio invento eludi potuiſsent quam ridicula-

cularis illarum particularum combinationibus, quæ ipſis etiam Stoicis riſum moverent.

CAPUT XV.

Tridentini decreta poſteriorum Conciliorum decretis confirmata fuerunt.

I. SI Canones Tridentini Concilii, quæ fidei dogmata declarant, hæreſeſque diris devovent harum particularum *implicative*, *extenſive*, *taxative*, *demonſtrative*, decempede metiremur, quid ſolidi, quid certi in fide catholica haberemus? Qua exiſtimatione, quave reverentia reſpicient recentes Hæterodoxi ea Tridentina decreta, quæ ad ſuarum profliganda hæreſum monſtra condita ſunt, cum videant inauditis commentis quorumdam catholicorum, eludi ea decreta, quæ ad morum reformationem, & ad noſtra ſolemnia vota intemerata cuſtodienda rogata ſunt? Quæ non deblaterabunt in monaſtica vota, dum Monachos ipſos una manu ad eorum metaphyſicam eſſentiam defendendam tamquam pro aris & focis pugnare, & altera manu eorum obſervantiam in nihilum redigere conſpiciunt? Eorum plures id jam nobis ſæpius oppoſuere, jamque cum Davide clamare poſſumus: *Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, & his qui in circuitu noſtro ſunt*. Utinam ſaltem ex inimicorum improperiis tandem aliquando proficeremus. Verum ad rem, qua de agimus propius accedentes, etſi vana in Tridentinum commenta ſeipſis ruant; nihiloſecius in majus veritatis firmamentum, atque etiam ad obſtruenda Hæreticorum ora poſteriorum Conciliorum declarationes proferre pretium operæ judicavimus. Et licet poſt Tridentinum Oecumenicum alterum non habeamus Concilium, plura tamen extant cum Provincialia tum Diœceſana, quorum auctoritas pluris facienda eſt, quam, non dicam unius, ſed magnæ etiam Caſuiſtarum multitudinis. Hoc dictum volo ob aliquorum imperitiam, quibus pro morum controverſiis reſolvendis paucorum Caſuiſtarum auctoritas ſatis eſt, etiamſi adverſentur unius Diœceſis Patres, quos Deus poſuit regere Eccleſiam ſuam. Hæc enim Concilia, quia non Oecumenica, rejiciunt veluti nullius ponderis. Cæterum viri docti, & in quacumque materia hæc Concilia magni faciunt, & ad explicandam Oecumenicorum Conciliorum mentem, ſecundum Romanum Pontificem, ſumma pollere auctoritate adfirmant.

II. Duobus igitur poſt annis a Tridentini celebratione ſcilicet anno Domini 1565. habita eſt Synodus Cameracenſis Epiſcoporum, Doctorumve numero veneranda, quorum plures Synodo Tridentinæ interfuere, atque pro ejuſdem executione plura ſtatuerunt. Noſtra intereſt ea dumtaxat indicare, quæ pro communi vita a Tridentino præſcripta, & contra peculium a Tridentino reprobatum præceperunt Patres illi. Igitur (tit. 8.

de

Digitized by Google

de Monachis cap. 9.) hæc habentur. *Cum ſacroſancta Synodus Tridentina præceperit ea quæ ad communem vitam, victum, & veſtitum pertinent fideliter obſervari, mandat hæc Synodus omnibus Religioſis, ut diligentiſſime paupertatis votum tamquam ineffabilis cujuſdam & dulciſſimæ quietis cauſſam cuſtodiant; neque proprietatis vitio violent. Caveant igitur, ne quid ita ſibi retineant, ut communitati nolint eſſe commune.* Vitam communem a Tridentino præceptam aſſerunt Tridentini Patres, & hanc vitam communem ſervandam mandant, ne paupertatis votum violetur. (Cap. vero 10.) præcipiunt, *ut omnis illa pecunia, vel res, quam Monachus, vel Monialis acquirere labore, ſive induſtria, ſive amicorum liberalitate, ſeu denique qualibet alia occaſione poſſit, Superiori tradatur, & ad nutum ejus tamquam res communis expendatur.*

III. Eodem anno 1565. ſanctiſſimus Eccleſiæ Mediolanenſis Reformator Carolus Borromæus ſeveriſſime cujuſque peculii ſpeciem vetat, reprobatque in ſuo Concilio Mediolanenſi III. (part. 3. Tit. de Com. vit. cap. 8.) *In omnibus Monaſteriis quoad cibum, potum, ſomnum cæteraſque res attinent, omnes communiter vivant, ut a ſacroſancto Concilio Tridentino decretum eſt.* Idem ſtatuit in ſuo Concilio Mediolanenſi IV. anni 1575.

Anno 1570. Concilium Provinciale Meclinienſe exactiſſimam præcipit Regularibus communitatem, atque in Tridentini executionem decernit (Tit. de Regul. cap. 1.) *Ut nulli Regulares penſiones vitales, aut reditus perpetuos permittantur recipere, neque liceat eis ratione officiorum vel miniſteriorum pecuniam corradere, aut conſervare, etiamſi in pios uſus convertere velint, ſed omnia in communem uſum convertantur.* Non modo Concilium communitatem ſervari mandat, peculiumque vetat, ſed inſuper ſupinam quorumdam ignorantiam carpit, qui ſtolida ducti pietate pecunias congregant, quibus aras divis erigant, Eccleſiiſque ſuppellectilem proprio ſtemmate inſignitam comparent, quaſi Deus victimas ſacrilega proprietate fœdatas acceptaret. Sed de hac perniciosa dementia alibi.

IV. Anno 1583. Concilium Audomarenſe (tit. 17. cap. 6.) *Ex quo*, inquit, *in oblivionem abiit exemplum in initia naſcentis Eccleſiæ in Anania & Saphira editum, invaſit pleraque Monaſteria exitioſa rerum proprietas ex diametro Monaſticæ Profeſſioni contraria. Quare vigilent Præfecti, & Præfectæ, ſi ſuæ ſuorumque ſaluti conſultum velint, ut exterminetur hæc peſtis, curentque, ut ablatis ab omnibus iis omnibus rebus, quas ut proprias poſſident; victus & veſtitus cæteraque vitæ neceſſaria æqualiter omnibus pro indigentiæ cujuſcumque neceſſitate, & Monaſterii facultate placide & benigne ex communi Monaſterii theſauro ac penu ſubminiſtrentur, non pecuniis æſtimata ac compenſata, ſed ipſis rerum ſpeciebus præſentia. Id enim eis in virtute ſanctæ obedientiæ Dei loco præcipimus. Nec aliud præcipimus, quam id, quod Superiores quidem ex officio prorſus curare tenentur, nulla ipſis relicta diſpenſandi facultate:* Reli-

Digitized by Google

Religioſi vero ex ea, quam Deo fecerunt, ſponſione obſervare. Uſque adeo enim abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis annexa eſt Regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere (cap. cum ad Monaſt. de ſtat. Monach.) *Quare aboleatur ea conſuetudo, qua conſueverunt Superiores Religioſis ſingulis annuam numerare vel permittere penſionem, atque redimere neceſſaria vitæ eorum. Nec alicui pecunia permittatur, niſi pro injuncta a Prælato adminiſtratione, ſed prorſus omnia in communem uſum convertantur, itaut impleatur a Religioſis quod ſibi imitandum ſumpſerunt, & ad quod Religione ſempiterna ſe obligarunt* (Non poteſt res iſta inculcari ſatis) *Illud primitivæ Eccleſiæ: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia, dividebantur autem ſingulis prout cuique opus erat.*

V. In virtute ſanctæ obedientiæ hoc Concilium vitam communem Regularibus præcipit. Declarat nihil aliud ſe præcipere, niſi id quod Religioſi ſolemni paupertatis voto ſervare tenentur. Explodit omnia ſophiſmata, quibus cooperiri ſolebat peculiorum proprietas; & tandem ut intelligant, qualem vitam communem obſervare teneantur, ad Apoſtolorum actus eos invitat, ut ibi ſinceriſſimam vitæ communis imaginem, ad quam Religione ſempiterna ſe obligarunt, contemplentur. Plura alia Concilia ad hæc uſque tempora celebrata potuiſſem adducere; ſed ea tantum referre placuit, quæ ſicuti Tridentino viciniora, ita ad ejus majorem confirmationem validiora ſunt.

CAPUT XVI.

Decreta Concilii Tridentini Pontificum Bullis & ſacræ Congregationis ſuper diſciplina regulari decretis, confirmantur.

I. PErdoctus Petrus Paſſerinus in medium adductis interpretationibus omnibus, quas ad Concilii Tridentini elevandam auctoritatem germanumque ſenſum obnubilandum excogitarunt Caſuiſtarum non pauci, quæque prima fronte ſuo calculo approbare videtur; attamen lumini ſuper frontem ſignato reſiſtere haud potuit vir, doctrina non vulgari, inſtructus & ad pietatem compoſitus. Fatetur igitur nihil eorum, quæ ad hanc dirimendam controverſiam ſcripſit, ſe probare, ſed tantum, ut ingenii acumen exerceret, atque dialecticis ſubtilitatibus, quæ ſuo tempore maxime vigebant, indulgeret. Hinc concludit difficultatis deciſionem a Superioribus, nimirum ſummo Pontifice, expectandam eſſe. Concluſio tanto viro digna utpote cauſſæ noſtræ mirum in modum favens propriis ipſius verbis concepta expreſſaque lectorum oculis ſubjicienda eſt. *Hæc*, in-

inquit, (laudata Inſpectione XL. num. 327.) *dixi tamen, non reſolvendo; ſed proponendo quæ mihi circa hanc difficultatem occurrerunt conſideranda. Et quia cenſeo, hujus difficultatis reſolutionem eſſe a Superioribus expectandam, quæ mihi viſa ſunt conſideratione digna circa textum Concilii judicavi proponenda.* Clarius infra, quid ipſe hac de re ſentiat, explicat.

II. Dolendum dumtaxat eſt ludrica commenta tanto viro conſideratione digna viſa fuiſſe. Verum quia ad Pontificis Tribunal cauſſam appellat, ipſum adeamus. Audito igitur ſententiam, quam ſummus Pontifex Clem. VIII. in Tridentini Concilii pleniorem declarationem an. 1599. rogavit his verbis: 1. *Quo Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſerventur: Præcipitur ut nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſinas, ſive ex concionibus, ſive ex lectionibus, aut promiſſis, tam in propria Eccleſia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipſorum juſto labore & cauſſa, & quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere poſſit; ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur; atqui cum cæteris illis bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit. 2. Neque Superioribus, quicumque illi ſunt, ullo pacto liceat eiſdem fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia etiam ad uſumfructum vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam etiam depoſiti aut cuſtodiæ nomine concedere. 3. Eorum vero quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quicquam poſſideat ut proprium, neque ut proprio utatur. 4. Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pœnas nedum a Concilio Tridentino præſcriptas, ſed alias quoque multo graviores Superiorum arbitrio imponendas, incurrat. 5. Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia vel mobilia fratres excuſare poſſit, quominus culpæ & pœnæ ab ejuſdem Concilii decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus. 6. Fratrum veſtitus & ſupellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino uniformis ſit fratrum & quorumcumque Superiorum ſtatuique paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat. Nihil etiam quod ſit neceſſarium alicui denegetur. 7. Quæcumque Fratrum veſtes ſive laneæ, ſive lineæ omniſque alia ſupellex in aliquem commodum Conventus locum deferatur, ibique ab uno vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter cuſtodiantur, ut inde Superioris arbitrio, prout cuique opus fuerit ſubminiſtrari opportune poſſint. 8. Omnes etiam Superiores, quicumque illi ſint eodem pane, eodem vino, eodemque obſonio, ſive (ut ajunt) pietantia in communi menſa prima vel ſecunda, niſi infirmitatis cauſſa impe-*

impediti fuerint, veſcantur, neque ſingulare aliquid, quo privatim quiſque in cibum utatur, ullo modo offerri poſſit; ſi quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat niſi panem & aquam. 9. Superiores omnes etiam Generales, vel qui reditus aut præſtationes particulares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expenſa in libro diſtincto fideliter & diligenter adnotari curent, neque in alios uſus, quam ratione officii ſui neceſſarios quicquam expendant. Cum vero contigerit ipſos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua ſibi & iis, qui ſecum erunt, victus ad præſcriptum Regulæ & Conſtitutionum ſuppeditetur. 10. Nullus ex Superioribus locorum adminiſtrationem bonorum aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum & redituum ſui Conventus per ſeipſum habere, ſive exercere poſſit, ſed univerſum id onus tribus fratribus ejuſdem Conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum & bonorum redituumque colligendorum ac exigendorum curam habeat. Alter tamquam depoſitarius pecunias ac cætera ab illo collecta & exacta fideliter aſſervet: alius de pecuniis, & rebus a depoſitario acceptis Priori & Fratribus ac Conventui univerſo de neceſſariis, mandante tamen ipſo Priore non ſecundum proprium affectum, ſed juxta caritatis regulam, veluti bonus diſpenſator provideat, officiorum hujuſmodi confuſione penitus interdicta. 11. Cæterum hi tres tam impenſi quam accepti ſingulis menſibus ſuperiori locali, adhibitis etiam duobus vel tribus fratribus ejuſdem Conventus probatioribus, rerumque uſu peritis rationem reddant. Deinde ipſimet rurſus præſentibus Priore & peritis prædictis, Generali cum advenerint: Denique ipſe Generalis in quolibet proximo Capitulo Generali, ſaltem coram tribus judicibus ab ipſo Capitulo ad hoc conſtitutis, illorum omnium, univerſamque ſuæ adminiſtrationis tam publicæ, quam privatæ rationem reddere teneatur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli deſcribatur, ad hoc ut ad omne mandatum noſtrum, vel Sedis Apoſtolicæ Romam tranſmitti poſſit.

III. Adeo perſpicua ſunt iſta, ut nullis ſutelis circumveniri valeant. Quare Fagnanus numerum octavum hujus Clementinæ Conſtitutionis perpendens, hæc ſcribit., „ His verbis improbantur opiniones illorum, qui " aſſerunt Regulares excuſari a proprietate, cum habent peculium de licentia Superioris, & dependenter ab ejus voluntate & nutu: jam enim " patet non pendere a voluntate Superiorum, quin omnia ſint confundenda cum cæteris Monaſterii bonis pro communibus neceſſitatibus. "

IV. Id unum nunc ego ab adverſariis peto, efflagitoque, ut ſaltem tamquam hypotheſim concedere mihi non dedignentur, videlicet Clementem VIII. voluiſſe (nonne poterat hoc velle?) præcipere communitatem & peculia prohibere. Deinde ab illis quæro, num clarioribus verbis, ſtrictioribus clauſulis, ſeverioribus formulis uti potuiſſet, ut communitatis graviſſimam obligationem exprimeret, ut peculia eliminaret, ut tergiverſationibus, fucis, & commentis omnibus occurreret, ut denique

 adi-

aditum quemque præcluderet? Anne etiamnum ad illud vanum perfugium ſeſe recipere valent peculiorum amatores, Superiorum nimirum licentiam, & diſpenſationem; cum clamet inclametque Pontifex ſummus nullam in hoc negotio Superioribus adhibendam eſſe fidem, etiamſi aſſeverarent ſe poſſe licentiam habendi peculii impertiri, omneſque licentias & diſpenſationes in hac materia ceu irritas & invalidas improbet, damnetque?

V. Cæterum in majorem etiam Clementinæ Conſtitutionis confirmationem, abs re non erit quædam ſacræ Congregationis decreta, quæ eandem Conſtitutionem roborant, exhibere, quæ refert Fagnanus (in Comment. ad cap. Monachi De ſtatu Monachorum num. 1.) his verbis „ Contigit „ ſæpe, ut in aliquibus Monaſteriis tam virorum quam mulierum Novi- „ tii in actu renunciationis bonorum ad favorem Monaſterii, vel in actu „ profeſſionis, reſervent ſibi annuos reditus, ſeu annuam proviſionem „ pro ſuis Religioſis neceſſitatibus & in aliis Monaſteriis item accidit „ frequenter, ut cenſus annui, ſeu bona ſtabilia relinquantur Mona- „ ſterio, etiam titulo inſtitutionis a parentibus vel conſanguineis ali- „ cujus Regularis eo tenore adjecto, ut Superiores concedere debeant „ eidem Regulari adminiſtrationem dictorum cenſuum, ſeu bonorum „ ſtabilium, ita ut idem poſſit convertere illorum reditus in ſuos ho- „ neſtos uſus.

„ In aliis vero ſervatur, ut Regulares pecunias ex prædicatione ſeu „ lectione, aut aliunde quæſitas tribuant Monaſterio ad hoc ut ex ea eruan- „ tur cenſus perpetui, quorum reditus quotannis aſſignari debeant eidem „ Regulari pro ſuis neceſſitatibus. In aliis denique uſu receptum eſt ut „ ex reditibus Conventus unicuique ex Fratribus vel ſororibus aſſignetur „ ſingulis annis certa portio, ſive in pecunia ſive in aliis ſpeciebus ad „ hoc ut ex ea paret ſibi neceſſaria ad vitam, nec Monaſterium eis ali- „ quid ultra præſtare, nec ipſi accepti rationem reddere teneantur. Ex „ facto quæſitum eſt an in his ſimilibus caſibus liceat Regularibus utriuſ- „ que ſexus habere prædictos annuos redditus ſeu proviſiones annuas vel „ bonorum ſtabilium adminiſtrationem, ſeu *peculium non ſuperfluum no-* „ *mine Conventus ac de Superiorum licentia & dependenter ab eorum* „ *voluntate ac nutu, adeo ut ſint immunes a culpa & pœna, de qua* „ (cap. 2. ſeſſ. 25. De Reg. Conc. Trid.) Sacra Congregatio reſpondet ne- „ gative, ait Fagnanus n.... videlicet in nullo ex ſupradictis caſibus li- „ cere Regularibus utriuſque ſexus habere prædictos annuos reditus, ſeu „ proviſiones annuas, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, *ſeu pe-* „ *culium non ſuperfluum nomine Conventus, ac de Superiorum ſuorum li-* „ *centia, & dependenter ab eorum voluntate ac nutu:* alioquin non eſ- „ ſent immunes a culpa & pœna, de qua in dicto cap. 2. ſeſſ. 25. de Reg.

VI. Deinde (num. 62.) ait in cauſſa Neapolitana propoſitum fuiſſe ſacræ Congregationi hoc dubium „ In aliquibus Monaſteriis nonnullæ Mo- „ niales cenſus, & annuos quoſdam reditus & proventus ſeu fructus per-

„ cipiunt

cipiunt ſub diverſis contractuum ſpeciebus. Nam aliquæ in ipſarum perſona emerunt certos reditus a perſonis laicis, aliquæ ab aliis Monialibus, aliquæ ab ipſis Monaſteriis, aliæ vero dederunt pecunias Monaſterio ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine Monaſterii ad rationem ſeptem vel octo pro centenario, & Abbatiſſæ dabant ipſis Monialibus illos reditus, quos ex dictis emptionibus exigebant ſingulis annis. Aliquæ Monaſteriis ſeu eorum Superioribus certas pecuniarum ſummas manualiter pro indigentiis Monaſterii dederunt pacto adjecto, vel etiam tacita conditione adhibita, ut Monaſterium ſeu Abbatiſſa certos reditus ad rationem tot pro centenario earum vita durante concedat. Quæritur, an Moniales prædictæ in hujuſmodi caſibus incurrant pœnas per Concilium (Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. de Regular.) in proprietarios inflictas, *etiamſi de licentia Abbatiſſæ & ad Abbatiſſæ nutum, vel Conventus ſeu Monaſterii nomine percipiant?* Sacra Congregatio cenſuit, in nullo ſupradictorum caſuum licere Monialibus dictos fructus ſeu reditus percipere, & ſi perceperint, incidere in pœnas dicti (cap. 2. ſeſſ. 25. de Reg.) *neque ab hujuſmodi pœnis excuſari ob licentiam Abbatiſſæ, quæ cum dicto Concilii Decreto in ſupradictis caſibus* concedere quidem prohibetur, ſed debet *ex ſuo munere Monaſterii ſed reditibus vel eleemoſinis monialium neceſſitatibus in dies ſubvenire.* „

Alterum decretum ſacræ Congregationis refert idem Fagnanus (n. 63. & 64.) Archiepiſcopo Urbini datum: „ Hic enim cum retuliſſet ſacræ Congregationi ſe non potuiſſe adducere Moniales cujuſdam Monaſterii ad ſuſcipiendam exactam vitam communem, ideoque illis propoſuiſſet ut fieret communis arca, cujus clavis penes Abbatiſſam exiſteret, & intus eam aptarentur tot ſcriniola, quot eſſent Moniales, ita ut unaquæque haberet claviculam ſcrinioli ſui, & in eo aſſervaret pecuniam ex laboritio vel aliunde partam, quæ in ipſius tantum, & non in alterius neceſſitates erogari deberet arbitrio Abbatiſſæ. „ Sacra Congregatio hoc temperamentum ludicrum exiſtimavit, ac repugnans decreto d (cap. 2.) quod jubet ut omnia Superiori tradantur, conventuique incorporentur, adeoque mandavit Archiepiſcopo, *ut quamdiu Moniales communem vitam non ſuſciperent, interdiceret ipſis receptionem puellarum ad habitum, & profeſſionem.*

CAPUT XVII.

Clementinæ Conſtitutionis interpretationes, tergiverſationeſque confutantur.

I. QUamvis Paſſerinus Controverſiæ deciſionem ad Pontificium Tribunal ſponte appellaverit (laud. num. 327.) non ideo tamen ſupremi Tribunalis peremptoriæ ſententiæ illico acquievit, eique ſubſcri-

Digitized by Google

pſir, ſed ſcholaſticis ratiociniis nimium aſsuetus, quædam, non tam ſua, quam aliena ſuper eadem Conſtitutione conſideranda proponit. Quæ ipſe prolixiore ſermone congerit ex auctorum voluminibus, in compendium contracta exhibebimus. Leviora enim ſunt, quam longiore egeant diſcuſſione.

II. Laudata ergo (Inſpect. XI. num. 336.) in primis fatetur Theologorum plures ſuſtinere Clem. VIII. Conſtitutionem, explicatam Tridentini Decreti continere declarationem. Hanc vero opinionem reprobat ipſe, aitque novam eſse legem, ad promovendam tamen Tridentini Decreti obſervantiam. Quid ſibi præſidii comparare ex hac interpretatione valeat penitus ignoro. Sive Tridentini Decreti declaratio ſit, ut ex ejus verbis evidenter colligitur: *Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fideliter obſerventur*, inquit Pontifex ſub initium Conſtitutionis: ſive lex nova dicatur ad decreti tamen Concilii Tridentini obſervantiam promovendam data, parum, vel nihil refert. Quandoquidem ſi Pontifex non tantum declaravit Tridentinum Decretum, ſed nova lege ejuſdem obſervantiam præcepit, plane conficitur legem per Tridentinum peculium reprobantem a nova Clementina lege novum accipere robur, ſolidiuſque firmamentum.

III. Secundo advertit Paſserinus (num. 337.) Conſtitutionem Clementis exactiſſimam vitam communem Regularibus præſcribere. En ejus verba „ unde mens ejus videtur eſse, ut a Religioſis ſervetur exactiſſima „ vita communis, Religioſique nihil habeant apud ſe, niſi neceſsarium „ victum ac veſtitum. „ Deinde hanc exactiſſimam communitatem impoſſibilem eſse ſubdit; quod Religioſis aliqualis ſupellex neceſsaria eſt, puta lectoribus, concionatoribus, codices, propria ſcripta, hiſque ſimilia. „ Eo magis, inquit (num. 338.) quod hujuſmodi exactiſſima & rigoroſiſſima vita communis non eſt per ſe neceſsaria vi voti paupertatis, & imo eſt impoſſibilis. Nam v. g. Prædicatores opus habent propriis ſcriptis, quæ apud ſe retineant ad uſum perpetuum, & illa deferant ſecum ad quodcumque Monaſterium tranſierint, ut eis utantur, cum opus fuerit. Qui etiam ſtudent pro ſe & aliis, ſi obligentur accipere de manu alicujus officialis codices toties, quoties illis indigent, ad onus graviſſimum & impeditivum profectus neceſſitantur. „

IV. Hæc ab homine cordato evulgari, vix credibile foret, niſi manibus contrectarentur. Exactiſſimam vitam communem Pontificem Regularibus præcipere ultro fatetur ipſe. Verum contra hanc legem duas opponit rationes, quarum altera futilis, altera (meo quidem judicio) abſit verbo invidia, erronea videtur. Prima aſserit vitam communem neceſsariam haud eſse per ſe, & ex vi voti paupertatis. Futilia & impertinentia aſserimus ejuſmodi metaphyſica ratiocinia ad explanandas morum Regulas, noſtræque Religionis controverſias. Per ſe, & vi voti paupertatis neceſsaria non eſt vita communis. Sit ita, non improbo. Quid inde?

Nun-

Digitized by Google

Nunquid Regulares paupertatem profitentur ſecundum *Metaphyſicas perſeitates*, & non ſecundum Regulas Monachales? Quamvis per ſe, & vi voti ad communitatem non teneantur Regulares, nonne ſatis eſt eidem communitati obſtrictos eſſe ex ſolemni profeſſione, & ſempiterna Religione, qua in perpetuum ſe Deo devinxere? Jam ſupra demonſtratum eſt Regulas omnes, ad quarum normam paupertatem Deo vovent Religioſi, communitatem ſeveriſſime præcipere ceu medium apprime neceſſarium ad tanti voti obſervantiam. Secundo, nonne ſatis ſuperque eſt, quod ad hanc communitatem ſervandam, adſtringantur vi graviſſimi præcepti Eccleſiaſtici tot Conciliorum decretis, tot Pontificum conſtitutionibus roborati? Ergo inane eſt aſſerere eos ad eandem non teneri, propterea quod per ſe, & vi voti neceſſaria non ſit. Non ſolum Communitas, ſed neque ipſum paupertatis votum per ſe neceſsarium eſt ad ſalutem æternam conſequendam. Cur igitur Deo illud nuncupaſti?

V. Alteram rationem ceu erroneam reprobamus, utpote ſancto Dei verbo minus conſonam, ne dicam directe adverſam. Impoſſibilis eſt exactiſſima vita communis? Impoſſibilem ergo chimæram enarrat Euangeliſta Lucas (*act.* 4.) ubi Apoſtolici Collegii, primorumque Chriſtianorum communitatem exactiſſimam deſcribit, commendatque? Rem ergo impoſſibilem præcepere ſanctiſſimi Patriarchæ omnes in ſuis Regulis, & ſacroſancta OEcumenica Concilia in ſuis decretis, quæ ad hanc Apoſtolicam communitatem ſartam, & tectam tuendam toties, occaſione data, efformarunt? Contra hanc falſam impoſſibilitatem inclamarunt a tot ſæculis centena millia Religioſorum, qui placidam, ſuaviſſimamque communem vitam degerunt. Clamant etiamnum, Deo dante, tot Sancti Ordines, qui ad amuſſim, velint, nolint peculiorum miſeri amatores impotenteſque propugnatores, hanc ſervant communitatem, clamabuntque uſque ad ſæculorum conſummationem millia millium ſanctorum Religioſorum, qui pretioſum Euangelicæ perfectionis depoſitum integrum, inviolatumque ſupremo numini adſervabunt. Quid tu igitur fingis laborem in præcepto?

VI. Verum quid ultra errantes ſequimur, cum, ut ait (*Mat. c.* 13.) *fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur*. Amariſſimis potius lacrymis deploranda ſunt iſta, quam cenſuris perſtrigenda. Heu! Hoccine Chriſtiani Theologi officium! impoſſibilia obſervatu ea traducere præcepta, ad quorum obſervantiam omni conatu, qua ſcripto, qua voce, & quod majus eſt, qua exemplo excitandi eſsent Religioſi homines? Quæ ſcandala, quam animarum perniciem non invehunt in lectorum animos ſimilia paradoxa? Hæc profecto potiſſima ratio tremendæ obdurationis funeſtiſſimæque cœcitatis tot Religioſorum, qui nedum profeſsam communitatis obſervantiam negligunt, ſed contemnunt etiam, aſpernanturque. Cur ita? Niſi quia Doctores magna penes ipſos pol-

Digitized by Google

pollentes auctoritate, & eo majore, quo magis favent eorum cupiditatibus, audiunt & voce, & ſcripto docere impoſſibilem eſſe communitatem illam, ſine qua *Religio non eſt Religio, ſed confuſio, non Ordo, ſed ſempiternus horror*, ut ait Pietinus.

VII. At rationes audiamus tantæ impoſſibilitatis; quia, inquit, Concionatores, Lectores, cœterique non pauci ſcriptis, codicibus, & aliis rebus opus habent, quorumve uſum penes ſe retinere debent. Quid interim? Nunquid iſta contraria ſunt Communitati? Devii a veritate, per abrupta ſemper ambulant, & ad alterutrum extremum ſemper allidunt. Propugnatores peculiorum nunc communem vitam in ſola Dominii communitate conſtituunt, nunc vel ipſum rerum neceſsariarum communem uſum, communitatem lædere autumant. Qui talia ſcribunt, hoſpites in rebus ad Religionem attinentibus ſeſe oſtendunt, ipſamque communitatis notionem ignorant. Sciant igitur Communitati Apoſtolicæ nullo modo adverſari, quod Religioſi, Lectores, Concionatores uſum habeant librorum, codicum, aliarumque rerum, quæ ad victum, veſtitum, eorumve officium peragendum neceſsaria ſunt, dumodo hæc ex communi conferantur, & non proprio, ſeparato peculio comparentur. Quin, quo exactior viget in Monaſteriis Communitas, eo promptius hæc omnia ſubminiſtrantur. Hæc eſt Communitas Apoſtolica. *Et dividebantur prout cuique opus erat.* (Act. 4.) Hæc eſt Communitas, quam omnes Monachales Regulæ præcipiunt maxime Auguſtiniana, quæ dicit: *Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes. Sit in poteſtate præpoſiti, ut in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit præbeatur.* Illis omnibus, qui in communi vivunt, manifeſta ſunt hæc omnia. Ergo verba legis captant, ipſamque legem, ut ait Ulpianus, calumniantur, qui ex Clementina Conſtitutione exactiſſimam præcipiente communitatem inferunt impoſſibilem eſſe, eo quod uſus librorum Lectoribus & Concionatoribus neceſsarius ſit. Quid plura? ſi vel ipſum Trident. Concilium poſt legem de vita communi in primo decreto latam, in ſecundo Superioribus mandat, ut Religioſis ſupellectilem ſtatui paupertatis convenientem impertiantur.

VIII. Ultimo tandem loco, ideſt (n. 341.) duo conſideranda proponit Paſſerinus. Primum legem Clementinam poſitivam eſſe, quæ per conſuetudinem, & non uſum abrogari poteſt; Non hoc in ſenſu quod Pontificia lex a ſubditorum acceptatione pendeat, immo ipſa ex ſe, ut recipiatur, obligat; ſed quia vim obligandi amittit, dum Pontifex videns legem ſuam non obſervari, minime contradicit, immo ſuo ſilentio annuit. Secundo ſubdit Regulares paupertate Conventuum, in quibus neceſsaria non ſubminiſtrantur, excuſari ab obſervantia vitæ communis. De hoc ſecundo ſuo loco fuſius. Nunc in examen vocandum eſt, num Decretum Clementis VIII. temporis tractu aliquid roboris amiſerit ex aliorum Pontificum ſilentio. Id vero antequam præſto, placet

in

in laudem Cl. Paſſerini, & in aliqualem excuſationem eorum, quæ, non reſolvendo, ſed diſputando contra Tridentina decreta ſcripſit, iis verbis huic capiti finem imponere, quibus ipſe ſuam laudatam Inſpectionem claudit.

IX. *Cæterum* (concludit n. 342.) *Regulares memores voti ſuæ profeſſionis attendant, quod nec Deus irridetur, nec accipiendæ ſunt excuſationes in peccatis, ſed legibus conſultis & illis obſervatis in hoc maxime omnem curam ponant, ut nihil clandeſtine ſeu ſine licentia Superioris recipiant, vel habeant; & ut vitam communem ſecundum Regulam & Conſtitutiones ſuas, & non ſecundum abuſus introductos cuſtodiant, & Superioribus volentibus abuſus tollere, & vitam communem relaxatam reformare non reſiſtant.*

CAPUT XVIII.

Tridentina Decreta & Clementina Conſtitutio, & perennis aliorum Pontificum traditio in ſuis Bullis Decretiſque expreſſa ſummopere roborant.

I. NE aures noſtras amplius obtundant, neve commentitium illud Eccleſiæ ſilentium in nos tegerant, expedire judicavimus, Tridentina Decreta, & Clementinam Conſtitutionem perpetua, & nunquam interrupta aliorum Pontificum traditione roborare. Quandoquidem ſi iſti ad vocem Eccleſiæ continuo Canonum ſtrepitu reſonantem obſurdeſcunt, noſtra intereſt pro virili, & lectorum aures excitare, ut ſinceram matris vocem audire queant, & oculos ab his quæſtuoſis opinionibus avertere, veramque ſacrorum Canonum intelligentiam in proprio, limpidoque fonte miſſis diſſipatis Ciſternis, quærere valeant.

II. Si vero priuſquam ad Inſtitutum hoc accedo, perconter ab eis, cur Tridentina Decreta, cur Clementina Conſtitutio obſoleverint, non aliam, præter contrariam adverſus legem damnabilem praxim, rationem aſſignant: ac ſi non homines legibus, ſed hominibus leges famularentur? illudque Plauti ſibi uſurpare non erubeſcunt. *Mores perduxerunt leges in poteſtatem ſuam.*

III. Verum, ut ad inſtitutum accedamus, tantum abeſt, Clementis VIII. Conſtitutionem aliqua rationabili deſuetudine infirmatam eſſe; ut omnium ſucceſſorum Pontificum maniſeſtiſſimis oraculis confirmata, noviſque ſtatutis, declarationibus pœnarumque ſeveritate munita fuerit. Quare Fagnanus in eos, qui Clementinæ Conſtitutionis deſſuetudinem allegabant, hæc ſcribit, (in 2. par. Tert. lib. Decret. de ſtatu Monach. cap. Monachi n. 75.) *Ceſſat hoc ſubterfugium,* ait, *cum Decreta ipſa* (Clementis

tis VIII.) *fuerint poſtea innovata a Paulo V. item a Greg. XV. in decr. de Apoſt. & Ejeſt.*

IV. Urbanus VIII. in *Decret. de Reg. Apoſt. Ejeſt.* Clementis VIII. Conſtitutionem confirmat. *Ut infecta ſemina*, inquit, *e quibus pravi ejuſmodi fructus potiſſimum prodeunt; deinceps ne ſerantur in vinea Domini, cenſuit innovandas & ſanctiſſimi auctoritate innovat Conſtitutiones, & Decreta generalia S. M. Clem. VIII. ad Regularium Reformationem, ac Novitiorum receptionem, profeſſionem atque inſtitutionem ſpectantia, diſtrictéque præcipit Superioribus, ut illa exacte obſervent, atque, ut obſerventur efficiant.*

V. Innocentius X. proximus Urbani VIII. in Pontificatu ſucceſſor, non modo vitam communem a Tridentino, & Clemente præceptam ſervari mandat, verum etiam plura edidit decreta, quibus omnia obſtacula, quæ vitam communem remorari vel impedire quoquomodo poſſent, ſuſtulit. Anno ſiquidem 1649. Pontificatus ſui VI. Decretum edidit, cujus initium eſt. *Inter cætera, quæ ad Regularem diſciplinam inſtaurandam conſervandamque ſacroſancta Tridentina Synodus ſalubriter decrevit &c. Quapropter ad ejus uſum inducendum fel. record. Clem. VIII, Paulus V. & Urbanus VIII. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri varia decreta ediderunt. Sed quia nihilominus ſive ob injuriam temporum, ſive ob ſuperiorum injuriam, ſive ob alias cauſſas illorum executio protracta eſt, non ſine gravi Monaſteriorum in ſpiritualibus, & temporalibus detrimento, & Religionum jactura; idcirco nos, &c.* Et in Decreto, quod incipit. *Ad propagandam*, edito anno Domini 1654. quodve refert Fagnanus in 2. *part. Tert. Decret. cap. relatum. Ne Clerici vel Monachi*, inhibet Prælatis, ne ad habitum Religionis Novitios admittant, niſi ſub expreſſa conditione Communitatis ſervandæ juxta Tridentina Decreta, & Clem. VIII. Conſtitutionem, *ſub exacta tamen vita communi ad præſcriptum Regulæ, non obſtante quavis laxiori conſuetudine, ſeu potius corruptela in contrarium introducta, ſervataque forma Sacrorum Canonum Concilii Tridentini & Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac præcipue Decretorum S. M. Clementis Papæ VIII.*

VI. Innocentio X. ſucceſſit Alexander VII. anno Domini 1655. qui pariter Anteceſſorum Decreta pro Regularium reformatione, inſtauravit, atque ſub eadem dumtaxat conditione communitatis ſervandæ Novitios ad Religioſam veſtem induendam ſactis ordinibus acceptandi licentiam conceſſit.

VII. Anno 1676. in Pontificem electus Benedictus Odeſcalcus appellatus Inn. XI. nullum non movit lapidem, ut prolapſam Monaſticam diſciplinam ad priſtinum revocaret ſplendorem. Unum, quem præ cœteris ſummo complectebatur amore Ordinem Prædicatorum reformandum delegit. Tam alta hujus Ordinis, præcipue ob doctrinæ puritatem exiſtimatio ejus inſidebat animo, ut pro ſua incomparabili benignitate aſſerere ſolitus

litus fuerit, uno reformato Prædicatorum Ordine, facillime totum populum Chriſtianum reformatum iri. Hinc, ut votorum ſuorum compos evaderet, in inſigne Bononienſi Cœnobio reformationis fundamenta præjecit. Viros in Regulari diſciplina provectos undique illuc accerſivit, atque ſpecialibus diplomatibus, quoad vixit, inſtauratæ vineæ præfectos dedit. Pro inſtauratione diſciplinæ Regularis in univerſo Ordine ſaluberrimam edidit Conſtitutionem anno Domini 1679. 6. Octobris, quæ incipit: *Cum nos alias*, cujuſve obſervantiam ſub juramento omnes Magiſtri Generales ſtatim poſt eorum electionem ſpondere tenentur.

VIII. Innocentius XII. Prædeceſſorum ſuorum zelum æmulatus, non ſolum Tridentina Decreta, Clem. VIII. Conſtitutionem, aliorumque Pontificum Decreta, quæ vitam communem Regularibus præcipiunt, confirmavit, ſed Divinum plane concepit conſilium, dum peculiarem ſuper diſciplina Regulari conſervanda Congregationem deputavit, ut ſedulam Regularium Reformationi operam navaret, atque ad tantum facinus Pontificibus adjumento foret. Porro hæc Congregatio ſanctiſſimi Pontificis mandatis morem gerens plura promulgavit decreta ad communem vitam ſartam tectam tuendam, extantque in Bullario ejuſdem Pontificis, quorum pauca, quæ ad noſtrum attinent inſtitutum, hic excribam.

IX. Initium Decretorum. *Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter, Divina Providentia Innocentius Papa XII. pro paterna charitate &c, ut Regularis in iis diſciplina ad Religioſorum ſalutem, & totius Chriſtiani populi ædificationem, utilitatemque ſarta tecta cuſtodiatur ac vigeat, ac ſicubi collapſa eſt, adjuvante Domino reparetur, conſtituit & declaravit ſe licentiam recipiendi novitios in ſingulis approbatis Ordinibus benigne conceſſurum .., dummodo tamen, quæ pro Regulari vita recte inſtituenda, tam a ſacroſancta Tridentina Synodo, quam a Prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, præcipue vero fel. recordat. Clemente VIII. in Decretis Generalibus pro Regularium Reformatione necnon Innocentio X. & Alex. VII. pro Novitiorum receptione, & profeſſorum educatione ſalubriter conſtituta ſunt, quibus omnibus firmiter inhæret ſanctitas ſua, eaque, quatenus opus ſit, confirmat & renovat.*

X. En manifeſtiſſimam approbationem, & prout opus eſt renovationem Decretorum, quæ edita fuere a Synodo Tridentina, & a cœteris Romanis Pontificibus, præcipue vero a Clem. VIII. Innocentio X. & Alex. VII.

XI. *Quocirca Sacra Congregatio ab eadem ſanctiſſimo Domino noſtro ſuper diſciplina Regulari ſpecialiter deputata de mandato Sanctitatis ſuæ præſentis Decreti tenore denunciat omnium & ſingulorum Ordinum Regularium Superioribus tam Generalibus quam Provincialibus, ut ſtatuant omnimodam obſervantiam Regulæ, Conſtitutionum cujuſcumque Ordinis & Decretorum Apoſtolicorum, præcipue vero exactæ vitæ communis. Poſt-*

Digitized by Google

quam vero Regularem obſervantiam & ſignanter quoad exactam vitam communem cum effectu ſtabilitam fuiſſe tum ex eorundem Superiorum Generalium, ſeu Provincialium relatione, quam Præpoſiti & Fratrum in præfatis Conventibus degentium jurejurando firmato teſtimonio . . . eidem ſacræ Congregationi ſufficienter conſtiterit; tunc Sanctitas ſua antedictam licentiam, quam hactenus diſtulit Novitios ibi recipiendi, benigne concedet.

Porro ne Regularis diſciplina dum in Conventibus jam erectis ſtatuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte conſtruitur, ſimul ex altera deſtruatur, Sacra Congregatio, Sanctitate ſua ſimiliter approbante, ſtatuit atque decernit nulla impoſterum Monaſteria, Collegia, Domos, Conventus aut alia Religioſorum virorum loca fundari, erigi aut quovis modo inſtitui debere, niſi ſub expreſſa obligatione exactæ vitæ communis ab omnibus Religioſis ibi commorantibus perpetuo & inviolate ſervandæ, ac propterea nullas deinceps admittendas hujuſmodi fundationes, niſi præter alia ad id requiſita, prius legitime conſtiterit adeſſe annuos reditus, vel certe eleemoſinarum ſpem, quibus duodecim ſaltem Religioſi in exacta vita communi commode valeant ſuſtentari.

Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes cujuſcunque Ordinis & Inſtituti ſint, ſanctitatis ſuæ verbis ſerio admonet, & in Domino obteſtatur ut omni mora poſtpoſita, ſicuti filios obedientiæ decet, ad Regulæ, quam amplexi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant & componant, decretiſque Apoſtolicis pro æterna illorum ſalute editis ſincere ac fideliter pareant, nec ab eorum obſervantia inanibus interpretationibus & fallaciis, aut relaxationum prætextibus ad excuſandas excuſationes in peccatis abduci ſe ſinant, ſed profeſſionis ſuæ memores, qua ſe totos Dei obſequio manciparunt, ſuſceptum Chriſtianæ perfectionis iter, arduum quidem, ſed Divinæ charitatis dulcedine aſperſum, abjectis terrenarum rerum curis alacriter proſequantur. Nimis enim turpe eſſet eos ad ſæcularia deſideria, quibus ſemel aſpirante Domino renunciarunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint ſe ad peculiarem Salvatoris noſtri ſequelam vocatos, qui cum dives eſſet, propter nos egenus factus eſt, veterumque illorum fidelium glorioſos imitatores ac veluti hæredes eſſe, quorum erat cor unum & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; Ideoque in Regularis vitæ ac præcipue in ſanctæ paupertatis, quæ eſt parens quædam generatioque virtutum, propoſito perſeverent, omnem ſolicitudinem ſuam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes reſpiciunt, qui non derelinquit ſperantes in ſe, ſed dives in miſericordia centuplum & vitam æternam propter nomen ſuum relinquentibus omnia repromiſit. Datum Romæ die 18. Julii 1695.

XII. Poſt-

Digitized by Google

XII. Poſtquam piiſſimus Pontifex Apoſtolica decreta, Conciliorum Canones, Patriarcharum Regulas in memoriam revocavit, ſuiſque calculis firmavit, pœnas tremendæ ſterilitatis, privationem ſcilicet procreationis ſpiritualis ſeu acceptationis Novitiorum in ea infligit Cœnobia, quæ jurejurando Apoſtolicæ Communitatis obſervantiam ſincero animo amplecti recuſaverint. Porro ut Apoſtolici Paſtoris partes impleret omnes, docendi nimirum, arguendi, increpandi, & obſecrandi, orationem ſuam quadam unctione cœleſti perfuſam ad Regulares omnes convertit, eoſque hortatur, ut memores profeſſionis ſuæ, qua deſideriis ſæcularibus, terreniſque deliciis valedicentes, Dei obſequio ſe manciparunt, iter perfectionis ſemel arreptum alacri animo proſequantur. Tandem, ne ab exactæ vitæ communis via impoſterum vel latum unguem deflectant, advigilare eos jubet, ne quorumdam Caſuiſtarum Scriptorumve fallaciis, ineptis commentis, relaxationum prætextibus, aliiſque thecnis decipi fucumque ſibi imponi patiantur ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſeu in peculiis. Quoniam Deus non irridetur. Valeant itaque inania interpretamenta, & Apoſtolicæ ſedis mandata Religioſo ſinceroque animo executioni mandentur.

XIII. Innocentii XII. aliorumque deceſſorum Romanorum Pontificum legem communis vitæ ſervandæ ſub pœna non acceptandi juvenes ad habitum Religionis iis in Cœnobiis, in quibus ejuſmodi communitatis obſervantia non vigeret, confirmavit atque ſeveriſſime exequi curavit Sanctiſſimus Pontifex Clemens XI. in promovenda cum Eccleſiaſticæ tum Monaſticæ diſciplinæ obſervantia nulli ſecundus. Ipſe teſtis ſum plures Regularium Provincias laxioris diſciplinæ ſterilitatis funeſtiſſimo anathemati plurium annorum ſpatio obnoxias fuiſſe, ſeu recipiendi ad Religionem juvenes privilegio interdictas uſque dum atteſtatione juramento firmata conſtare fecerint in Cœnobiis pro Novitiorum educatione deputatis, communitatis & regularis diſciplinæ obſervantiam florere. Quod autem, minus ſinceris atteſtationibus plura privilegia extorta fuerint & in dies ab laudata ſacra Congregatione ſuper diſciplina regulari extorqueantur (ſiquidem nec hodie ſine prævia ſimili atteſtatione recipiendorum juvenum privilegium conceditur) non legis imbecillitatem, ſed poſtulantium indolem prodit.

XIV. Benedictus XIII. qui aureæ primorum Chriſtianæ Religionis ſæculorum ætatis ſanctorum Pontificum vivam imaginem præſeferebat, ut diſciplinæ Regularis, quam ipſe toto vitæ ſuæ decurſu excoluerat, fervorem in aliis ſuccenderet, vel in ipſa ſuprema Pontificatus dignitate ſeverioris Ordinis Prædicatorum, quem profeſſus fuerat, obſervantiæ perfectiſſimum ſeſe præbuit exemplum. Inſuper ut inſignem & peramplam utriuſque Lombardiæ provinciam, ex qua aſſumptus erat, ad Regulæ & Conſtitutionum præſcriptum revocaret, eidem Congregationem S. Sabinæ unicndam conſentaneum duxit: ut ſcilicet ſeverioris obſervantiæ ſpiritus,

quem in iſthac Congregatione fervere præcognoſcebat Pontifex ſummus latius per univerſam manaret provinciam. Siquidem inter præcipua iſtius unionis momenta, illud maxime percenſet, quod votis ſanctiſſimi Pontificis Innocentii XII. qui hancce Congregationem ab eadem Provincia ſeparaverat anno 1695. obſervantiæ latius dilatandæ titulo eventus minime obſecundaverit, ſed potius ſuaviſſimus exactæ diſciplinæ odor intra anguſtos ejuſdem Congregationis limites occluſus permaneret. Quare ut in totam Provinciam ſuavitatis fragrantiam efflaret, utrumque cœtum in unam conjunxit ſocietatem. Quæ profecto non exigua eſt Congregationis Sanctæ Sabinæ laus; quod nempe a tanto Pontifice digna exiſtimata fuerit, & potens tam inſignem Provinciam ad ſeveriorem perducere diſciplinam. Porro inter plures, quas tum pro perenni conſervatione, cum pro felici propagatione iſtius obſervantiæ Regulas præſcripſit, hanc ſummopere commendavit, videlicet obſervantiam vitæ communis, quam indefeſſo ſtudio obſervari, & cuſtodiri præcepit. Verba iſthuc tranſcribere lubet iſtius Pontificiæ Conſtitutionis die 5. Junii 1726. emanatæ, cujus initium eſt. *Quod Apoſtolicæ ſollicitudinis officium ad propagandam regularem diſciplinam &c. Votis autem ejuſdem Pontificis* (Inn. XII.) *obſervantiæ latius dilatandæ exitus minime obſecundavit. Floruit enim Regularis diſciplina, & Sanctæ Sabinæ Congregatio optimis exemplis religioſæ virtutis abundavit; ſed per novam illam regiminis formam potius intra Congregationis fines concluſa, quam ad totius Provinciæ utilitatem amplificata obſervantia eſt. Nos proinde &c. pro conſervanda & dilatanda per totam Lombardiæ Provinciam ſeveriori diſciplina has Regulas præſcribimus, atque ut perpetuo obſerventur diſtricte præcipimus & mandamus. I. Vita communis & rigor obſervantiæ regularis ... perpetuo retineatur, & quam fieri poteſt maximo perfectionis ſtudio cuſtodiatur & obſervetur.*

XV. Denique Clemens XII. nunc feliciter regnans ad Regularis obſervantiæ incrementum præcipue in Prædicatorum Ordine plures edidit ſaluberrimas Conſtitutiones, quarum cenſum ſuo loco dabimus, & ſpecialia privilegia impertitus eſt. Porro in Conſtitutione quæ incipit *Romanus Pontifex*, qua, revocata Conſtitutione laudata Benedicti XIII. ad terminos Conſtitutionis Inn. XII. Sanctæ Sabinæ Congregationem reſtituit: exactam obſervantiam vitæ communis ad tenorem Decretorum cum Concilii Tridentini, tum Clementis Papæ VIII. in memoriam reducit: *Fratres omnes ad Regulæ, quam profeſſi fuiſſent, præſcriptum, vitam inſtituere & componere, atque illa quæ communem vitam, victum & veſtitum concernerent juxta Concilii Tridentini, & recol. mem. Clem. Papæ VIII. prædeceſſoris itidem noſtri decretorum tenorem, fideliter & inviolabiliter obſervare omnino tenerentur.* Poſtremo ne unquam in favorem relaxatæ diſciplinæ, Eccleſiæ ſilentium aut tolerantia obtrudi poſſet, Congregationem ſuper diſciplina Regulari inſtituerunt & inſtitutam confirmarunt Pontifices ſummi in hunc finem, ut videlicet continua voce omnium Regula-

gula-

gularium auribus obſervantiam diſciplinæ Monaſticæ, maxime vero communis vitæ inculcarent, ſicuti clarius capite ſequenti demonſtrabimus.

CAPUT XIX.

Eorum, quæ hac in diſſertatione dicta ſunt, brevis complexio. Demonſtratione evidenti concluditur, in maximo æternæ damnationis periculo verſari Regulares, præcipue Superiores, qui damnabilem peculiorum abuſum pro viribus evellere, & communis vitæ obſervantiam invehere non ſatagunt.

I. EA omnia quæ hucuſque fuſiore calamo dicta ſunt, in compendium contracta oculis tuis ſubjicere conſentaneum exiſtimavi, lector humaniſſime, ut unico fere conſpectu ceu in perlucido ſpeculo inconcuſſa Apoſtolicæ communitatis argumenta, quæ extra cujuſque dubitationis aleam, eandem conſtituunt, & peculiorum vitioſum evincunt abuſum, reprobatumque, valeas contemplari. In mentem itaque tuam revoces primum velim Evangelicæ paupertatis conſilium, quod executioni demandarunt Apoſtoli, vetereſque fideles bonorum omnium venditione, quorum pretia in communi repoſita ærario ſingulorum indigentiis ſublevandis deſerviebant, & unicuique prout opus erat, dividebantur, quam communitatis notionem ſuperius explicui. Porro hanc Apoſtolorum communitatem in Monachorum aliorumque Regularium omnium Monaſteria demigraſſe Patrum luculentiſſimis teſtimoniis, Patriarcharum ſanctorum Regulis palam feci. Hinc ſponte fluit hoc conſectarium: Omnes ſcilicet Regulares, non quamlibet paupertatem generice acceptam, ſed eam, quam Chriſtus conſuluit, quam Apoſtoli ſervarunt, quamve ſanctiſſimi Patriarchæ ſuis in Regulis præſcribunt, Deo ſolemni voto adpromittere. Hæc autem paupertas ſeveriſſima communitatis lege definita eſt, atque circumſcripta, ſicuti in Actibus legitur Apoſtolorum. Hanc ipſiſſimam Communitatem perenni traditione Concilia cum Oecumenica, tum Provincialia, Patriarchæ, Pontifices ſub pœnarum ſeveritate, data occaſione, ſuaſerunt, inculcarunt, præceperunt atque in dies mandant, & imperant.

II. Hoc nunc pacto diſſeras velim. Si controverſia quæ fidei dogma aliquod tangeret, adeo clariſſimis ſcripturæ textibus, tam perenni traditione, tot Conciliorum Canonibus, tot Patriarcharum Regulis, tot Pontificum decretis ſingulis ferme ſæculis munita, firmataque eſſet, nonne manifeſtæ hæreſeos damnaretur quicumque contradicere auderet? Quamquam autem argumentum, quo de agimus, extra fidei limites divagetur,

mora-

morale tamen continet documentum a Chriſto propoſitum, in Evangelio exaratum, ore tuo ſolemni profeſſione Deo nuncupatum, verbo dicam, maximum ſummumque æternæ ſalutis negotium verſat. Quis igitur tantæ temeritatis, ut veritati adeo manifeſtæ ſeſe opponere, ſuamque æternam ſalutem diſcrimini adeo evidenti committere non reformidet?

III. Agedum. Revolvito omnia documenta, quæ hac in diſſertatione produximus, eaque mente præjudiciis vacua expendito. Non modo peculia damnata invenies, ſed fallacias, tergiverſationes, ſubterfugia omnia, quibus communitas Apoſtolica inumbrari ſolet, contrita reperies. Percurre tumet ipſe Patrum omnium, Theologorum, Canoniſtarum atque Summiſtarum volumina, & ſi aliquam repertutus ſis interpretationem, quæ documenta laudata ſolido fundamento in peculiorum favorem inflectat, manus victas nos daturos ſpondemus. *Revolvamus* (inquit Trittemius cap. 5. de Prop.) *omnium ſanctorum Patrum ſcripta & Regulas, & nunquam inveniemus Monacho peculium ullatenus permiſſum: omnes enim hoc vitium damnant: omnes Monacho proprium prohibent, omnes in communi vivere renunciantes ſæculo præcipiunt.*

IV. Ananias Proprietariorum Coriphæus partem bonorum, quæ in commune Apoſtolorum ærarium inferre Deo ſpoponderat, ſibi licite retinere arbitratus eſt, ſed in proprietatis ſupplicium repentinæ mortis pœnas dedit. Poſteri ideo morte plexum Ananiam aſſerunt, quod occulte & clandeſtine bonorum portionem retinuit. Hinc proprietatis crimen pœnaſque illi debitas evadere ſibi blandiuntur, ſi non occulte, ſed palam & ex Superioris beneplacito ſua habeant peculia. Commentitium excogitatum vix conceptum damnarunt Concilia, maxime Lateranenſe III. *Monachi nequaquam habere permittantur peculia.* Subdunt nil communitati officere, ſi peculia iſta communia communitate dominii effecta civilique ſeu mentali depuratione Conventui incorporata in particulares Monachorum uſus Prælatorum licentia dividantur. Hoc quoque commentum profligavit Trident. Concilium. *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut Commendam.*

V. Reponunt adhuc Superiores carere poteſtate concedendi peculia in uſus vanos, ſuperfluos, & turpes, minime vero in uſus honeſtos. Sed apage nugas. Nonne vel ipſum naturæ primarium jus ſuperfluos, turpeſque uſus horret, damnatque? Nunquid Tridentino Canone opus erat, ne Superiores peculia ſuperflua, & ad ſolvendam pro re turpi mercedem ſubditis impertiri poſſent? Sed ut ora excuſantium excuſationes in peculiis undiqueverſum obſtruantur, audiamus legitimos ſacræ Synodi Interpretes ſummos Pontifices, & Cardinalium Congregationem. Clem. Papa VIII. ne dum Superiorum licentias irritas declaravit, ſed ſubditis vetuit, ne hac in materia Prælatis ſuis fidem adhibeant, etiamſi aſſeverent ejuſmodi licentias impertiri poſſe. *Nulla quoque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia fra-*

Digitized by Google

fratres excuſare poſſint, etiamſi Superiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes concedere poſſe, quibus ea in re fidem minime adhiberi volumus.

VI. Quo nunc ſeſe vertant, quidve reponere valeant, non video. Nunquid Tridentina & Clementina decreta obſoleta & antiquata? Nunquid aliorum Pontificum ſilentium & tolerantiam? Sed huic quoque evaſioni aditum præcluſimus Superioribus capitibus perenni aliorum Pontificum traditione. Et ut hoc commentum funditus exploderet Inn. XII. atque, ut prætextum omnem eriperet vitæ communis tranſgreſſoribus, allegandi in peculiorum exitiale præſidium Eccleſiæ ſilentium, vel tolerantiam, Congregationem ſuper diſciplina regulari erexit, cujus proprium munus eſt, pro ejuſdem diſciplinæ in primævo ſplendore conſervatione, & ubi collapſa eſt, inſtauratione, nomine & voce Eccleſiæ inclamare contra refractarios & tranſgreſſores. Verba Pontificis audiamus deſumta ex decreto edito anno Domini 1698. quod extat in ejuſdem Pontificis Bullario (pag. 309.) cujus initium eſt: *Debitum Paſtoralis officii &c. Hinc eſt quod nos Prophetici illius moniti memores: Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam: ut conſtans enixaque voluntas noſtra incœptum opus hujuſmodi peculiari ſtudio, ſummaque animi contentione proſequendi magis ac magis omnibus innoteſcat, omniſque tranſgreſſoribus vano falſoque ſilentii noſtri prætextu ſeſe excuſandi occaſio penitus præcidatur, motu proprio prædictam Congregationem Cardinalium & Prælatorum ſuper diſciplina Regulari tenore præſentium perpetuo approbamus, & quatenus opus ſit etiam perpetuo erigimus & inſtituimus. Ipſius autem Congregationis facultates ſint & eſſe debeant deſignandi pro Novitiatibus, & profeſſoriis Conventus, Monaſteria &c. Decreta tum felicis record. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri ſuper Reformatione Regularium, potiſſimum vero exactæ vitæ communis obſervantiam promovendi &c.*

VII. Ex his ineluctabilibus poſitionibus conſequutio manifeſta ſuapte natura fluit: ſcilicet ex graviſſimo præcepto propriaque profeſſione ad vitam communem juxta veram ſuam notionem obſtrictos eſſe Regulares, eoſque in extremo æternæ damnationis periculo verſari, qui peculiorum abuſum pro viribus divellere non conantur. Enim vero quid amplius exigitur ad conſtituendam in Ethicæ Chriſtianæ controverſiis certitudinem evidentem, quam Conciliorum, Pontificum, Patrum, & inſignium Theologorum unanimis conſenſus? Quid? Si ipſimet Pontifices, quibus concreditum eſt Monaſticæ diſciplinæ depoſitum, clamarent, quaslibet interpretationes ad tantæ certitudinis vim elevandam datas, mera eſſe figmenta, fallacias illuſioneſque fanaticas? Et tamen has omnes Cenſuras in vanos commentatores tulit Inn. XII. ut videre eſt in ſuis decretis ſupra relatis, quibus, ut pareant Regulares omnes, eos admonet, *ne ab eorum obſervantia inanibus interpretationibus & fallaciis, aut relaxationum prætextibus ad excuſandas excuſationes in peccatis abduci ſe ſinant.* Sic loquitur Innocentius, ſic cæteri Pontifices, ſic tandem inſonat Eccle-

ſia

ſia organo illius Congregationis, quæ clamare non ceſſat in refractarios; quæve vitæ communis cujuſque peculii expertis ſervandæ ſolemnem ſponſionem ſacro jurejurando firmatam ab omnibus Monaſteriis pro noviitiis induendis deputatis, expoſcit. Qua poſtea conſcientia hoc formidabile, tremendumque juramentum exhibeant ea Monaſteria, quæ nullam præter commentitiam ſervant communitatem, ad extorquendas ejuſmodi recipiendorum juvenum licentias, ad judicem ſupremum ſententia ſpectat. Ego interim ad hæc omnia ſolidum expectabo reſponſum, maxime ab iis, qui in reſolvendis controverſiis, quæ mores populi Chriſtiani ſpectant, clamant Eccleſiæ, Conciliorum, Pontificum oracula conſulenda, quive Caſuiſtas nimis indulgentes appellitant eos omnes, qui his limpidiſſimis fontibus relictis, propriis humanis inhærent cogitatis; pro domo ſua vero perorantes ab ipſis ſuppetias quærunt. Unicum reſponſum daturos ſcio, impoſſibilitatem ſcilicet vitæ communis Monaſteriorum paupertate nixam. Sed hoc effugium ſequentibus diſſertationibus præcludemus.

CAPUT XX.

Maximi momenti conſiderantia. Regularium plures, non modo ipſi relaxata in diſciplina perſeverare volunt: ſed hunc vivendi morem in poſteros propagare ſin verbis, factis certe adnituntur.

I. QUiſque ſummopere commovetur, dum prima fronte audit non paucos Religioſos in gravi verſari damnationis periculo. At evaneſcit admirationis ratio, ſimulatque ob oculos revocantur ea, quæ in hac Diſſertatione dicta ſunt, & oracula Chriſti Domini, qui non ſemel teſtatur, paucos eſſe electos, arctamque viam, quæ ducit ad vitam: ceſſat commotionis argumentum, quoties ſerio reputaverimus animo, eos omnes, qui in Monaſticæ profeſſionis violatione perſiſtunt, ab æternæ ſalutis ſcopo aberrare. Anne audaciæ nota mihi ſubeunda erit, quod ſæpius ſcriptis prodiderim, illos dumtaxat Regulares viam percurrere damnationis, qui vota Deo nuncupata contemnunt? Quid enimvero populo Chriſtiano e ſuggeſtu frequentius inculcamus, quam eos omnes, qui Evangelica lege poſthabita; ſuis appetitionibus morem gerunt, damnationis pœnam ſubituros fore?

II. Verum, ut plenius conſilium meum lectorum oculis obverſetur, hæc, quæ dicturus ſum, meditanda propono. Ampla ſint, per me licet, Regularium collapſæ diſciplina privilegia: ſint jure præſcriptionis a plurium Monaſticarum conſtitutionum obſervantia immunes: Votum paupertatis amplitudinem materiæ excipiat: ſint ab exactæ communitatis præce-

pto

Digitized by Google

pro partim ſoluti: Fac conſuetudinis æſtum, vim educationis maximam, ſociorum commercium, quæ omnia ſecum animos in præceps abripiunt, nedum inflectunt, criminis plurimum obſervantiæ regularis tranſgreſſionibus, adimere. Denique conclude excuſatione quapiam dignos eſse illos, qui talia effantur: Jam a teneris unguiculis hanc vitæ rationem inſtituimus. Hanc eandem viam majores noſtros calcaſſe, ipſi conſpeximus. An nunc, cum ad ſenectutem vergit ætas noſtra, contraria toto cœlo ineunda nobis via erit? Fac ejuſmodi Regulares venia quadam donandos fore. Nec ipſe diſſentire velim.

III. At quid ſententiæ in eos diceres, qui obſtinato animo in relaxationis cœno ſeſe volutare vellent? qui ſuis Superioribus, præcipue ſummis Pontificibus, reformationem præcipientibus, perfracte reſiſterent; qui bonorum communitatem aperta fronte rejicerent, qui peculia, non modo pro neceſſario victu, & veſtitu; ſed etiam pro ſuis oblectamentis Religioſæ paupertati haud congruis retinerent? Quid inquam judicii in iſtos proferres? Sane Theologi omnes, vel benigniores, hos omnes criminis damnant, ac in malo verſari ſtatu eoſdem adfirmant. Et tamen ego ſin minus omnino eos excuſaverim; ſaltem eorumdem ſortem commiſeror, atque commiſerandam confiteor.

IV. Verum enimvero quid de iis dicendum foret, qui non modo ſuam ipſorum, ſed ſucceſſorum quoque, reformationem impedirent? Anne eos excuſares, ſi Conventuum fures illos vocarent, qui collapſos Conventus ad Regulæ præſcriptum reformarent? ſi obſervantiam regularem ceu monſtrum horrerent, ejuſdemque cultores deriderent? ſi nulli parcerent induſtriæ, ut peculiorum abuſus in poſteros permanaret, & relaxationis hæreditas ad ſucceſſores devolveretur? Eſſetne in amplo benignioris Theologiæ campo quidpiam, quod iſtorum faveret conſcientiæ? Porro an aliqui reperiantur, qui velis, remiſque obſiſtant, quoties aliqua ſui ordinis reformanda cœnobia præſentiunt: An ſint, qui curent juvenes, in iis indui cœnobiis, in quibus haudquaquam viget regularis obſervantia ad Apoſtolicarum Conſtitutionum normam; aliorum eſto judicium. Plura certe Templa deſerta, non pauca cœnobia labantia occurrunt, ubi nullum litterarum ſtudium, nullum Regularis diſciplinæ veſtigium: ubi ſalus proximorum negligitur, cultuſque Divinus non promovetur. Præſto forent Dei viri, qui cœnobia corruentia inſtaurarent, Dei Templa excolerent, ſcientiarum ſtudia inveherent; qui populum ædificarent, atque ad priſtinum ſplendorem languentes ordines revocarent. Quæ omnia temporum difficillimorum calamitate impediuntur. Cedo. Si qui tantorum radicem malorum, quæ indicata ſunt, foverent, quæve ut in poſteros permanarent, juvenes in iiſdem collapſis cœnobiis induendo, januas reſerarent: Si qui infinita reformationis bona impedirent, quive, ne eorum Conventus reformentur, nullum non moverent lapidem, ſi ſummis Pontificibus juramento teſtarentur conventus ſuos eſſe reformatos; & refor-

Digitized by Google

matores veros ceu novatores, & tranquillitatis perturbatores traducerent; qui, inquam, tot forent malorum cauſſæ, anne viam, quæ ducit ad vitam percurrerent? Anne mihi quiſpiam audaciæ notam impegerit, ſi dixerim, hos omnes in graviſſimo æternæ damnationis periculo verſari? Hæc omnia qui ad Jeſu Chriſti pedes meditatus fuerit, haud eſt ambigendum, quin ille vocem exaltaturus ſit adverſus tantæ cladis auctores, qui propriæ matris ſplendorem obnubilarent, qui non modo ſuam, ſed innocentum juvenum, qui ſibi in relaxatione ſuccederent, ſalutem, æterno exponerent diſcrimini? Non me fugit, hunc eſſe ſæculi noſtri, omnium infeliciſſimi, veluti prævalentem genium, qui criminibus vel manifeſtis, aut cujuſdam honeſtatis ſpeciem prætendit, aut diſſimulationis velo obtegenda obtrudit; & ceu charitatis Chriſtianæ violatores traducit, qui adverſus publica ſcelera calamum diſtringunt. Quod ſane omnium malorum extremum eſt. Et revera, ut mea minima præſefert opinio, ſi graviſſimum damnum Eccleſiæ inferunt improbi publica delictorum perpetratione; non minus, quaſi dixerim, nocumenti eidem impingunt illi, qui etſi a malo reipſa declinant; attamen alii mundana prudentia decepti, alii nimiæ & falſæ charitatis f[illegible]o obducti, omnia diſſimulanda edocent: Alii, qui reipſa probi ſunt, eandem ſilentii legem imponunt, quod nullam profectus ſpem concipiunt: ac ſi in Iſrael amplius non eſſet Deus, nec eadem nunc, quæ olim miſericordia: ac ſi denique eo tantum ſpectaret criminum deteſtatio, ut improbos ſolos ad meliorem frugem revocaret; & non potius ut bonos ad perſeverandum excitaret. Horum ergo omnium abſciſſo reſpectu, exalta vocem tuam: argue, obſecra, increpa, ea majori humilitate, prudentia, & charitate, qua fieri poteſt: Non ceſſes clamare, ne tibi ipſi aliquando improperare debeas: væ mihi quia tacui; & quia veritatem Dei abſcondi in corde meo.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA.

DE VITA COMMUNI & Peculio Regularium juxta Theologorum mentem.

PRÆLOQUIUM.

SOla ſuperior Diſſertatio, mea quidem ſententia, ad plenam hujuſce controverſiæ deciſionem ſufficeret, niſi quorumdam Scriptorum ſubtilitates ambagibus involutam, ſpiniſque conſitam effeciſſent. Noli itaque Lector humaniſſime nimiæ ſuperfluæque prolixitatis me incuſare, ſi, ut e tenebris, quibus circumfunditur, veritatem eripiam, ſuæque primævæ luci reſtituam, longius ſermonem produxerim. Eo vero facilius prolixitatis notam me evaſurum confido, quo majoris momenti, atque neceſsitatis eſt argumentum, quod verſandum aſſumſi. Quandoquidem ex communi Regularium vita, aliorum votorum, totiuſque Monaſticæ diſciplinæ ſplendor, atque æternitatis ſummum negotium pendere, commune eſt Patrum Theologorumque placitum: *Tolle communitatem*, ait quidam, *& ſuſtuliſti Religionem*. Immo ex diſciplina Monachorum recte inſtituta univerſæ Catholicæ Eccleſiæ, utilitatis, ſplendoris, & ornamenti plurimum accedere teſtatur ipſa Trident. Synodus (ſeſſ. 25. De Reformat. cap. 1.) *Quoniam non ignorat S. Synodus quantum ex Monaſteriis pie inſtitutis & recte adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris & utilitatis oriatur*. Quantum vero e contrario detrimenti ipſa ſubeat Eccleſia ex deformata Regularium diſciplina, eorumque pravis moribus, deplorabilis experientia teſtis eſt. Nonne hinc infenſiſsimi Religionis noſtræ hoſtes recentes ſolemnia Monaſtica vota carpendi atque in univerſæ Eccleſiæ dedecus Regularium ſcandala regerendi anſam arripiunt? Hujus non eſt inſtituti in mentem revocare, illos in ſuæ ſchiſmaticæ & ſacrilegæ receſſionis excuſationem, defenſionemque, Monachorum opulentiam, divitias, otia, convivia, ſororeſque libidines, allegare. Quare ut pro modulo noſtro Monaſticæ diſciplinæ integritatem a calumniis vindicemus, ſuoque priſtino ſplendori reſtituere ſatagamus, præſentem adornavimus Diſſertationem, in qua Theologorum ſenſa expendenda ſuſcepimus. Enimvero conſentaneum eſt, ut explanatis Conciliorum, Pontificum, ſanctorumque Patrum oraculis, vaniſque depulſis interpretamentis, Theologorum quoque placita exigamus ad criſim. Eo vel maxime quod licet fere omnes tum

Digitized by Google

Canoniſtæ, tum Summiſtæ, tum de ſchola Theologi hanc verſarent controverſiam; nemo tamen, ut mea minima præſefert opinio, pro dignitate eam, abſit invidia verbo, exhauſit. An id nos aſſequuti ſimus, aliorum eſto judicium. Id certe in votis, ac animo fuit.

CAPUT PRIMUM.

Varia Theologorum placita hoc de argumento. Quæ penes omnes inconcuſſa, quæve in ſpeciem pugnantia, exponuntur, unaque conciliantur.

I. PIcturam quandam eorum, quæ hoc de argumento Theologi edocent, jam ſupra exhibuimus. Quæ ibi præfati ſumus, hic preſſius diſcutere expedit. Quandoquidem, quia non peculiarem opinionem noſtram, cui minime in tanto negotio fideremus, ſed communem Doctorum ſententiam propugnaturos ſpopondimus, ideo Theologorum ſenſa enucleatius aperienda ſunt.

II. Duas in ſpeciem oppoſitas, re tamen, ut videbimus, convenientes in hac controverſia repetio, ſententias. Prima communem vitam ita annexam Monaſticæ paupertati aſſerit, ut Regularibus nullum peculium, neque ex Prælatorum licentia licitum ſit. Hanc communiter Doctores ſapientia, & ſanctitate inſignes propugnant, quamvis diſſidium aliquod ſit, quod eorum aliqui ante Tridentinum Concilium licitum fuiſſe Monachis ex Superiorum aſſenſu peculium, minime vero poſt Tridentinum defendunt. Quid ante Tridentinum licuerit, ex ſuperiore conſtat diſſertatione: utcunque tamen res ſeſe habuerit ante Tridentinum, ad præſens inſtitutum parum refert. Secunda in ſpeciem primæ oppoſita etiam poſt Tridentinum licita eſſe peculia Monachis ſuſtinet. Hujus ſententiæ primus Patronus (ut fertur) fuit Navarrus, quem Caſuiſtarum plures ſunt ſecuti. Siniſtre, an ſincere, ejus doctrinam expoſuerint, paulo infra dicturi ſumus.

III. Ut igitur prudenti, ſolidoque criterio hæc Theologorum placita diſcutiantur, quæ penes omnes extra diſputationem poſita ſunt, exponenda. In primis fatentur omnes vitam communem ſeveriſſimo præcepto impoſitam eſſe Regularibus. Unanimi pariter conſenſu ad hanc vitæ communitatem ſuſcipiendam animo paratos eſſe debere Regulares, immo pro viribus adlaborare, ut introducatur, ſi deſit, adfirmant. Certum quoque apud omnes eſt, Regularium Profeſſionem contractum quemdam eſſe ſolemni ritu peractum, in quo Religioſus perpetuam ſpondet paupertatem, non quamcumque, ſed eam, quam propria Regula præſcribit. Quælibet autem Regula, ut vidimus, paupertatem communi vita circumſcriptam

ſer-

Digitized by Google

ſervandam mandat. Hinc Religioſus omnia ſua tum præſentia tum futura ſub Religionis dominio ponit, ea conditione, & pacto, ut Religio de iis bonis ceu ſuis in communem omnium Religioſorum uſum diſponere queat, prout ſibi expediens viſum fuerit. Et Religio viciſſim eodem vinculo ſeſe obſtringit, victum & veſtitum omniaque neceſſaria Religioſo præſtituram. Sicuti autem in quolibet contractu una deficiente parte, in ſuo explendo munere, deficiat quoque altera neceſſe eſt; ita ſimiliter, ſi Religio in victus & veſtitus proviſione deſit officio ſuo, ilico in Religioſo profeſſo jus oritur naturæ quemlibet antecedens contractum, victum & veſtitum proprio peculio comparandi. Tandem extra controverſiam eſt licentiam peculii ſine juſta cauſſa conceſſam injuſtam eſſe. Porro licentia injuſta nec utentem, nec concedentem excuſat a peccato ſuapte natura mortali, utpote contra bonum commune in re gravi, ut fuſius ſuo loco dicemus.

IV. Expoſitis iis, quæ inconcuſſa ſunt penes omnes, ad ea modo, quæ in diſputationem vocantur, quæve pugnantia videntur, enucleanda accedamus. Auctores primæ ſententiæ, dum communi vitæ Regulares obſtrictos aſſerunt, peculiaque omnia damnant, non eo tendunt, ut etiam in veræ neceſſitatis eventu Monachis prohibeant peculium illud, quod ad vitam alendam, requiritur. Dionyſius Carthuſianus, qui præ cæteris hanc diſcutit controverſiam (De Refor. Clauſtr. cap. 12.) his verbis ſuam exprimit mentem: *Porro hæc omnia ſunt intelligenda, niſi occurrat rationabilis cauſſa mutandi ſeu diſpenſandi in his quæ cadunt ſub diſpenſatione. Rationabilis autem cauſſa diſpenſandi eſt urgens neceſſitas aut vera & manifeſta utilitas, prout Leo Papa & Gelaſius Pontifex ſanctiſſimus cæterique Patres & Doctores concorditer aſſerunt.* Hæc itaque ſententia invehitur in abuſus & corruptelas eorum Conventuum, qui patrimonio ad vitam communem degendam ſufficienti præditi, huic tamen Communitati refragrantes, malunt privata peculia habere, quibus propriis commodis faciant ſatis, quam communem vitam, cui ex debito ſolemnis profeſſionis adſtricti ſunt, ſincero animo amplecti.

V. In quo ergo deficit opinio iſta? In hoc aliquantiſper diminuta apparet, quod cum abſolute univerſam peculiorum praxim reprobet, ad particulares eventus non deſcendit. Hinc conſequi videtur, Monachos omnes iis in Monaſteriis commorantes, in quibus ſerpit peculiorum abuſus, proprietarios eſſe, æternæque damnationis periculo obnoxios. Cæterum ſi penitus introſpiciatur, ex ea opinione, non aliud elicitur, niſi eos Regulares dumtaxat proprietatis crimine infectos eſſe, & in maximo æternæ ſalutis diſcrimine verſari, qui propria voluntate communem vitam recuſantes, mutuo tum Prælatorum, tum ſubditorum conſenſu peculiorum fovent corruptelam. Quod conſectarium veriſſimum eſt. Non inde tamen infertur, Monachorum aliquos (verum pauciſſimos excipe) ſimili detineri periculo, dum Communitatem ſincero animo inhiant, quive ne-

cef-

Digitized by Google

ceſſitate tantum coacti quippiam peculii, debita licentia, aliiſque ſervatis circumſtantiis retinent, quo propriis indigentiis ſuccurrere valeant. Et quamvis Doctores hujus ſententiæ non adeo explicate, & manifeſte hoc exprimant; indicant tamen, & ſubintelligitur ex communi doctrina neceſſitatis, quæ, ſi vera, eſt, legem, ut tritum fert adagium, non habet.

VI. Secunda ſententia, quæ peculia, ut licita defendit, primæ adverſari videtur. Verum ſi conditiones, quas pro licito peculiorum uſu præſcribit, executioni mandentur, non adverſa, ſed eadem eſt ac prima. Maxime ſi doctrinæ ſubſtantiam ab aliquibus conſectariis per quoſdam ſcriptores male deductis, ſecernamus. In primis hæc opinio primæ ſubſcribit in aſtruendo Communitatis præcepto Regularibus impoſito. Deinde ad licitum peculiorum uſum plures exigit conditiones, quas ſupra fuſius explicuimus, & hic earum aliquas indicamus. Prima eſt, quod Monaſterium non ſubminiſtret neceſſaria. Secunda, quod Religioſi animo parati ſint ad Communitatem ſuſcipiendam, omnique conatu adlaborent, ut introducatur. Tertia, quod de peculio conceſſo nihil ſine licentia Superioris diſtribuant, habeantque animum paratum omnia deponendi ad Prælatorum pedes. Quarta, quod non theſaurizent, nec ſuperflua teneant, nec delicioſa quærant, ſed ea tantum habeant, quæ haberent, ſi de communi illis ſuppeditarentur. Quinta tandem, quod ſublevata propria indigentia, quod de peculio vel cenſu ſupereſt, in aliorum Religioſorum ſeu communitatis uſum convertant. Plures alias conditiones pro licito peculiorum uſu præſcribit hæc opinio, quas præcedenti Diſſertatione explicuimus.

Primus poſt Tridentinum hujus opinionis Patronus fuit Martinus Navarrus, quem cœteri ſe ſequi gloriantur, quamvis paucos eum in fonte legiſſe colligatur ex pluribus quæ in hac materia contra Navarri mentem edocent, ut infra videbimus. Navarri autem doctrina hæc eſt, *ſcilicet* etiam poſt Tridentinum licitum eſſe peculii uſum juſta occurrente cauſſa. En ejus verba (Comment. 2. De Reg. n. 15.) *Intelligendum eſt* (Tridentinum) *de proprio ſine juſta cauſſa conceſſo*. Eandem repetit reſponſionem ad ſextum argumentum ſibi ex Tridentino oppoſitum. *Videtur intelligendum de conceſſione peculii ſine juſta cauſſa facta*. Juſtam porro cauſſam aſſerit eſſe neceſſitatem victus & veſtitus, publicam vel privatam utilitatem. *Cauſſa juſta*, ait (loc. laud. n. 24.) *concedendi hujuſmodi licentiam eſt duplex, neceſſitas & utilitas; & rurſus utraque illarum duplex privata, & publica. Privata neceſſitas eſt indigentia perſonæ particularis, qualis eſt victus & veſtitus perſonalis, qualem quiſque habet, cum ei Communitas non providet. Publica vero neceſſitas eſt neceſſitas Communitatis. Utilitas autem privata eſt, quam Religioſus ſibi ſingulariter prætendit, qualis eſt informatio & recreatio animi per lectionem librorum quos retinet: publica vero quam prætendit facere Reipublicæ docendo vel prædicando aliis ex libris, quos retinet.*

VII. Quid.

Digitized by Google

VII. Quid, amabo, hic docet Navarrus, quod ab omnibus ultro non admittatur? Si Monachis victus, & veſtitus non ſubminiſtrentur de communi, quis inficias iverit, eos alia via licite poſſe, quæ ad vitam alendam, ſunt neceſſaria, comparare? Libros quoque propriæ profeſſioni convenientes, quibus tum proprium animum imbuant, & alios condocefaciant, eos habere poſſe, debitis ſervatis circumſtantiis, nemo eſt, qui diſſentiat.

VIII. Si hæc ita ſe habeant, in quo igitur claudicat opinio iſta? In pluribus hujus opinionis Auctores peccare manifeſte oſtenditur. In primis dum aſſerunt juſtam cauſſam permittendi peculii eſſe victus & veſtitus neceſſitatem, evidentem produnt veritatem, ſed maximum committunt defectum, quod hujus neceſſitatis indolem in examen vocare omittunt. Utique admiſſa veræ neceſſitatis hypotheſi, licita eſt peculii permiſſio. At quid, ſi neceſſitas iſta voluntaria eſſet? Quid ſi tum ſubditi, tum Prælati mutua quadam conniventia libere in hanc violandæ communitatis neceſſitatem ſeſe conjicerent, & in eadem deliberato animo perſeverarent? Quid ſi Summorum Pontificum Bullis, ſi Conciliorum Canonibus hujus neceſſitatis tollendæ leges ferentibus reſiſterent? Quid ſi Sacramento, ſeu publico, & ſolemni jurejurando obſtricti eſſent ad hanc ſubmovendam voluntariam neceſſitatem? Quis Theologorum a proprietatis labe hæc purgaret peculia? Peccant ſecundo plures, Caſuum arbitri, dum ex peculio, quod Theologi admittunt ad victus & veſtitus ſublevandam neceſſitatem, coacte non libere, contractam, inferunt, peculium iſtud valide Prælatos impertiri poſſe ad cubicula ampla ædificanda, eaque pretioſis picturis & aulæis ornanda, ad convivia oppipare inſtruenda, ad animum in ludorum ſortibus recreandum, ad quid non? ad conducendas denique, pacta mercede, meretrices. Peccant tandem quod inculcare omittunt debitum illud graviſſimum, quo tum ſubditi, tum Prælati obſtringuntur ad hanc evellendam neceſſitatem, & ad bonorum omnium communionem promovendam.

IX. Si utraque ſententia eandem, ſaltem quoad ſubſtantiam pertinet, doctrinam propugnat, quo fundamento peculiorum patronos tamquam corruptelarum fautores traducimus? obviæ oppoſitioni ex dictis reſponſio patet. Eandem reipſa Viri graves prudenteſque ſententiam edocent. Recentiorum vero plures in eandem pariter ſententiam ſe ire oſtentant, quia aliquando in peculiorum abuſibus ſuſdeque intermiſcent has duas voces *neceſſitatis, & licentiæ Prælati*. Sed poſtea ex horum terminorum vel peſſima applicatione, vel pingui interpretatione laxiſſimas eliciunt conſequutiones. Quare nos laxitatis dicam non omnibus inurimus, ſed iis tantum, qui neglectis terminis quos poſuere Patres eorum, abuſibus & corruptelis latiſſimam aperiunt viam, vel incauta ſcribendi methodo, vel nimia ſavendi appetitionibus cupiditate. Ut autem ſcopulos, ad quos Recentiorum plures hanc percurrentes Provinciam impingere ſolent, patentius oſtendamus, eos in tres claſſes tribuimus.

X. In

Digitized by Google

X. In prima eos conſtituo, qui de Regularium paupertate agentes; miſſis Regulis Monachalibus, Conciliorum, Pontificumque decretis, voti eſſentiam abſolute acceptam contemplantur, eamque ſitam ajunt in Dominii abdicatione. Hinc peculiorum uſum dominii expertem Regularibus indiſcriminatim impertiunt. Quoniam ſervata, inquiunt, voti ſubſtantia, accidentalis communitas ejus momenti haud eſt, quod diſpenſationem peculii impedire valeat. Hæc ſcribendi methodus latiſſimam aberrandi viam aperuit, funeſtamque totius Monaſticæ diſciplinæ, quæ communitate ceu potiſſimo cardine volvitur, jacturam induxit. Hunc ſcopulum indicavit etiam Franciſcus Suarez (Tom. 3. De Relig. lib. 8. cap. 14. num. 4.) ubi referens opinionem annuos Religioſorum cenſus, & peculia defendentem inquit. *Tandem advertendum eſt ſententiam hanc intelligendam eſſe ſolum in generali, & ex vi voti paupertatis ut ſic. In particulari autem unaquæque Religio ſervare debet, ſi quam Regulam peculiarem circa paupertatis votum & materiam ejus habuerit, quæ cum hujuſmodi peculio & licentia ejus repugnet.*

XI. In ſecundam claſſem eos adſcribo, qui non ſolam voti naturam, ſed Regulas etiam, Conciliorum, & Pontificum Decreta ſcrutantur; ea tamen non ad Evangelicæ Theologiæ trutinam, ſed ad metaphyſicas ſubtilitates detorquent, totque commentis atque diſtinctiunculis conſepiunt, ut lectoribus non ſectandæ communitatis momenta, ſed violandæ paupertatis occaſionem porrigant.

XII. In tertia claſſe eos colloco, qui Summiſtæ appellitantur. Hi; quorum profeſſio in ſuis lucubrationibus eſſe ſolet, aliena in compendium redigere, & ſæpius nullo delectu; ut præſtitutæ brevitati morem gerant, ſilentio prætereunt modificationes, reſtrictiones, clauſulas, quibus Theologi ex profeſſo controverſiam verſantes limitant, & circumſcribunt proprias aſſertiones. Quapropter, remediis neglectis, ſolam morborum colluvionem in ſuas derivant, convaſantque ſummas, quas merito interdum peccatorum, & vitiorum inſcribunt: Theologorum vero, a quibus de libro in quinternum opiniones tranſcribunt, auctoritatem in ſuarum malę conſarcinatarum opinionum præſidium laudant. Ex quo evenit, ut imperiti lectores facilius ebibant aliiſque potandum propinent venenum illud, quod longe Theologorum, & Canoniſtarum cathalogo vident, creduntque approbatum. Ut hæc omnia facto manifeſto confirmarem, laxiſſimas & (ut ego quidem arbitror) erroneas ſententias iſthuc referre decreveram. Quoniam non parum ad veritatem aſſequendam conducit ea omnia patefacere, quæ aberrandi occaſionem ingerunt. Verum hæc deliberantem timor inceſſit, ne in ipſo limine plus juſto lectorem moraret, & ab inita via nimium abducerem. Iccirco ſatius duxi iſtarum ſententiarum cenſum ſtatim poſt præfationem ſub libri iſtius initium lectorum oculis ſubjicere, ut expeditius arreptum iter perſequi valeamus. Id unum nunc tantum ſupereſt, ut lectorem iterum admoneam, me utique ſpopondiſſe & etiam-

Digitized by Google

etiamnum ſpondere in hac controverſia non meam aliquam ſingularem , non ſeveriorem , non denique in utramque partem probabilem opinionem, ſed communem, certiſſimamque Theologorum doctrinam propugnaturum fore. Quoniam tametſi, ut diximus, in conſectariis deducendis Caſuiſtarum & Theologorum plures diverſis oppoſitiſque viis inſiſtant, in principiorum tamen, quibus univerſa diſputatio vertitur, approbatione nihil, aut parum diſſentiunt, niſi quod alii minus perſpicue, alii nimis perfunctorie, & alii ſatis confuſe hanc verſant cauſſam. Quapropter non alia mihi fuit ſuſcipiendæ hujus provinciæ ratio, quam, ut e tenebris, quibus involvebatur, veritatis lucem eriperem, certaque a dubiis ſecernerem. Enimvero ſi quæ explicanda aggreſſus ſum, ſpinis obſita, denſaque caligine obducta non eſsent, neque induſtria egerent mea, neque illuſtratione, & ſupervacaneus foret conatus meus, quando non alium ederet fructum, quam actum retractare. Sed de his pluſquam ſatis. Tempus jam eſt, ut quod promiſi, aggrediar, & Theologorum mentem patefaciam.

CAPUT SECUNDUM.

Aurea D. Thomæ doctrina, quæ vitæ communis neceſſitatem evincit, peculiumque damnat, exponitur.

I. SCopulis indicatis, conſentaneum nunc eſt, eos ſeligere Magiſtros, qui hoc in certamine ad certam victoriam aſsequendam conatus dirigant noſtros. Dum autem Theologorum ſuffragia quærimus, jure ac merito Theologorum Principem D. Thomam Aquinatem in medium primo loco producimus. Plures ſunt (brevi diverticulo lector parce) qui D. Thomæ doctrinam profiteri in ejuſque verba jurare maximo ſibi vertunt honori, & in hoc ſummis laudibus dignos cenſemus. At, quod dolendum eſt, tunc in Aquinatis doctrina ſeſe verſatos gloriantur, dum in quibuſdam quæſtionibus, quæ neque ad fidem noſtram, neque ad mores pertinent & quaſi nihili quandoque ſunt, quaſve ſpeculationes vulgo appellitant, plurium annorum ſpatio mentem exagitaverint. Quamquam vereor, ut vel in harum quæſtionum enucleatione aliquid e fonte Aquinatis propriis labiis epotaverint. Hæc vero non eo intellecta velim, ut vel minoris momenti opinio tanti Doctoris ſpernenda ſit; ſed oratio noſtra in quoſdam invehitur, de quibus hæc ſcribit P. Bartholomæus Medina (in introduct. ad 3. p. D. Thomæ q. 1.) *Certe non ſunt Theologi, neque tanto nomine digni, qui quæſtiones frigidas & inanes in Theologiam invexerunt, & in his diſputandis conſeneſcunt .... An non eſt condemnandus Theologus, & diris omnibus devovendus, qui pro ſana*

doctrina, & ſermone fidei ad conſolandos eos, qui abjecto ſunt animo ; & redarguendos eos, qui contradicunt, paradoxa quædam, & nova profert, quo ſit admirationi populo inanium rerum ſemper admiratori? An non exſibilandus Theologiæ Magiſter, qui quæſtiones frigidas & valde implexas diſputat, oſtendens quantum in litteraria palæſtra profecerit, has tantum ut ſubtiles, & quæ Doctoris explicatione indigent, pertractans: quæ vero ad Charitatem & Pietatem conducunt, tanquam pervia & expoſita negligens? Si quid explicandum eſt ex D.Paulo, aut vero ex ſacro eloquio, videtur in alium mundum translatus: ſi de inſtantibus, ſi de hecceitatibus. de relationibus, de originibus (nomina prorſus incognita) velis aliquid, plura dabit, quam tribus onerariis Navibus vehi poſſint. Hi ſunt ſane de quibus dicit Apoſtolus Paulus, quod languent circa quæſtiones, & pugnas verborum, quod converſi ſunt in vaniloquium. Hunc eumdem abuſum deplorat perdoctus Contenſonius in Præloquio ad librum ſextum ſuæ nunquam ſatis commendandæ Theologiæ mentis & cordis deploravit. *Audivi*, inquit, *nonnullum de diſcipulatu D. Thomæ gloriantem, ſed revera pſeudothomiſtam, temere eſſutiiſſe S. Doctoris ſenſis ſpeculativis adhæreſcere, ſed reſolutionum ejus moralium non eſſe tenacem. Veritas tamen eſt veros Angelici Præceptoris diſcipulos rigidiores eſſe moralis ejus doctrinę ſectatores, adeo ut ſi aliquando rerum deſerendus foret Magiſter ille, in cujus verba jurarunt, data optione, mallent ab ejus ſpeculativis aſſertionibus recedere, quam deciſiones morales quadantenus temerare. Sed ad rem accedamus.*

II. Nullam forſitan controverſiam fuſiore calamo pertractavit Angelicus, quam hanc de Religioſorum paupertate (Opuſc. 19. cap. 6. 3. contra Gen. cap. 134. 135. & 136. & tandem 2.2. q. 187.) pluribus integris articulis hoc diſcutit argumentum. (Opuſc. 19. cap. 6.) inconcuſsum ponit fundamentum, quo diſtinguat paupertatem omnibus Chriſtianis neceſsariam, a paupertate, quæ ad perfectionem comparandam requiritur, illam habitualem, hanc actualem vocat. Habitualis cum divitiarum poſſeſſione ſpiritum pauperem nutrit. Actualis cum paupertate ſpiritus paupertatem corporis per omnimodam divitiarum carentiam conſociat. Illa ſæcularibus hominibus, iſta viris Religioſis convenit. Iſthuc advoco eos omnes, qui ut Religioſorum paupertatem inter rutilantia cubicula, ſplendidam ſupellectilem, pecuniarum marſupia, vaſa argentea propugnent, Abbatialis licentiæ ſcutum opponunt, animumque ab iis omnibus abſtractum, paratumque ad ea abjicienda oſtentant. Audiant iſti Angelicum, hanc vanam perſuaſionem, convellentem laudato (Opuſc. 19. cap. 6.) *Ad deſtructionem hujus erroris hoc modo procedimus. Primo enim oſtendimus ad perfectionem Evangelicam pertinere non ſolum paupertatem habitualem, ſed etiam actualem, quæ fit per abjectionem rerum temporalium .... Ad oſtendendum autem paupertatem actualem ad evangelicam perfectionem pertinere aſſumitur primo illud* (Matthæi 19.) Si vis

pet-

perfectus eſſe, vade & vende omnia & da pauperibus, *ſed ille qui ſua vendit, & pauperibus tribuit, non ſolum habitualem paupertatem eligit, ſed etiam actualem: ergo actualis paupertas ad evangelicam perfectionem pertinet. Item perfectio Evangelica conſiſtit in imitatione Chriſti; ſed Chriſtus non ſolum voluntate, ſed etiam realiter fuit pauper.* Hoc unicum D. Thomæ principium in Evangelio petitum ſatis ſuperque eſt ad omnes profligandas cavillationes, quibus Monaſtica paupertas cum peculiorum uſu uniri ſolet. Siquidem paupertas Religioſa non in ſola animi promptitudine ſiſtit, ſed prætetea talem exigit rerum temporalium carentiam, quæ Chriſti paupertatem imitetur.

III. Deinde ut luculentius oſtendat paupertatem actualem Religioſorum propriam ab habituali ſæcularibus neceſſaria diſtingui, aſſumit textum Evangelii (Lucæ cap. 14.) *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hoc,* inquit loco laudato, *tamen diſtat inter renunciare omnibus & relinquere omnia, quia renunciare convenit omnibus, qui ita licite utuntur omnibus mundanis quæ poſſident, ut tamen mente tendant ad æterna. Relinquere eſt tantumodo perfectorum, qui omnia temporalia poſtponunt, ut ſolis æternis inhient; ergo relinquere, quod pertinet ad actualem paupertatem, eſt Evangelicæ perfectionis, ſed renunciare, quod pertinet ad habitualem ſecundum Gloſam prædictam, eſt de neceſſitate ſalutis.*

IV. Neque ſatis Angelico fuit oſtendere actualem paupertatem neceſſariam eſſe Religioſis viris perfectionem profitentibus, ſed inſuper eos teneri, ſubdit, omnia ſua, ſive temporalia ſive ſpiritualia in communem conferre utilitatem, & de communi vivere. *Qui autem,* inquit, (3. cont. Gen. c. 135.) *voluntariam paupertatem aſſumunt ut Chriſtum ſequantur, ad hoc utique omnia dimittunt, ut communi utilitati deſerviant, ſapientia & eruditione & exemplo populum illuſtrantes vel oratione & interceſſione ſuſtentantes.*

V. Validiſſimam atque ineluctabilem rationem aſſignat, & infinitis propemodum tum Scripturæ tum Patrum documentis eam munit, firmatque. Pecuniarum ſcilicet uſum maximam, tumultuantemque ingerere ſollicitudinem, animum a cœleſti contemplatione avellere, & in terrenarum rerum cupiditate demergere. Pecunias ſpinis comparat, quæ ſicut granum, ita verbum Dei in cordibus hominum ſuffocant. *Ex quo patet,* ait (laud. Opuſc. 19. c. 6.) *quod actualis paupertas, quæ in penuria rerum conſiſtit, ad Apoſtolicam perfectionem pertinet. Item Bernard. dicit ad Senonenſem Archiepiſcopum: Felix qui nihil ſibi retentat ex omnibus quæ habet. Non foveam, ut vulpes, non tanquam volucres nidum, non loculos* (ideſt depoſita) *ut Judas, non domos* (ideſt plura cubicula) *ſicut nec Maria locum in diverſorio, imitatus profecto illum, qui non habebat, ubi caput ſuum reclinaret . . . . Quia divitiæ ſuis poſſeſſoribus de neceſſitate multas ſollicitudines ingerunt, unde* (Lucæ 8.) *divitiæ per ſpinas*

ſignificantur, quæ verbum ſua ſollicitudine ſuffocant in cordibus auditorum.

VI. Quare riſu, & ſibilo excipit Angelicus diſtinctionem illam, quæ in Monachorum pecuniis dominium civile ſeparat ab uſu; non quod hæc diſtinctio optima ex ſe non ſit, ſed quod ad protegendum Monachale peculium commentitia eſt. Neque enim nuda & mera poſſeſſio divitiarum ab uſu ſeparata ſollicitudinem ingerit, ut ſuo loco fuſius dicturi ſumus. Sed uſus pecuniarum eſt potiſſima cauſſa malorum omnium. Uſus cupiditatem explet, uſus cæteras ſovet paſſiones, & nemo fere de dominio curat, dummodo liberum uſum rerum ſemper habere poſſit. Quapropter Doctor ſanctus (loc. laud.) in Monachos pecuniarios, licet dominio deſtitutos invectivam Divi Hieronymi allegat inquiens. *Item Hieronymus ad Heliodorum de morte Nepotiani irridendo loquens dicit. Sint ditiores Monachi, quam fuerint ſæculares. Poſſideant opes ſub paupere Chriſto, quas ſub locuplete Diabolo non habebant. Suſpirat eos Eccleſia divites, quos tenuit mundus antea mendicos.*

VII. Tandem enucleatius hæc omnia diſcutit Angelicus (2. 2. q. 188. art. 7.) ubi primum docet privatas pecunias Religionis perfectionem funditus evertere. Secundo moderatas divitias in communi eidem perfectioni non officere. Tertio abundantiam divitiarum etiam in communi perfectionis augmentum impedire. Quarto ordinibus ad militiam vel hoſpitalitatem inſtitutis abundantiores divitias concedit. Quinto Religionibus contemplativis moderatum adjudicat patrimonium. Sexto Religionibus ad proximorum ſalutem procurandam inſtitutis modica bona concedit. Septimo denique concludit de communi patrimonio ſingulis Religioſis, prout unicuique opus eſt, ad Apoſtolicæ communitatis ſimilitudinem, providendum eſſe. *Quia*, inquit, *Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei uſque ad contemptum ſui, habere aliquid proprium perfectioni repugnat Religionis. Sed ſollicitudo quæ adhibetur circa bona communia, pertinere poteſt ad charitatem, licet per hoc impediri poſſit aliquis altior charitatis actus, ex quo patet quod habere ſuperabundantes divitias in communi, ſive in rebus mobilibus, ſive in immobilibus, eſt impedimentum perfectionis, licet non totaliter excludat eam.*

Habere autem de rebus exterioribus in communi ſive mobilibus ſive immobilibus quantum ſufficit ad ſimplicem victum, perfectionem Religionis non impedit, ſi conſideretur paupertas per comparationem ad communem finem Religionum, qui eſt vacare Divinis obſequiis. Si autem conſideretur per comparationem ad ſpeciales fines Religionum, ſic præſuppoſito tali fine, paupertas major vel minor eſt Religioni accommoda. Et tanto erit unaquæque Religio ſecundum paupertatem perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam ſuo fini.

Sic ergo patet, quod Religio quæ ordinatur ad actiones corporales activæ vitæ, puta ad militandum, vel hoſpitalitatem ſectandam, imperfecta eſſet.

Digitized by Google

eſſet, ſi communibus careret divitiis . . . . . Et ideo tribus gradibus Religionum ſupra poſitis triplex gradus paupertatis competit. Nam illis Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones activæ vitæ competit habere abundantiam divitiarum communium.

Illis autem Religionibus, quæ ſunt ordinatæ ad contemplandum magis competit habere poſſeſſiones moderatas niſi ſimul oporteat tales Religioſos per ſe vel per alios hoſpitalitatem tenere & pauperibus ſubvenire.

Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maxime ab exterioribus ſollicitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ ſunt neceſſaria vitæ congruo tempore procurata conſervantur.

Et hoc Dominus paupertatis inſtitutor docuit ſuo exemplo, habebat enim loculos Judæ commiſſos, in quibus recondebantur eis oblata, ut habetur (Jo: 12.) *Ex quo patet quod conſervare pecuniam, & quaſcumque res communes ad ſuſtentationem Religioſorum Congregationis ejuſdem, vel quorumcumque aliorum pauperum, eſt perfectioni conforme, quam Chriſtus docuit ſuo exemplo. Sed & diſcipuli poſt Reſurrectionem, a quibus omnis Religio ſumſit originem, pretia prædiorum conſervabant, & diſtribuebant unicuique, prout cuique opus erat.*

VIII. Poteratne Angelicus vividioribus exprimere coloribus Apoſtolicæ communitatis imaginem, & ſolidiora figere principia, quibus in pulverem conteratur peculiorum ſimulacrum? Nec ſolum peculia damnat, dum omnia communia vult; ſed vel ipſam redundantiam in communi reprobat. Placet hic adjicere Cardinalis Cajetani commentarium in hunc D. Thomæ articulum „ Perſpice, inquit, quam vituperabiliter tantas divitias multi Religioſi divites in communi conſumant in ſumptuoſis fabricis. Et copioſi reditus, qui Monaſteriis Monachorum & hujuſmodi ſunt dati non ad impedimentum præſtandum contemplativæ vitæ, quam, ut Auctor in littera dicit, magnarum divitiarum ſollicitudo impedit, ſed ut vel hoſpitalitati vacent, aut patres pauperum ſint, divertuntur in ſuperfluas expenſas, ita ut impleatur verbum Hieronymi, quod ſuſpirat eos Eccleſia divites. Sat eis eſſe deberet quod habentes neceſſaria, ut pauperes Chriſti, tam in victu, quam in habitationibus, reliqua pauperibus erogarent, ut gauderet Eccleſia eorum divitiis. Non eſt enim rationabile tot ad Eccleſiaſtica Collegia donatas divitias, niſi quia bene utebantur illis, & non ad delicias, aut pompam, ut hodie a multis fieri videtur arbitrantibus obſequium ſe præſtare Deo in hujuſmodi ſumptibus. „

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

Theologi omnes communis vitæ præceptum, cui Regulares obnoxii ſunt, propugnant, & peculium neceſſitate ſublata, improbant.

I. TAmetſi non omnes Theologi concedant communem vitam ad voti paupertatis naturam pertinere, quin plurimi oppoſitum ſentiant, eoquod pro dignitate cauſſam hanc minime verſarunt, omnes tamen, quos mihi legere contigit, quive ex profeſſo controverſiam tractarunt, defendunt, hanc bonorum communionem ſub præcepto Regularibus impoſitam eſſe. Non eſt, quod omnes ſingillatim recenſeam, tum quod ſuperfluum, tum quod & lectori, & mihi nimis foret moleſtum. Tædio ſiquidem afficere lectorum animos ſolet, illud ſcribendi genus, quod in exſcribendis Auctorum effatis occupatur. Verum quia plurimum ad ſuadendum valet, potiſſimum in morum factorumque diſputationibus finiendis; idcirco illud uſurpo, plus de præſtituto fine, quam de ferenda delectatione ſollicitus. Antequam ad rem accedo, illud admoneo, me in exſcribendis Doctorum auctoritatibus, ordinem chronologicum haudquaquam ſervare, ſed prout mihi occurrunt, eoſdem laudare.

II. Perdoctus, ac pius Abbas Joannes Trithemius in ſuo de vitio proprietatis libro (cap. 5.) hæc ſcribit. *Revolvamus omnium ſanctorum Patrum ſcripta & regulas, & nunquam inveniemus Monacho peculium ullatenus permiſſum. Omnes enim hoc vitium damnant. Omnes Monacho proprium prohibent, omnes in communi vivere, renunciantes ſæculo, præcipiunt.* Omnes itaque probatiſſimo teſte Trithemio tum Patres, tum Theologi ad ſua uſque tempora communitatem præcipiunt, omnes peculium prohibent, & omnes proprium damnant. Numquid locus illthic erit diſtinctioni illi, qua dici ſolet peculium ideſt proprium vetitum fuiſse, ſecus peculium conſentiente Abbate permiſsum, quod depoſitum appellari ſolet? Sed vanam diſtinctionem refutat Trithemius, dum adfirmat omnes peculium prohibere unaque communitatem præcipere.

III. Theodoricus de Monaſterio Colonienſis Univerſitatis Doctor ſanctitate, & ſcientia clarus in ſuo de proprietate tractatu (cap. 7.) hanc ponit concluſionem. *Sexta concluſio. Quando Superior tranſgrediendo præcepta, & ſtatuta Papalia aſſignat peculium alicui, ipſe quidem graviter peccat & recipiens tale peculium contra prohibitionem Papæ, qui eſt ſuper Abbatem & Abbatiſſam, Præpoſitum & Priorem, cui etiam magis tenentur obedire religioſæ perſonæ, quam alicui prædictorum, ſeu aliorum.*

IV. B. Joannes Dominici Cardinalis in ſuo tractatu contra peculia Fratrum

trum hæc ſcribit apud D. Antoninum (3. p. tit. 16. cap. 1. §. 6.) *Maxime videtur*, inquit, *textus Regulæ inſtare circa perfectiſſimam expropriationem in particulari, ut quod habeant victum ſub uno cellario, & veſtitum ſub uno veſtiario, & iſta videntur cadere ſub præcepto.*

V. Dionyſius Carthuſianus in tract. de Reformat. Clauſtr. (cap. 13.) *Abbas dare vel licentiare non poteſt Monacho iſtud, cujus Monachus non eſt capax, & quod voto ſuo, imo eſſentiæ Religionis repugnat. Jam autem in prædictis oſtenſum eſt, & infra plenius oſtendetur, quod habere peculium repugnet voto paupertatis, & paupertati Monaſticæ, quæ eſt de Religionis eſſentia.*

VI. Gregorius de Valentia (Tom. 3. diſput. 10. q. 4. p. 2.) *Quarto ſequitur eſſe in malo ſtatu Religioſos tam Prælatos, quam ſubditos, qui non agunt vitam communem. Hoc autem intelligitur, quando ex communibus reditibus poſſunt ſufficienter vivere; alioquin jure naturali licebit unicuique ſibi providere procurando proprium, ſi aliter non poſſit vivere.*

VII. Sanctus Antoninus (3. p. tit. 16. §. 11.) *Satis credo quod qui ſe reperiunt in Monaſteriis & Conventibus, ubi non vivitur in communi... ſi ſunt ſubditi, & reſiſtunt huic bono, videntur eſſe in malo ſtatu.*

VIII. Joannes Excuria percelebris Congregationis Hollandiæ Vicarius Generalis, pluriumque Conventuum Reformator inſignis, in ſuo ad Burgundiæ Ducem tractatu de neceſsaria Ordinis Præd. Reformatione (art. 4.) ait in reſponſione ad primam objectionem. *Alius etiam uſus revocabilis eſt indeterminatus, ſive indifferens: ſic videlicet quod Prælatus relinquit ſubjectum ſuum Religioſum in libertate faciendi de peculio quod ſibi bene viſum fuerit, ſive illud manualiter Religioſus ſubditus a Prælato receperit, quod vocatur ab aliquibus veſtiarium, ſive illud per ſuas operas, aut induſtrias conquiſierit, prout faciunt mendicantes non reformati, ſive per modum annui reditus ſic aſſignati a Parentibus, aut alias habuit. Hujuſmodi ergo uſus non poteſt concedi Religioſis, quoniam contrarius eſt fini Religionis, qui eſt tendere ad perfectionem charitatis. Dicit enim S. Thomas quod pecuniæ habitæ per ſe natæ ſunt impedire perfectionem charitatis tripliciter, ſcilicet ſollicitudine, amore, & vanitate ſequente.*

IX. Joannes de Neapoli ſcientia tum Theologica, tum Canonica eximius ac ferventiſſimus concionator, cujus laudabilis mentio fit in Chronico (Mag. Gen. Ord. pag. 73.) amplum ſcripſit tractatum duas in partes diſtributum ſupra 200. quæſtiones continentem de ſtatu Religioſorum, quos deformatos vocat. Codex ineditus eſt, neque adhuc mihi videre eum licuit, quamquam non mediocri diligentia in pluribus Italiæ Bibliothecis expiſcatus fuerim. Laudatur a Joanne Nyderio pluribus in locis in ſuo de Reformatione Opuſculo, præcipue prima parte cap. 9. ubi hæc ſcribit Joannes de Neapoli . . . *Omnes ſubditi excutiant manus ſuas a proprio, ponentes ad pedes Prælatorum omnia & ſingula in parvo & in magno in quacumque ſpecie ex quacumque cauſſa eis obveniant. Et Prælatus*

eis

eis de communi provideat, ne ſanguis ſubditorum de Prælatorum manibus requiratur. Audivi enim a quodam Magiſtro viro utriuſque juris peritiſſimo, & in cauſſis tritiſſimo dicente mihi: Si ego ſciviſſem modum habendi, & recipiendi aliquid privatim. quem ego in ordine inveni, ego numquam veniſſem ad ſtatum iſtum. Magni pendi verbum illud ab homine tam religioſo, cujus vita tam exemplaris fuit, ut mirarentur cæteri & magni pendendum conſulo cæteris juris ignaris.

X. Joannes Nyder Eugen. Papæ IV. ad Concilium Baſileenſe Legatus loco laudato (cap. 9.) *Subditi proinde, qui ſe eximunt dicentes: Nobis non providetur de communi, quo contra oportet nos nobis propria facere. Reſpondetur, horum damnatio juſta eſt. Fatentur enim ſibi facere propria ex cauſſa frivola, quam prætendunt. Satius erat mori fame & frigore exemplo Apoſtoli, qui fame, ſiti & frigore vitam exegit, quam cum peccato mortali vitam damnabilem contra rationabilem conſcientiam ducere, ſicut melius eſt pudice mori, quam impudice vivere.*

XI. Joannes de Turre Cremata S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis in Commentariis tum ſuper Decret. tum in Regulam S. Benedicti invictis argumentis communitatem Apoſtolicam neceſſariam oſtendit Regularibus, & peculium adeo damnabile reputat, ut aſſerat Fratres in Conventibus deformatis commorantes tranſire debere ad Monaſteria, quæ vitam communem ſervant. *Si Conventus*, inquit (tract. 94. in Reg. D. Benedicti) *non vult vivere in Communi . . . Religioſus debet laborare pro alio Conventu, in quo regulariter vivatur.*

XII. Thomas Cajetanus Cardinalis (2. 2. q. 189. art. 9.) communem vitam ita ſtatui Religioſo annexam exiſtimat, ut læthalis culpæ reos arguat, qui ea in Monaſteria ingrediuntur, in quibus obſervantia communitatis, aliarumque Conſtitutionum non viget. *Actus iſte qui eſt inducere ad vitam Conventualem eſt actus ex genere ſuo malus, quoniam inducitur quis ad vitam reprehenſibilem . . . . . unde vituperabile eſt non ſolum inducere, ſed etiam ingredi, & recipere ad vitam irregularem perſonas utriuſque ſexus, quamvis Eccleſia hoc toleret permiſſive.*

Acriori ſtylo idipſum repetit (in Com. ad art. 5. ejuſdem quæſtionis.) *Hic error in multis hodie viget locis, dum dantur pueri, & puellæ Monaſteriis Religioſorum ſeu Religioſarum vitæ communis, qui vulgo conventuales ſeu clauſtrales appellantur, quo fit ut reformandi nunquam reformari poſſint, dum tranſgreſſores vitæ Regularis nutriuntur ac augentur. Unde ſanciri deberet, ut nullus puer, nulla puella poſſit Religioni tradi, niſi ubi vere vivit regulariter. Sic enim aut extinguerentur irregulariter viventes, aut reformarentur vexatione dante eis intellectum. Dialectus* illo tempore obtinebat, quo Regulares relaxati peculiorum amatores appellabantur modo fratres de vita communi ſeu ſæculari, modo clauſtrales, ſeu de clauſtro, & conventuales, quæ dialectus amplius non viget.

XIII. Doctrinæ Eminentiſſimi Cajetani utroque pollice ſubſcribit Vene-

rabilis

Digitized by Google

rabilis Seraphinus Capponi a Porrecta in poſtillis ad eundem articulum. *Concluſio loquitur de Religione bene obſervante in facto, non voce tenus aut palliatione quadam excuſationum ſuæ inobſervantiæ vitæque laxioris ignominiam velante. In tali autem caſu quid ſentiendum ſit . . . . . docet hoc in loco Eminentiſs. Card. Cajetanus, cujus doctrinæ a veritate ſuarum rationum coactus, libens me ſubſcribo.*

XIV. Sylveſter (Verb. Relig. quæſt. 6. num. 7.) aſſerit: Ex auctoritate D. Antonini tum Prælatos, tum ſubditos communem vitam pro viribus non promoventes in gravi æternæ damnationis periculo verſari, & quia ipſiſſima D. Antonini verba exſcribit, ea prætereo alibi relaturus.

XV. Franciſcus Lopez de Faxeda (lib. 2. tract. 2. contr. 7. dub. 2. num. 24.) *Religioſi tenentur ex merito ſuæ profeſſionis & ſtatus de communi vivere, & contenti eſſe cum his, quæ a Religione miniſtrantur, & memores eſſe debent differentiæ & diſtantiæ ſtatus Religionis a ſtatu ſæcularium.*

XVI. Ludovicus Lopez (2. par. Inſtruct. Conſ. cap. 5.) inquit. *Decretumque hoc Concilii Tridentini omnes Religioſos quoſcumque intra ſua Monaſteria degentes in communi contendit reformare, & omnes abuſus circa paupertatem promiſſam extirpare. Sicque exhibere videtur Prælatis ne Religioſis ſubditis aliquod peculium bonorum ſtabilium, cujuſmodi ſunt reditus vel cenſus poſſint concedere, neque quantum ad proprietatem neque uſumfructum vel adminiſtrationem, commendam, vel uſum, ſicut id expreſſe indicit, & ut neque ex eorum licentia talia ſubditi obtinere undequaque poſſint bona, vel ex ſuo Monaſterio, vel aliunde obvenerint.*

XVII. Joannes Baptiſta Conradus (par. pr. q. 59.) *Tertio addimus, quod peculium Religioſi ad uſus indeterminatos, licet ſit revocabile per Prælatum ejuſque proprietate & dominio careat; ſi tale peculium continet bona ſtabilia, cujuſmodi ſunt cenſus & reditus, etiam ſi accedat licentia Prælati, prohibitum eſt per Concilium Tridentinum, ut ſupra dictum eſt, Religioſis penes ſe habere. Quare citra licentiam Apoſtolicam illud illicite obtinebunt.* Hæc ad litteram ex Ludovico Lopex, ſicut & plura alia Caſuiſtarum more exſcripſit Conradus.

XVIII. Paulus Nazarius plura de Reformatione zelum & pietatem redolentia ſuis in Opuſculis ſcribit, & ad voti paupertatis obſervantiam decem aſſignat conditiones ſervandas, ut peculii uſus licitus evadat (dubit. 4.) Et in ſeptima conditione Cardinalem de Turre Cremata laudat ſuper (Decret. Cauſ. 12. q. 1. cap. *Non dicatis*,) ubi nec uſum librorum Regulari litterarum ſtudio minus apto licite concedit. *Quam neceſſitatem*, ait, *poteſt allegare Religioſus, qui nec lectioni, nec ſtudio eſt idoneus, nec officium Doctoris habet, libros poſſidere? Item quæ utilitas in hoc caſu recedere de profeſſione ſubditorum, & diſſipare obſervantiam regularem faciendo id, quod eſt contrarium Religioni, dando tales licentias, faciendo contra ſtatum profeſſionis & rigorem juris com-*

Digitized by Google

munis & Regulæ ſpecialis. Oh quanta mala ſequuntur ex iſta cæcitate. Enumeratis deinde conditionibus, quæ in praxi nunquam obſervantur, ut ſuo loco demonſtrabimus, ſic concludit Nazarius. *Ex dictis tria deducuntur. Primum eſt tam Prælatos, quam ſubditos prædictas conditiones non obſervantes, præſertim ſeptem primas, vere eſſe proprietarios, illos quidem, quia contra Concilii decretum dona diſpenſant; iſtos vero, quia ſine juſta licentia eadem bona conſumunt.*

XIX. Petrus Paſſerinus, ut ſuperius vidimus, lato calamo hanc verſat controverſiam, aliorumque Theologorum & Caſuiſtarum commenta, quibus peculiorum abuſum palliare ſolent, in medium promit, quæ tamen, ut alias innui, minime adprobat, ſed conſideranda tantum proponit. Quapropter pluribus in locis laudatæ quæſtionis 186. (Inſpect. 11.) ſuam exprimit ſententiam, qua omnes Religioſos ad vitam communem teneri concludit, peculiumque ceu licitum concedit, admiſſa hypotheſi naturalis neceſſitatis, quod juxta omnes veriſſimum eſt. Audi ipſum (loco cit. n. 333.) *Cum ſuperioribus & Monaſteriis præceptum ſit, ut juxta decentiam ſtatus Religioſi provideant Religioſis de neceſſariis: Si ſuperiores, vel quia non poſſunt vel quia nolunt, non obſervant legem vitæ communis exactæ: ex parte eorum redditur ſubditis impoſſibilis obſervantia vitæ communis exactæ, & lex ad impoſſibilia non obligat. Unde hæc interpretatio non innititur epicheiæ, ut interpretatus eſt Suarez* (diſt. cap. 14. n. 12.) *ſed innititur impoſſibilitati obſervantiæ legis, quæ certe eſt in ſubditis, ubi ſuperiores illis non tribuunt neceſſaria. Bene verum eſt, quod ſubditi quantum poſſunt, eaſdem leges ſervare debent. Et quod magis eſt, tam ſuperiores tenentur omni via procurare, & ſubditi tenentur ne dum non impedire, ſed adjuvare ſuperiores ut in Monaſteriis ubi non eſt, introducatur, & ubi eſt conſervetur vita communis & exacta paupertas ſecundum Conſtitutiones & leges cujuſcumque Ordinis, pravis conſuetudinibus & abuſibus abdicatis.*

XX. Similia habet (n. 342.) *Cæterum Regulares memores voti ſuæ profeſſionis attendant, quod nec Deus irridetur, nec accipiendæ ſunt excuſationes in peccatis, ſed legibus conſultis & illis obſervatis in hoc maxime curam ponant, ut nihil clandeſtine, ſeu ſine licentia ſuperioris recipiant vel habeant, & ut vitam communem ſecundum Regulam & Conſtitutiones ſuas, & non ſecundum abuſus introductos cuſtodiant, & Superioribus volentibus abuſus tollere, & vitam communem relaxatam reformare, non reſiſtant.*

XXI. Huc modo reſpiciant velim illi omnes, qui in auctorum operibus ea ſolum expiſcantur, quæ eorum favent cupiditati, quæ vero manifeſtandæ veritati viam parant, clauſis oculis prætereunt; illi, inquam, reſpiciant, qui Paſſerini Patrocinium in peculiorum ſuorum præſidium allegant. Tantum enim abeſt, Clariſſimum Virum hodiernum peculiorum damnabilem abuſum ſuo calculo probare, ut contra ſacrilego proprietatis cri-

Digitized by Google

crimine fœdatos afferat, eos omnes, qui communitati reſiſtunt, qui communitatem pro viribus non promovent, qui peculia libere retinent. Hæc omnia ad evidentiam oſtendo. Quandoquidem licet perdoctus vir ſuæ ætatis præjudiciis ſcholæque abuſibus obnoxius Caſuiſtarum fallacias & cavillationes, quibus illi peculium palliare ſolent, in unum conglomeraverit; ſe tamen nullo modo eas probare, ſed dumtaxat diſputationis ergo proponere candide & maniſeſte proteſtatus eſt. Hoc jam pluries indicavi (Diſſert. præced.) præcipue (cap. 13.) juvatque ejus iterum referre verba, *Hæc tamen*, ait, (n. 327.) *dixi non reſolvendo, ſed proponendo quæ mihi circa hanc difficultatem occurrerunt conſideranda*. Quid igitur reſolvit, quid decretoria ſententia ſtatuit, Paſſerinus? Tria in ſua ultima reſolutione concludit ſatis prudenter & docte, quia non amplius alieno ore, ſed ſuo proprio loquitur. Primum ex præcepto teneri aſſerit Superiores ad communitatem, qua Religioſis omnibus de neceſſariis provideatur. Secundum: quod, ſi ſuperiores, vel non poſſunt, vel nolunt ſubditis providere de neceſſariis, tunc impoſſibilis redditur ſubditis exacta vitæ communis obſervantia, & lex ad impoſſibilia non obligat. Hinc merito rejicit interpretationem Suarez, qui peculii uſum his in caſibus ad Epychejam reducit, quoniam *in manifeſtis non eſt opus interpretatione ſed executione*, inquit Angelicus (2. 2. q. 120. art. 1. ad 3.) Quare ipſum naturæ conſervandæ altiſſimum jus in hypotheſi impoſſibilis communitatis, ab ejuſdem exacta obſervantia ſubditos abſolvit, omneſque Theologi hoc adfirmant. Tertium, quod inculcat, & in quo totus difficultatis cardo volvitur, quodve terrorem incutere deberet peculiorum fautoribus, eſt, quod tam ſuperiores, quam ſubditi omni via, ait vir doctus, omni conatu, de medio tollere tenentur hanc impoſſibilitatem vitæ communis ſervandæ, quæ impoſſibilitas licet pauciſſimorum reſpectu vera eſſe quandoque poſſit, abſolute tamen commentitia eſt, culpabilis eſt. Et hoc præcipuum punctum Author iſte pro dignitate non diſcutit; ſed ego illud ſuo loco demonſtratione evidenti oſtendam. Hæc itaque decretoria, hæc peremptoria Paſſerini ſententia eſt, ut ex (n. 333. & 341. a me,) ſupra recitatis evidentiſſime conſtat. Ergo juxta Paſſerinum cœteroſque Theologos, tam Superiores, quam ſubditi, qui omni via communem vitam, non ludictam, quæ purum dominium civile commune habeat, ſed exactam, ait Paſſerinus, ideſt juxta Regulas & Conſtitutiones, quæ communem omnium bonorum uſum præſcribunt, introducere ubi non eſt, & conſervare ubi eſt, non conantur, ſunt in habituali ſtatu peccati mortalis. Ergo omnes Regulares, qui ſacræ ſuper diſciplina Regulari Congregationi, qui Conciliis, ſummiſque Pontificibus hujus Apoſtolicæ communitatis obſervantiam introducere volentibus reſiſtunt, viam damnationis laxatis currunt habenis. Voce aliquantiſper reſonante loquimur, quia ad obtuſas aures excitandas tonitrua neceſsaria forent; nihil tamen emphatici, nihil exaggerationis eſt, ſicuti in noſtris demonſtrationibus palam fiet. Hæc modo

do in laudem Cl. Paſserini, & in veram ſuæ ſententiæ expoſitionem, utinam & in illuminationem eorum, qui per ſummam illuſionem perdoctum virum damnabilibus peculiorum abuſibus favere arbitrantur, dicta ſufficiant. Sed incœptam telam ad finem perducamus.

XXII. Hiacynthus Donatus Lainenſis, (tom. 4. tract. 15. quæſt. 4.) ubi facto ſibi quæſito an vita communis ſit ſub præcepto Religioſis impoſita? Reſpondet tali pacto. *Deciſio affirmativa manifeſte colligitur ex Regula S. Auguſtini, qui non ſolum præceptum poſuit circa virtutem vitæ communis ibi :* ſint vobis omnia communia. *Sed etiam prohibitionem circa vitium oppoſitum dicens.* Non dicatis aliquid proprium, *quod adeo vult ſervari, ut non ſolum in re non inveniatur proprietas, ſed nec etiam in ore cum dicit.* Non dicatis aliquid proprium. *exemplo primitivæ Eccleſiæ, de qua dicitur* (Act. 4.) Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſse dicebar. *Et ratio potuit eſſe, quia licet ſine tali vita communi poſſit obſervari votum paupertatis . . . adhuc tamen videns, quod ſine tali vita communi difficulter & valde difficile obſervari poſſit prædicta Religioſa paupertas, dictum præceptum poſuit ad vivendum in communi. Item advertens Eccleſia a Spiritu Sancto edocta de novo præcipit modumque præſcripſit vivendi in communi, non ſolum in ſpecialibus Regulis Religioſorum, verum etiam in Concilio Tridentino* (c. 2. §. 25. de Reg.) *item in Decreto Clementis VIII. quæ omnia ab Urbano VIII. adprobata fuerunt, & noviſſimo Decret. Sac. Congregat.*

XXIII. Johannes Siri in ſuo D. Antonino Redivivo (tit. 16. n. 21. pag. 441.) *Subditus non excuſatur, niſi ex impoſſibilitate ſibi non provideatur, cum alias ſub mortali, (ſi non ex voto, quod dumtaxat cum dominio pugnet) ex jure canonico obligetur vita communi vivere . . . Eſto namque paupertatis votum obſervari ſimpliciter queat abſque tali communi vita, tamen Eccleſia Spiritu Sancto edocta proſpiciens difficultatem obſervandi prædictum paupertatis votum ſine vita communi, hunc ſpecialem vivendi modum præſcripſit.*

XXIV. Raphael de Pornaſio in ſuo tract. (de com. & prop. Relig. cap. 4. pag. 52.) licet peculium pluribus cavillationibus palliare adnitatur, attamen Monaſteria redituaria, ut ait ille, ex præcepto ad vitam communem teneri aſserit. *Ideo inter illos habetur pro præcepto expreſſo, vel præſuppoſito, quod quicquid uni datur, in commune ponatur, & cui neceſſe fuerit præbeatur, ut dicit Regula.* Cœtera, quæ in peculii favorem producit homo iſte, integra diſsertatione ad criſim revocabimus.

XXV. Franciſcus Ramirez Archiepiſcopus Brunduſinus, hoc de argumento diſsertationem edidit, quam in quatuor membra tribuit. In primo omni argumentorum genere evincit Regulares emittentes expreſsum votum vitæ communis ad eam ſervandam teneri, ſub peccaro mortali

ſacri-

Digitized by Google

ſacrilegii, quocunque præcepto Eccleſiæ, Conciliorum, Pontificum, atque Prælatorum præciſo. *Hæc Concluſio* (inquit ille 52. pag. 9.) *ita certa eſt, quod ſi temporum malitia ad oppoſitum non cogeret, puderet in illa probanda tempus conſumere.* In pluribus ſiquidem Provinciis Ordinis noſtri poſt Conſtitutionem Inn. XII. Novitii votum expreſsum vitæ communis in Profeſſione emittunt. In tertio membro ab hoc expreſso vitæ communis voto præſcindit, & hanc ſtatuit aſsertionem. (§. 9. pag. 59.) *Regulares omnes utriuſque ſexus vi præcepti Eccleſiaſtici tenentur ad vitam communem a tempore Sac. Conc. Trid. Probatur ex eodem Concilio:* (§. 25. de Regularibus cap. 2.) *ibi nemini Regularium &c. . . . . Quidam, quos ſuppreſſo nomine refert Magiſter Lezana ubi ſupra, docent Concilii mentem fuiſſe ſolum prohibere retinere bona abſque licentia & facultate ſuperiorum, non vero cum illa. Sed contrarium evidenter conſtat ex pluribus capitulis. 1. quia prohibentur habere bona quovis modo, etiam nomine Conventus & præcipit, quod omnia ſtatim ſuperiori tradantur, & Conventui incorporentur. Sed quæ Fratres habent de licentia Superiorum, nomine Conventus retinent, & Superiori tradita non ſunt, nec incorporata Conventui. Ergo Concilium prohibet Regularibus retinere bona etiam de licentia Superiorum. 2. Nam in Bulla Clem. VIII. in qua explicatius traditur Decretum Concilii ſic dicitur . . . . . Nulla quorumcunque Superiorum diſpenſatio, nullaque licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia præfata, Fratres excuſare poſſit, quominus culpæ & pœnæ ab eiſdem Concilii Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint etiam ſi Superiores aſſeverent, hujuſmodi diſpenſationes aut licentias concedere poſſe, quibus ea in re fidem minime adhiberi volumus.*

XXVI. Natalis Alexander, (tom. 2. Theol. ep. 81.) hanc in medium promit concluſionem. *Superior Regularium ſubditis ſuis utriuslibet ſexus permittere non poteſt ut peculium habeant.* Et quamquam ille peculii notionem exhibens, id nomine peculii, ſe intelligere aſserat, quod ſit in habentis dominio, & abſque Superioris conſenſu poſſideatur; continuo tamen ſenſa ſua patefacit. Quod, ut clarius, atque felicius præſtet, non propriis verbis, atque ratiocinio, cui parum fidit, ſed Sanctæ Romanæ Eccleſiæ voce, & Summorum Pontificum Decretis, ut illi in more eſt, quid nomine peculii intelligendum ſit, explicat. Pauca ex pluribus dabo. Itaque poſt Decreta Innocentii III. & Alexandri III. Tridentinum effert Decretum. *Nemini Regularium liceat bona immobilia, vel mobilia . . . . etiam conventus poſſidere, aut tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere etiam ad uſum fructum, vel uſum, adminiſtrationem, vel commendam.* Viden' quomodo Natalis Eccleſiæ in Concilio congregatæ voce, peculii finitionem, quam ille dederat, pleno in lumine collocat? Siquidem peculium in habentis dominio ſitum,

ſitum, & inconſulto Prælato poſseſsum, *proprietas* potius, quam peculium, vocari ſolet. Idcirco, ut omne peculii genus rejiciat, in medium affert Tridentinum Decretum, quo Eccleſia Regularibus interdicit, tum dominio, tum uſu peculii, etiam Conventus nomine habiti. Et ne Regulares aſserere in poſterum valeant, ſe de licentia Superiorum peculium habere, Concilium Superioribus omnibus prohibet, ne bona ſive immobilia ſive mobilia aut ad uſumfructum, aut uſum, aut adminiſtrationem impertiantur. Hæc eſt adæquata peculii monaſtici deſcriptio, quam ex Tridentino promit *Natalis*, quamque confirmat authoritate Conciliorum Cameracenſis, Mediolanenſis, Meclinienſis, Rotomagenſis, Remenſis, atque CLEMENTIS VIII. præcipientis, ne *Superioribus, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem Fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam DEPOSITI, aut CUSTODIÆ nomine concedere*. Poteratne efficacius *Pater Natalis* quodcumque peculii genus damnare, ſi vel ipſa *depoſita* tamquam voto paupertatis contraria Regularibus vetita eſse docet, non propriis, ſed ipſius Summi Pontificis verbis? Et tamen ulterius progreditur vir doctiſſimus, ſubditque irritam, nullamque eſse quamlibet licentiam, ſive diſpenſationem Superiorum, qua uſus peculii, ſeu depoſiti ab eiſdem concederetur. Et ut validius, atque decretorio ſtilo id evincat, lingua loquitur Pontificia præfati Clementis. *Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excuſare poſſit, quominus culpæ, & pœnæ ab eiſdem Concilii Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint, etiamſi Superiores aſſeverent hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe; quibus in ea re fidem adhibere minime volumus*. Tandem rejicit Navarrum, Sanchez, Dianam, alioſque Recentiores caſuum arbitros, quia, inquit, *fibulas hac in materia nimis laxaſſe videntur*. Et tamen compertum eſt, Navarrum, Sanchezium, alioſque caſuum arbitros docere, Prælatos non eſse in ſtatu tuto, ſi pro virili parte communitatem in ſua cœnobia non invehunt. Sanchez (loc. cit.) a Natali (cap. 19. num. 27. pag. 376.) ſcribit, *non eſſe in bono ſtatu Prælatum, qui inquantum poteſt, abſque gravi ſcandalo non nititur Religioſos vivere in communi, ac ſuperfluos uſus vitare*. De Navarro, cæteriſque Recentioribus, vel benigniſſimis infra palam fiet, omnes & præceptum vitæ communis defendere, & peculium, neceſſitate dumtaxat urgente, permittere. Quia tamen minus caute interdum eorum aliqui loquuti ſunt, lamentatur piiſſimus Natalis, eos nimium hac in materia fimbrias amplificaſse; idcirco concludit ille ex Magiſtro Humberto, & S. Antonino degentes in *Monaſteriis, & Conventibus, ubi non vivitur in Communi, ſi Prælati ſunt, & non faciunt, quantum eis poſſibile eſt ſine notabili ſcandalo, ut vivatur in communi, eos non eſſe in ſtatu tuto...... ſi ſunt ſubditi, & reſiſtunt huic bono....... videntur eſſe in malo ſtatu*. Hactenus *Natalis* Conciliorum, Pontificum, atque

Sau-

Sanctorum ore loquutus eſt. Deinde hæc ſuis infert verbis. *Ex his intelliges vir Religioſiſſime quid permittere, quid indulgere ſubditis ſuis, quid tolerare Superiores Regularium poſſint in materia peculii. Eniti ſtudiis omnibus, ac viribus debent, ut vitium deteſtabile proprietatis eradicent, quo non modo labefactatur, ſed evertitur penitus vita Religioſa. Perfectam ſi fieri poteſt rerum omnium communionem ſtabilire, vel inſtaurare debent in Religioſis Ordinibus..... regimini ſuo commiſſis. Sin minus id obtinere ſtatim poſſint, efficere ſaltem, ut penſiones ſeu pecuniæ Monachis, aut Monialibus donatæ in commune depoſitum inferantur.* Evidens ergo eſt Patrem Natalem tum ſolum permittere Regularibus peculii uſum, cum vita communis poſſibilis non eſt, urgetque neceſſitas vitæ ſuſtentandæ. Cæterum ſi aut Prælati negligunt omnem adhibere ſolicitudinem ut vita communis introducatur, aut ſubditi huic introductioni reſiſtunt, tales Prælati, taleſque ſubditi in extremo verſantur damnationis diſcrimine: idque pluribus Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Decretis, ex Fagno exſcriptis manifeſtat, ſuamque concludit epiſtolam his verbis. *Cavere tandem debent, ne tolerando peculium Monachorum, & Monialium aut nimium indulgendo, vel diſpenſando contra Regulas mox præſcriptas & explicatas, æternam ſibi, ſubditiſque ſuis damnationem arceſſant.* Sed alios tum antiquos, tum recentes Auctores referamus.

XXVII. Gerſonius in tractatu contra proprietarios, Regulæ Sancti Auguſtini (ſi tamen genuinus Gerſonis fœtus ſit opuſculum illud) novem ſupra viginti argumentis evincit peculium Monachorum proprietatis fuligine tinctum eſſe, omneſque cavillationes rejicit.

XXVIII. Chriſtianus Lupus (in Corn. ad Can. IV. Concil. Toloſ. t. 5. edit. Venet.) longum eruditumque ſermonem habet contra vitæ communis violatores, conſtanterque pronunciat ſyntheſes, vitales cenſus, aliaſque id genus vitæ communis ſtrumas Auguſtini inſtituto hoſtiliter repugnare. Thomaſinus (Tom. 1. Diſciplinæ Eccleſ. pag. *692.*) idem præſtat. Bernardus Van-Eſpen eruditam diſſertationem hoc de argumento adornavit cum ejuſdem Apologiis, quæ in ſuo ſecundo Tomo Juris Eccleſiaſtici inſerta reperitur.

XXIX. Proſper Fagnanus (in lib. 3. Dec. part. 1. & 2.) lato calamo, nec minus ſolide Monachorum & Regularium peculium voto paupertatis Monaſticæ directe repugnare oſtendit, & concludit. (Cap. Mon.) *Concludendum igitur eſt nemini prorſus Regularium . . . , niſi ſit officialis, fas eſſe etiam nomine Conventus habere annuos reditus, ſeu proviſiones annuas, bonorum ſtabilium adminiſtrationem, aut peculium, etiamſi illud non ſit ſuperfluum, ſed ad neceſſarios, honeſtos, & pios uſus a Superiore ex quacunque cauſſa conceſſum & dependenter ab ejus voluntate & nutu, nec quemquam excuſari a lethali culpa & pœna proprietariis inflicta ex quavis conſuetudine Monaſterii, vel Religionis, aut ex varietate ſeu probabilitate opinionum aut alio quovis prætextu, vel* *cauſ-*

Digitized by Google

cauſſa, & Religioſis tam Prælatis quam ſubditis cavendum eſt ab hujuſmodi palliamentis quod Deus non irridetur (ad Galat. 6.)

XXX. Ugonem Menardum in Concordia Regularum, Martene (in Reg. D. Bened.) innumeroſque alios prætereo; quia compertiſſimum eſt omnes, tum Theologos cum Canoniſtas, qui juxta Sanctorum Patrum Regulas, Conciliorum Pontificumque Canones hanc verſarunt controverſiam, peculium quodcumque veluti ac ipſam proprietatem condemnare. Quare non abs re erit ſecundæ claſſis Authores, eos ſcilicet qui probabiliſtæ vocantur, in medium proferre.

XXXI. Vaſquez de redditibus (cap. 3. dub. 2.) *Mihi videtur ex verbis Concilii, non ſolum tertium genus peculii, ſed etiam primum voluit de medio auferre, quia & illud etiam cauſſa eſſe ſolet malorum.....quanta autem hinc mala oriantur teſtes ſunt ipſi Religioſi, qui hoc attentis animis ſunt contemplati.... & hæc mala Concilium auferre contendit, auferens penitus omne peculii genus, ut ex communibus facultatibus omnibus neceſſaria miniſtrentur. Ex quo paupertatis perfectio in communitate conſiſtit.* (ſicut Act. 4.)

XXXII. Tamburinus de Jure Abbatis (diſput. 8. q. 6.) aſſerit *Regulares omnes teneri, non ſolum paupertatis votum ſervare, ſed etiam ſpecialiter vivere communi vita, nimirum in victu, veſtitu, lectiſterniis & aliis diſpenſatis & diſtributis a ſuperiore.*

XXXIII. Bartolomæus a S. Fauſto (in ſpecul. Relig. de vir, propr. q. 52. & de paup. Relig. q. 204.) *Tertio & ultimo dico quod Regulares tam viri, quam mulieres tenentur ſub mortali agere vitam communem, ſi dentur illis a Superioribus, quæ neceſſaria ſunt ad ſuſtentationem.*

XXXIV. Homobonus de ſtatu humanæ vitæ (part. 1. cap. 24.) *Sit ergo firma illa & nervoſa obligatio Moniales vitam communem agere debere, & proprietatis vitium, quod eſt pacis, & charitatis exterminium eo modo, quo docuimus, a ſe abdicare.*

XXXV. Lezana (in Mar. Mag. Carm. uum. 101. & Sum. Reg. c. 6. num. 7.) *Tam noſtri, quam alii quicunque Religioſi tenentur ad vitam communem obſervandam, eo quod licet ea ſimpliciter non ſit neceſſaria pro obſervantia voti paupertatis. nihilominus ab Eccleſia inducta eſt ob ſecurum & facilem modum obſervandi dictum paupertatis votum.*

XXXVI. Maſtrius (diſp. 14. q. 1. art. 5. n. 41.) *Eccleſia Spiritu Sancto edocta proſpiciens difficultatem obſervandi votum paupertatis, ſine prædicta vita communi; ideo hunc ſpecialem modum vivendi omnibus præſcripſit, ſicut patet ex Concilio Tridentino* (cap. 2. §. 25.)

XXXVII. Antonius a Spiritu Sancto (Direct. Reg. tract. 3. diſp. 4. Sect. 2. num. 73.) *Dico igitur ſecundo. Omnes Religioſi cujuſcunque Religionis tenentur vitam communem obſervare in victu, veſtitu, lectiſterniis, aliiſque.* Sic ſcribit Caſuiſta iſte, licet poſtea numeris ſequentibus non ſolum peculia, ſed & vaſa aurea, argentea, annulos, veſtes ſericas, aulæa

pre-

Digitized by Google

preciosa Religioſis urbaniſſime impertiatur. Verum omnibus a veritate deviis hoc evenire ſolet, ut propriis antilogiis ſeſe jugulent.

XXXVIII. Laymanus (lib. 4. tract. 5. de Stat. Relig. cap. 7. n. 13.) de peculio Sermonem habens ait illius *permiſſionem debere Superiorum auctoritate tolli, ac corrigi, dummodo alia ratione ſuſtentatio neceſſaria Regularibus provideatur; non autem permittendum ut impoſterum ſine urgentiſſima cauſſa introducatur: partim quia Religioſæ paupertati repugnat, partim quia credibile eſt Trid. Concilii cap. 2. Ne deinceps &c. propoſitum fuiſſe ejuſmodi ſtabiles reditus, ſeu annuas pecuniarias portiones omnino interdicere, quod etiam Cardinales cenſuerunt ſuper* (cit. cap. 2.)

XXXIX. Caramuel (Theolog. Reg. n. 631.) *Quam periculoſe illi ſe fallant, qui exiſtimant ex vi voti non teneri ad vitam communem, eo quod tempore ſuæ profeſſionis non ſervabatur in Monaſterio. Cum intentio non differat ab expreſſione verborum.* Hos impræſentiarum brevitatis gratia allegaſſe ſufficiat; nam Diſſertatione ſequenti plures alios recenſebo.

CAPUT QUARTUM.

Demonſtrationes Theologico-Morales proponuntur, quæ ad vitam communem obſtrictos eſſe Regulares evincunt, & peculium damnant.

I. ANtequam hæc rationum momenta propono, animadverto ſeu in memoriam revoco, votum paupertatis non ſolum juxta ſuam genericam acceptionem latitudinem admittere, ſed ipſummet votum ſolemne gradus ſuos excipere, ſolaque voventis intentione in determinato gradu conſtitui. Cæterum quia tum Monachi, tum Regulares omnes votum hoc Deo nuncupant juxta aliquam ex approbatis a Sede Apoſtolica Regulis, ab eorum amplius intentione minime pendet ejuſdem voti extenſio vel coarctatio, ſed definitæ obligationis gradus ab ipſa reſpective Regula, cui ſe ſuamque intentionem conformare tenentur, petendus eſt. Licet itaque admiſſo quod votum ſolemne ſecundum ſuam abſolutam notionem communitatem non involvat; ſi tamen Regulæ, ad quarum amuſſim votum emittitur, paupertatem communi vita ſervandam imponunt, evidens fit Religioſæ paupertatis votum communis vitæ debitum ſecum adferre.

II. Porro hæc Communitas; quæ ex Cœnobiorum patrimonio ſingulis Religioſis, prout cuique opus eſt, providet, eadem eſt, ſeu eſſe debet omnibus Religionibus. Paupertas vero mitior in una, ſeverior in altera elucet. Nam una dominium a ſingulis perſonis excludit, illudque admittit in communi: altera ab ipſa etiam communitate illud ab-

dicat. Et hæc quoque paupertas plures gradus admittit. Primus bonorum immobilium dominium reſpuit, & mobilium ſuſcipit: ſecundus etiam mobilium rejicit. Tertius bona in futurum ſervata reſpuit, & pro occurrente dumtaxat neceſſitate proviſionem permittit. Quæ omnia eo dicta ſunt, ut luculentius fiat Monaſticæ paupertatis gradum, non ab ipſa voti eſſentia generice accepta, ſed ab unaquaque Regula, quæ voventis intentionem determinat, arceſſendam eſſe, quibus prælibatis, primam efformo demonſtrationem.

III. Omnes Regulares non quamcunque paupertatem, nulliſque definitam limitibus, ſed eam præciſe, quam Regulæ Monachales, quam Conciliorum Decreta, & Pontificum Statuta, ad quorum tenorem ſolemnem emittunt profeſſionem, mandant, præcipiuntque, Deo ſpondent; nec enim profeſſio valida eſt, niſi emittatur juxta Regulas & leges a Sede Apoſtolica adprobatas, & confirmatas. Omnes autem ad unam a Sede Apoſtolica approbatæ Regulæ communem paupertatis vitam ſeveriſſime præcipiunt, præceptumque perpetua traditione confirmarunt Concilia, munierunt Pontifices, graviſſimaſque in tranſgreſſores tulerunt pœnas, ut integra Superiori diſſertatione oſtenſum eſt. Ergo evidentiſſima conſecutione elicitur, Regulares omnes, non ſolum paupertatis, abſolute conſideratæ, quæ ſolum dominium excludit, ſed vitæ communis, vinculo obſtrictos eſſe.

IV. Quare toto oſtio (quod etſi alias dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpius) aberrare eos conſtat, qui Monaſticam paupertatem ad voti eſſentiam in metaphyſica acceptione conſideratam revocant; Et quod voto hac in acceptione non contradicit, non repugnare quoque Monaſticæ paupertati per ſummam illuſionem inferunt. Heu quot miſeri Fratres ex Scriptorum plurium lectione præjudiciis cupiditati blandientibus præoccupati hoc decipiuntur parallogiſmo. Verum quilibet vel mediocriter inſtructus hanc falſiſſimam diſcurrendi methodum deprehendit. Regulæ Sacrorum Ordinum ob oculos habendæ ſunt, quoties de Regularium paupertate diſputatio inſtituitur.

V. At, inquis, ſi Monaſtica paupertas ſolemni voto Deo nuncupatur iis circumſcripta conditionibus, quas Monachales Regulæ præſcribunt, cum Regulæ iſtæ non aliam paupertatem, niſi vitam communem jubeant, conſequi videtur Regulares paupertatem voventes, vitam vovere communem. Conſecutio iſta evidens mihi videtur, & eam Diſsertatione prima cap. 3. demonſtravi. Cœterum, ut ſæpius dixi, ſive communis vita in recto, ut ajunt, ſive in obliquo a voto inſpiciatur, ſive votum ipſum per modum acceſſorii comitetur, ſive eſſentiam voti ingrediatur, ut ut ſeſe res habeat, ad inſtitutum meum ſatis eſt, quod hæc vita communis ab omnibus Regulis, Conciliorum, Pontificumque Decretis præcipiatur tamquam medium moraliter neceſſarium ad exactam voti obſervationem, caritatiſque perfectionem fovendam.

C A-

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

Secunda demonſtratio in Communitatis favorem, & peculiorum damnationem.

I. UT ad ultimum demonſtrationis gradum argumentum meum urgeam, percurras velim univerſæ Monaſticæ diſciplinæ Hiſtoriam. Communi vitæ in Apoſtolico Collegio ortæ coevum fuit proprietatis crimen. Sacrilegium illud, Euangelicæ paupertatis comes atque implacabilis hoſtis ſemper extitit. Sicut & cæterarum omnium virtutum ſplendori oppoſita vitia tenebras offundere nuſquam deſtitere. Monachorum divitias, privata marſupia, vanitatem, ſuperfluitatem nulla interrupta temporum ſerie amariſſimis lacrymis deplorarunt Patres, ſimul tamen triumphanti paupertati atque ex vitiorum cladibus altius aſſurgenti encomia panxere. Defervescente paupertatis ſpiritu in uno Monaſterio, efferbuit in alio. Collapſam beatæ illius Communitatis legem in una Religione, illico, vel in eadem per ſanctiſſimos Reformatores inſtauratam, vel in alia noviter inſtitutam revixiſſe conſpicimus. Nullum fere pertranſiit ſæculum, quo aliquis Sacer Ordo ad illuſtrandam Jeſu Chriſti Eccleſiam in lucem non prodierit. Eremitis Monachi, Monachis Mendicantes, Mendicantibus Clerici Regulares ſucceſſere. Sanctiſſimi Patriarchæ in qualibet recenti Ordinis inſtitutione hoc unum maxime præ oculis habebant; rimas videlicet, foreſque occludere, per quas laxitates & vitia antiquorum Ordinum florentem diſciplinam invaſerant, ac ſanctitatis ſplendorem obtenebraverant. Hinc ex prudenti alienæ jacturæ conſideratione ſaluberrima eruere documenta, atque ſaniora pro temporum opportunitate ſtatuta, quibus recentes ſepirent vineas, excolerentque & aditum devaſtationi undiqueverſum præcluderent. Quapropter nunc ſolitudinem anguſtioribus definiere terminis, nunc jejunia jejuniis, preces precibus addiderunt. Ex adverſo, modo jejunia minuerunt, nuditatem antiquarunt, aſperas veſtes linierunt, pſalmodiam chorique frequentiam in alia pia commutarunt opera, Regiminis œconomiam vel mutarunt, vel aliis legibus munierunt, & tandem unaquæque Religio propriam politiam, peculiares cæremonias, ſingularia ſtatuta ſibi vindicavit, prout ex præterita experientia ad perennem Religionis ſtabilitatem magis conducere ſibi viſum fuit.

II. Hic animum mentemque ſeriam paulisper ſiſtas velim. In tanta legum, Conſtitutionum, Ceremoniarumque varietate, unum ſemper conſtans, immutabile nullique obnoxium viciſſitudini voluerunt Patriarchæ omnes. Quodnam iſtud? VITA COMMUNIS. In hoc Communitatis præceptum, ſeu in hanc voti paupertatis obſervantiam unanimi conſenſione omnes Sacrorum Ordinum Inſtitutores ſemper conceſſerunt. Cur

ita? Niſi quia hæc eſt totius Monaſticæ diſciplinæ primum fundamentum; baſis, & propugnaculum, quo florida ſemper viguit Monaſtica diſciplina, ſanctitas illibata reſplenduit.

III. Ex quibus ſic inſtauro argumentationem meam. Ex præterita experientia didicerant Sanctiſſimi Ordinum Patriarchæ peculiorum uſum ſcopulum extitiſſe, ad quem Monachorum fragilitas alliſerat, frequentiuſque naufragum paſſa erat. Cedo. Cur lapidem hunc offenſionis non ſuſtulerunt? Cur ſaltem non temperarunt? Difficilem communis vitæ obſervantiam ex una parte intuebantur, graſſantes peculiorum abuſus ex altera. Legis impoſitio ab eorum pendebat arbitrio. Nonne prudentis Legislatoris eſt legem obſervatu difficillimam vel omnino de medio auferre, vel ab ejuſdem libera impoſitione ſe abſtinere, quoties lex iſta neceſſaria minime ſit ad finem præcipuum, commune videlicet bonum conſervandum? Verum enimvero, etſi Sacrorum Ordinum Inſtitutores peculiorum abuſus, proprietatis crimina graſſari non infrequenter conſpexerunt, non propterea vel tantillum Communitatis legem linierunt. Quinimo adeo oppoſitam iniere viam, ut Mendicantes Monaſticæ diſciplinæ decrementum ex marſupiorum, divitiarumque redundantia contuentes, Apoſtolicam communitatem, lege retro temporum inaudita bonorum ſtabilium etiam in communi acceptationem vetante, munierint. Alii ſolis eleemoſinis oſtiatim comparatis, alii, condita lege, de non repetendis eleemoſynis, ſed ex ſponte oblatis alendam vitam decrevere. Inſignis Jeſu Societas, quæ præ cœteris ex aliorum jactura proventum fecit, præcipuas aliarum Religionum auſteritates rejiciens paupertatem ſeveriſſimam Sanctorum Franciſci & Dominici æmulata, ne aliquam temporis tractu remiſſionem ſubiret, ſolemni illius voto cœteris Ordinibus communi, votum adjunxit ſpeciale, quo omnes profeſſi ſeſe obſtringunt, nunquam laxandi, ſed potius reſtringendi paupertatem ſeu Apoſtolicam communitatem.

IV. Dicas nunc iterum mihi velim, cur cœtera diſciplinæ Monaſticæ ſtatuta tot viciſſitudines experta ſunt, totque mutationes, ut quæ optima uni ordini viſa ſunt, alteri minus conſentanea apparuerint? A temporibus vero Apoſtolorum ad hæc uſque noſtra, ſi vel unicum Sacrum Ordinem vitam cœnobyticam ſeu ſocialem in Conventibus, domibuſque profitentem reperturus ſis, qui communem vitam non præceperint, illico ego cauſſæ meæ renuntio, meque victum exhibeo. Nonne igitur evidentiſſima conſecutione concluditur, hanc Apoſtolicam Communitatem, quam omnes Religiones præceperunt, novis mandatis roborarunt, additiſque aggeribus munierunt, medium eſſe quam maxime neceſſarium ad bonum commune conſervandum, totiuſque Regularis Diſciplinæ baſim, ac fundamentum? Nonne hinc colligitur quam ſolidum ſit illud pronunciatum: *Tolle Communitatem & ſuſtuliſti Religionem: Tolle Communitatem, & Religio non eſt Religio, Non ſtatus perfectionis, ſed confuſionis & damnationis.*

CAPUT SEXTUM.

Tertia demonſtratio a priori, ut dicitur, petita deſcribitur, quæve præcipuum peculiorum cavillum convellit.

I. SEd ea probanda, quæ ex libera hominum voluntate pendent, remque meri facti inſpiciunt, momenta a ratione petita aliquando minus acta exiſtunt. Id tamen ſemper haudquaquam evenit; ſed frequentius rationes validiſſimæ evincunt, homines, quamvis liberos, ex quo tamen ſecundum æquitatis, & prudentiæ regulas agere tenentur, debuiſſe tales, & non alias, condere leges. Quare admiſſa hypotheſi, quod ſancti Patriarchæ Religiones inſtituere voluerint eo fine, ut ſcholæ eſſent perfectionis Euangelicæ, media, quæ ad hunc finem aſſequendum Chriſtus ipſe præſcripſit, ſuique diſcipuli executioni mandarunt, eos quoque præcepiſſe neceſſum fuit. Porro perfectio Euangelica nutritur caritate, cujus præcipuus character eſt humanorum cordium cum immutabili bono conjunctio, eorumque invicem confœderatio. Cordium autem unitatem a bonorum temporalium communione plurimum pendere ſcriptura reſtatur. Etenim quia caritas communes habet cœleſtes theſauros, communia quoque facit bona terrena. Et quemadmodum prima hominum a Deo ſeceſſio, ac invicem ſeparatio ab amore proprii boni, ſeu proprietatis ortum duxit; ita pariter ad priſtinæ illius beatæ unionis, ac cœleſtis commercii inſtaurationem inducendam conſulit Salvator noſter bonorum temporalium communionem. Iſte porro eſt finis, hæcque momenta, quibus nixi Patriarchæ ſanctiſſimi in ſuis Regulis exactiſſimam imperarunt communitatem.

II. Liceat nunc mihi hanc conficere argumentationem. In quolibet præcepto, non verborum tantum nuda ſuperficies, non ſola cortex exterior, ſed potiſſimum Legiſlatoris finis atque intentio, quæ medulla eſt, & anima legis, animo præjudiciorum vacuo meditanda eſt, ut omnes docent Theologi cum D. Thoma (1. 2. q. *96.* art. *6.*) Quem autem fugit, in præcepto Communitatis expreſſiſſimam Patriarcharum intentionem eſſe, peculia omnia tamquam eidem communitati infeſta penitus convellendi? Etſi conceptiſſimis verbis peculia non reprobarent, nonne ex earum intentione, legiſque potiſſimo fine, peculiorum prohibitio evidentiſſime colligeretur? Quid quod in cauſſa noſtra intentio & verba ſibi invicem conſonant, atque pari conatu intentio, finis, & legis verba peculia damnant? Hanc eandem rationem indicat Dionyſius Carthuſianus in ſuo, De Reformatione Clauſtralium tractatu. (cap. 13.) *Præcepta Prælatorum obligant ſubditos, non tam ſecundum formam*

ſuper-

ſuperficiemque, quam ſecundum intentionem præcipientium, quæ eſt formale in præcepto ſecundum Alexandrum de Ales, Thomam, Albertum, Bonaventuram alioſque concorditer. Certum eſt autem omni homini veraciter illuminato, quod Patres Sanctiſſimi Ordinum Inſtitutores peculium Monachis non admiſerunt, nec admiſiſſent ſi Monachi id petiiſſent, ſed penitus prohibuiſſent, immo & nominatim atque clariſſime prohibuerunt.

III. Huic argumentationi non parum roboris & firmamenti adjicimus, ſi præcepti rationem clarius explicemus. Potiſſima ratio animum Legiſlatoris alliciens ad aliquam ferendam legem bonum eſt ſubditorum commune. Lex enim menſura eſt humanorum actuum, quorum ſelicitatem unice promovet. Præceptum vero quædam eſt applicatio ipſius legis ad ea, quæ lege menſurantur, ut docet D. Thomas (1. 2. q. 90. art. 2.) *Unde oportet quod cum lex maxime dicatur ſecundum ordinem ad bonum commune: quodcumque aliud præceptum de particulari opere non habet rationem legis, niſi ſecundum ordinem ad bonum commune, quia præceptum importat applicationem legis ad ea, quæ ex lege regulantur.* Quare non ob aliam rationem Sacrorum Ordinum Inſtitutores communis vitæ ducendæ, peculiique vitandi præceptum tulerunt, niſi quia pecuniarum uſus ab ultimi finis conſecutione animum noſtrum remoratur. Neque opus eſt longiore ſermone oſtendere pecunias, ſolicitudines, anxietates, mentis diſtractiones, ſpiritus diſſipationem, animorum diſſidia, ſenſuum illuſiones, atque faſcinationes parturire, cum Scripturæ ſanctæ hæc omnia nobis oſtendant. Et Patres omnes ubique clamant, divitias cum labore acquiri, cum timore poſſideri, cum dolore remitti, concupitas turbare, poſſeſſas vileſcere, amiſſas affligere. Ad has omnes calamitates corporis, & animæ pericula vitanda nos Religioſi Mundo nuncium remiſimus, atque voluntariæ paupertatis profeſſionem amplexati ſumus, ceu medium ad caritatis perfectionem conſequendam neceſſarium. Sufficiat pauca quædam hic delibare ex D. Thoma, qui (2. 2. q. 186. art. 3. in corp.) hæc ſcribit. *Ad perfectionem caritatis acquirendam primum fundamentum eſt voluntaria paupertas* (& ad 4.) *Divitiæ autem habitæ, per ſe quidem natæ ſunt perfectionem caritatis impedire principaliter alliciendo animum & diſtrahendo, unde dicitur* (Matth. 13.) *quod ſolicitudo ſæculi & fallacia divitiarum ſuffocant verbum Dei . . .* (& Matth. 19.) *quod dives difficile intrabit in Regnum Cælorum, quod quidem intelligendum eſt de eo, qui actu habet divitias; nam de eo, qui affectum ponit in divitiis, dicit hoc eſſe impoſſibile ſecundum expoſitionem Chryſoſtomi* (Hom. 64. in Marc.) *cum ſubdit facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum Cælorum.*

IV. Quæſo ne prolixitatis vitio mihi vertas, ſi paullulum adhuc argumentationem meam produxerim, ut ex doctrina Angelica, imo Euangelica, clarior fiat propoſita demonſtratio, & præcipuus peculiorum cavillus propulſetur. Diſtinguit Angelicus affectum in divitiis poſitum ab ipſa divi-

divitiarum poſſeſſione. Illum ſalutem impoſſibilem, hanc difficilem reddere adfirmat. Diſtinguunt quoque peculiorum fautores dominium pecuniarum ab affectu, & uſu earundem. Uſum innocentem aſſerunt, dummodo animus affectuſque ſejunctus ſit, & ad nutum Prælatorum paratus. Non improbo divitiarum uſum ex ſe a culpa innoxium eſſe: ſed Patres, ſed experientia, ſed Euangelia clamant, ipſum uſum, peccatorum, ſcelerumque periculis obnoxium eſſe, quod animum facillime ſibi devincit, affectumque ſibi agglutinat. Quæ pericula ſicut reſpectu omnium hominum non abſtulit licentia Divina ſuper divitiarum poſſeſſione, & uſu conceſſa; ita non aufert reſpectu Regularium licentia Abbatialis ſeu Prælatorum. Ideo paupertatis votum ipſum pecuniarum uſum, quoniam plenum periculis rejicit, excluditque.

V. Ut propoſita demonſtratio evidentius pateat, quæ ſatius diſputata ſunt in tres contraho propoſitiones. *PRIMA*. Omnes Patriarchæ ideo ſuos ſacros Ordines inſtituerunt, ut Religioſi Cœleſtem, quam Chriſtus contulit, perfectionem compararent. *SECUNDA*. Via potiſſima, quæ ad hanc aſſequendum perfectionem ducit, eſt temporalium bonorum communitas. *TERTIA*. Ergo Patriarchæ ſacros Ordines inſtituentes in finem acquirendæ euangelicæ perfectionis, haud poterant non præcipere communem vitam. Prima propoſitio ſe ipſa evidens eſt. Secundam docet Chriſtus ipſe. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia.* Tertia neceſſario conſequitur. Qua namque efficaci deliberatione, quis ſibi finem præſtituit, eadem, & media fini comparando neceſſaria velit, neceſſe eſt. Aliter hæc demonſtratio exponitur. Perfectio, quam Chriſtus conſulit, quamque omnes Religiones profitentur in caritate ſplendet Euangelica, qua Religioſi invicem & Deo conjunguntur. Temporalium autem bonorum communio hanc cœleſtem cordium, animorumque concordiam nutrit, fovet, auget, conſervat. Ergo qui imperat primum, jubeat & poſtremum oportet. Nec enim fieri poteſt, ut ſeparata hæc duo ſint. Quid ſi Pater-familias mutuam filiorum benevolentiam vellet, & ille interim inæqualem iiſdem bonorum proviſionem ſuppeditaret? Fulgeretne in familia fraterna concordia, ſi unus Fratrum ſplendidiores indueret veſtes, & lautioribus veſceretur ferculis, pluraque occuparet cubicula: contra alter vix anguſta cella, neceſſarioque victu, & veſtitu potiretur? Si ille abundaret, hic careret pecuniis? Quid prodeſſet dominium eſſe commune, ſi rerum uſus tam eſset inæquabilis?

VI. Et ut nullus pateat ad fugam aditus, cur paupertatis votum dominium reſpicit? Cur? niſi quia ex dominio rerum uſus conſequitur. Si hæc duo dominium, & uſus ſejuncta accipiantur, profecto magis obeſt paupertati, pecuniarum liber uſus, licet deſtitutus civili Dominio, quam dominium civile libero uſu impeditum. Quid mihi, amabo te, prodeſt dominium pecuniarum, ſi earum uſu caream? quid mihi nocet dominii privatio, ſi pecuniarum uſu potiar? Votum paupertatis radicem ſuccidit; ut
fru-

Digitized by Google

fructus tollat. Nihil ego curarem de arboris radice, ſi dulces illius fructus comedere valerem, uſus eſt, qui concupiſcentiam explet, qui paſſiones nutrit, appetitus ſatiat. Dominium ſine uſu ſterile eſt, ineptumque ad cupiditatis deſideria implenda.

VII. Quid reponis? Peculiorum uſum liberum non eſſe? Hæccine reponere audent illi, qui ad hanc libertatem nil amplius requirunt, niſi quandam licentiam generalem non expreſſam, ſed tacitam, ſed præſumptam, non in aliquo neceſſitatis eventu, & ad aliquem occurrentem determinatum uſum, ſed ad uſus omnes indeterminatos? Illi hæc reponere valent, qui ex generali præſumpta licentia ſcribere non erubeſcunt, poſſe Regularem peculia ſua vel in ipſos uſus turpes, venereoſque expendere? Illi qui in conſuetudinem licitam tranſire deblaterant & omiſſionem iſtius licentiæ petendæ, & ſolutionem mercedis meretricibus ſactam vel faciendam in Religionibus laxis? Illi hæc audent aſſerere, qui adeo liberam hanc conſuetudinem, adeo liberum hunc peculiorum uſum propugnant, ut aſſerant neque Pontifices, neque Concilia, neque Eccleſiam ipſam auferre poſſe talem conſuetudinem, talemque uſum. Typis cuſa ſunt hæc omnia; ſaltem mihi, dicit alter, qui ad uſus dumtaxat licitos, & debita licentia peculium adhibeo, licitum erit. Minime gentium, excepta neceſſitatis cauſſa, quia cum uſus pecuniarum ex ſe pericula involvat, votum profeſſionis tuæ eum penitus prohibuit.

VIII. Ut vero ea, quæ de diſtinctione uſus & dominii dicta ſunt, jure firmentur, animadvertas velim in Societate Jeſu rigidiſſimam paupertatem ex legibus ſuis profitente, Dominium in ipſis ſubditis repetiri uſu ligatum, minime vero liberum uſum cum dominii carentia. Summ. Pontifex Greg. XIII. nihil obſtare decrevit, quin ſcholares, ut vocant, illius Societatis vere Religioſi haberentur, etiam cum ſuorum bonorum Dominii retentione, & ad hæreditates adeundas capacitate uſque ad ſolemnem illam divinituſque excogitatam profeſsionem, hoc tamen pacto, ut libero illius dominii uſu careant. Etenim, ut jam dixi, non dominium, ſed uſus concupiſcentiam, cupiditatem, cœteraſque paſsiones nutrit exſaturatque. Quid ad conjugatorum concupiſcentiam ſedandam valeret dominium in propria corpora, ſi ab uſu impedirentur? Quid præjudicii concupiſcentiæ inferret Dominii privatio, ſi uſus daretur? Ex his omnibus in ſumum abit vaniſsimum illud perfugium, quo communiter peculia defendunt dicentes, ſe omnia habere communia communitate dominii, non communitate uſus. Sed iterum alibi de hoc ſermo reddidit. Craſsiſsimam illuſionem detexit etiam Franciſcus Suarez. (Tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 15.) *Magis neceſſaria eſt paupertas, ſeu modus ejus in ipſo uſu, quam in dominio. Parum enim refert, Religioſum non habere rem propriam quoad dominium, ſi poſſit pro libito & arbitrio ſuo de communibus bonis diſponere. Immo in hoc repugnantia quædam involvitur. Nam quod fieri poſſit votum non habendi uſum proprietarium retento dominio,*

faci-

facile & optime intelligitur, quia poteſt retineri facultas ligata & impedita ad ſuum actum, poteſtque ille modus paupertatis eſſe interdum conveniens, ut infra explicabimus de votis ſimplicibus Societatis Jeſu. At e converſo privari per votum dominio, & retinere liberum uſum, repugnantia eſt.

CAPUT SEPTIMUM.

Quarta demonſtratio a poſteriori, ſeu ab effectu petita.

I. NOn aliunde melius, quam ab ipſa experientia, legis, aut conſuetudinis honeſtas, & utilitas colligi poſſunt. Quoniam *experientia*, inquit Caramuel, (Theolog. fundamental. n. 409.) *prævalet oculis, & omnibus auctoribus, ſi eſſent contrarii*. Quandiu peculia privata Religioſorum ſub quodam verborum apparatu, & conditionum thecnis deliteſcunt, & licentiæ a ſuperioribus impertitæ colore fucantur, vix quicquam mali prima fronte produnt; ſed veluti arbor mala ſub occultæ radicis tegumento, acerbos fructus abſcondunt. Divus Patriarcha Benedictus in ſua regula peculium privatum, peſtem appellat, quæ ſimulatque Religionem aliquam ingreditur, regularem obſervantiam inficit, ſanctitati inſidias ſtruit, ſchiſmata invehit; & propterea tamquam luem exitialem, e Monaſteriis peculia quæque exterminari ſeveriſſime præcipit. Pauca dumtaxat incommoda, quæ peculia natura ſua parere ſolent, indicabo. Plurima autem, quæ Patres & Theologi recenſent, capite ſequenti deſcribam. Penicillum ergo ad tabellam aptemus, & ut ordo aliquis ſervetur in deſcribendis, quæ ex familiari pecuniarum uſu ſequuntur, malis, temporalia primum, deinceps ſpiritualia indicabimus damna.

II. Itaque ut a tempotaneis malis auſpiremur, quandiu Religioſi juſte, ſobrie, innocenterque vivendo, Regnum Cœlorum quærere ſtuduerunt, tandiu temporalia ſatis, ſuperque illis adjecta fuere. Contra, quando, extincta euangelicæ paupertatis, & Apoſtolicæ communitatis obſervantia, privatæ pecuniæ uſus excepit, confeſtim ab illis ſublata ſunt, quæ veris juſtitiæ cultoribus Chriſtus adpromiſit. Commoda, quæ adducuntur ex privatis peculiis parta, ædificiaque erecta, nullius momenti ſunt, cum malis ſi conferantur, quæ ex iiſdem proficiſcuntur. Præter quam quod, cum privati Religioſi aliquod ſuis nummis erigunt ædificium, ſæpius in proprium commodum illud convertunt. Non negaverim tamen plures quoque reperiri Religioſos, qui privata peculia in communem conferunt utilitatem, in ſacrarum veſtium ſuppellectilem comparandam, in templorum cultum augendum. Sed hoc non ex diſciplinæ vigore, ſed ex optima Religioſorum indole, & probitate ortum ducit. Eadem ſiquidem li-

Digitized by Google

bertate, ſi vivendi conſuetudo quæ communiter obtinet, ſpectetur, poſſent in alios uſus expendere. Sed a terrenis ad ſpiritualia accedamus.

III. Votum paupertatis, quod univerſæ diſciplinæ Monaſticæ baſis eſt, peculiis privatis in nihilum redigi jam palam fecimus. Quandoquidem paupertas, quam Regulares Deo vovent, vera & ſincera eſt, non ad metaphyſica quorundam inventa, ſed ad euangelici conſilii amuſſim exacta. Hæc ſe prodit in humili veſtium aſperitate, in cellarum anguſtia, in ciborum ſobrietate, & in tali bonorum temporalium caritate, quæ ab aliena liberalitate proviſionem expectat. Ubi vero peculii privati ſerpit abuſus, vix paupertatis euangelicæ genuina imago conſpicitur. Quandoquidem paupertas, quam Regulæ Monachales præſcribunt, omnia bona communia facit; peculii privati econtrario abuſus, hac pulſa communitate, alios divitiis onerat, alios ad inopiam redigit, eamdemque in Monaſteriis, ac in ſæculo diverſitatem parit. Mundanorum hominum, qui divitiis congregandis operam navant, alii, fortuna comite, ſplendidas induunt veſtes, lauta convivia inſtruunt, palatia ampliſſima erigunt. Ii vero, quibus ſors inimica eſt, fame, ſiti, nuditate atque penuria laborant. Porro an in eodem Cœnobio unus plura cubicula ornamentis fulgida occupet, alter vero anguſta cella includatur: an ille delicatis ferculis veſcatur, hic pane egeat? an ille ſatur, hic famelicus: an iſte pannoſus, & lacer, hic ſplendidus & ornatulus quandoque appareat, mea non intereſt inquirere. Hanc certe monſtruoſam diverſitatem peculia privata ſuapte natura inducere ſolent.

IV. Quot porro periculis caſtitatis votum expoſitum ſit: quot maculas contrahat ex pecuniarum pice, inde colligi poteſt, quod pecuniæ obediunt omnia, omniaque ſine nummis languent. Radicem omnium malorum, vel ipſam cupiditatem appellat D. Paulus; quia ſicut radix arborem, ramos, & folia nutrit; ſic pecuniæ uſus corpus, ſenſus, paſſioneſque omnes ſaturat. Verum opus minime eſt, ut mala, ad quæ auri, argentique occaſio viam aperit, ipſe ob oculos ponam, quoniam cuique pervia ſunt, & res ipſa clamat.

V. Utrum vero obedientiæ votum, & peculium privatum una conſiſtere valeant, facile intelligi poteſt. Tolle communitatem, inquit vel ipſe Peyerinus, & ſuſtuliſti Religionem. Nihil ſane adeo Superiorum regimini infeſtum, ac privatæ pecuniæ. Quin hæc duo neceſſario ſe ſe mutuo deſtruunt. Siquidem cum de communi penu omnia ad victum & veſtitum congrua Religioſis non porriguntur, ipſo naturæ jure illi eadem ſibi comparant. Quo poſito, ubi regiminis diſciplina? ubi obedientiæ cultus? Nam ad omnia Prælatorum imperia, quæ impedirent acquiſitionem peculii, reponere ſubditi poſſent: quis epiſtolas noſtras ſolvet, quis libros, quis veſtes, itinerumque expenſas nobis ſubminiſtrabit? quis in infirmitatibus congrua ſubſidia dabit? De communi hæc omnia non conferuntur. Admiſſis peculiis officia lucro vacua reſpuerentur: contra vero miniſteria

omnia,

Digitized by Google

omnia, quibus aliqui proventus annexi ſunt, illi qui peculio opus haberent, incredibili ſtudio & aviditate aſſequi curarent.

VI. Et tametſi in qualibet fere Religione, non modo menſa, ſed etiam veſtiarium, ut dicitur, de communi porrigatur; nihilo tamen minus, quia nec ſufficienter, nec in ſpecie, ſed in pecuniis datur; idcirco vota omnia, omneſque leges diſcrimini expoſita ſunt. Enimvero ſi pecuniæ datæ, aut non ſufficerent, aut occaſione impellente, in ludis, aliiſque oblectamentis inſumerentur, quid tum? Nonne inopes ſubditi ad anguſtiam, ſua licet culpa redacti, neceſſaria conquirere propria induſtria coacti forent? His in circumſtantiis, poſſet ne Prælatus obedientiæ penſum exigere? Tenerenturne ſubditi ſolvere, & ab acquiſitione neceſſarii peculii abſtinere? Ne multa. Reſerata via conſulendi propriis commodis, & augendi privatum peculium, commune ſive temporale, ſive ſpirituale regimen corruat, neceſſe eſt.

CAPUT OCTAVUM.

Quæ capite Superiore dicta ſunt, Patrum, & Theologorum authoritate confirmantur.

I. Divus Auguſtinus Ser. ad Sav. apud Dionyſium Carthuſianum (de ref. cap. 14.) inquit. *Rem peculiarem omnino fuge. Vide quanti, & quales de hoc peſtifero morbo peculiaritatis perierunt: De peculiaritatis namque radice oriuntur hæc vitia, ſuperbia, inobedientia, avaritia, vanagloria, voracitas, mendacium, loquacitas, atque luxuria. Illum morbum habendi peculium voco morbum peſtiferum & illecebroſum, quem te oportet relinquere, ſi non vis beatitudinem ſempiternam amittere*. Idem enarratione in Pſal. 131. *Quam multa millia crediderunt fratres mei, quando pretia rerum ſuarum poſuerunt ad pedes Apoſtolorum. Sed quid de illis dicit Scriptura? Certe facti ſunt templum Dei. Non tantum templum Dei ſinguli, ſed & omnes templum Dei ſimul.... multi autem ne faciant locum Domino, ſua quærunt, ſua diligunt, poteſtate ſua gaudent, privatum ſuum concupiſcunt. Qui autem vult facere locum Domino, non de privato, ſed de communi debet gaudere...... intendet caritas veſtra; quia propter illa quæ ſinguli poſſidemus, exiſtunt lites, inimicitiæ, diſcordiæ, bella inter omnes, tumultus, diſſenſiones adverſum ſe, ſcandala, peccata, iniquitates, homicidia. Propter quæ? Propter ipſa, quæ ſinguli poſſidemus. Nunquid propter iſta, quæ communiter poſſidemus, litigamus?*

II. Divus Bernardus (ſuper Cant. Ser. 19.) *Qui nolunt eſſe contenti vita communi in veſtimentis & alimentis, ſed privata præferunt communibus, habent voluntatem propriam pro Magiſtra, & non Regulam; Illa*

enim docet eoſdem non parere naturæ, rationi non acquieſcere, ſeniorum conſiliis non obtemperare, ſuperioribus non obedire.

III. Divus Petrus Damianus (opuſc. 12. cap. 1.) *Ad tantam quippe fæcem quotidie ſemetipſo deterior mundus iſte devolvitur, ut non ſolum cujuslibet ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſticæ conditionis ordo a ſtatu ſuo collapſus jaceat; ſed etiam ipſa Monaſtica diſciplina ſolo tenus, ut ita dixerim, reclinata ab aſſueta illa celſitudinis ſuæ perfectione langueſcat; periit pudor, honeſtas evanuit, Religio cecidit, & velut facto agmine omnium ſanctarum virtutum turba procul abſceſſit.* Cauſſam aſſignat. *Omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt, & contempto cæleſti deſiderio terram inſatiabiliter concupiſcunt.*

IV. Eodem Opuſc. cap. 6. *Audiſti obſecro Nummicola, & Monache quid tibi æſtus avaritiæ pariat? Audiſti ad quem finem pecunia congeſta perducat? Audi adhuc Nummicola. Quod autem Nummicolam appello, a qualitate tui operis vocabulum traho, non contumeliæ in te nomen uſurpo. Nummos enim colis, qui pecuniam diligis.... Facta igitur tibi de proprio nomine ſatisfactione, Nummicola, jam quod dicturus eram, vigilanter auſculta. Audi ergo quid de te, tuiſque ſimilibus veritas dicat. Difficile qui divitias habent, intrabunt in Regnum Cælorum. Et hæc quidem ſententia de iis, qui divitias juxta morem ſæculi poſſident. Cæterum hi, qui rejectis omnibus, denuo ad vomitum ſunt relapſi niſi reſipiſcant, Regnum Cælorum nulla, vel cum difficultate poſſunt fiducia promereri.*

V. Et cap. VIII. *Sed ex iſto Nummicolarum numero cerebroſus quiſquam fortaſſe non deerit, qui mihi ad iſta reſpondeat: Divitiarum me cur mordaciter impetis, quem perexigua ſumma contentum vix paucos habere obolos cernis?.... Ecce proprietarius noſter, ſive melius ut ante, Nummicola paupertatis patrocinio utitur, ut ipſe dives irreprehenſibiliter videatur.* Plurima alia ſcribit tum in hoc opuſculo, præcipue, (cap. X.) in quo ſæcularium hominum contra Monachorum ſcandala murmurationes detractioneſque lato calamo deſcribit; tum (in Opuſc. 13. de Perfectione Monachorum) quæ omnia ad prolixitatem evitandam prætereo.

VI. D. Laurentius Juſtinianus (lib. de obed. cap. 19.) *Sunt multa cœnobia, & utinam non numeroſior pars, quæ non Sanctorum habitacula, ſed latronum ſunt dicendæ ſpeluncæ, ſpeluncæ Dæmonum, & officinæ vitiorum. Ubi enim quiſque privata quærit commoda, pecunias cumulare non deſinit, nec curat utrum quis fratrum ſuorum patiatur famem, frigore crucietur, infirmitate langueſcat. Ibi procul dubio Religionis deſtructus eſt cultus. Ubi inquam viget impietas, & negligitur fraterna dilectio, ubi impellente cupiditate fiunt ſacra venalia, rapinæ clam exercentur, diſſeminantur rixæ, jurgia frequentantur, concipiuntur æmulationes, detractiones, obloquutiones & mendacia proferuntur. Ibi prorſus deeſt timor Dei, zelus animarum, contemptus ſui, orationis guſtus,*

Reli-

Digitized by Google

Religionis delectatio, dulcedo virtutum, conſcientiæ pax, æternorum ſpes, & futuri judicii metus.

VII. Joannes Trithemius (Homil. 7.) *Non erant Monachis illo tempore cenſus, non decimæ, non reditus, non proventus ulli annuales, ſed victum & veſtitum omnes in communi converſantes manibus ſibi procurabant . . . Verum poſteaquam cenſus Monachi habere cœperunt, & reditus, priſtina mox ſimplicitatis ſtudia defecerunt, crevitque paullatim cum divitiis rerum temporalium ſuperbia . . . . Quamdiu fuerunt pauperes Monachi, Deum in veritate coluerunt, poſtea vero integritas obſervantiæ Regularis, corruit. Illa enim peperit abundantiam divitiarum, rerum temporalium, ſed paullatim divitiæ Monachorum puritatem ordinis funditus extinxerunt . . . Erubeſco dicere, & nihilominus effari compellor . . . Quid enim laboratis, & quæ ſunt ſtudia veſtra? Nonne vagari, diſcurrere, commeſſationibus indulgere, & poculis, ac reliquum temporis ſermonibus occupare vanis & inutilibus? . . . Denique tacere non poſſum, nec debeo certe, quam ſordide ac negligenter plerique veſtrum tractent omnia, quaſi non conſpiciantur a Deo . . . Cernitis enim bujus cœnobii Bibliothecam omnem, quæ olim fuit inſignis & magna, per deformatos ante nos Monachos uſque adeo diſtractam, venditam, & alienatam, ut ultra quatuordecim volumina non fuerint hic a nobis inventa.*

VIII. Dionyſius Carthuſianus (de Ref. Clauſtral. cap. 16.) *Ex proprietate ſeu ex peculio, tamquam ex venenoſa radice multa peccata proveniunt, utputa contumacia, ſuperbia, contentio, partialitas, avaritia, vanagloria, invidia, mendacium, luxuria, occupatio infructuoſa, multiplex diſſolutio, varia mentis diſtractio, acedia, negligenſque divini officii perſolutio, atque ſimilia. Quoniam abundantes in peculio ad reſiſtendum ſuis Superioribus fiunt audaces, nec diſciplinam, nec correptionem patienter ſuſcipiunt, partialitates efficiunt, & interdum commeſſationibus & ebrietatibus vacant. Ex quibus ad vitia carnis labuntur, & votum ſuum de ſervanda caſtitate ſceleratiſſime frangunt. Sicque ad Divina fiunt pigri & accidioſi, opus Dei negligenter perſolvunt, atque in innumerabiles defectuoſitates damnabiliter incidunt: non obſervantes ſilentium & ſæpe neque jejunium, neque ad commune refectorium veniunt, ſicque quotidie magis excæcantur & obdurantur.*

IX. Rusbroc. (de Taber. fœd. cap. 123.) *Eſt & aliud quoddam in multigeno Religionis Monaſticæ ſtatu vitium plane diabolicum, puta quod res terrenæ communes non ſunt. Enimvero ex bonis non communibus, alii inopes, alii locupletes, alii Domini, alii ſervi ſunt.* Idem de contempt. (cap. 62.) *Qui multum habent peculii aut de rebus communibus, iis liberiores ſumptus facere, aut plura ſibi coacervare, aut reponere licet; unde hujuſmodi cœnobia laborant ſuperbia, infidelitate, avaritia, dedignatione, ira, & odio.*

X. Hie-

Digitized by Google

X. Hieronymus Savonarola (ad Comit. Mirandul. cap. 2.) *Difficillimum & fere impoſſibile eſt res exteriores poſſidere, & non habere amorem & affectum ad illas. Illarum enim poſſeſſio eſt multorum peccatorum occaſio in Religioſis, qui in cella habent abundanter ea, quibus opus habent, quia ſunt tepidi in divino amore, vagi, rari in oratione, ſenſuales, loquaces, murmuratores, iracundi, impatientes, inſatiabiles, inquieti, invidi, otioſi, ſuperbi, inobedientes.*

XI. Joannes Nyder (Tract. de Ref. cap. 15. ad 14.) objectionem ſibi factam a deformatis, qui ex vita laxa plura temporalia commoda conſequi effutiebant, hæc reponit. *Reſpondetur ſimpliciter negando totum, quia olim ante lapſum ordinem, & hodie apud reformata loca pro quanto ſaltem Religioni congruunt copioſius procurata ſunt, & hodie procurantur facilius. Qui videt teſtimonium perhibet de iis quo ad omnia pene, apud quæ ſunt in Alemania reformata Monaſteria, ubi quotidie librorum coacervatur numerus, ædificia reficiuntur ruinoſa, quæ apud deformata corruunt Monaſteria, & favor accreſcit populi, augetur perſonarum valens numerus & decor multiplicatur ſacrarum veſtium. Qui autem domunculas ad inhabitandum ſe erexiſſe gloriantur, ſi de hoc tacuiſſent, fortaſſis Philoſophi fuiſſent, quia per hæc omnis Religionis deſtructio ſuborta eſt. Nam in talibus privatis habitaculis fiunt commeſſationes, ebrietates, & rerum communitatis diſpendia, ubi quilibet non communia propriis, ſed propria communibus anteponit. Ibi inepta ſolatia, chori neglectus, ibi decretationes & contra Prælatum murmura. Seminaria ibi inchoantur diſcordiæ, & conſpirationum vitia. Et utinam non plerumque ibi forent (ſi paries fodi deberet) fornicationes, & caſtitatis præjudicia. Hæ ſunt cameruIæ, quæ in Monaſteriis nonnullis jam commune deſtruxerunt dormitorium, & regulare refectorium. Cellas evacuant, & quod deterius eſt, deſtituunt oratorium, quia omnes ibi, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti. Ad nihilum ergo valent illæ ſpeluncæ latronum, niſi ut mittantur foras, & conculcentur per eos, ad quos ſpectat.*

XII. Chriſtianus Lupus (ad Canon. 6. Concil. Tol.) *Captivi enim manent ſub phylargia omnium vitiorum matre ac nutrice, quam quidam appetentes etiam a fide erraverunt. Ex ipſa pauperes fratres deſpiciunt, cum plena humilitate non ſubjacent Præpoſitis. Divina officia faſtidiunt, operari nolunt, ad licentioſum alicujus privilegii, & præeminentiæ in Monaſterio locum quavis arte adſpirant ac ſe intrudunt. Communi alimentorum, ac veſtium ſorte contenti non ſunt, atque ita Cœnobia ſua pedetentim tranſvertunt in illam Colundenſis apud Anglos Monaſterii miſerabilem formam, quam in Anglicana Venerabilis Bedæ hiſtoria deſcribit Religioſus Presbyter Adamarus. Domunculæ, quæ ad orandum vel legendum factæ erant, nunc in Comeſſationum, potationum, fabulationum, & cæterarum ſunt illecebrarum cubilia converſæ.*

XIII. Joannes Azorius (p. 1. lib. 12. cap. 6. q. 2.) *Quoniam cum* bujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi bonorum uſus, vel adminiſtratio privatis Monachis conceditur, ſolet eſſe cauſſa multorum malorum, ut docuit experientia, at non ita cum publico Cœnobii Miniſtro ea cura committitur.

XIV. Thomas Sanchez (lib. 7. in Decal. cap. 22. n. 4.) *Religioſus hujuſmodi peculium ex Superioris licentia obtinens præcipuarum paupertatis utilitatum jacturam faciet, quippe divitiis fidet, augebiturque aviditas illarum, & a ſpiritualibus exercitiis facillimo negotio avocabitur intentus earum adminiſtrationi, maximamque illas ſuperflue expendendi anſam habebit, & non ſervabitur æqualitas inter Religioſos aliis habentibus reditus, aliis autem pauperie oppreſſis.*

XV. Hoc ſtylo loquuntur non modo Patres, gravioreſque Theologi, ſed vel ipſi, qui probabiliſtæ, ideſt Legis Euangelicæ mitigatores appellantur. Tempus, & charta me deficerent, ſi omnium Patrum, Theologorumque ſuper peculiorum corruptelis lamentationes, acreſque declamationes referre vellem. Sed hæc ſufficere arbitror in confirmationem eorum, quæ a nobis capite ſuperiore mitiori ſtylo exarata ſunt. Nonne, etſi cœtera deeſſent argumenta, hæc ſola tantorum deſcriptio malorum, omnium ore, & experientiæ irrefragabilis voce firmata, ſufficere deberent ad reprobanda, penituſque convellenda peculia Monachorum? Ad alia igitur properemus, ut expeditiori via ad finem ſuum diſputationem noſtram perducamus.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA.

DE OBLIGATIONE, QUA PRÆLATI obſtringuntur ad vitam communem in ſua Monaſteria introducendam: atque de ſubditorum reciproco debito ad eam acceptandam, imo pro viribus procurandam. Hinc demonſtratione Theologico-Morali concluditur, tam Prælatos, quam ſubditos ex voluntaria culpabilique tanti debiti omiſſione vitio proprietatis majori ex parte infectos eſſe, & in maximo æternæ damnationis periculo verſari.

PRÆLOQUIUM.

DE munere debitoque Prælatorum collapſam reformandi diſciplinam Regularem, & obſervantiam, ne dum votorum, ſed & cœterarum legum, & Conſtitutionum inſtaurandam fuſius, & ex inſtituto ſecunda parte acturi ſumus. Impræſentiarum ad ſolius vitæ communis introducendæ debitum, orationem noſtram reſtringimus. Enim vero eorum omnium, quæ in Superioribus diſſertationibus dicta ſunt, ex hujus diſſertationis reſolutione fructus, profectuſque pendent. Hucuſque bellum quibuſdam quaſi vellitationibus peractum, atque eminus, & forte per cuniculos pugnatum eſt. Anguſto utique, altiſſimoque vallo inimicum cinximus, omnem tamen ad fugam aditum haudquaquam præcluſimus. Nunc igitur facie ad faciem pugna ineunda, atque cum manibus conſerendæ manus. Quandoquidem licet omnium argumentorum genere præceptum communis vitæ firmatum ſit, & peculiorum uſus proſcriptus, adhuc tamen obvia ad fugam patet via. Siquidem ſolemnis Regularium profeſſio contractus quidam eſt oneroſus Religionem inter, & Religioſum publico ritu peractus, in quo utraque pars mutuo ſacroque vinculo ſeſe obſtringit. Illa ad victum, & veſtitum cœteraque omnia ſub his vocibus contenta ſubminiſtranda: iſte ad plenam abſolutamque omnium tum præſentium, tum futurorum bonorum, ſub illius poteſtate renuntiationem. In hypotheſi, quod Religio ſua ex parte contractum infringat alimentorum denegatione, ipſius naturæ conſervandæ ſtrictiſsimum jus quamlibet antecedens promiſsionem in ſubdito Religioſo renaſcitur ad procuranda omni, qua valet, meliori via, peculia vitæ con-

conſervandæ neceſſaria. Hoc in eventu Theologi peculia ſubditis concedunt. Id præ cœteris animadvertit perdoctus Paſſerinus (laud. quæſt. 186. art. 7. n. 133.) *Quia in puncto noſtro conſiderari debet, quod ubi plura præcipiuntur, quorum unum ſupponit aliud, & hoc ablato, illud eſt impoſſibile, lex ad illud ſecundum ſervandum non obligat, ſi primum ab extrinſeco deficit. Certe obſervantia exactiſſima vitæ communis ſupponit quod Monaſterium communiter neceſſaria ſubminiſtret. Hoc igitur ſine defectu, & voluntate ſubditorum deficiente, cum illis exactiſſima vita communis ſit impoſſibilis, ad illam non tenentur.* Perpendas ſerio velim caſtigatiſſimum loquendi modum tanti viri, ſubditos ab exactiſſima vitæ communis obſervantia ſolventes in hypotheſi impoſſibilitatis, quæ *ſine voluntate, & defectu ſubditorum contingat.* Quia e contrario ſi Religioſi in hanc impoſſibilitatem libere ſe conjicerent, & in eadem permanerent, vel vitæ communis introductioni refragando, vel pro virili auxilium ſedulamque operam non conferendo, occaſione oblata, tunc hypotheſis impotentiæ culpabilis eſſet in cauſſa, ut ajunt, & peculiorum uſus vitioſus re foret. Ad ea igitur ſupplenda, quæ Religio, vi contractus ſolemni ritu initi, impertiri teneretur, Theologi peculia concedunt. Porro vi profeſſionis ad victum, veſtitum, & ea quæ ſub horum nomine veniunt conferenda Religio ſe ſe obſtrinxit; & cum neceſſaria ad victum & veſtitum ſuppeditat, Religioſi nullo modo peculium habere licite poſſunt; Nulla enim tum inſtat juſta habendi peculium cauſſa. Hinc patet non paucorum Authorum deceptio, qui peculia juxta commune Theologorum placitum in dicta dumtaxat naturalis neceſſitatis hypotheſi licita, ad uſus vanos, ſuperfluos, turpes, libidinoſoſque extendunt. Quare ut uno ictu tantorum radicem malorum revellamus: e Regularium manibus ſcutum illud auferendum eſt, quo contra omnes aggreſſus ſe ſe clamantes protegunt. *Neceſſaria,* inquiunt, nobis de communi non conferuntur: Neceſſitas naturalis vitæ ſervandæ ad peculia comparanda nos urget: Nos vitam ſuſpiramus communem: Hoc eſt deſiderium noſtrum, hæc voluntas noſtra. Sic non pauci conclamant ad excuſandas excuſationes in peccatis. Nos vero probandum aſſumimus hanc neceſſitatem ultro citroque voluntariam eſſe, pauciſſimis exceptis ſubditis, ac proinde culpabilem. Hic eſt ultimus proprietatis Monaſticæ receſſus obſidendus, hic ultimus agger diruendus, hæc denique ultima occludenda janua, qua obſerata, cujuſque perfugii ſpes præciſa funditus remanet. Agedum ergo, congrediamur.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Authoritate Regularum Monachalium, & Conciliorum maxime Tridentini evincitur Superiores teneri ad vitæ communis, ubi collapſa eſt, reformationem.

I. NIſi controverſia iſta preſſe, ſuccinctéque tractanda foret, præſto adeſſent innumeræ omnium Regularum, Conciliorum, & Pontificum auctoritates aſſertum noſtrum confirmantes. Verum, quia ex his, quæ jam recitata ſunt, ſatis manifeſta elucet aſſertio propoſita, idcirco aliqua tantum obiter indicabimus. In primis Regulæ omnes Monachales Prælatum univerſæ diſciplinæ Monaſticæ conſervatorem, atque reparatorem inſtituunt. Regula S. Benedicti Prælato præcipit, ut proprietatis radicem præcidat omnium neceſſariorum ſubminiſtratione. *Ut hoc vitium*, inquit, (cap. 55.) *peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria.* Idem imperat Regula Auguſtini, & Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum. (diſt. in Gloſ. ad cap. 14. ad tex. 3. ad lit. D) *Et ideo Prælati tenentur laborare quantum eis poſſibile eſt, ut fratres in ſuo Conventu in communi vivant, & proprietarii non ſint, & ſubditi non debent in hoc ſuis Prælatis reſiſtere. Si vero reſiſtentiam faciant, quia de ſuis rebus ſecundum libitum propriæ voluntatis volunt diſponere, videntur eſſe in malo ſtatu.*

II. Ex pluribus Conciliis unum producere ſufficiat Tridentinum, quod pluribus in locis monet Prælatorum maxime intereſſe Reformationis facinus promovere. (§. 6. cap. 1.) *Sacroſancta Synodus ad reſtituendam collapſam admodum diſciplinam Eccleſiaſticam, depravatoſque in Clero, & populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volens, ab iis, qui majoribus Eccleſiis præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum. Integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum.* Hæc de Reformatione univerſali tum Cleri, tum Populi Chriſtiani ſtatuit ſacra Synodus, a Majoribus nempe Prælatis incipiendum eſſe. Ad Reformationem autem Regularium gradum faciens (§. 25. cap. 1.) *Neceſſarium eſſe cenſuit, quo facilius ac maturius, ubi collapſa eſt vetus, & Regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantius, ubi conſervata eſt, perſeveret, præcipere, prout hoc decreto præcipit, ut omnes Regulares tam viri, quam mulieres ad Regulæ quam profeſſi ſunt præſcriptum vitam inſtituant, & componant. Atque in primis quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſiquæ alia ſunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum reſpective eſſentiam, nec non ad communem vitam*

tam

Digitized by Google

tam, victum, & veſtitum conſervanda pertinentia, fideliter obſervent.

III. Regularium Reformationem a vitæ communis exacta obſervantia auſpicandam eſſe decernit ſacra Synodus. Porro decreti hujus executionem Superioribus demandavit. Superiores ſeveriſſimo urget præcepto, atque obſtringit omnem adhibere curam, diligentiam, induſtriamque, tum in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, cum in eorum viſitationibus, ut quæ pro Monaſticæ diſciplinæ reformatione præſcripta ſunt, adamuſſim obſerventur. Siquidem illico ſubdit ſacra Synodus.

IV. *Omniſque cura & diligentia a Superioribus adhibeatur tam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quam in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur, cum compertum ſit ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius Regularis diſciplinæ, exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium, neceſſe eſt.*

V. Communem vitam univerſæ diſciplinæ Regularis baſim vocat Tridentina Synodus, & fundamentum, quo diruto, diruatur quoque neceſſe eſt ædificium ipſum tali ſuperſtructum cardini. Quare præcipit, ut ubi viget hæc communitas, foveatur, muniatur, & contra ſerpentes in dies abuſus defendatur. Ubi vero temporum calamitate, aut Prælatorum incuria, & damnabili oſcitantia, aut ſubditorum iniquitate excoli deſierit, atque in præceps corruerit, protinus reſtituatur, & inſtauretur, eorumdem præcipue Superiorum conatu, ſtudio, & vigilantia. Ne autem aliquo ſubterfugii vel tergiverſationis colore Superiores hujus præcepti inobſervantiam excuſare poſſint, nimirum videlicet Conventuum paupertatem aſtruendo, ac ſubinde omnia neceſſaria Religioſis conferendi impotentiam, Concilium decrevit ut Monaſteriorum redditibus quocunque ex capite obvenientibus alendorum numerus Religioſorum correſpondeat.

VI. *In prædictis autem Monaſteriis*, inquit cap. 3. *& Domibus tam virorum quam mulierum bona immobilia poſſidentibus vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur ac impoſterum conſervetur, qui vel ex reditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſinis commode poſſit ſuſtentari.*

VII. Quid plura? Ut ſacroſanctum Concilium nullum non moveret lapidem, nullumque intactum linqueret medium, quo Superiorum animis calcaria adderet ad celerem, exactamque ordinationum ſuarum executionem, ſatis illi haud fuit in mentem revocare, oculiſque ſubjicere bona illa immenſa, totius nempe Eccleſiæ ſplendorem, utilitatem, ac ornamentum, quæ ex Monaſteriis pie inſtitutis, recteque adminiſtratis oriuntur, augentur, & dilatantur. Satis illi haud fuit mala pariter indicare, univerſi ſcilicet populi Chriſtiani ſcandalum, ſpiritualis ædificii ruinam, Eccleſiæ Catholicæ detrimentum, quæ ex Monaſteriis deformatis profluunt:

ſatis denique illi non fuit propriæ auctoritatis graviſſimum pondus, poſt tot rationum urgentiſſima momenta, quibus Prælatorum animos civit, adjicere; ſed Capitulorum Generalium authoritatem advocat, jubetque in Prælatorum oſcitantiam animadvertere. Et tandem ſi hæc omnia efficacia minus forent, brachii ſæcularis poteſtatem, auxiliumque implorat. Reges, Principes, Reſpublicas, Magiſtratus admonet, hortatur, urget, atque in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipit, ut velint Abbatibus, Generalibus, aliiſque Præfectis in præſcriptæ reformationis executionem manus porrigere, validumque auxilium conferre eo fine, ut omni ſemoto impedimento, quæ pro Regularium reformatione ſtatuta fuerunt, ad praxim deducantur. Hæc ſunt verba, quibus ſacra Synodus ſuum de Regularium reformatione titulum *laudatæ* (§. 25. cap. 22.) claudit.

VII. *Et quia ſancta Synodus deſiderat ut omnia & ſingula ſupradicta quamprimum executioni mandentur, præcipit omnibus Abbatibus & Generalibus & aliis Superioribus Ordinum ſupradictorum ut ſtatim prædicta exequantur. Et ſi quid executioni mandatum non ſit, Epiſcoporum negligentiam Concilia provincialia ſuppleant. Regularium vero Capitula Provincialia & Generalia, & in defectum Capitulorum Generalium, Concilia Provincialia per deputationem aliquorum ejuſdem Ordinis provideant. Hortatur etiam ſancta Synodus omnes Reges, Principes, Reſpublicas, & Magiſtratus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut velint prædictis Epiſcopis, Abbatibus, ac Generalibus & cæteris Præfectis in ſuperius contentæ reformationis executionem ſuum auxilium, & auctoritatem interponere, quoties fuerint requiſiti, ut ſine ullo impedimento præmiſſa recte exequantur ad laudem Dei Omnipotentis.*

VIII. Superfluum hic foret eandem redordiri telam, eamque retexere traditionem, qua diſſertatione prima probatum eſt omnes Pontifices a Clem. VIII. ad hæc uſque noſtra tempora Tridentina Decreta de Regularium reformatione confirmaſſe, novis legibus muniiſſe & corroboraſſe. Quapropter ne actum agere videamur, alio pergendum eſt.

CAPUT SECUNDUM.

Omnes Theologi, graviſſimi peccati reos damnant Superiores, qui pro viribus ſuis in Monaſteriis vitam communem, ubi collapſa eſt, non promovent.

I. INutilis, & ſupervacanea Theologorum auctoritas reputari profecto deberet, quando Conciliorum Pontificumque Decreta perſpicua ſunt, nullique obnoxia tergiverſationi. Aſt noſtra hac miſera tempeſtate vix occurrit aliquod Pontificium Decretum morum reformationem præcipiens, quod

quod variis commentis non ſubjaceat. Idcirco quoties Leges, & Decreta explicatiſſima ſunt, illico ad interpretum tribunal cauſſam appellant, qui reformationem nollunt, ut inde aliquid patrocinii nanciſcantur. Quod ſi Theologi omnes, tum qui rigidiorum, tum benigniorum perſonas gerunt, Conciliorum Canones, & Pontificum Decreta, nullo addito fuco, vel linimento, interpretantur juxta germanum verborum ſenſum, tunc cauſſa finita eſt, nullumque ſupereſt refragandi perfugium. Hæc omnia in noſtra, quam verſamus controverſia, concurrere compertiſſimum eſt. Etenim licet quadam diverſitate vitæ communis debitum Theologi explicent, variaſque inde, & laxas quidam conſecutiones inferant: in aſſerendo tamen altiſſimo debito, quod Superioribus incumbit, præfatam communitatem promovendi atque inſtaurandi omnes conveniunt, ſi unum vel alterum excipias qui Theologorum albo accenſendi minime ſunt. Hoc ſufficienter conſtare poſſet ex iis, quæ (cap. 5. & 6.) præcedentis diſſertationis dicta ſunt. In majorem tamen aſſertionis noſtræ confirmationem utriuſque claſſis Theologorum, Antiquiorum, & Recentiorum verba promamus.

II. D. Antoninus (3. par. tit. 16. cap. 1.) *Satis credo quod qui ſe reperiunt in Monaſteriis, ubi non vivitur in communi ſi Prælati ſunt & non faciunt quantum eſt eis poſſibile ſine notabili ſcandalo, ut vivatur in communi, eos non eſſe in ſtatu tuto.*

III. Joannes Excuria (in tract. de Reformat. p. 3. art. 2.) *Omnes Prælati tam majores quam minores, ſinguli videlicet reſpective pro ſui dignitate, officio, commiſſione, aut facultate de debito juſtitiæ tenentur ſubditos ſuos Religioſos deformate viventes ad vitæ regularis obſervantiam reformare. De ipſorum enim manibus ſanguis ſubditorum requiritur.*

IV. Sylveſter (verb. Religioſ. 6. §. 7.) *Si Prælatus non facit quantum poteſt ſine magno ſcandalo, ut vivatur in communi, non eſt in tuto ſtatu.* (arg. diſt. 83.)

V. Ludovicus Lopes de Taxada (lib. 2. tract. 2. contr. 7. dub. 2. n. 24.) *Addo Religionum Prælatos ex meritis officii teneri debitam adhibere diligentiam, ut Religioſi ſubditi vitam tranſigant in communi, & ideo tenentur valde eſſe ſoliciti de neceſſariis illis conferendis pro victu & veſtitu. Quare ſi illa non tribuant, cum commode poſſint, peccant mortaliter, & ſunt indigni Prælatorum officio, & debent deponi, quia tribuunt anſam Religioſis, ut peculia quærant, & votum laudabile paupertatis infringant.*

VI. Thomas Sanchez (in Dec. lib. 7. cap. 19. num. 27.) *Tertio deducitur non eſſe in bono ſtatu Prælatum, qui in quantum poteſt abſque gravi ſcandalo, non nititur, Religioſos vivere in communi, ac ſuperfluos uſus vitare.*

Valentia (2. 2. diſp. 2. q. 4. art. 2.) *Quarto ſequitur eſſe in malo ſtatu tam Prælatos, quam ſubditos, qui non agunt vitam communem, quando ex reditibus communibus poſſunt ſufficienter vivere.*

VIII. Fran-

VIII. Franciſcus Pellizarius (Tract. de Monial. cap. 4. ſect. 1. q. 4.) *Colligitur ex Sanchez aſſerente cum S. Antonino & Sylveſtro quod ſicut Prælatus Regularium non eſt in bono ſtatu, ſi quantum poteſt abſque gravi ſcandalo non nititur Religioſos in communi vivere, ac ſuperfluos uſus vitare, ſic nec ſunt in bono ſtatu ſubditi reſiſtentes, non quod nequeant ſufficienter vivere, ſed quod velint abundare, & liberius diſponere. Hoc enim adverſatur voto paupertatis.*

IX. Joannes Baptiſta Lezana (quæſt. Reg. cap. 18. num. 14.) *Prælati, qui in quantum poſſunt, non curant ſuos ſubditos vivere vita communi abſque peculio, aut proprio, & ſuperfluos uſus vitare, non ſunt in bono ſtatu conſcientiæ. Ratio eſt, quia votum paupertatis id requirit, ſummique Pontifices & Concilia id præcipiunt.*

X. Gabriel a S. Vincentio (de Juſtit. & Jur. diſp. 3. q. 10. n. 131.) *Superior peccat graviter non providendo ſubditis de neceſſariis, tum quia præbet occaſionem relaxationis Religionis dando occaſionem introducendi peculium, tum quia privat ſubditos jure, quod habent ad bona Monaſterii.*

XI. Thomas a Jeſu (ſpecul. Relig. part. 4. cap. 2.) *Concludo Prælatum mortaliter peccare, qui non curat, ut communis vitæ ratio in Monaſteriis ſervetur. Idem eſto judicium de eo, qui communem vitam jam laxatam, quantum in ſe eſt, ad priſtinam obſervantiam non conatur reducere; quin etiam ipſi ſubditi, qui Prælatis vitam communem reſtaurare volentibus contradicunt, eadem culpa mulctantur. Primo contrariantur ipſo facto Decretis Conciliorum, & Pontificum, a quibus hujus vitæ obſervantia diſtricte præcipitur. Secundo, quia ubi vita communis non obſervatur, Monachi variis animæ periculis circa tranſgreſſionem voti paupertatis exponuntur. Tertio quia communis vitæ obſervantiam Prælati reformare negligentes contraveniunt juſtitiæ legali; quia ex officio tenentur bono communi conſulere. Inſuper diſpenſatione ſibi commiſſa abutuntur, & peccant contra fidelitatem, & ſæpe contra juſtitiam diſtributivam.*

XII. Servatius Lairvelz graviſſimus unaque piiſſimus auctor in ſua Optica Regularium (ſpecul. 12.) *Certum mihi eſt eſſe in continuo peccato mortali eos Prælatos, qui quantum poſſunt, ſua Monaſteria non reformant, quique ad vitam communem Religioſos ſuos, quantum poſſunt non reducunt.* Ab aliis recenſendis ſuperſedeo, tum quod ſequenti capite plures alios producturus ſum, cum quod vix aliquem reperire licet, qui oppoſitum doceat. Itaque capiti huic finem imponat Capitulum Ordinis Præmoſtratenſis anno 1615. celebratum. *Accedit quod in malo ſunt ſtatu tam Præpoſiti quam ſubditi Religioſi per quos ſtat, quominus vita communis in Monaſteriis inſtituatur.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

Subditi Regulares juxta communem Theologorum placitum, cum reſiſtunt Superioribus Communitatem ad Regulæ præſcriptum invehere conantibus, ſunt in ſtatu peccati mortalis.

I. EX iis quæ dicta ſunt, expoſita aſſertio conſtat evidentiſſime. Quandoquidem ſi Prælati graviſſimo præcepto tenentur ſubditos ad vitam communem ſervandam inducere, dicamus neceſſe eſt legitimam eos habere poteſtatem tanti oneris præcipiendi. Aliter peccati reos id omittentes injuſte accuſaremus. Subditi igitur legitimæ refragantes poteſtati, Apoſtolo teſte, graviter delinquunt. Ea enim ratione, qua Superiores obſtringuntur vitam communem promovere, eadem ſubditi ligantur ad illam acceptandam, atque Superiori ex ſui officii debito præcipienti obedientiam præſtandam. Hæc adeo explicata ſunt & pervia, ut ſupervacaneum videatur tempus terere in auctorum calculis congerendis. Cæterum ut præſtitutæ methodo morem geram, aliquorum tantum verba brevi ſermone delibabo, quia laudati Superioribus Capitulis Theologi eodem reſpective modo de ſubditis ac de Prælatis loquuntur.

II. D. Antoninus (3. par. tit. 16. cap. 1.) *Si ſubditi ſunt & reſiſtunt huic bono cum attentatur, non quia non poſſunt vivere ſufficienter, ſed quia volunt abundare, & de ſuis ſuo modo facere, videntur eſſe in malo ſtatu, cum ſæculariter vivant, & velint in malo ſtatu perſeverare.*

III. Cardinalis de Turre Cremata in Regulam D. Benedicti (Tract. 94.) *Graviſſime peccant qui reformationi hujuſmodi abuſuum temere reſiſtunt in Monaſteriis, & ſe & alios defendunt, ne ab hujuſmodi labe purgentur.*

IV. Sylveſter (V. Rel. 6. §. 7.) *Subditi vero dictæ communitati reſiſtentes, non quia non poſſunt ſufficienter vivere, ſed quia volunt abundare, videntur eſſe in malo ſtatu.*

V. Thomas Sanchez (lib. 7. cap. 22. n. 27.) *Similiter peccant mortaliter ſubditi dantes peculii cauſſam reſiſtendo vitæ communi, cum illis neceſſaria miniſtrentur, & ſimiliter graviter murmurando & magis querelas fundendo.*

VI. Lezana (quæſt. Reg. cap. 6. n. 60.) *Addendum tamen eſt & valde notandum Religioſos paratos eſſe debere ad recipiendam reformationem & introductionem vitæ communis, ſi a Prælatis de novo inſtituatur, ſeu reſtauretur, nec poſſe ullo modo reſiſtere ſub graviſſimo peccato mortali. Ratio eſt, quia cum vita communis obliget ſub peccato mortali omnes Religioſos, ab illa excuſari non poſſunt, quia Prælati Monaſteriorum non provident illis de neceſſariis ad victum, unde conſtando prædictis neceſſitati-*

tati-

tatibus ſufficienter providendum fore, nulla remanebit ratio excuſationis. Et hæc eſt communis ratio Theologorum.

VII. Thomas a Jeſu (Specul. Relig. part. 4. cap. 2.) *Graviter peccare dixi, quia nolunt reformationi vitæ communis acquieſcere, nempe propter grave damnum emergens ex eorum contradictione.*

VIII. Franciſcus Lopez (lib. 2. tract. 2. controv. 7. dub. 7. num. 24.) *Religioſi autem tenentur ex merito ſuæ profeſſionis & ſtatus de communi vivere, & contenti eſſe cum his, quæ a Religione miniſtrantur.*

IX. Angelus Piſtachius Caſtelli (Tract. 4. de voto paupert. cap. 4. n. 5.) *Subditi reſiſtentes vitæ communi peccant mortaliter.*

X. Alteſerra (Orig. Monaſt. lib. 1. cap. 15.) *Monachi compelli poſſunt ad reformationem juxta præſcriptum regulæ, quam profeſſi ſunt. Nec tueri ſe poſſunt inobſervantia longi temporis, quia contra ea, quæ ſunt de ſubſtantia vitæ regularis, nulla eſt præſcriptio temporis, neque diſpenſatio.*

XI. Emmanuel Rodericus (Tom. 2. q. 63. art. 3.) ubi relato Tridentino Decreto (§. 25. cap. 2.) hæc infert. *Ex qua decretali colliges quod Religioſi debent, & tenentur reformare ſe ipſos ad præſcriptum Regulæ, quam profeſſi ſunt.* Et art. 4. *Peccant Superiores negligentes inſtituere ſeu reformare, & magis contravenientes reformare volentibus, & etiam ſingulares impedientes ea, quæ contraveniunt menti, & verbis Concilii, quod eſt peccatum.*

XII. Caramuel in Reg. D. Bened. num. 630. *Qui vota emiſit in Monaſterio irregulari, hoc eſt ubi contra regulam abuſus irrepſerunt, tenentur reformationi ſubjacere, & obedire Antiſtiti abuſus illegitimos eliminanti.* Sic loquitur ipſe Caramuel in emolliendis Divinæ Legis præceptis nulli ſecundus. Et tamen in hac controverſia adeo ſibi conſtat, ut in Theologia Regul. num. 631. hæc ſcribat. *Quam periculoſe ſe fallant, qui exiſtimant ex vi voti non teneri ad vitam communem, eo quod tempore ſuæ profeſſionis non ſervabatur in Monaſterio.*

XIII. Caput iſtud claudat Capitulum Ordinis Præmoſtratenſis ſub doctiſſimo Johanne le Paige celebratum, quodve inſertum habetur in Bibliotheca Præmoſtratenſi (lib. 5. pag. 1019.) *Reverendus Dominus Abbas Religioſos ſuos ad vitam communem reducat revocetque . . . . Et ne quis ſibi in hoc blandiatur, & Superiorum obtrudat licentiam, audiat Inn. III. in cap. cum ad Monaſterium: Nec æſtimet Abbas quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare . . . Et Concilium Tridentinum Seſſ. 25. in Decreto de Regularibus &c. Quo fit ut ſint in malo ſtatu, labanturque turpiter tam Prælati, quam ſubditi Religioſi, per quos ſtat quominus omnes in Monaſterio vitam communem ducant.* Quid plura? Vix vel unicum alicujus nominis Theologum reperire licet, qui oppoſitum doceat.

C A-

CAPUT QUARTUM.

Exponuntur demonſtrationes Theologicæ, quibus evincitur tam Prælatos, quam ſubditos neceſſitatis veræ cauſſa excepta, communem vitam non ſervantes, & peculia non projicientes, in extremo damnationis periculo verſari.

I. UT primum omnium, anſam, ſequentes demonſtrationes carpendi, cuilibet eripiam, illud præmittam oportet, me videlicet nullo modo definite aſſerere, aut Religionem, aut Religioſorum aliquem, ſine juſta cauſſa peculium retinere, & Communitatem contemnere. Sed in hypotheſi tantum, quod ſine vera, & involuntaria neceſſitate peculiis utantur, & communem vitam negligant Regulares, legitime infero in graviſſimo damnationis periculo, eos reperiri. Quod ſane nemini, niſi veritatis inimico, jure diſplicere poteſt. Ut autem ſequentium demonſtrationum lumen clarius ſplendeat, propoſitiones nulli dubitationi vel tergiverſationi obnoxiæ præmittendæ ſunt. Sit itaque

II. *Prima propoſitio.* Juxta commune Theologorum placitum Prælati Regularium ſub graviſſimo peccato mortali tenentur pro viribus, omnique via communem vitam ad Regulæ præſcriptum invehere, atque ad eam amplectendam ſubditos ſuos obſtringere, niſi grave timeant ſcandalum. Quæ ſane propoſitio nullo ſubjacet cavillo.

III. *Secunda propoſitio.* Omnes ſubditi ex lege ad peccatum mortale obligante tenentur animo parati eſſe ad vitam communem ſuſcipiendam, eamque reipſa acceptandam, dum Superiores illam præcipiunt; ita ut repugnantia eorum ſit peccatum mortale inobedientiæ, & proprietatis. Hæc quoque propoſitio extra dubitationis aleam poſita eſt.

IV. *Tertia propoſitio.* Ergo vel Prælati Conventuum, in quibus vita communis peculiorum expers non viget, ſunt in ſtatu peccati mortalis, atque in extremo damnationis periculo, propterea quod altiſſimum præceptum vitam communem introducendi pro viribus adimplere non conantur: vel ſubditi ſunt vere, & in toto rigore proprietarii, quod Prælatis ſuis Communitatem invehere conantibus perfracta fronte reſiſtunt, vel reſiſtendi contumacem produnt voluntatem, ob cujus repugnantiæ ſcandalum vitandum, Prælati ab implendo officio deſiſtunt.

Secunda Demonſtratio reſpectu ſubditorum aliis terminis expoſita.

V. Omnes ſubditi Regulares peculium retinentes contra expreſſam voluntatem Prælatorum in omnium Theologorum ſententia ſunt, ut dicitur,

proprietarii. Atqui dum Prælati exactam Communitatem præcipiunt, ſubditi retinent peculia contra expreſsam voluntatem Prælatorum. Ergo omnes ſubditi reſiſtentes introductioni vitæ communis, ſunt vere proprietarii.

Tertia Demonſtratio reſpectu Prælatorum.

VI. Omnes Prælati Regularium obedire tenentur Summo Pontifici tamquam omnium Religionum ſupremo capiti. Sed omnes Pontifices Prælatis Regularium præcipiunt, ut vitam introducant communem cujuſque peculii vacuam. Ergo Prælati Regulares non introducentes vitam communem ſunt graviſſimi præcepti tranſgreſſores, inobedientes, & proprietarii, ſcandali impedimento ſublato.

Quarta Demonſtratio.

Prima propoſitio. Omnes Regulares vovent vivere ſecundum ſuam reſpective regulam. *Secunda propoſitio*. Omnes Regulæ tum Monachales, tum Mendicantium vitam communem graviſſime præſcribunt. Ergo omnes, qui reipſa vitam communem deliberato animo rejiciunt, votum ſolemne tranſgrediuntur, non ſecundum, ſed contra Regulam ex animi ſententia viventes.

Quinta Demonſtratio tam Prælatos, quam ſubditos comprehendens.

VII. Omnes Regulares peculia ſervantes contra manifeſtam ſupremi Prælati, qui eſt Summus Pontifex, voluntatem, ſunt manifeſti proprietarii. Sed Regulares peculia habentes ea retinent contra manifeſtam voluntatem Summi Pontificis, ut ex prima diſsertatione perſpicue liquet. Ergo Regulares habentes peculia ſunt proprietarii, & in extremo damnationis periculo verſantur, niſi urgens, & involuntaria neceſſitas excuſet.

VIII. Cavillationes nunc, & tergiverſationes, quibus ineluctabilem harum demonſtrationum vim eludere infelici conatu ſatagunt, audiamus. Et quoniam cum Prælatis, tum ſubditis facere ſatis mea intereſt, ne andabatharum more digladiemur, ſed ut debitum ſervemus ordinem, Prælatorum excuſationibus primo loco occurrendum eſt. Illos tamen in anteceſsum humillime deprecor, ut antequam reſponſa pronuncient, cum Davide Deum ſincero corde alloquantur. *Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Secundo Lectorem admoneo, me nunc obiter dumtaxat quædam effugia diſpellere velle; omnia quippe fuſius, integra diſsertatione ſequenti, explodam.

IX. Quid ergo Prælati opponunt? Numquid pectoris imbecillitatem ad

Digitized by Google

ad conſuetudinem adeo inveteratam, & tam late graſſantem auferendam, & quod nullus expectandus ſit fructus? At huic excuſationi Deus ipſe occurrit. *Noli quærere fieri Judex, niſi virtute valeas diſrumpere iniquitatem.* (Eccleſ. 6.) Cæterum compertiſſimum eſt, ſcriptura ipſa teſtante, nullum ſcelus adeo invaleſcere, quin Dei gratia eradicari poſſit, dummodo humana induſtria labores, & auxilium ſuum impendere non omittat, ſpemque & conatus ſuos in eum dirigat, qui omnia poteſt. Quo ergo ſe recipiunt? Nunquid ad ipſam impotentiam ſeu redituum neceſſariorum penuriam? Sed hoc falſum eſſe opulenta patrimonia, ſumptuoſa ædificia, pingueſque reditus clamant, noſque diſſertatione ſequenti demonſtratione experimentali, cum res facti ſit, id oſtendemus. Quare ab hujus manifeſtæ falſitatis impugnatione nunc ſuperſedemus. Quid ergo tandem opponunt? Nunquid ſcandalum aliquod ex tanti debiti executione conſecuturum? Sed quæro ego grave ne ſit hoc, quod verentur, ſcandalum, an leve? Si leve, ſpernendum: ſi grave, iterum peto quodnam ſit hujus graviſſimi ſcandali fundamentum ſolidum? Subditorum, inquiunt, pervicax repugnantia, rebellionis tumultus, murmurationum clamor, querelarum ſtrepitus, diviſiones, factiones, ſchiſmata extra clauſtra reſonantia, & medium in ſæculum erumpentia.

X. Sed heu heu! Hinc ego eo deplorabiliorem, quo certiorem colligo victoriam. Ergo ex ore eorum ſubditos ſuos, ceu proprietarios audio. Quandoquidem ſi iſti per eos peculia ſua ita retinent, ut ne dum parati non ſint ad nutum Superiorum ea deponere, ſed ex adverſo factionibus, tumultibus, & ſchiſmate, mandatis eorum perfracta fronte ſe ſe opponunt, atque præcepta ita conculcare parati ſunt, ut propter ſcandalum vitandum, communitatem vere Apoſtolicam, quam Regulæ, & Canones mandant, introducere illi deſiſtant. Si inquam, verum eſt ſcandalum hoc, in omnium Theologorum ſententia tales Religioſi ſubditi, ſacrilegi proprietarii ſunt. Vel igitur Prælati ſe ipſos tamquam ſacri legum depoſiti infideles cuſtodes, & graviſſimi præcepti contemptores condemnare tenentur; vel ſubditos ſuos accuſent oportet, ceu rebelles, pervicaces, inobedientes, atque proprietarios. Ab hoc Gordiano nodo, ſe ſe nunquam extricabunt, niſi peculiorum laqueum reſcindant.

XI. Quid ſubditi ad hæc reponunt? Verane ſunt, quæ Prælati objiciunt? Si vera, cauſſa finita eſt. Si falſa, falſitatis fundamenta exponitote? Nunquid Prælati, ut ſuis indulgeant paſſionibus, ut dignitates ſecurius teneant, defectus veſtros ſe neſcire affectant, & ignorare diſſimulant, legum obſervantiam negligunt, omnemque permittunt diſſolutionem?

XII. Vera ſint hæc omnia nec ne, non inde tamen quidquam præſidii in proprietatis defenſionem aſciſcere licet. Nonne veſtris ſuffragiis ad Præfecturas extolluntur illi? Cur in Canonicis electionibus digniores, indignis poſthabitis, non præfertis? Cur viros zelo regularis obſervantiæ ardentes, charitate fulgentes, ſapientia illuſtres ad præfecturas non evehitis?

Digitized by Google

Nunquid Deus non eſt in Iſrael? Nunquid reſina non eſt in Galaad? Nunquid non eſt Medicus, non Chirurgus? Nunquid defecerunt viri ſancti ab Iſrael Domibus? neſcis? En in quos anfractus ſe ipſos deturbant, in quæ præcipitia ſe conjiciunt? Quo vergant gradum, ignoro, ut has poſsint declinare anguſtias. Repoſiturine ſunt, non eorum ſuffragiis, ſed aliorum ſuperiorum protectione, favore, & auxilio Prælatos ſuos imperare? ſit ita. At quoties ſubditorum major pars prævalet pro diſciplinæ integritate tuenda, vel inſtauranda, Prælatos quoque in eandem convenire ſententiam, neceſse eſt. Verum de hoc effugio latior ſuo loco ſermo reccurret. Quare convulſis obiter licet tergiverſationibus, quas ad vim demonſtrationum noſtrarum elevandam opponere poſsent, nunc ad inſtaurandam argumentationem oratio noſtra regreditur.

XIII. Addimus ergo jure naturali, Divino, & canonico Prælatos Regularium adſtringi ea omnia ſubditis ſuis ſubminiſtrare, quæ ad eorum congruam ſuſtentationem requiruntur. Jure quidem naturali illo, quod in quovis contractu mutuo & oneroſo elucet, & partem devincit utramque. Diximus autem ſupra, Monachalem profeſſionem contractum ſolemnem eſse Religionem inter, & Religioſum, quo Religionum Prælati ad omnium neceſsariorum collationem obligantur. Jure itidem Divino Superiores omnes obſtringuntur, ſubditorum curam tum corporis tum animæ habere: *Paſce oves meas*. Tum denique Canonico, ut ex dictis patet. Hinc Prælati hanc proviſionem omittentes, hæc tria jura, uno ictu tranſgrediuntur, juſtitiam legalem, quæ bonum ſupremi ordinis, commune nimirum inſpicit, & diſtribuentem, quæ communium bonorum partitionem exercet, violant, atque omnium ſubditorum criminum inde proficiſcentium participes afficiuntur. Subditi viciſſim iiſdem reſpective vinculis obſtringuntur. Superiores omiſſionem ſuam ſubditorum rebellione ſcandalum parturientes excuſant. Et ſubditi in Prælatorum vel oſcitantiam, vel malitiam peculiorum abuſum rejiciunt. Quid juvaminis mutua pariat criminatio, judicet prudens lector.

XIV. Heu mirum! Omnes communem vitam præconiis extollunt, quilibet ſimilia effatur: libentius ego vitam communem ſervarem, quam propria habere peculia. Quid ea dulcius, quid ea beatius excogitari poteſt? Illa admiſsa, diſtractiones mentis, animi ſolicitudines, cordis anxietates evaneſcunt. Rixæ, factiones, ſchiſmata in mutuam tranſeunt amicitiam. Utinam ſuperiores illam tandem aliquando inveherent. Plures ſimilia effantes ipſe audivi. Prælati autem exclamant. Oh tempora! Oh mores! Quis in hac temporum fæce vel ipſum reformationis nomen pronuntiare auſus fuerit? Quot bella, quot tumultus, quot rebelliones vel ſola communitatis mentio non excitaret? Minora igitur permittenda ſunt mala, ut majora evitentur.

XV. En iterum ex illorum libera confeſſione proprietatis labe eorum infecta peculia. Enimvero ſi vera eſſet in ſubditis hæc, quam oſtentant, ani-

animi promptitudo ad communem vitam ſuſcipiendam: ſi in Prælatis ejuſdem communitatis introducendæ zelus arderet, illico haberetur effectus. Poſita enim, ut Philoſophorum utamur adagio, ultima diſpoſitione ex parte recipientis, ſeu patientis ſubjecti, & ex parte agentis proximo conatu, & virtute, ſtatim effectus productio erumpet in lucem. Cum igitur poſt tot verborum apparatum, hanc vitam minime reſpirare videamus, concludamus neceſſe eſt, tam Prælatos, quam ſubditos in maximo æternæ ſalutis periculo reperiri. Quoniam in omnium Theologorum ſententia peculia retenta contra manifeſtam voluntatem Superiorum ſunt undequaque proprietatis vitio inquinata. Regulares retinent peculia contra expreſſam, manifeſtamque voluntatem Summorum Pontificum, qui ſunt ſupremi Religioſorum Prælati: Ergo in omnium Theologorum ſententia vitio proprietatis laborant. Sed quid Theologorum authoritatem in ſuffragium voco? Cum vel ipſimet fateantur proprietatis reos eſſe omnes peculium retinentes abſque animi præparatione ad nutum Superioris illud deponendi. Sed ex facto, & ex continua repugnantia ad tot Eccleſiæ mandata evidentiſſime conſtat, hanc animi promptitudinem, quam plures oſtentant, quave proprietatis crimen obtegunt, hanc inclinationem ad communitatem, quam affectant, eſſe meras chymæras, illuſiones, deceptiones, quibus ſplendide mentitur iniquitas ſibi, quibuſve labiorum ſonitu Deum honorant, cor autem in peculiorum marſupio repoſitum, longiſſime a paupertatis voto recedit.

XVI. Et quod maxime dolendum amariſque lacrymis deplorandum eſt; his illuſionibus ſibi blandiuntur, his imaginationibus ſpes ſuas lactant, his fucis crimen proprietatis abſcondunt, vermem conſcientiæ necant, ſtimulos peccati hebetant, ſynderesis aculeos retundunt, cœcitatis telam filum filo innectentes texunt, & in dies redordiuntur, atque latiſſimam æternæ damnationis viam ſibi adaperiunt. Lubet hæc omnia formare auctoritate Clariſſimi Petri a S. Audomaro (Inſtit. Monaſt. lib. 2. cap. 18.) *Sed dicent peculiorum poſſeſſores ſe pecuniis vel aliis conceſſis vel datis non affici tamquam propriis, quin paratos eſſe omnia reſignare Prælatis exigentibus, in quorum poteſtate omnia, quæ penes ſe ſunt, eſſe aſſerunt. In cujus proteſtationem ſingulis annis exhibent ſchedulam continentem quæcunque habent ſuo uſui deputata. Verum ſplendide mentitur iniquitas ſibi. Hoc unico argumento probare velim, eos taxatam pecuniam, & alia proprietatis affectu hactenus poſſediſſe, quod noluerint Epiſcopis & Prælatis ſuis exigentibus preſſi etiam per profeſſionis & Regulæ ſuæ obligationem, immo per Concilii Generalis Decreta cedere reſignationi. Quinimmo totis conatibus repugnarunt. En quomodo noverunt in Abbatis poteſtate omnia eſſe debere, & parati ſint illi exigenti omnia tradere. Velamen eſt iniquitatis exhibita illa ſchedula, & ficta proteſtatio; ac proinde ſumma impudentia eſt eorum, qui hac ratione a proprietatis vitio ſe ſe defendunt. Sepulcra foris dealbata,*

bata, intus autem plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.

XVII. Ultimo loco audiamus ſæpe laudatum Franciſcum Ramirez Archiepiſcopum Brunduſinum (§. 12.) *De ſubſtantia voti paupertatis eſt nihil habere ſine licentia Prælati cum præparatione animi ad dimittendum omnia in ſuis manibus . . . . Modo inquiremus exercitium illius animi præparati, ſeu habitus in quo conſiſtit? Nonne unicum illius exercitium eſt actualis dimiſſio omnium in manibus Superioris ipſo volente, ſeu inſinuante? Certiſſime ſane. Cur ergo illa quaſi habitualis animi præparatio nunquam videbit ſuum actum, & exercitium? Si enim gladius nunquam ad ſecandum applicabitur, rubigine corrodi neceſſe erit. Si animalia in perpetua quiete jaceant, potentia ad motum progreſſivum debilitatur, & tandem diſperditur . . . . . Dimittantur ergo omnia in manibus Superiorum, ut paupertas ſuum videat exercitium, & non ſit quaſi potentia irreducibilis ad actum: atque ita dimiſſis, & a Prælato acceptatis, ecce rigoroſam vitam communem, quam præſcribit Sac. Congr. Conc. & Pontifices Summi præcipiunt, atque pro qua tantum laborat Eccleſia.*

Neque prudenter creditur quod facile ore dicitur, & difficile corde tenetur, nempe quod Fratres habent animum præparatum ad dimittendas pecunias & alia bona, quæ retinent de Superiorum licentia. Hoc enim ut in plurimum verum non eſt; quia experientia docet oppoſitum. Nam modo & pluries Concilium, Summus Pontifex, atque alii Prælati præcipiunt, & præceperunt dimittere omnia in manibus Superiorum, & tamen dimittere & obedire renuunt atque reſiſtunt, & tot excuſationes admittunt, quod ſole clarius apparet, non habere nec habuiſſe animum præparatum ad relinquendum.

Nec ſufficit ad paupertatem petere licentiam a Prælato retinendi pecunias & alia bona, quam nunquam negat, immo nec negare audet; & ſi negaret, ſtatim oriretur inteſtinum bellum, aut ſeditio, vel ſaltem recurſus obſtinatus ad Superiores. Quæ omnia clare demonſtrant præfata ore dici, ſed corde non teneri.

D I S-

DISSERTATIO QUARTA,

IN QUA RELIGIOSORUM DEPOSITA particularia in examen vocantur, omneſque cavillationes communi vitæ infeſtæ, & peculiis faventes diſpelluntur.

PRÆLOQUIUM.

AD eam tandem delapſi ſumus argumenti tractationem, quæ cœteris facilior eſt, cum tota in cavillationum, quæ pro tuendis peculiis congeruntur, reſolutione occupetur. Placuit integram in hunc finem adornare diſſertationem, ne quidquam omnino eorum, quæ ab humana calliditate opponuntur, vel opponi poſſunt, indictum, relinquatur. Quanquam enim, ut pluries adnotavimus, una Theologi conveniunt in aſſerendo Communis vitæ præcepto, & in peculiis abſolute inſpectis proſcribendis; quoniam tamen in executione & juſta quandoque concedendi peculii occurrere cauſſa poteſt, & ſæpius fallentes cauſſæ aſſignantur, ideo omnia ſuo in lumine collocemus, & ab incertis certa ſeparemus oportet, alioquin in nihilum occideret ſermo noſter. Quare non prolixitatis vitio plurium hoc de argumento diſſertationum elucubratio, ſed exhauriendæ pro dignitate controverſiæ neceſsitati vertenda eſt. Neque hanc veniam a me obtentum iri diffido, cum lector ipſe viderit innumeras difficultates, inanes licet, quas ad offundendas veritati tenebras excogitavit avara cupiditas. Nulla etenim, mea quidem ſententia, eſt in tota Theologia majoris momenti controverſia, ex qua univerſa pendet Monaſtica diſciplina; & ex altera parte vix aliam reperire licet, tot obnoxiam cavillis, tot obſitam ſtrumis, latebriſque. Peculiorum praxis adeo invaluit, ut jam conſuetudinis larvam induerint, & licita eſſe cœperint, quia publica. Hinc ut omnia ſigillatim, & enucleate diluerentur, fuſiore ſermone opus fuit. Etſi enim quæ opponuntur vel opponi valent adeo levia ſunt, & imbecillia, ut ſe ipſis corruant, & ex dictis convulſa remaneant; tot tamen fucis liniuntur, ut minus peritis faceſſere negotium poſſint, niſi dearticulatim expendantur, & penitus convellantur. Agedum ergo ad rem accedamus.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De Regularium depoſitis. Horum vera depoſitorum notio. Prout in praxi pluribus in Monaſteriis vigent crimine proprietatis infecta ſunt; & ceu commentitia inventa votum paupertatis ea aſpernatur.

I. DEpoſiti nomine impræſentiarum pecuniæ illæ veniunt, quas Religioſi ſinguli in communi Monaſteriorum ærario deponunt propriis ſchedis obſignatas, numeratasque a tribus depoſitariis cuſtodiendas, hac potiſſimum partitione, ut abſque confuſione vel mixtione ſeparatæ aſſerventur. Hoc eſt præcipuum palliaſtrum, quod in peculiorum præſidium obtrudit ſapientia cupiditatis. Si perdoctus Theologus Jo: Baptiſta Gonet excogitatum benignæ probabilitatis, artem cum Deo cavillandi lepide appellavit, revera depoſitorum inventum, artem Deum deludendi potiore poſſumus jure appellare. Quæ enim major illuſio quam verba legis tenere, nihili pendendo Legislatoris conſilium? Fac quemquam extremam paupertatem hac lege imperare. *Pecuniam ne tangito*. Tu vero noxam omnem amotam putares, dum quis manus a nummis abſtineret ſuas, dextera vero & opera Miniſtrorum ad libitum uteretur. Quæ ratio ſi valeret, nihil Thetrarchis, nihil Regibus pauperius. Et quod in cauſſa noſtra magis feſtivum eſt, ac lepidum, depoſita utique Miniſtrorum clavibus cuſtodiuntur, minime vero eorum dextera, ſed propriis deponentium manibus expenduntur. Materialem illam in communi capſa aſſervationem pecuniarum ſatis ſuperque putant ad paupertatem Monaſticam obſervandam.

II. Porro ut hoc proprietatis velamen reſcindatur, certa ab incertis ſecernenda ſunt, & quæque in ſuo lumine collocanda. Itaque imprimis haud difficile conceſſerim Prælatum quandoque, perraro tamen, permittere poſſe ſubdito aliquid pecuniæ in communi depoſito ſervandæ ad breve tempus, in modica quantitate & ad uſum determinatum in eum finem, qui bonum Religionis commune inſpiciat, puta vel ad comparandos libros, quorum ope indiget Religioſus, qui ex ſuæ Religionis inſtituto ad ſtudia litterarum incumbere tenetur, vel ad ſacram aliquam habendam miſſionem, ad proximorum ſalutem procurandam. Depoſitum his definitum limitibus, ſi preſſe loquendum ſit, peculium minime vocari poteſt; ſed eſt prudens Apoſtolicæ Communitatis executio a Regulæ eam præcipientis primariæ intentioni conſentanea. Quoniam hæc mandat omnia diſtribuenda, prout cuique opus fuerit. Quare ſi aliquando contingit communem Bibliothecam neceſſariorum codicum penuriam

pati,

pati, Conventumque impotentem eſſe ad eorum emptionem, & libri illic non proſtent, pecunia Religioſo in hunc finem collata in communi depoſito ſervari poteſt, donec per publicum miniſtrum, ſeu officialem emptio librorum procurata fuerit. Neque hoc eſt peculium, de quo nunc ſermo eſt. Sicuti permittere peculium non dicuntur Religiones in propriis legibus egregie compoſitæ, & regularis obſervantiæ tenaces, dum Lectorum, Magiſtrorumque cubicula libris ad proprium officium neceſſariis inſtruunt. Quamquam, & in his ſumma cautela opus eſt ob ſummam facilitatem valde ultra procedendi. Plura enim, ſi ibi gradum ſiſterent, unde initium ſumunt, permitti poſſent, quæ ob graviſſimum in deteriora prolabendi periculum, permittenda nequaquam ſunt. Quamobrem cautius, ſecuriuſque ſe habebit Prælatus, ſi illico pecunias omnes phyſice conſundat, unaque ſubdito provideat non ſolum de neceſſariis ad victum, & veſtitum, ut cœteris ſodalibus, ſed de iis etiam, quorum ad ſuum officium in publicam utilitatem exercendum, indiget. Secundo admitto in Conventibus deformatis, ubi de neceſſariis ad victum & veſtitum, non providetur, poſſe evenire, taleſque occurrere circumſtantias, ut Religioſus aliquis (cur aliquis, & non plures ſuo loco infra videbis) licite, neceſſitate cogente, pro aliquo tempore, neceſſariiſque conditionibus ſervatis, habere queat depoſitum. Rarum tamen eſſe caſum excuſantem ſubdo, quoniam ſi ibi communis vita non ſervatur, ex quo neceſſitas peculii habendi conſequitur, pervia ſunt ejuſdem Religionis Monaſteria reformata, in quibus hæc Sancta Communitas ſervatur, & ad quæ tranſitus fieri poteſt, ſed de hoc infra.

III. Peculium itaque, quod noſtræ ſubjacet diſputationi illud maxime eſt, quod in Cœnobiis non paucis, in praxi viget, ſerpitque. Iſthic mentem ſuam animumque figat lector velim, ne huc atque illuc ſe transferens, ad metaphyſicas ſubtilitates, caſuſque a praxi abſtractos revocet controverſiam. Porro peculia ſeu depoſita, quæ in aliquibus laxioris diſciplinæ Religionibus ſerpunt, ejuſmodi ſunt. Imprimis nulla pecuniæ quantitate taxantur; ſed eo ſunt opulentiora, quo vel propitior ſors, vel ſagacior induſtria, vel opimiores reditus, vel talentorum major capacitas ad dignitates, graduſque aſſequendos, contribuunt. Secundo nullo præfiniuntur temporis ſpatio, ſed vitalitia ut ajunt permittuntur ad ultimum uſque vitæ ſuſpirium; niſi vel ludorum adverſa ſors, vel commoditatum, deliciarumque frequentior uſus, vel camerarum ædificia, apparatuſque ea abſumant, vel deponentis voluntas in uſus, ſive honeſtos & pios ſive vanos, ſive prout ſibi placuerit, diſtribuat. Tertio certo, & determinato uſui alligata minime ſunt, ſed ad quoſcunque eventus, uſuſque permittuntur, puta ad epiſtolas ſolvendas, ad itinera peragenda, ad morbos curandos, ad ſelectiores epulas, dum conventuales palato non ſapiunt, vel ſatietati non ſufficiunt, ad indumenta pretioſora, quorum pretio ſatis haud ſunt pecuniæ illæ annuales a Cœnobio numeratæ, quas *Veſtiarium* vocant, com-

Digitized by Google

paranda, ad ludos, quibus mens & ſpiritus recreatur, exercendos, ad honeſtas corporis oblectationes habendas. Hæc ſunt hodierna depoſita, quorum alicubi viget uſus. Adde in depoſito communiter pinguem pecuniæ ſummam reponi. Cœterum ad occurrentes in dies neceſſitates ſublevandas lateri ſemper hæret parva nummorum crumenula.

IV. Neque dicas quod atris ea depinxerim coloribus, quaſi eſſent fortuiti abuſus, quos ego ex depoſitis ceu propria conſectaria profluentia deſcripſi, quoniam non ſolum veram, ſinceramque eſſe deſcriptionem illam ſuſtineo, ſed modeſtiore ſtylo expreſſam, & pluribus, quæ ſilentio prætерire congruum judicavi, diminutam. Aſt nonne, inquis, Religioſorum plures depoſita ſua, nunc in erigendis aris, capelliſque Divorum cultui, nunc in Sacriſtiis ornandis, nunc in Bibliothecis optimis codicibus augendis expendunt? Quod poſtea quidam ad uſus minus honeſtos religioſoſque abutantur, in eorum malitiam, non in depoſitorum conſuetudinem refundendum eſt. In anteceſſum, quæ opponis, in ipſa deſcriptione propulſavi dicens depoſita illa tamdiu ſervari, donec deponentis voluntas in uſus, ſive honeſtos & pios, ſive vanos, & turpes, prout ſibi placuerit diſtribuat. Ultro admitto, Religioſorum quoſdam in pios ex ſe uſus depoſita ſua convertere, ſicuti & tu fateri adſtringeris, plures alios in uſus profanos ſtatui paupertatis repugnantes ea dilapidare. Sed hæc diverſitas ex deponentium indole & voluntate, cui in praxi fere nunquam efficaci conatu Prælatorum omnium contradicit voluntas, ortum ducit. Neque me fugit ex aliquo quorundam privatorum eventu, ſive bono, ſive malo, conſuetudinis notionem colligendam non eſſe. Sed dixi, iterumque repeto depoſita iſta taliter ſervari, ut in praxi diſtrahi poſſint, ſive in pios, & neceſsarios, ſive in ſuperfluos & vanos uſus: quoniam permittuntur nulla ſignato quantitatis limite, nulloque præfinito temporis ſpatio, & propria deponentium manu, prout ipſis libuerit, expenduntur. Quid ſi depoſita iſthæc in communi ærario peculiari ſigillo munita reponerentur? Quid ſi Prælatis vetitum eſset, de his ſubditorum pecuniis quidquam decernere, inconſultis & renuentibus ſubditis? Ut quid tum in communi ærario deponerentur? Forte, ut ſubditis occaſio auferatur pecunias illas omnes prodigendi? Forte, ut denato ſubdito, cœnobium ſecure nummos aſsequatur? Vera ſint hæc. At ſi vera forent, paupertatis votum in nihilum omnino occideret. Quoniam hac admiſsa hipotheſi Prælati nihil poteſtatis in depoſita obſignata haberent, ſubditi econtrario pro arbitrio valerent depoſitas pecunias extrahere, ſolo incommodo admonendi cuſtodes.

V. Nec eſt quod quiſquam reponat, laudata peculia, eo ipſo quod in communi depoſito collocata ſint, ſub dominio reſidere Prælatorum, inque illorum poteſtate eſse, cum cœteris Monaſterii bonis eadem confundere, & permiſcere; quod ad paupertatis eſsentiam ſartam tectam cuſtodiendam ſatis eſt. Eo enim fine pecunias ſuas in depoſito communi Religioſi

gioſi collocant; ut ſolidum exhibeant teſtimonium, ſe eaſdem conſtituere ſub libera, & plena Prælatorum facultate. Si vera hæc ſunt, quid eſt, quod Prælati ea peculia communia non efficiunt? Id namque præcipiunt canones, & Pontificia Decreta. Sed quomodo communia eadem reddere valent, ſi prohibitum illis eſt, vel reſerare obſignata peculia? jure ergo Theologi aſſerunt, quod pecunia in communi ærario depoſita ſit mera latebra proprietati quæſita, omnibus quæ in praxi occurrunt inſpectis. *Parum admodum*, inquit Petrus a S. Audom. (lib. 2. inſtit. cap. 20.) *refert, an apud ſe, an apud alium etiam Priorem ſuum habeant Religioſi, modo aliqua ratione ipſorum ſit*. Sed unus pro mille huic capiti Colophonem imponat velim B. Humbertus totius Ordinis Prædicatorum quintus Magiſter Generalis, qui depoſitorum ineptum commentum ſibi oppoſitum hoc pacto profligat in Com. ſuper Reg. D. Aug. (cap. 110.) *Propter hoc alii hæc inconvenientia declinare volentes faciunt aliter, ordinantes quod illud, quod datur fratri ſive in panno, ſive in pecunia, ſervetur eidem ſub communi cuſtodia, ita tamen quod alii nunquam detur. Sed hoc iterum eſt contra Regulam, quæ vult omnia eſſe communia, & infra dicit expreſſe, quod in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit præbeatur. Item hoc necaret ſpecie proprietatis. Ita enim proprietarius eſt ille, qui facit ſibi aliquid ab alio illicite ſervari, ſicuti ille, qui ſervat apud ſe*.

CAPUT SECUNDUM.

Secundum argumentum in favorem depoſitorum diſtinctione Dominii, & uſus nititur. Depoſita ſeu peculia ad uſum conceduntur revocabilem quocunque Dominio excluſo. Ideo licita videntur.

I. ETſi inter diſputandum non ſemel dilutum fuit propoſitum argumentum, iterum tamen ad incudem illud revocare lubet, ut offuciis omnibus, quibus obliniri ſolet, detractis, penitus convellamus. Diſtinctio dominii, & uſus, ſicuti ejuſdem uſus in uſum juris, & facti diviſi notiores ſunt, quam longiore egeant diſcuſſione. Extra aleam quoque eſt uſum facti, & non juris Regulares ſuorum habere peculiorum. Quod hoc in argumento æquivocationem & hallucinationem longe maximam conſtituit, inde potiſſimum ortum ducit, quod Doctorum non pauci quibuſdam ſcholaſticis tricis in morum regulis deſignandis explanandiſque plus juſto indulgentes, paupertatis votum ad metaphyſicam definitionem exigunt, & in ſola dominii abdicatione ſitum aſſerunt. Hinc anſam arripiunt imperiti, quarumcunque rerum uſum retinendi, quin paupertatis voto quidquam

Digitized by Google

præjudicii ſe inferre arbitrentur, dummodo dominium ſe non habere orali expreſſione confiteantur. Illuſio iſta eo progreſſa eſt, ut non ſolum inferioris ſubſellii Religioſi, quarumcumque rerum uſum ſibi licitum autument, ſed vel ipſi, qui Theologiæ Moralis Doctores audire ambiunt, typis cudere non erubuerint, Regulares auro, argento, margaritis, aliiſque pretioſis ad ſuperfluitatem uſque potiri valere, hoc ſolum pacto, quod non dominium civile, ſed uſum realem, revocabilemque habeant. Hallucinatio iſta craſſiſſima jam pluries eliſa eſt; nunc autem ad pleniorem illius confutationem obiter in mentem reducimus, quod ſæpius dictum eſt, ſolam nempe rerum dominii abdicationem ſufficientem haudquaquam eſſe pro explicita & practica Monaſticæ paupertatis exhibenda notione. Quoniam ſi, ſolo dominio rejecto, quicunque rerum uſus Religioſæ paupertati congruus eſſet, Regularium conditio reipſa non modo avarorum hominum, qui ſæpiuſcule ſuarum rerum uſu ſponte privantur, melior foret; ſed quorumque divitum ſortem, ſaltem quod ad cupiditatem pertinet, terrenis deliciis explendam æquaret. Itaque uſus rerum Regularium paupertati conſentaneus, explanandus, deſignanduſque eſt, ut vera & enuclenta Monaſticæ paupertatis notio appareat. Concilium Trident. de hocce uſu ſermonem inſtituens (§. 25. cap. 2.) hæc ſervari mandat. *Mobilium vero uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod ſit neceſſarium, eis denegetur.*

II. Porro quænam ſint ſuperflua & quænam neceſſaria, quorum uſum necne habere poſſint Regulares fuſius infra explanaturus ſum. Impræſentia, quoniam depoſitorum amatores in hac diſtinctiuncula uſus & dominii delicias faciunt, ſolum uſum prout dominio opponitur, in examen vocamus. Dico itaque non dominium tantum, ſed uſum etiam nullis coercitum limitibus Monaſticæ repugnare paupertati. Immo ſi duo hæc ſejungantur, nimirum conceſſio uſus ſine dominio, & dominii permiſſio abſque uſu, citra hæſitationem aſſero uſum hunc infeſtiorem eſſe paupertati præ ipſo dominio uſu deſtituto. Et ne quid exaggerationis ſuſpiceris, hæc tum a jure, tum ab experientia petita argumenta habeto. A jure quidem, in quo nullibi reperio liberum uſum pecuniarum, neque revocabilem impertiri poſſe a Prælatis nullo deſignato tempore, nullaque quantitatis limitatione impoſita; reperio vero dominium uſu ſuſpenſum cum paupertatis voto conjunctum, aſſociatumque. Quandoquidem, ut alias indicavi, nonne Religioſi inclytæ Societ. Jeſu, quos ſcholares vocant, expleto Noviriatus biennio paupertatis votum cum duobus aliis emittunt, & tamen bonorum, quæ in ſæculo habent, vel quæ hæreditario jure obtinere poſſunt, dominium uſu & adminiſtratione ſpoliatum retinent? Quod Privilegium eis indulſit Greg. XIII. in Bulla *Aſcendente*, qua Inſtitutum Societatis confirmat, & habetur in eorum Conſtitutionibus. (4. p. c. 4. §. 5. in declarat. lit. E & 6. cap. 2. §. 11.) Hujus dominii duo aſſignantur

Digitized by Google

tur in eadem Bulla effectus, quorum primus eſt, ut ſi contingat e Societate aliquos dimitti, bonis ſuis quorum retinuere dominium, uti valeant. Secundus, ut poſſint ante ultimam profeſſionem bona ſua in pios uſus erogare. *Interim*, ait Pontifex, *quantum ad illorum uſum Religioſam paupertatem ſervant, nec ulla re tamquam propria, & ſine Superioris facultate uti poſſunt*. Quamquam vero hoc civili dominio præditi ſunt, quia tamen ejuſdem uſu privati, exactiſſimam, ut cœteri ſolemni profeſſione conſecrati, communitatem ſervant, paupertatemque euangelicam excolunt, ut docent non modo Theologi Societatis, ſed communiter omnes. *Ex quo ſequitur* (inquit P. Franciſcus Schmalzgrueber ex Layman, par. 4. tit. 35. §. 1. n. 4.) *non eſſe de eſſentia paupertatis Religioſæ, ut dominio rerum temporalium privet, ſed tantum privet poteſtate utendi; itaut abſque Superioris conſenſu non poſſit ulla re uti, vel de re ulla diſponere, & illo volente tenearis etiam dominio ejus abdicare, ut bene advertit.* (Leſſius cap. 4. cit. n. 27.) *Rationem dat, quia talis etſi dominium rerum ſuarum retineat, idem tamen eſt, ac ſi non haberet; cum dominium rerum non æſtimetur, niſi propter uſum, & poteſtatem diſponendi, quæ eidem per paupertatis votum adimitur.* Aliud in hujus veritatis confirmationem profero documentum, quo Summus Pontifex anno 1659. adprobavit votum paupertatis conjunctum dominio, abſque tamen libero uſu, quod emittit quædam Religioſorum Congregatio in Hiſpania. Pontificiæ conſtitutionis verba refert PONTAS (ver. votum caſ. 28.) *In dicta Congregatione, dictiſque quatuor votis emiſſis, recepti, qui immobilia, vel beneficia obtinent, aut in futurum obtinebunt, ac poſſidebunt, licet dominium illorum omnium retineant, eorumdem tamen uſum liberum non habebunt, ita ut neque fructus de hujuſmodi bonis, vel beneficiis provenientes retinere, neque in proprios uſus ſine licentia Superioris, quicquam convertere poſſint.*

III. Ex jure igitur ipſo, magis uſum ſine dominio, quam dominium ſine uſu, paupertati obeſse colligimus. Quod evidentius liquet, ſi dominii, & uſus naturas & notiones penitius exploremus. Siquidem dominium civile, quid præſefert, niſi poteſtatem diſponendi de re, cujus quiſque dominus eſt? Hæc porro poteſtas, hæc facultas, ſi ab actu ſejungatur, arida, & ſterilis torpet, nihilque juvaminis vel periculi ſecum adſert, eo ferme modo, quo poteſtas revocandi depoſitorum uſum nihil cupiditati infert nocumenti, quamdiu in actum non erumpat. Fideicommiſſarii jus habent ad bona jure illo ſibi obvenientia: at ſi uſu deſtituuntur, niſi alia poſſideant bona, vitam trahunt pauperrimam. Matrimonialis contractus mutuum conjugibus in propria corpora dominium confert. Si hocce dominium ſecernatur ab uſu, quid extinguendæ concupiſcentiæ ſolaminis præſtat? Cum hocce dominio actu impedito caſtitatis votum fœdus init, uſui vero perpetuum bellum indicit. Sicuti ergo ridiculariam haberes caſtitatem illius, qui dominium uxoris marito linquit, uſu ſib

ſur-

Digitized by Google

uſurpato; ita proportionis gradu ſervato, ludicra futiliſque facienda eſt paupertas eorum, qui Monaſterio bonorum & pecuniarum dominium cedunt, ſibi vero uſum nullo in re diffinitum limite, reſervant.

IV. Et ne exemplis & ſimilitudinibus, quæ ſemper aliquantiſper claudicare ſolent, diſputationem peragere videamur, quæro: Eccur paupertatis votum tantopere quodlibet excludit dominium? Eccur paupertatis cultores ad ravim uſque inclamant: Nos cujuſque rei dominio privati ſumus: vel ipſum dominii nomen paupertas noſtra perhorreſcit? Eccur, inquam, paupertas & dominium tam vehementer pugnant? Poteſne aliud rationis præbere momentum, niſi quod ex dominio conſequitur uſus? Ergo paupertas, quæ dominium reſpuit, longius uſum repellit. Quandoquidem Monaſticæ paupertatis finis, & ſcopus eo ſpectat ut a terrenarum rerum cura expeditum, ſolutumque conſtituat animum. Porro uſus pecuniarum multo plus, quam dominium animum ſolicitudine premit, anxietate torquet, mentemque negotiorum obruit pondere. Non dominio, ſed uſu divitiarum cupiditas expletur, concupiſcentia nutritur, paſſioneſque omnes impinguantur. Ecquis, amabo te, cordatus Tutor irato pupillo uſum gladii permiſerit? qui prudens pater uſum depoſiti pecuniarum juveni filio conceſſerit, dominio ſibi retento? Nonne ex his omnibus luce meridiana clarius liquet, pecuniarum depoſita longe periculoſiora eſſe in adminiſtrationis, & uſus exercitio, quam in ſolius civilis dominii poteſtate? Ergo ſi votum paupertatis dominium rejicit, jure potiore uſum excludit, illo excepto, qui pro victu, & veſtitu de communi patrimonio ſubminiſtratur.

V. Sed fortaſſe quis reponet, vera hæc eſſe, ſi de uſu irrevocabili, & omnino libero, ſermo ſit, ſecus ſi de uſu, qui ad nutum Superioris revocari poſſit. Nullum velamen frequentius prætenditur abuſui proprietatis, quam voluntas Prælati valentis uſum conceſſi peculii revocare. At Concilia & Pontifices, non ſolum aſſerunt Prælatos poſſe revocare uſum conceſſum, ſed imperant, ut reipſa eumdem revocent. Quid quæſo confert ad veræ paupertatis Monaſticæ obſervantiam hæc Prælatorum poteſtas, ſi ſemper otioſa ſubſiſtit, ſi nunquam erumpit in actum? Numquid uſus gladii, quia revocari poteſt, periculo minime foret homini irato? Numquid auri argentique uſus juvenibus haud erit malorum occaſio, quod revocari poſſit? Revocabilis eſt pecuniæ depoſitæ uſus? Cur quæſo non revocatur? cur pecunia illa in rem communem non redigitur? Verum plura de hoc infra dicturi ſumus. Magis ergo pecuniarum uſus ſine dominio, quam dominium ſine uſu repugnat paupertati Monaſticæ. Colophonem itaque huic capiti imponere lubet auctoritate Dionyſii Carthuſiani, quæ mirum in modum omnia a nobis dicta confirmat. (Lib. de Ref. Clauſtr. cap. 16.) ubi ex Theodorico de Monaſterio evincit pecuniarum uſum magis adverſari paupertatis voto, quam ipſum dominium civile ab uſu ſecretum.

VI. In-

Digitized by Google

VI. *Inſuper*, ait Carthuſianus, *probat hic Doctor* (Theodoricus) *quod magis nocet Religioſo habere uſum peculii ſine proprietate, quam habere proprietatem ſine uſu. Proprietas namque in ſe non eſt peccatum, nec ad peccandum inducit, niſi per uſum rei. Ejus exemplum eſt quod puero, vel furioſo non noceret proprium habere cultellum, dummodo non haberet libertatem, & facultatem utendi illo cultello. Sed habere libertatem utendi ad placitum communi cultello, eſſet furioſo, ſeu puero valde periculoſum. Quemadmodum ergo ſtultum & deriſibile eſſet, ſi quis Paterfamilias prohiberet filio ſuo habere proprium cultellum, ne cum illo ſe læderet; nihilominus daret illi licentiam utendi ad placitum communi cultello domus. Sic ſtultum videtur & deriſibile, ſi pater Spiritualis filio ſuo ſpirituali prohibeat poſſidere aliquod proprium, & nihilominus aſſignet ei aliquam portionem de communibus bonis Conventus, concedatque uſum illius portionis. Quia libertas utendi illa portione eſt ſibi magis periculoſa, quam eſſet ei proprietas ejuſdem portionis ſine utendi licentia. Quoniam uſus peculii, propter quem vitandum SS. Patres prohibuerunt proprietatem, eſt propinquior libertati utendi, quam proprietas poſſidendi. Immo quantum ad progreſſum de malo in malum parum aut nihil refert an habeatur uſus ſine proprietate, vel cum proprietate. Præterea quod amplius eſt, facile eſt conſiderare quod Monachi habentes peculium ſæpe immoderantius illo utantur quam ſæculares & conjugati propriis rebus. Conjugati ſiquidem ob curam ſtatui ſuo annexam rebus ſuis frequenter ſatis moderate multumque parce utuntur, Monachi vero habentes peculium, quia hujuſmodi cura & onere non gravantur, nec quod reſtat eis, in hæreditatem ſuis relinquere poſſunt, rebus ſibi conceſſis valde multoties immoderate prorſus utuntur.* Hæc omnia compertiſſima ſunt.

CAPUT TERTIUM.

Diluitur tertium argumentum Prælatorum diſpenſatione, ſeu licentia nixum, quod in depoſitorum favorem produci ſolet.

I. OMnium errorum maximus, quo Religioſi in depoſitorum abuſu irretiti tenentur, ſpecioſo linitur diſpenſationis, ſive licentiæ Abbatialis fuco. Et eo eſt aberrandi familiarior occaſio, quo difficilior eſt juſta diſpenſationis executio, & ratio. Siquidem diſpenſatio legis cum juſtitiæ, tum prudentiæ, quæ rara virtus eſt, adſcribitur. Diſpenſator enim arbiter quodammodo ſubditum inter, & legem ſedet, qui judicii ſui non ſolam legem, ut merus judex, ſed plurium circumſtantiarum cumulum, ceu regulam intuetur. Quod conſummatam maturitatem, acre acumen, ex-

exquiſitum judicium, animi rectitudinem, conſcientiæ puritatem, zelum & communis boni penetrationem requirit. Hinc graviſſimam difficultatem reperiendi fidelem diſpenſatorem expreſſit Chriſtus apud Lucam (c. 12. v. 42.) *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Quare altius repetendæ ſunt diſpenſationis regulæ & cuncta preſſius enucleanda. Et ne in ipſis vocibus ludamus, miſſo diſcrimine ſi quod eſt, diſpenſationem inter, & licentiam, utramque pro eodem nunc uſurpamus.

II. Nihil tum in Regulis Monachalibus, tum in Pontificum Decretis frequentius habetur, quam Regulares bonorum uſum abſque licentia Superiorum habere minime poſſe, contra vero de eorum licentia. Quamobrem primum videndum eſt, quatenus in hoc voto paupertatis Prælatorum poteſtas progredi valeat, ſphæta citra quam coerceatur manifeſtanda, & limites ultra quos divagari nequeat, deſignandi ſunt. Quod, ut præſtemus, notio paupertatis Monaſticæ memoria recolenda venit. Porro paupertas hæc omnium bonorum commune habet dominium, & nihil peculiare jure aliquo ſibi vendicat. Ex hocce communi dominio, conſecutione neceſſaria communis eorundem bonorum uſus evadit, ut duabus integris primis diſſertationibus oſtenſum eſt. Quapropter Regulæ omnes tam frequenter præcipiunt: *Sint vobis omnia communia. Non dicatis aliquid proprium*, & ſimilia. Quomodo autem ejuſmodi mandata cum poteſtate, quam ipſæmet Regulæ Superioribus donant concedendi ſubditis ſuis bonorum uſum, copulari valeant brevi verbo adaperio. Diſtributio æconomica horum communium bonorum poteſtati ſubditur Prælatorum, ita ut Regulares neque de his communibus bonis quicquam accipere, vel retinere queant, Superiorum licentia non concurrente. Omnia bona prius communia conſtituenda ſunt, deinde Superiorum facultate juxta cujuſque indigentiam diſtribuenda. Prudens igitur communium bonorum partitio, eorundem ad tempus denegatio vel conceſſio, major vel minor uni, præ alio, diſtributio, prout expediens viſum fuerit, limites ſunt, quibus in paupertatis Monaſticæ voto tota circumſcribitur Prælatorum poteſtas. Intra hos terminos clauditur, extra nequit exire. Intra hanc ſphæram conſiſtat neceſſum eſt. Quapropter pecuniarum particularia depoſita, quoniam communia non ſunt, haudquaquam ſubduntur Prælatorum legitimæ poteſtati. Hinc liquet craſſiſſima deceptio, & vana illuſio eorum, qui ut depoſitorum abuſum cum paupertatis voto conſocient, licentiam Superiorum ceu validiſſimum ſcutum, quod revera eſt umbratilis chimæra, jactant.

III. Vera, inquis, ſunt hæc omnia, ſi legis rigorem & obligationem inſpiciamus. At caſus præter legem contingunt ſæpe, in quibus Superiores legis rigorem, vel temperare, vel interpretari valent. Idcirco videndum ſupereſt an Prælati ab hac, quam expoſuimus lege, diſpenſare quandoque poſſint, ſeu licentiam ſubditis impertiri, qua peculia, ſeu depo-

ſita

ſita licite retineant, quod eſt præſentis controverſiæ præcipuum punctum.

IV. Ut hanc difficultatem funditus exhauriamus, ſit primum firmumque principium, legem quamlibet & præceptum quodcunque communem ſubditorum felicitatem adſpectare. Hoc docet Angelicus Doctor. (1. 2. q. 190. art. 2.) *Unde oportet quod cum lex maxime dicatur ſecundum ordinem ad bonum commune, & ideo omnis lex ad bonum commune ordinatur.*

V. Porro (q. 96. art. 4.) ſtatuit verba legis adamuſſim ſervanda eſſe; niſi communis boni periculum immineat. *Reſpondeo dicendum quod ſicut ſupra dictum eſt, omnis lex ordinatur ad communem hominum ſalutem. Contingit autem multoties quod aliquid obſervari communi ſaluti eſt utile & in pluribus, quod tamen in aliquibus caſibus eſt maxime nocivum. Quia igitur Legiſlator non poteſt omnes ſingulares caſus intueri, proponit legem ſecundum ea, quæ in pluribus accidunt ferens intentionem ſuam ad communem utilitatem. Unde ſi emergat caſus, in quo obſervatio talis legis ſit damnoſa communi ſaluti, non eſt obſervanda.*

VI. Ne autem hinc anſam ſibi quiſque arriperet pro libitu verba legis interpretanda, ſtatim ſubdit ad quemlibet minime pertinere legis interpretationem, ſed ad Superiorem dumtaxat, cui boni communis conſervatio concredita eſt. *Sed tamen hoc eſt conſiderandum, quod ſi obſervatio legis ſecundum verba non habeat ſubitum periculum, cui oporteat ſtatim occurri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretetur quid ſit utile Civitati, ſed hoc ſolum pertinet ad Principes, qui propter hujuſmodi caſus habent authoritatem diſpenſandi. Si vero ſit ſubitum periculum non patiens tantam moram, ut ad Superiorem recurri poſſit, ipſa neceſſitas non ſubditur legi.*

VII. Hæc licet aliquantulum remotiora, referre pretium operæ exiſtimavi, ut viam mihi ſternerem ad ſolidiorem propoſitæ difficultatis ſolutionem. His igitur per modum proludii delibatis cum eodem Angelico regulam infallibilem exhibeo qua prudens & fidelis diſpenſatio ab imprudenti relaxatione, & culpabili legis diſſipatione ſecernatur. Hæc porro eſt major communis boni utilitas & profectus. Si ex receſſu a legis rigore, conſequitur proximior acceſſus ad communem felicitatem, & bonum commune promovetur ulterius, fidelis & prudens eſt diſpenſatio. Si bonum commune præjudicium ſubit, imprudens & culpabilis eſt legis tranſgreſſio. Id docet Angelicus loco laudato (q. 97. art. 4.) *Dicendum quod diſpenſatio proprie importat commenſurationem alicujus communis ad ſingula .... Si autem abſque hac ratione pro ſola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem ſi non habet intentionem ad Bonum Commune; imprudens autem ſi rationem diſpenſandi ignorat.*

VIII. Idem repetit in reſponſione ad primum. *Quando cum aliquo diſ-*

penſatur, ut legem communem non ſervet, non debet fieri in præjuditium boni communis, ſed ea intentione ut ad Bonum Commune proficiat.

IX. Duo ſumma animadverſione digna ſtatuit Angelicus. Primum ſi diſpenſator vel prava intentione a præcipuo legis fine deflectit, vel culpabili omiſſione boni communis incrementum negligit; infidelitatis notam contrahit. *Infidelis quidem, ſi non habeat intentionem ad bonum commune.* Si autem juſtam diſpenſandi rationem ignorat, imprudentiæ reus habetur; *Imprudens autem, ſi rationem diſpenſandi ignorat.*

X. Agedum. Pecuniarum depoſita peculiari ſyngrapha obſignata cum univerſa Religionis felicitare conferto; propterea ut inde majoris boni incrementum colligere valeas. Quis vel tam anguſtæ mentis ne primo aſpectu extremam communis boni jacturam illinc emanare percipiat? vel tantæ animoſitatis, ut defendere audeat depoſita iſta communem augere felicitatem, caritatis fervorem accendere, mutuam fovere amicitiam, pacis fœdera firmare, atque Divinæ illius pacis, & concordiæ vincula obſtringere, ex quibus omnibus univerſa Religioſorum perfectio conſurgir? Nonne oppoſitum apparet, ubi peculiorum ſerpit abuſus? Id ecce clarius demonſtravi (Diſſertat. 2. cap. 10.) ubi malorum tum temporalium, tum ſpiritualium, quæ neceſſaria conſecutione ex peculiis profluunt, illiadem contexui, ideo, ne eadem retractem, miſſa facio, & hoc pacto argumentationem inſtauto,

XI. Omnis diſpenſatio, quæ progreſſionem boni & felicitatis communis augmentum, & conſervationem non intendit, ejuſque præjuditium & jacturam evitare non ſatagit, legis diſſipatio, miniſterii prævaricatio, & poteſtaris collatæ iniqua adminiſtratio dicenda eſt, minime vero diſpenſatio, Atqui depoſitorum diſpenſationes, ſeu licentiæ, quæ paſſim impertiuntur, haudquaquam in boni communis frugem, progreſſumque conducunt, ſed deplorabilem illius ruinam parturiunt. Ergo peculia ſive depoſita harum diſpenſationum fuco illita; voto paupertatis adverſantur, & proprietatis fuligine aſperſa exiſtunt. Primam propoſitionem in terminis, ut ajunt, docet D. Thomas, docentque omnes ad unum Theologi. Secunda maniſeſtiſſima experientia, quæ mille prævalet argumentis, liquet. Illatio vero neceſſaria, & ineluctabilis eſt.

XII. Quæ tamen omnia Conciliorum Pontificumque Decretis roborantur (Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 18. de Reform.) hæc ſtatuit. *Sicut publice expedit legis vinculum quandoque relaxare ut plenius evenientibus caſibus & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat; ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius quam certo perſonarum, rerumque delectu petentibus indulgere, nihil aliud eſt quam unicuique ad leges tranſgrediendas adytum aperire. Quapropter ſciant univerſi ſacratiſſimos canones exacte ab hominibus, & quoad ejus fieri poterit indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtu-*

Digitized by Google

poſtulaverit cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſſa cognita ac ſumma maturitate præſtandum erit, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur. Et quia has diſpenſationes paſſim in Monaſteriis pluribus impertiri conſpexere Pontifices, nulla ad bonum commune habita ratione, decreta ediderunt, quibus Superioribus omnibus facultatem concedendi peculia ſeu depoſita penitus adimunt, & ſubditos admonent, ne Superioribus aſſeverantibus, ſe poteſtate diſpenſandi ſuper peculiorum uſu pollere, fidem ullam habeant. Audi Clementem VIII. *Nulla quorumcunque Superiorum diſpenſatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia vel mobilia fratres excuſare poſſit quominus culpæ, & pœnæ ab eiuſdem Concilii Tridentini Decretis impoſitæ ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint. Etiamſi Superiores aſſeverent ſe hujuſmodi diſpenſationes, aut licentias concedere poſſe, quibus ea in re fidem minime adhiberi volumus*.

XIII. Hanc Clementis declarationem plura Concilia Provincialia, & omnes ſucceſſores Pontifices inſtaurarunt, confirmaruntque, ut ex prima diſſertatione liquido conſtat. Sed macte animo, & alio ſub lumine argumentum iſtud verſemus. Si diſpenſationes Prælatorum ſatis forent pro licito peculiorum uſu, quid paupertatis votum valeret? Religioſi in præfecturis ſibi invicem ſuccedunt quoto biennio, vel triennio, & tacito conſenſu clamant: hodie mihi, cras tibi. Nemo unus peculiorum uſum denegat, ne ſibi viciſſim denegetur. Proinde ultro citroque funem texunt proprietatis. Quod, ut evidentius liqueat, animadvertas ſerio velim immane paralogiſmum. Ut peculia licita propugnent ad diſpenſationis & licentiæ ſcutum confugiunt clamantque: Nonne ſummæ paupertatis eſt nihil retinere poſſe Superiore repugnante, & omnia ad nutum Superioris habere? Dum iſta audis aliqualem paupertatis ideam videre tibi videris. Verum ſi ad criſim hujuſmodi licentiæ & diſpenſationis indolem revoces, vana paupertatis umbra in fumum illico abit. Quandoquidem, ut hanc aſſequaris licentiam quid tibi opus eſt? Ut eam profunda humilitate efflagites? minime gentium. Sed ſatis eſt, ut interpreteris, ut præſumas tibi conceſſum iri, ſi peteres. Non enim expreſſa requiritur, ſed tacita vel interpretativa, vel præſumta licentia ſufficit. Iſthic animum mentemque ſiſte. Tacitam vel præſumtam licentiam ſufficere ultro admittimus in iis omnibus, quæ diſpenſationi obnoxia ſunt, ſi ſolida prudentis præſumptionis momenta occurrunt, puta urgens neceſſitas, periculum in mora, adeundi Superiorem impotentia, idque genus alia. Quodnam autem hujus tacitæ præſumtæque peculiorum licentiæ & diſpenſationis, quam iſti obtrudunt, fundamentum? Non aliud profecto, niſi quod mos eſt, ut in Monaſteriis deformatis peculia ſeu depoſita permittantur, quia iis in locis talis conſuetudo obtinet. Optime ſane. Licentia ergo & diſpenſatio præſumitur, quoniam mos eſt, & conſuetudo talis obtinet? Ecquid, amabo te, ſignificat licentiæ conceſſionem in conſuetu-

dinem demigraſſe, niſi quod licentiæ petitio non requiritur? Enimvero quæ beneficio conſuetudinis nobis obveniunt, jure, non gratuita licentia nobis debentur.

XIV. Quibus poſitis, hanc efformo demonſtrationem ineluctabilem. Peculia abſque licentia Superioris, omnibus fatentibus, proprietatis tabe marceſcunt, hæc licentia in Monaſteriis laxioris diſciplinæ amplius non exigitur, quia omiſſio petitionis reſpectu ſubditorum, & actus conceſſionis reſpectu Prælatorum in conſuetudinem tranſiit. Ergo ex ore eorum depoſita ſua, crimine proprietatis infecta ſunt. Quam demonſtrationem aliis terminis exprimere poſſumus. Eſſentia voti paupertatis, utpote juris Divini contrariæ conſuetudini nullo modo ſubjacet. Si conceſſio licentiæ peculia retinendi in conſuetudinem abiit, neceſſaria conſecutione infertur votum ipſum paupertatis contrariæ conſuetudini ſubjacere, ejuſque eſſentiam penitus deſtrui. Quandoquidem voti natura non componitur cum peculiis ſine licentia. Ergo quoties conceſſio licentiæ & omiſſio petendi licentiam in conſuetudinis privilegium tranſierunt, neceſſario conſequitur, ipſum paupertatis votum in deſuetudinem deveniſſe.

XV. Nullus dubito, quin, ut quoquomodo vim argumenti eleves repoſiturus ſis, licentiæ conceſſionem in conſuetudinem non demigraſſe. Sed præterquam quod id jam conceſſeris, & Authores peculiorum fautores ſcripto concedunt, ut iterum ad eandem conceſſionem te urgentiſſime cogam, ad ipſius experientiæ tribunal appello. Experientia publica conſtat in Cœnobiis deformatis ſubditos indiſcriminatim pecunias ſuas expendere in quoslibet uſus, etiam in alearum ludum. Qua licentia? Non actuali. Qua ergo? Generali, tacita, & præſumta. Eccur præſumitur hujuſmodi generalis licentia, non pro aliquo Religioſo, ſed æque pro omnibus, non pro urgenti neceſſitate, & extraordinario eventu, ſed in omni eventu, uſuque, nullo habito temporis, vel perſonæ, vel neceſſitatis reſpectu? Eccur in Cœnobiis, in quibus vita communis viget, hæc licentia præſumta pro omnibus Religioſis & pro quolibet eventu temeraria, erronea & culpabilis foret in omnium Theologorum ſententia? Eccur ergo apud illos prudens? cur valida? cur licita? Quia apud eos conſuetudo inolevit permittendi peculia. Nullum aliud hujus præſumptæ licentiæ fundamentum aſſignabunt, ſicut neque ipſi Theologi benigniores aliud excogitare unquam potuerunt. Conſiſtit itaque ineluctabilis demonſtratio facta, votum nempe paupertatis iis in Cœnobiis peſſumdari, in quibus licentiarum conceſſiones abierunt in conſuetudinem. Quandoquidem concedendæ licentiæ conſuetudo hunc producit effectum, videlicet abrogare debitum petendi eandem licentiam. Porro hoc abrogato, ipſum paupertatis votum corruat, deſtruatur, aboleatur neceſſum eſt. Itaque etiam atque etiam inclament, ſe omnia cum licentia Prælatorum habere, ſemper verum erit hanc licentiam reapſe verbalem eſſe, commentitiam nullam, ob unam, vel alteram rationem ex pluribus, quas aſſignavi. Nullam ex jure Pontificio facultatem.

Digitized by Google

tem illam concedendi Prælatis adimente: Nullam ex ejus oppoſitione ad bonum commune: Nullam denique ex jure conſuetudinis gratiam conceſſionis, & debitum petitionis abrogante. Quod ſi poſtremo reponunt hanc non eſſe conſuetudinem, ſed abuſum & corruptelam, uti revera eſt, amplius tum urget argumentum.

XVI. Cedo mihi ſodes. Quid ſacrorum ordinum inſtitutores, quid Conciliorum Canones, quid Pontifices omnes tanta prohibuiſſent ſeveritate peculiorum depoſita, ſi arbitraria Superiorum licentia licita fieri poſſent? Quid illæ pœnæ ſeveriſſimæ? Quid olim Aſini ſepultura plectebatur, qui vel paucos nummos habere repertus fuiſſet? Quod clanculum, & inſcio Prælato tunc habebantur. Occultus pecuniarum uſus tunc ſeveriſſimas perſolvebat pœnas; & nunc impunis evadit quod egreditur in publicum? Paucorum ſummam nummorum non ſolum veteres, ſed & recentes leges excommunicatione, ſterquilinio, aliiſque ſuppliciis mulctant clandeſtine retentam. Et deinde tanta aureorum ſumma, & tot cenſuum proventus, & tot inhabitationis cubicula, quæ catholicis ſcandalo, hæreticis ludibrio ſunt, licita erunt, dummodo omnia ob oculos verſentur Prælatorum? Et ubinam gentium ſumus, ut has vanas leges, ut hoſce inſanientes legislatores ſuſpicemur, qui publicitus concedant, quæ occulte dedecent? Dic mihi, arguit alicubi Chryſoſtomus, ſi quis adulterium clanculum perpetraret, alius vero etiam vidente viro illud faceret, uter virum hunc magis contriſtaret? Nonne ſecundus? Tu vero impunitatem Monaſticis peculiis ſpondes, quod medio in foro, quod in publicis alearum ludis reſonant, quia cum publice habentur, licentiæ beneficio & diſpenſationis privilegio licita evadunt? Veritatem tandem obtrudis, quæ amariſſimas lacrymas excuſſit ex oculis D. Cypriani exclamantis epiſtola ad Donatum. *Homicidium cum admittunt ſinguli, crimen eſt, virtus vocatur cum publice geritur. Conſenſere jura peccatis, & cœpit licitum eſſe, quod publicum eſt.*

XVII. Ex his omnibus liquet ad evidentiam depoſita prout nunc in cœnobiis non paucis ſerpunt, ſolemnem paupertatis Monaſticæ profeſſionem violare, atque adeo tum Prælatos concedentes, neceſſitatis cauſſa ſublata, tum ſubditos utentes in maximo æternæ damnationis periculo verſari. Quare Prælatos alloqui fas eſt cum D. Thoma (*2. 2. q. 88. art. 12.*) *Prælatus in Eccleſia gerit vicem Dei. Et ideo in commutatione vel diſpenſatione votorum requiritur Prælati auctoritas, qui in perſona Dei determinat, quid ſit Deo acceptum, ſecundum illud* (2. ad Corinth. 2.) *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti. Et ſignanter dicit propter vos, quia omnis diſpenſatio petita a Prælato debet fieri ad honorem Chriſti, in cujus perſona diſpenſat, vel ad utilitatem Eccleſiæ quæ eſt ejus corpus.*

XVIII. D. Bernardus de Conſideratione ad Eugenium (lib. 2. cap. 4.) *Non ſum tam rudis, ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædifica-*

catio-

Digitized by Google

tationem, non in deſtructionem, Denique quæritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt, ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. (Et lib. de diſpenſ. & præcepto cap. 5.) *Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi, nec plus exigat quam promiſi. Vota mea non augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate: neceſſitas quippe non habet legem.* (Et cap. 2. ejuſdem libri.) *Nunquid autem hoc dico vel ſolus ſentio, vel primus dico? An non hoc ipſummet & Papa Gelaſius ſentit? ait ſiquidem ubi neceſſitas non eſt, inconvertibilia manent Sanctorum Patrum Decreta. Leo quoque Papa, ubi, inquit, neceſſitas non eſt, nullo modo Sanctorum Patrum conſtituta violentur.*

XIX. Innumeros tum Patres tum Theologos referre poſſem, ſed brevitatis ergo duos dumtaxat inſignes Ordinis Prædicatorum Theologos laudabo, quorum primus ſit Johannes de Turre Cremata in Regulam S. Benedicti (cap. 4.) *Excuſatio ſeu defenſio Religioſi ſuper uſum multarum rerum, quas poſſidet ſine rationabili cauſſa, utpote veſtes præter neceſſitatem, libros, jocalia, & ſimilia dicens, ſe habere licentiam Prælatorum, nulla eſt, quia ex cap. Cum ad Monaſt. Superior hanc facultatem facere nequit.*

XX. Johannes Nyder (tract. de reform. 1. p. cap. 9.) hoc axiomate hanc ſigillat materiam. *Apud multos igitur veritatem obtinet iſta definitio. Diſpenſare eſt cum licentia ad infernum intrare.*

CAPUT QUARTUM.

Quartum diluitur argumentum a conſuetudinis lege petitum.

I. Depoſitorum uſus atque peculiorum a natis Monachis invaluit, neque in una, aut altera Religione pedem ſiſtit, ſed per omnes fere divagatur. Prælati vident ſilentque, Epiſcopi, Pontifices, Eccleſia univerſa haud ignorat Monachorum depoſita, cenſus proventuſque. Innumeri propemodum Religioſi bona fide, conſcientia placida æquabili animo ſua retinent peculia, honeſtis oblectationibus, ludiſque recreantur, ut vitam ducant blandiorem. Ea itaque omnia concurrunt, quæ ad veram requiruntur conſuetudinem, conſenſus ſcilicet expreſſus multitudinis, & tacitus Superioris, & legitima præſcriptio. Porro conſuetudo vera, & vim legis obtinet, & contrariam abrogat. Hoc eſt unum ex præcipuis argumentis, cui innituntur peculiorum poſſeſſores. Ego vero, luce meridia-

Digitized by Google

diana clarius evincam hanc eſſe omnium illuſionum maximam, qua occæcati tenentur.

II. Et quoniam nil unquam antiquius legum contemptoribus, quam abuſibus, corruptelíſque ementitam conſuetudinis imaginem affingere: Hanc porro conſuetudinem non a bonis, ut lex quæque jubet, ſed a devia multitudine arceſſunt. Quod a pluribus fieri conſpiciunt, id pro conſuetudinis jure obtrudunt: Et quoniam id maximi mali humanæ res habent, ut meliora paucis arrideant, idcirco ex privatis multorum vitiis publicus conſurgit error, qui temporis diuturnitate jus obtinet conſuetudinis apud vulgus. Minime iſti advertunt, quod prava morum conſuetudo veluti quædam publica peſtis eſt, in qua non minus pereunt, qui in turba cadunt. Sed recogitare ſaltem deberent, ſerioque expendere, quod ſi pauci reperiuntur, qui ignoratione omnino innocenti peccant, nemo eſt, qui ſalvus fiat eorum, qui apertæ veritatis lumini pervicaciter ſcienterque reſiſtunt. Cæterum, ut propius ad rem, qua de agimus oratio accedat, niſi certos figamus limites, citra quos conſuetudo ſubſidat, & extra tranſilire nequeat, nil erit tam ſanctum quod non violetur, nihil tam firmum, quod non quatiatur. Genuina igitur conſuetudinis effigies vivis coloribus depingenda eſt, ut ad ejus conſpectum horrida abuſuum corruptelarumque larva evidentior appareat. Plures ad veram conſuetudinem conditiones exigunt & Juriſtæ, & Theologi, quarum prima eſt, quod ſit rationabilis. Secunda quod publicam non turbet felicitatem, neque communi utilitati repugnet. Tertia, quæ occaſionem, periculumque peccandi non invehat. Quarta, quod actibus ex animo ſe ſe obligandi vel contrariam legem abrogandi producatur. Quinta, quod legitimo tempore præſcribatur. Sexta tandem quod conſenſus vel non repugnantia Superioris accedat. Hanc conſuetudinem generatim expoſitam triplicem eſſe ajunt: ſecundum legem; præter legem, & contra legem. De hac poſtremo nobis ſermo eſt. Leges autem multiplicis generis cum ſint, non omnes conſuetudini ſubjacent, quippe quæ naturalis vel divini juris ſunt, ſupra conſuetudinem conſiſtunt, affirmantque omnes contra legem ſive naturalem, ſive Divinam conſuetudinem nullo modo prævalere; legem vero humanam cum Civilem, tum Canonicam contraria conſuetudine antiquari poſſe. Hæc omnia extra diſputationis aleam exiſtunt.

III. Ut recto ſervato ordine hæc omnia diſcutiamus, videndum in primis eſt, an lex peculia vetans conſuetudini ſubdatur; deinde an uſus peculiorum conditiones ad veram conſuetudinem conſtituendam neceſſarias habeat, vel habere poſſit. Duo itaque impræſentia demonſtrabo. Primum contra legem peculia prohibentem nullam prævalere poſſe conſuetudinem. Secundum hac prævalentia, ut ſic loquamur, gratis admiſſa, omnes deficere conditiones ad legitimam conſuetudinem neceſſarias. Quæ duo ſi præſtitero, nullus dubito, quin objecta difficultas undiqueverſum convulſa remaneat.

IV. Por-

Digitized by Google

IV. Porro ut a primo auſpicemur, paupertatis Monaſticæ ideam ob oculos revocemus oportet. Duplicem illius notionem exhibuimus Diſſertatione prima cap. 11. quarum prima eſt, votum paupertatis Regularium communem vitam peculiorum expertem ſuapte natura involvere, quam communitatem expreſſe in Ordine Præd. profiteri, non tam præcipiunt, quam pro certo habent ejuſdem ordinis Conſtitutiones (diſt. 1. cap. 13. Textu 11.) *Verumtamen antequam ſtabilitatem, & communem vitam promittant &c.* Altera eſt communitatem hanc, licet ipſius voti eſſentiæ extimam & adventitiam, præcipi tamen a jure tum Monaſtico, tum Canonico, ceu medium moraliter in praxi neceſſarium ad ejuſdem voti obſervationem. Quod alterutram harum definitionum acceperis, nil inde in favorem conſuetudinis contra legem eruis. Si primam jam patet Communitatem peculia reſpuentem nullo modo conſuetudini obnoxiam eſſe, quoniam juris Divini eſt, quemadmodum votum, cujus eſſentiam ingreditur. Si ſecundam, perinde cauſſa cadis. Quod ut magis, magiſque eluceat, duplicis generis præcepta diſtinguo. Alia abſoluta voco, cujuſmodi ſunt jejunandi, deferendi talem veſtem, non ludendi, aliaque id genus innumera. Hæc quoniam a jure mere humano proficiſcuntur, per conſuetudinem contrariam abrogari poſſe ultro concedo. Alia relativa appello, quæ nempe imponuntur tanquam inſtrumenta proxima, & in praxi neceſſaria ad aliquam legem ſervandam. Si lex ipſa præſcribi nequit, nec medium cum ea moraliter connexum. Quibus poſitis ſic diſſero. Votum paupertatis Religioſæ, juris Divini eſt. Ad hujus voti obſervantiam Communitatem peculii vacuam præcipiunt omnes ſacrorum Ordinum Inſtitutores, omnes Regulæ Monachales, & ipſum Jus Canonicum, ceu medium in morali ac practica acceptione ita neceſſarium, ut ſine eo vix, ac ne vix quidem votum paupertatis Monaſticæ conſiſtat. Et profecto ſi abſque tali Communitate ſalva conſiſteret voti natura, nihil tanti fuiſſet, ut omnes ſacrorum Ordinum Patriarchæ tanta ſeveritate, totque inflictis pœnis eandem præciperent. Ergo, ut votum paupertatis nulli ſubditur conſuetudinis, ita neque ipſa communitatis lex peculia vetans quacunque conſuetudine abrogari poteſt. Itaque etſi præceptum contra peculium a mero emanaret humano jure, quia tamen ſine hujuſmodi præcepti obſervatione jus Divinum in ſolemni paupertatis Monaſticæ voto imbibitum, difficillime conſiſtit; iccirco nulli contrariæ conſuetudini obnoxium eſſe poteſt, ſicut nec votum ipſummet. Nec eſt quod cavilleris eſſentiam ab ſuis adventitiis nullatenus pendere; quoniam hoc verum eſt in metaphyſica abſtractione; cœterum quæ in morali acceptione connexa invicem ſunt, uno deficiente, corruat & alterum neceſſe eſt, ut experientia, & omnium Doctorum conſenſu liquet. Ergo depoſitorum ſive peculiorum uſus, qui in praxi hac tempeſtate ſerpit, nullo conſuetudinis fuco liniri poteſt, ſed tamquam culpabilis abuſus & exitialis coruptela ditis devoveri debet. Hæc prima oppoſiti argumenti confutatio ineluctabilis, mea quidem ſententia, videtur.

V. Age

Digitized by Google

V. Age vero. Ut ut res iſta ſe ſe habeat: ſive præceptum hoc cum Divino jure connexum ſit, ſive meri humani juris, quod ſuapte natura contraria conſuetudine infirmari poſſet; non inde tamen quoquo modo elicies peculiorum uſum conſuetudinis beneficio licitum evadere poſſe. Enimvero deficiunt conditiones omnes omnino neceſſariæ ad conſuetudinem, quæ legem humanam abroget, conſtituendam. Et ut a prima initium ducamus, quæ rationabilem præcipit eſſe conſuetudinem, D. Thomæ Aquinatis doctrinam referre lubet. Is (1. 2. q. 97. integro art. 3.) tum legis humanæ, tum conſuetudinis eidem contrariæ naturam diſcutit. Utramque aſſerit bonum ſpectare commune, & humanam legem eo ſolum in eventu contraria conſuetudine aboleri, quo, omnibus ad æquam lancem libratis circumſtantiis, lex lata communi utilitati inutilis evadit. *Ad ſecundum dicendum quod leges humanæ in aliquibus caſibus deficiunt. Unde poſſibile eſt quandoque præter legem agere, in caſu ſcilicet quod lex deficit, & tamen actus non erit malus, & cum tales caſus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifeſtatur per conſuetudinem quod lex ulterius non eſt utilis; ſicut etiam manifeſtaretur ſi lex contraria verbo promulgaretur.* Deinde legem, & conſuetudinem invicem pugnantes confert, aitque tunc conſuetudinem legem antiquare, cum ratio, ob quam lex data fuit, deficit. Si vero ratio iſta conſiſtat, tunc lex conſuetudinem repellit. *Si autem adhuc manet ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit.*

VI. Expediant nunc ſe ſe ab hoc nodo peculiorum defenſores. Dicant an ratio eadem, ob quam lex exactæ communitatis lata fuit, defecerit? reponant num communitas iſta cujuſque inimica peculii, ineptum nunc temporis evaſerit medium ad perfectionem euangelicam comparandam, ad paupertatis votum ſartum tectum tuendum, ad caritatem ſovendam, ad animorum cœleſtem concordiam firmandam? Si hæc adfirment, Euangelio & rationi renuncient, oportet.

VII. Haud tamen diſſimulare valeo obviam oppoſitionem contra hanc D. Th. doctrinam, ac ipſam primam conditionem ad conſuetudinem neceſſariam, quæ rationabilem eam eſſe præſcribit. Siquidem nonne ſæpius conſuetudo rationabilem legem abrogat, cujuſve ratio, ob quam rogata fuit, adhuc conſiſtit? Quomodo ergo rationabilis conſuetudo, ſi rationabilis eſt lex, quam abolet? Inſuper ecquandonam conſuetudo legem abrogaret humanam, ſi id ſolum tum eveniret, cum latæ legis ratio deficeret? Hoc in eventu non contraria conſuetudine lex antiquaretur, ſed ſeipſa evaneſceret. Obviæ difficultati obvium eſt reſponſum. Interdum evenire poteſt legem aliquam ob communem Patriæ morem varioſque eventus obſervatu impoſſibilem, vel ſummopere difficilem evadere, & tunc adverſa conſuetudine lex per ſe rationabilis aboleri valet, dummodo tamen conſuetudo contraria (quod eſt maxima animadverſione perpendendum)

honeſta ex ſe ſit, dummodo publicam non turbet felicitatem, neque occaſionem periculumque peccandi ſecum adferat. His concurrentibus circumſtantiis rationabilis reputatur conſuetudo, etſi rationabilem legem abroget. Quoniam rationi conſentaneum eſt populum in malitia non progredi, neque perſeverare: congruum eſt homines a proximo periculo violandæ legis obſervatu vel impoſſibilis, vel difficillimæ, attentis rerum circumſtantiis, ſubducere, quoties ſine periculo majoris mali, immo cum certitudine majoris boni id fieri valet.

VIII. Hæc dicta ſint ad pleniorem Angelicæ doctrinæ intelligentiam ex ipſo D. Th. qui poſt laudata verba hæc proxime ſubjungit: *Niſi forte propter hoc ſolum inutilis lex videatur; quoniam non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem Patriæ, quæ erat una de conditionibus legis. Difficile enim eſt conſuetudinem multitudinis revocare.* Cœterum objecta difficultas, a viro ſanæ mentis in depoſitorum favorem detorqueri non poteſt. Quandoquidem lex communitatis peculia prohibens Euangelicam profitentibus perfectionem, non ſolum poſſibilis, ſed facillima, & ſuaviſſima eſt, ut omnes Religiones in prima inſtitutione palam fecerunt, antequam perfectionis zelus deferveret, & evincunt impræſentia innumeri ſacri Ordines, a quibus penitus exulant peculiorum abuſus, revincentque uſque ad conſummationem ſæculi. Lex itaque facilis eſt ſuaviſque omnibus regularis diſciplinæ ardore flagrantibus; iiſque duntaxat grave redditur & ſeverum jugum iſtud, qui propriæ profeſſionis obliti viam currere mandatorum renuunt, Econtrario peculiorum uſus, & publicam turbat felicitatem & infinitorum malorum occaſionem invehit, ut toties diximus, & ſæpius repetendum eſt. Quapropter non modo imaginem, ſed neque vel ipſam larvam conſuetudinis inducere valet.

IX. Verum in majus D. Th. doctrinæ firmamentum opportuna eſt inſignis expoſitio Venerabilis Seraphini Capponi a Porrecta viri doctiſſimi, unaque piiſſimi, cujus Corporis Sacræ Reliquiæ in Eccleſia Sanctiſſimi Patriarchæ Dominici Conventus Bononienſis magna populi veneratione coluntur. Is in Commentariis ſuper laudato tertio articulo (q. 97. 1. 2.) ſic exponit rationem D. Th. quam produximus. *Ly, ſi autem*, inquit, *adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit. Hoc eſt in judicando utrum conſuetudo vincat, aboleat, ſeu mutet legem, inſpiciendum eſt ad rationem utilitatis communis a lege intentæ. Si enim priſtina utilitas intenta remaneat, ſi lex ſervetur, tunc conſuetudo in contrarium non vincit legem, & conſequenter lex illa prima adhuc ad ſui obſervationem obligat, non obſtante conſuetudine ipſa. Et conſequenter tunc conſuetudo illa, non eſt vere appellanda conſuetudo, ſed corruptela. Si vero utilitas priſtina, quam lex intendebat, ex ipſius legis obſervatione amplius non habetur, nec poteſt judicio prudentum haberi, tunc conſuetudo in contrarium vincit legem, & conſequenter illa lex tamquam per conſuetudinem rationabilem*

abro-

Digitized by Google

abrogata non obligat ulterius ad ſui obſervationem, & conſequenter conſuetudo iſta poteſt vere appellari conſuetudo ad differentiam corruptelæ . . . . Ut autem melius doctrina præmiſſa intelligatur, dicamus ſub exemplo. Sit conſuetudo jam a multis annis introducta alicubi contra regulares obſervantias in toto vel in parte, hoc eſt quod ibi vivatur, ut ajunt, conventualiter, aut nihil aut fere nihil aut parum de lege ſua regulari ſervando, talis conſuetudo ne vincit legem? Reſpondet textus ille quod non, ſed e contra, ideſt quod lex vincit conſuetudinem. Non igitur talis conſuetudo tollit a lege vim obligandi, nec excuſat tranſgreſſores, nec mutat, nec abrogat, nec ponit legem illam regularem, nec novam legem introducit, nec conſuetudo, ſed corruptela potius appellanda eſt. Unde & quanto diuturnior, tanto eſt pejor, & magis accuſat tranſgreſſores, magiſque eos reprehenſibiles reddit. Quare? Reſpondet textus. Quia adhuc manet ratio eadem propter quam prima lex utilis erat. Hoc eſt, quia ſi lex regularis ſervetur, utilitas intenta ab illa adhuc manet, ſeu quod in idem redit, quia utilitas priſtina, quam lex regularis intendebat, ex ipſius obſervatione etiam nunc habetur . . . . Negari vero non poteſt, utpote patens expreſſe, quod utilitas priſtina, quam lex regularis intendebat, manet adhuc, ideſt ex ipſius obſervatione etiam nunc habetur . . . . Quoniam utilitas a majoribus per leges regulares intenta manet adhuc, ſi poſt quantamcunque negligentiam leges illæ recipiant vere obſervari. Utilitas enim ab illis intenta immarceſcibilis eſt, nec tempore finitur; immo quandocunque ſerventur ipſæ leges, accreſcit, & multiplicata earum obſervatione in altum dilatatur, nec conſuetudo ſubrepens in contrarium, tollit, nec tollere poteſt hanc hypotheticam, ſcilicet quod ſi ſervarentur, maneret adhuc & in perpetuum ipſarum utilitas. Quæ eſt regulata, & in præceptis, & in conſiliis, & aliis hujuſmodi vitæ rectitudo. Concludendum ergo ex prædicto textuali fundamento firmiter eſt, quod nulla qualiſcunque etiam inveterata conſuetudo in contrarium legis regularis poteſt obtinere vim legis, aut legem regularem abrogare, ideſt ab ipſa vim obligandi tollere, & (ut verbis textus utar) quod non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit.

X. Ex iis, quæ hucuſque diximus, ſatis ſuperque conſtat alias conditiones, quæ veram comitantur conſuetudinem, in noſtro deficere caſu. Enim vero quis inficias iverit, hunc depoſitorum abuſum publicam turbare felicitatem, univerſæ diſciplinæ regularis jacturam invehere & ad quæque mala viam aperire latiſſimam? Hæc omnia fuſiore calamo (Diſſert. 2. cap. 10.) demonſtravimus. Quartam quoque deficere conditionem fateantur neceſſe eſt, vel ipſi peculiorum amatores. Hæc ſiquidem conditio exigit, ut conſuetudo actibus ex ſententia ſe ſe obligandi progignatur. Sed Regularium nemo unus aſſerere audebit, eo animo, & voluntate peculia ſe retinere, ut contrariam communitatis exa-

ctæ legem abrogare intendat, velit, nolitque Prælatus. Immo omnes fatentur tali animi promtitudine depoſita ſua tenere, ut ad quemlibet Superioris nutum parati ſint ea dimittere, vitamque ſuſcipere communem. Vera ne an falſa ſunt hæc? Si falſa, ipſis fatentibus, ſunt proprietarii. Si vera, quo fundamento ad conſuetudinis perſugium ſe recipiunt? Nonne proprio ſe ſe gladio jugulant? Revolvant omnium Scriptorum volumina, & vix unum, Bordonio excepto, invenient, qui, quæ diximus non probet, firmetque. Ex innumeris unum vel alterum laudare ſufficiat eorum qui benigniores probabiliſtæ nuncupantur. Caſtropalaus (tract. 3. diſp. 3. punct. 2. §. 3. n. 12.) de animo & voluntate ad conſuetudinem legem abrogantem neceſſaria hæc ſcribit. *Conſuetudo ergo, quæ legem abrogare debet, vel novam ſtatuere, procedere debet ex ſpeciali intentione ſtatuendi novam, quæ alia via ſtatui non poteſt, niſi procedat ex intentione ſe obligandi ad illius obſervationem . . . & in his omnes fere Doctores conveniunt.* Laymannus larvatæ conſuetudinis notas deſcribens (lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 5.) ait *eam conſuetudinem irrationabilem eſſe, quæ juri naturali vel Divino adverſatur, vel jure Canonico reprobatur, vel peccandi licentiam, aut occaſionem præbet, vel alia ratione communi utilitati pernicioſa eſt.*

Illud denique accedit decretorium argumentum, quod Legiſlator valet quamlibet legitimam conſuetudinem nova expreſſaque lege abolere, ut omnes fatentur Theologi. *Poſſe conſuetudinem*, inquit Caſtropalaus loco laudato (punct. 5. n. 1.) *rationabilem & legitime præſcriptam lege expreſſa abrogari nemini poteſt eſſe dubium, cum ſit expreſſa deciſio textus in cap. 1. de Conſtitution. in 6. cap. cum conſuetud.* Porro abuſum peculiorum expreſſiſſimis legibus improbari & prohiberi ne in conſuetudinem tranſeat (Diſſert. 1.) palam fecimus & iterum capite ſequenti demonſtrabimus. Verum quid tempus tero in veritate adeo aperta, ut vel cæcorum perſtringat hebetudinem, ſurdorumque auribus inſonet? Illud propterea mirandum, quod eorum dumtaxat, qui puriorem profitentur Ethicam, qui ſaniorem oſtentant doctrinam, non emolliat corda, non commoveat animum, circumfuſaſque mentis tenebras non diſſipet, non diſpellat. Sed ea eſt vitiorum indoles, & natura, ut virtutis formam induant, cum publica eſſe cœperint, quemadmodum ipſa veritas teſtatur (Sap. 5.) *Interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine hic error tamquam lex cuſtoditus eſt.* Hinc colligant Prælati & Superiores omnes, quo tandem malorum prolabatur nimia illa ab exacta diſciplinæ Regularis obſervantia diſpenſandi facilitas; nam quod ſub initium diſpenſationis privilegio obtinetur, ſucceſſu temporis jure conſuetudinis id quiſque ſibi arrogat, ut ait Tertullianus (de Veland. Virginib.) *Conſuetudo initium ab aliqua ignorantia vel ſimplicitate ſortita in uſum per ſucceſſionem corroboratur.* Perdiſcant, omnem diſciplinæ Regularis ſanctitatem cito in caſſum ire, niſi improborum reluctantem audaciam ſpiritu forti-

Digitized by Google

titudinis coerceant frangantque. *Quia*, inquit Auguſtinus (lib. de Fide, Spe, & Carit. cap. 8.) *Peccata quamvis magna & horrenda, cum in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur.* Quæ certe Auguſtini ſententia in peculiis maxime locum habet. Peccata ſiquidem peculiorum vix nata adeo horrenda apparuerunt, ut & repentinæ mortis pœnas dederint, & Aſinorum ſterquilinio mulctata fuerint. His autem temporibus conſuetudinis larva obtecta, non horrorem ingerunt, non pœnas incurrunt, ſed aureum emittunt ſplendorem, libero incedunt gradu, ſibique publicum nanciſcuntur obſequium. Verum *ab initio non fuit ſic*. Ideo ſubdit Auguſt. *Fruſtrà quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis objiciunt, quaſi conſuetudo major ſit veritate. In Euangelio Dominus ait: Ego ſum veritas. Non dixit: Ego ſum conſuetudo. Itaque cedat conſuetudo veritati.* Nolite ergo vobis illudere, ſed *interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea*, inquit Jerem. (cap. 6.) Quoniam concludit Apoſt. Paulus (1. ad Corinth. 11.) *Nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.*

CAPUT QUINTUM.

Proponitur quintum argumentum, quod ſilentium obtrudit, atque tacitum Eccleſiæ conſenſum in depoſitorum favorem.

I. SOlus fere Legislatoris conſenſus in alicujus legis violationem ad conſuetudinem, quæ legem aboleat, conſtituendam, ſufficiens reputatur. Quare merito ſpeciali examine Summorum Pontificum in Regularium peculia conſenſum diſcutiendum duximus, quamvis inter diſputandum hoc perfugium undiqueverſum contriverimus. Pontifices Summi, inquiunt peculiorum fautores, non ignorant, ſed perſpectos habent annuos Regularium cenſus; ſolemnes actus, Notariorum publicæ Tabulæ, litigia ad Tribunalia ſuper eiſdem non infrequentia, omnibus pervia ſunt, atque comperta, ſiquidem oculis vident, manibuſque contrectant, Monachorum alios divites, pauperes alios, illorum ſplendidam ſupellectilem, iſtorum extremam egeſtatem: illorum conſpiciunt neglecta tuguria, iſtorum contemplantur ſuperba domicilia. Eos minime latent pingues expenſæ, quibus ſibi comparant dignitates, gradus, & miniſteria, quæ meritorum virtute aſſequi nequeunt, intuentur iſtos virtute, & ſcientia præditos, quoniam auro, argentoque deſtituti ab iiſdem excluſos. Hæc omnia manifeſta ſunt, & ob oculos verſantur Legislatoris. Ejus igitur ſaltem tacitus conſenſus prudenti præſumitur ſundamento.

II. Vident utique, utinam non viderent, Pontifices, Epiſcopi, & univerſa

verſa Eccleſia narrata portenta, ſed amariſſimis lacrymis ea deplorant cum D. Hieronymo epiſt. ad Heliodorum. *Alii nummum addant nummo & in marſupium ſuffocantur Matronarum opes venentur obſequiis. Sint ditiores Monachi, quam fuerint ſæculares. Poſſideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete Diabolo non habuerunt & ſuſpiret eos Eccleſia divites quos tenuit Mundus ante mendicos.* Verum ne diutius in limine hæreamus, preſſius congrediendum eſt. Quodnam hujus taciti conſenſus fundamentum præbes? Quod publica ſint Monachorum depoſita, nec de medio tolluntur? Siquid ratio iſthæc evinceret, conſequeretur hinc adulteria, fornicationes, ſtupra, perjuria, homicidia, furta idque genus alia, quoniam publica ſunt, jure conſuetudinis præſcripta eſſe. Non præſcribuntur hæc, inquis, quod naturali Divinoque juri repugnant. Non improbo. Perperam ergo ex publica ſcelerum inundatione conſenſus infertur Legiſlatoris. Præterquam quod, ſi illa recta utrumque jus naturale & Divinum adoriuntur: depoſitorum abuſus, ſin recta, obliqua certe via Divino juri læſionem intentant. Non igitur ex ſola frequenti legis tranſgreſſione etiam manifeſta, conſenſus arguitur Legiſlatoris, ſed ad prudentem iſtius conſenſus præſumptionem requiritur, quod conſuetudo per ſe rationabilis ſit, honeſta, & communi ſubditorum bono conſentanea, vel ſaltem non infeſta, flagitiorumque occaſio. Enimvero ſicuti Princeps poteſtatem haudquaquam habet legem condendi publicæ felicitati exitialem, ita neque aſſentiendi conſuetudini communi utilitati damnum aliquod grave inferenti, peccatorumque januam aperienti. Hæc omnia ex peculiorum abuſu profluere, capite ſuperiore & alibi oſtenſum eſt. Nullum ergo ſolidum adeſt fundamentum præſumendi Pontificum conſenſum. Quæ omnia ad majorem abundantiam dicta ſint.

III. Cæterum quis vel in Conciliorum Canonibus, vel in Pontificum Decretis adeo hoſpes & peregrinus, ut perennem ignoret traditionem, qua Concilia, & Pontifices, ceu murum validiſſimum peculiorum corruptelis ſe ſe oppoſuerunt? Loquitur Eccleſia, loquuntur Pontifices reſonante ſacrorum Canonum voce. Nolite ergo commentitium illud Eccleſiæ ſilentium amplius obtrudere, quaſi tacendo Eccleſia avitas pietatis leges abrogaverit. Neque ſurdi cum ſitis vos, mutam, & elinguem exiſtimetis Eccleſiam. *Sapientia foris prædicat in plateis, dat vocem ſuam. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum Urbis profert verba ſua dicens: Uſquequo parvuli diligitis infantiam & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient & imprudentes odibunt ſcientiam?* (Proverb. 1. v. 20.) Revolvite antiquos annos, & præterita Monachorum ſæcula excurtite, nihilque frequentius offenderis quam perpetuum bellum, quod Eccleſia univerſa indixit Religioſorum marſupiis. Et, ut propius ad recentia tempora accedamus, Conc. Trid. (Seſſ. 25. cap. 22.) quamlibet improbavit conſuetudinem peculiorum. *Non obſtantibus*, ait, *privilegiis, conſtitutionibus, conſuetudinibus, vel præſcriptionibus etiam immemorabilibus.*

Hoc

Digitized by Google

Hoc idem ſeverioribus adjectis pœnis omnes fere poſteriores Pontifices ſtatuerunt, præcipue Clem. VIII. Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. Innocentius XI. Innoc. XII. Clem. XI. ut videre eſt (Diſſert. 1. c. 15. & ſequenti.) Quid multa? Ne hoc vanum Eccleſiæ ſilentium, vel cujuſque taciti conſenſus prætextum regerere aliquando poſſent peculiorum fautores, non ſatis fuit Innocentio XII. ſpecialibus ſuis Bullis, quoad vixit, depoſitorum abuſus ditis devovere, ſed Congregationem ſuper diſciplina regulari erexit, ut jugi ac reſonanti Eccleſiæ voce inclamet contra gliſcentes in dies peculiorum abuſus, & cujuſque pullulantis conſuetudinis curſum abrumpat. Sanctiſſimi Pontificis verba, licet alias relata, promamus, quæ habentur in ejus Decreto anno 1698. edito, atque in ejuſdem Bullario inſerto pag. 309. quodve incipit. *Debitum Paſtoralis officii &c. Hinc eſt quod nos prophetici illius moniti memores: Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam: ut conſtans enixaque voluntas noſtra inceptum opus hujuſmodi peculiari ſtudio ſummaque animi contentione proſequendi magi; ac magis omnibus innoteſcat, omniſque tranſgreſſoribus vano, falſoque ſilentii noſtri prætextu ſe ſe excuſandi occaſio penitus præcidatur, motu proprio &c. Ipſius autem Congregationis facultates ſint, & eſſe debeant deſignandi pro Novitiatibus, & profeſſoriis, Conventus Monaſteria: Decreta tum fel. record. Clem. Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri ſuper reformatione Regularium potiſſimum vero exactæ vitæ communis obſervantiam promovendi.* &c.

IV. Nonne hæc, quæ hactenus diximus, ſatis ſuperque forent ad pleniſſimam objecti ſilentii ac taciti conſenſus exploſionem? Et tamen ultra progreſſi ſunt Pontifices Summi, qui contuentes leges ſuas vel erroneis interpretamentis vel perfracta reluctatione eludi, laxatæ diſciplinæ ordinibus, peculiorumque tenacibus ſuvenum receptione interdixerunt. Nonne noſmetipſi ſub pluribus Pontificibus uſque ad Clementem XI. plurium annorum ſpatio humidis oculis plures Provincias hoc tremendo interdictò ſuſpenſas vidimus? Vidimus Cœnobia alia deſolata, alia ab alienigenis occupata maximo ac inſanabili Religionis vulnere? Quæ extrema mala, non in Pontificum ſeveritatem, ut quidam inverecunde blaterant, refundenda ſunt, ſed in nummicolarum, ut phraſi utar Petri Damiani, proprietatem. Nonne ad ultimam evadendam cladem ſpondere jurejurando opus fuit Apoſtolicam communitatem? Nonne hac noſtra tempeſtate iis tantum Cœnobiis privilegium ſacra induendi juvenes veſte impertitur, in quibus exactæ communis vitæ obſervantiam vigere juramento adfirmatur? Si itaque Pontifices nullum non moverunt lapidem, ſi non induſtriæ, non labori, non ſuaſionibus, non denique ſeveriſſimis pœnis pepercerunt, ut diram peculiorum peſtem e Religionibus evellerent, quo fundamento allegari poteſt eorum tacitus conſenſus? Quæ, amabo, media efficaciora, quæ præcepta ſeveriora, quas atrociores pœnas excogitare poterant ad ſanctum aſſequendum finem poſt vibratam tre-

men-

Digitized by Google

mendiſſimam ſterilitatis ſententiam, amplificandæque Religionis ſpem præciſam? Quis eo dementiæ prorumpat, ut poſt tot contradictionis, & reluctationis luculentiſſima argumenta, audeat objicere commentitium illud Eccleſiæ ſilentium, Pontificumque tacitum conſenſum? Ubi vel minimæ conniventiæ veſtigium? Immo ubi non occurrunt perpetua conſtantis obſiſtentiæ monumenta?

V. Sed tempus eſt, ut multa in pauca contrahamus. Itaque peculia ſeu depoſita, prout in collapſæ diſciplinæ Cœnobiis ſerpunt, bono communi, Euangelicæ perfectioni, univerſæque felicitati infeſta ſunt. Quamobrem in eadem tamquam in ſacrilegam corruptelam clamat inclamabitque ſemper Eccleſia, ne larva quidem conſuetudinis excuſari valeant refractarii. Et quamquam aures aliquorum obtuſæ longa diſſuetudine vocem non exaudiant incantantis; Divina tamen opitulante gratia populi multi, & gentes multæ audierunt, audiunt, audientque ad conſummationem uſque ſæculi vocem Domini revelantis: ***Erant illis omnia communia*** (Act. 4.) & ſuæ ſponſæ organo exaltantes vocem ſuam : ***ſint vobis omnia communia***. Hinc colligere poſſumus aliud contra objectam conſuetudinem validiſſimum argumentum, nempe ſi rationes inire velimus, factaque ſupputatione calculos ſubducere, forſitan non majorem multitudinis partem reperturi ſumus legi peculia vetanti, & exactam communitatem præcipienti refragantem. Quæ etiam una eſt ex præcipuis conditionibus ad conſuetudinem requiſitis. Enimvero imprimis integræ plureſque Religiones obſervantes legem communis vitæ ſervant. Deinde in qualibet firme laxata Religione innumeræ plus minuſve Provinciæ reformatæ florent, ſuaviſſimumque Enangelicæ paupertatis ac Apoſtolicæ Communitatis odorem emittunt. Poſtremum in ipſis deformatis Cœnobiis dereliquit ſibi Deus ſeptem millia virorum, quorum genua non incurvantur ante Baal. Omnes ſiquidem purgatæ conſcientiæ viri peculiorum abuſum deflent, iiſque non aliter utuntur quam neceſſitate alendæ naturæ cogente, aliiſque temporis & quantitatis conditionibus ſervatis, ardentique introducendæ communitatis deſiderio flagrant. Quare non ſolum Pontifices, ſed vel ipſorum ſubditorum maxima multitudo religioni ſibi ducit communitatis Apoſtolicæ legem ſartam, tectamque tueri; atque depoſitorum corruptelam ceu Religionis peſtem execratur. Apage ergo illud conſuetudinis larvatæ ſpectrum, in quod Legislatores omneſque ſubditi probitate, doctrina, & ſanctitate fulgentes invehuntur illudque inſectantur. Si qua itaque eſt Eccleſiæ tolerantia, neutiquam approbans dicitur, quæ tum intervenit, quando Legislator ſciens, & potens Legis tranſgreſſioni non ſe opponit; ſed ab omnibus Theologis permittens ſeu permiſſiva appellatur (ut ajunt) quoniam remediis fruſtra adhibitis inſanabilem derelinquit Babylonem. ***Quod nolentes***, ait Author imperf. ***permittimus, quia in totum malam hominum voluntatem prohibere non poſſumus***. Et Auguſtinus Barboſa (Tom. 1. lib. 1. Dec. Tit. 2. cap. Eccleſia S. Mariæ n. 25.) ***multi enim***

per

Digitized by Google

per tolerantiam ſuſtinendi ſunt, quamvis ſententia Divini judicii ſint condemnati. Et preſſius Cajetanus (in 2. 2. 199. art. 9.) *Vituperabile eſt non ſolum inducere, ſed etiam ingredi, & recipere ad vitam irregularem perſonas utriuſque ſexus, quamvis Eccleſia toleret hoc permiſſive.* Donatus Lainenſis (Tom. 4. tract. 15. q. 4. n. 5.) *Nec valet dicere quod prædictus modus laxe vivendi toleratur communiter a Prælatis Religionum, ac etiam a Romanis Pontificibus, quia hoc falſiſſimum eſt, loquendo tamen de approbatione ſeu tolerantia approbativa Pontificis. Secus vero de permiſſiva ad cavendum majus malum, ut conſtat ex deciſ. hic infra, & late docet Bartholomæus a S. Fauſto in Theſauro.* (lib. 8. de paupert. q. 170. in Novil.)

VI. Ultimo loco adjicere lubet, quæ ſcribit Doctiſſimus Ramirez Archiepiſcopus Brunduſinus Ordinis Prædicatorum (in ſua quæſt. morali de Vita Communi §. 10.) *Verum quidem eſt non ſolum Summos Pontifices non toleraſſe, ſed potius poſitive reſtitiſſe tranſgreſſioni decretorum præfatorum omni tempore .... Immo quomodo Eccleſia vel Pontifex tolerat tranſgreſſionem Decreti Concilii Tridentini, cum conſtet manifeſte, quod ſuper nulla alia re tam brevi temporis ſpatio fuerint emanatæ tot Bullæ, & tot edita Decreta, quam ſuper vitæ communis & præfati Decreti obſervantia?*

Non potuimus omittere quod paucis abhinc diebus ab aliquibus Regularibus audivimus; cum enim ab eis interrogaviſſemus: An in ſuis Monaſteriis executioni mandaſſent Decreta Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii XII. menſe Julii proxime præteriti publicata? Reſponderunt negative. At cum eos exhortari vellemus pro obſervantia, hæc eadem verba protulerunt. Sum. Pontif. ita præcepit, ſed jam tacet....

Certe miramur, quod tam denſæ tenebræ ignorantiæ gravent oculos aliquorum, qui putant leges latas ſolum obligare, dum actualiter proferuntur; hoc enim ſibi vult illud effatum. Præcepit, ſed jam tacet. *O humana infirmitas! Profecto pudet nos hæc impugnare, ea tamen retulimus, ut alii videant, qualiter oporteat inter Chriſtianos prima docere rudimenta, quæ non ignoravere barbari.*

VII. Et profecto quid dementius, quam ex publica legis tranſgreſſione Superioris conſenſum obtrudere? Conſecutio hæc legitima ſi foret, actum jam eſſet de quocunque jure, ut dictum eſt alias, & dicendum eſt ſæpius, cum pauciſſimi ſint obſervatores, tranſgreſſorum vero multitudo immenſa. Poſtquam ſummi Pontifices ſua publicarunt Decreta, nullaque interrupta temporis ſerie renovant, inculcant, pœnarumque ſpiritualium ſeveritate ad obſervantiam cogunt, quid ultra peragere debent? Ageſis tu, qui Pontificum conſenſum in peculiorum abuſum inclamas, deſigna quid amplius præſtare ipſi debeant? An ne omnes ad carceres damnare? omnes catenis devincire? omnes patibulo ſuſpendere? Si reipſa impedire Pontifices valerent ſuarum divinarumque legum violationes, nulla forent crimina.

mina. Sed coguntur illi mala tolerare, quemadmodum Deus, cujus regiminis imaginem referunt, libere peccata permittit. *Quapropter*, concludit laudatus Archiepiſcopus Brunduſinus, *certiſſime tenendum eſt, Summos Pontifices paſſos fuiſſe contemptum ſuorum Decretorum, & per patientiam tolerarunt, quæ cohibere non poterant, quæ nullam vim afferunt contra legem.*

CAPUT SEXTUM.

Sextum repellitur argumentum Conventuum nixum egeſtate, quæ impoſſibilem reddit exactam communitatem.

I. SAcra, ut ajunt, anchora, cui ſalutis navim a proprietatis ſcopulo illæſam, atque immunem alligant depoſitorum Patroni, inopia eſt patrimonii, Cœnobiorumque ſumma egeſtas, quæ ſufficiens pro ſingulorum proviſione ſubſidium ſuppeditare cum nequear, impoſſibilem efficit communis vitæ exactam obſervantiam. Hinc neceſſitas conſequitur, depoſita retinendi particularia, quibus futuræ fami, nuditati, infirmitati, aliiſque in dies occurrentibus indigentiis fiat ſatis. Hoc perfugio, ceu arce quadam undiqueverſum vallo, & foſſa munita locati, tela omnia retundunt. Et revera ſi egeſtas objecta, vera eſſet, veram quoque præſtaret defenſionem. Enimvero ſuſtentandæ naturæ urgens neceſſitas nullam agnoſcit legem, immo legem omnem antecedit. Quamobrem deficiente communi proviſione, naturali jure quiſque obſtringitur ad ea ſibi comparanda, quæ ſuæ ſuſtentationi neceſſaria ſunt. Brevi igitur verbo reſpondeo præceptum communitatis haudquaquam urgere vera extante inopia, quæ neceſſariam victus, & veſtitus ſubminiſtrationem impediat. Impoſſibilia enim Deus non præcipit. Quid ultra vales a me repoſcere, qui vera exiſtente Monaſteriorum egeſtate in tuam manibus, pedibuſque concedo ſententiam? Si contra, falſa exiſtente hypotheſi, parili tu mecum ſinceritate ageres, illico litigium evaneſceret. Enimvero demonſtratione evidenti me oſtenſurum ſpondeo, non tam falſam, quam falſiſſimam eſſe allegatam Monaſteriorum ſaltem plurimorum egeſtatem. Et cum res facti ſit, facillima quoque probatio eſt.

II. Atque imprimis Concilia & Pontifices hunc penuriæ cavillum effugiumque præcluſerunt mandantes eum dumtaxat Religioſorum numerum in Monaſteriis conſtitui, qui ex communibus reditibus in exacta vita communi ſuſtentari commode valeat. Ita præcipit Conc. Trident. (Seſſ. 25. cap. 3.) *In prædictis autem Monaſteriis & domibus tam virorum quam mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur, ac impoſterum conſervetur, qui vel ex reditibus*

pro-

Digitized by Google

propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſinis commode poſſit ſuſtentari. Hoc idem præcipit Clem. VIII. in ſuo Decreto quod incipit. *Nullus omnino. In unoquoque Conventu Fratrum is tantum deinceps conſtituatur, & impoſterum retineatur numerus, qui ex reditibus illius propriis, vel etiam ſingulorum eleemoſinis aliiſque quibuſcunque obventionibus in commune (ut præfertur) conferendis commode poſſit ſuſtentari: reditus vero, & ſupradicta omnia in communi loco ac tuto diligenter aſſerventur.* Idipſum confirmarunt, innovaruntque cœteri omnes ſucceſſores Pontifices, præcipue Innoc. XII. in pluribus ſuis Decretis, maxime in eo quod incipit. *Sanctiſſimus in Chriſto. Porro ne regularis diſciplina dum in Conventibus jam erectis ſtatuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte conſtruitur, ſimul ex altera deſtruatur, ſacra Congregatio ſanctitate ſua ſimiliter approbante ſtatuit atque decernit nulla in poſterum Monaſteria, Collegia, domos, Conventus, aut alia Religioſorum virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo inſtitui debere, niſi ſub expreſſa obligatione exactæ vitæ communis ab omnibus Religioſis ibi commorantibus perpetuo & inviolate ſervandæ, ac propterea nullas deinceps admittendas hujuſmodi fundationes, niſi præter alia ad id requiſita prius, legitime conſtiterit adeſſe annuos redditus vel certe eleemoſinarum ſpem, quibus duodecim ſaltem Religioſi in exacta vita communi commode valeant ſuſtentari.*

III. Et ut ad experientiæ tribunal cauſſam agamus, quælibet Religio ſub inſtitutionis ſuæ initium exactiſſimam ſervabat communitatem, licet vix reditus haberet. Eandem hodie ſervant plures Religiones, quæ reditibus deſtitutæ in diem precario victitant. Sed gratis admiſſo, Conventum aliquem dote ad communem vitam degendam ſufficienti carere (quamquam vix unum reperiri mox oſtenſurus ſum) nunquid omnes Conventus hac laborant penuria? In Italia noſtra innumera cujuſque Religionis Cœnobia ſunt, quorum alia annuorum proventuum quatuor millia, alia ſex, alia decem, alia quindecim & ultra ducatorum millia poſſident. Horum quodlibet ad minus ſexaginta, alterum octoginta, aliud centum fratres alit, & ſuſtentat. Cur Cœnobia ſaltem iſta communitatem non ſervant? Ubinam iſthic egeſtatis umbra? ubi penuria, quæ Communitatem removetur? Item in qualibet inſigni Civitate utriuſque diſciplinæ, & mollioris peculiorum, & ſtrictioris Communitatis Monaſteria repeiiuntur. Cœnobium cum Cœnobio comparetur, redditus cum redditibus conferantur, & rationibus initis, calculi ſubducantur, & niſi reditus Conventuum collapſæ diſciplinæ, qui peculia permittunt, alicubi ſupra medietatem, alibi ter, quaterve patrimonium Cœnobiorum exactiſſimæ communitatis ſeverioriſque diſciplinæ excedant, cauſſa cadere ſponte velim. Si quis negotii hujus periculum facere velit, facillima res eſt, & pervia. Ab hac ego ſupputatione, quoniam cujuſdam forte odii plena, abſtineo, & conficio demonſtrationem nulli obnoxiam tergiverſationi.

IV. In unoquoque genere, quæ diſperſa ſunt, atque ſejuncta, ſi invicem agglutinentur, fortiora evadunt, efficaciuſque operantur, juxta tritum adagium. *Virtus unita fortior.* Enimvero poteſt Cœnobium alere, immo alit viginti vel triginta, vel ſexaginta, vel centum Religioſos, dum eorum quiſque proprium habet peculium, dum ſinguli propria indumenta ſibi comparant, dum cenſus peculiares & lucra propria induſtria parta adminiſtrant. Deinde ſi ex his ſeparatis peculiis unum conſletur patrimonium, ſufficiens haud erit ad eorundem ſuſtentationem? Nonne omnibus œconomiæ legibus hocce repugnat? Familia decem conſtans germanis fratribus in decem diviſa portiones omnes alit, induit, ſuſtentat. Si vero hæc diſpertita bona in unum coeant commune patrimonium, minus ſufficiens reputabitur ad communem omnium ſuſtentationem, decorem, & perennitatem?

V. Me legiſſe memini, Scilurum Scythiæ Regem morti proximum ſuos filios ſe coram acciti juſſiſſe, unaque virgarum faſcem deferri. Filiorum majori natu, cœteriſque ſubinde, ordine ſervato præcepiſſe didici, ut virgas invicem colligatas infringerent, & cum nemo unus ad implendum præceptum tanti eſſet, ſolvi faſcem Pater juſſit, virgaſque ſingillatim frangere, quod filiorum quiſque facillime præſtitit. Tum Pater: En, inquit, filioli mei. Si vos patrimonio communi indiviſo, animoque juncti vixeritis, æmuli veſtri nunquam in vos prævalebunt, domuſque veſtra ad perennitatem conſiſtet. Contra vero ſimul atque patrimonio animoque diviſi fueritis, ut virgæ ad cujuſque venti impetum volvuntur, & franguntur, ita vos, domuſque veſtra in diſperſionem deſtructionemque ibitis. Prudentis ſenis ſententiam approbat ipſemet Chriſtus Lucæ 11. inquiens: *Omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.* Econtrario concordia minimæ res creſcunt, & diſcordia vel maximæ dilabuntur. Et ut in rem noſtram propius ſermo recurrat. Quot Monaſteria deſolata, quot ſuppreſſa, quot diruta templa? Quid tantorum cauſſa malorum? niſi proprietatis vitium, & privata commoda promovendi ſtudium? Percurrito tum antiqua, tum recentia catholicæ Eccleſiæ ſæcula, & nec unum cœnobium ex iis, quæ Apoſtolicam communitatem, & Euangelicam paupertatem reipſa obſervarunt, reperturus eris, aut temporali ſuſſidio deſtitutum, aut aliqua, ſive civili, ſive Eccleſiaſtica poteſtate ſuppreſſum. Quoniam, ut ait Regius Propheta (Pſal. 36.) *Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Itaque ſi & experientia, & illiſmetipſis fatentibus, Religioſi omnino ſuſtentantur partim ex communibus bonis, partim ex peculiaribus peculiis, juxta omnes œconomicæ facultatis regulas, ipſiuſque intima naturæ dictata commodiorem vitam agerent, ſi hæc omnia peculiaria bona in communi reponerentur ærario, ſoliſque Monaſteriorum officialibus adminiſtrarentur, in communem omnium utilitatem, & cuique prout opus eſſet diſtribuerentur. Mentiuntur igitur qui aſſerunt, Monaſteriorum egeſtatem impoſſibilem reddere communitatem, cum oppoſitum

evi-

Digitized by Google

evidentiſſimum ſit, ſcilicet communitate opulentam effici vel ipſam egeſtatem.

VI. Sed, quod reponunt, audiamus. Si omnia, inquiunt, communia conſtituantur, confeſtim & ſpiritualia, & temporaria bona, tum communia, tum privata diſpereunt. Eccur? Quia ad cleantheam lampadem vigilat lector, ut luctum aſſequatur: e ſuggeſtu ſudores profundit concionator eleemoſinarum emolumento allectus. Prioratus dignitatem ambit iſte, procuratoris miniſterium acceptat ille: iſti amicorum fovent neceſſitudinem, magnatum patrocinium nanciſcuntur illi, ut ſuos teneant proventus. Singuli denique ad omnia vigiles, impigri, ſtrenui cum lucra, propria induſtria, parta, in proprias crumenas devolvenda ſciunt, & in propria commoda ceſſura. Hac vero dejecti ſpe, oſcitantes, torpidi, pigri, quod non ſibi, ſed aliorum commodis vacare debeant. Hoc teſtatur vel ipſe D. Bernardus (cap. 52. grad.) *Singularis ad omnia ſua ſtrenuus, ad communia piger. Vigilat in lecto, dormit in choro.*

VII. In cujus rei confirmationem ferunt Cœnobia reperiri, quorum Prælatus trecenta ſcuta, ſindicus domeſticus centum, Procurator urbanus ducenta, Laureati in Theologia Magiſtri duplex, ut vocant, *veſtiarium*, Sacriſta, aliique inferiores officiales quaſdam illius ſortis, quam adminiſtrant, reliquias, plus minuſve, prout quiſque acutiore valet ingenio, lucrantur, ita ut, calculis ſubductis, ſumma conficiatur mille, & amplius ducatorum, quæ Miniſtris ſuis Conventus rependit, ut zelo ardentiore officiorum ſuorum partes adimpleant. Ut recta autem objectioni occurramus, haud multis opus eſt. Quandoquidem ex ore eorum ideo Monaſteriorum patrimonium minus ſufficiens ad communitatem reputatur, quod Religioſorum quiſque ſua quærit, & nemo, niſi ſtipendio ductus, propriiſque pellectus commodis, adlaborare in vinea Domini Sabbaoth aſſentitur. Hinc quædam Miniſteria, puta educatio Noviriorum, ſeu Clericorum, a qua ſummopere tum conſervatio, tum reformatio Monaſticæ diſciplinæ pendet, pœnitentiæ Sacramentalis adminiſtratio ineptis, indoctis, zelo & prudentia deſtitutis aliquando concreduntur. Quoniam officiis iſtis annuale honorarium, abuſus adhuc non aſſignavit. Hoccine eſt Euangelicam inhiare perfectionem? Hoccine eſt Regulas Auguſtini, Benedicti aliorumque Patriarcharum profiteri, quæ toties clamant. *Nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in unum fiant, majori ſtudio & frequentiori alacritate, quam ſi vobis ſingulis propria faceretis. Caritas enim de qua ſcriptum eſt quod non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit.* Tota igitur Cœnobiorum egeſtas, non in divitiarum penuriam, caritatemque, ſed in Religioſorum minus rectam adminiſtrationem, ſed in Monaſticæ paupertatis, & caritatis Euangelicæ neglectum reducitur. Impoſſibilitas ergo communitatis, ex patrimonii caritate petita, doloſum commentum eſt, nec non manifeſta falſitas.

VIII. Et

Digitized by Google

VIII. Et ut paucis omnia comprehendam. Falſitatem hanc evincunt primum Pontificum, Conciliorumque Canones, eum dumtaxat Religioſorum numerum præſcribentes in quolibet Cœnobio, qui in exacta communitate commode ſuſtentari poſſit. Falſitatem evincunt opulenta patrimonia, ampla ædificia, dives ſuppellex, expenſarum ſuperfluitas, officialium ſtipendia. Falſitatem evincit experimentale factum, cum patrimonium in tot ſectum portiones, quot ſunt fratres, ſufficiat pro omnibus. Quanto magis ergo ſi indiviſim adminiſtraretur, peculiares cenſus, peculia, & depoſita omnia communia fierent. Falſitatem tandem evincit aliud non minus pervium experimentum, quod ſubjicio. Plura cujuſque fere laxatæ Religionis Monaſteria reformata nunc florent, quæ dum fratres peculiorum poſſeſſores ſinu ſuo excipiebant, vix quatuor vel quinque alebant. Ubi vero Communitas Apoſtolica, & diſciplinæ univerſæ reformatio introducta fuit, illico viſa ſunt inſtaurata & amplificata ædificia, Templa populorum multitudine frequentata &, loco quatuor aut quinque Religioſorum alibi duodecim, alibi viginti commode aluntur. Unde hæc? Ab Apoſtolica bonorum communione, quæ non ſolum avitam ſanctitatem invehit, non ſolum famam & exiſtimationem parit, ſed vel ipſa temporalia bona auget, atque conſervat. Quandoquidem *in omni opere bono erit abundantia* (Prov. 14.) *Non affliget Dominus fame animam juſti*, (prov. 10.) *Miſeros autem facit populos peccatum*. (Prov. 14.) Quare verbo dicam, tametſi omnes aliæ deficerent rationes, ſola experientia tot Cœnobiorum, ac Religionum quæ in exactiſſima communitate vitam ducunt obtruſam excuſationem elidit. Quid namque reſponſi huic poteſt interrogationi exhiberi? Cur tot Cœnobiis, cur tot Religionibus communitas iſta facilis, ſuavis, nedum poſſibilis eſt? Cur collapſæ diſciplinæ Religioſis duriſſimum jugum evadit? Unde diverſitas hæc? Nonne homines illi ſicut & iſti?

IX. In rem meam fore judico ea hic ſubjicere, quæ hoc de argumento ſcribit Archiepiſcopus Brunduſinus Franciſcus Ramirez Ordin. Prædic. (in ſua quæſt. moral. §. 6.) *Dicunt aliqui ſe ex alio capite eſſe excuſatos, nimirum quia vita communis exigit, quod Monaſteria provideant fratribus, & ſororibus de omnibus ad vitam neceſſariis, quod omnino impoſſibile eſt ob graviſſimam inopiam, qua Monaſteria premuntur . . . . . Hoc tamen non ſine admiratione auditur, quod cum ſint tot Monaſteria, ſi de vita communi introducenda tractatur, omnia graviſſima inopia laborant, ſic quod non poſſunt providere Fratribus, & Sororibus de neceſſariis. Si hoc aſſereretur de viginti Monaſteriis, de centum, aut de mille, fortaſſis præberemus aſſenſum: at vero quod omnia ſic egeſtate premantur, non facile credimus . . . Hoc liceat addere, quod ſi, qui hac excuſatione ſe protegunt, vere pauperes eſſent, ſicut aſſerunt, Monaſteria, procul dubio ob paupertatem non ſe excuſarent ab obſervantia voti vitæ communis.*

In illis quidem Religionibus ſeu Monaſteriis, in quibus bona nec etiam in

Digitized by Google

in communi admittuntur, V.G. in Religione Capucinorum & aliis, fratres nequeunt aliter vivere, niſi vita communi, & tamen, cum nulla poſſideant bona, Monaſteria eorum majori inopia laborant, quam Monaſteria ut ſupra ſe excuſantium. Quomodo ergo inopia Monaſteriorum cogit alios ad vitam communem, & inopia cogit alios ad illam reſpuendam, & impoſſibilem prædicandam? Reſponſio exemplo clareſcet. Sol quidem liquefacit ceram, & lutum indurat. Sed ſi a philoſophis diverſitatem quæras, reſpondebunt tibi, diverſos hos effectus oriri ex diverſitate materiæ. Sic ergo quod inopia illa diverſitatem cauſſet, naſcitur ex diverſa voluntatum diſpoſitione. Conſtat ergo impoſſibilitatem objectam non oriri ex objecto voti, nec eſſe antecedentem ſed conſequentem voluntatem voventium, & ex illa ortam ac perinde non excuſare in conſcientia. Præterea ſi vera eſſet hæc inopia, quam affirmant, deberent potius amplecti vitam communem, & non mediocriter ab ea ſublevarentur. Nam, ut teſtificari poſſunt omnes periti œconomi & prudentes Patres-familias, pauciora ſufficiunt pro viventibus in communi, quam pro viventibus privatim, & ſeparatim. Immo affirmabunt, quod quæ ſunt ſufficientia pro viginti communem vitam agentibus, non ſunt ſufficientia pro quindecim, ſi unus diviſe ab alio provideatur . . . . . Præterea modo omnes Regulares habent neceſſaria, niſi aliqua teneant ſuperflua, nullus quidem fame premitur, nullus nudus incedit, nulluſque invenitur, qui attento ſtatu paupertatis, quam profitetur non habeat ſufficientia; Et inquirimus a quo vel unde iſta habeantur? Reſpondent partim a Monaſterio, partim noſtro juſto labore & induſtria, & partim ſubventione Parentum, & amicorum. Optime ſane, ſed ſic ſubſumimus. At omnia quæ Monachus acquirit, Monaſterio acquirit. Ergo defacto habent omnia neceſſaria, niſi aliqui teneant ſuperflua de rebus Monaſterii. Cur enim ſi omnia iſta in communi ponantur non erunt ſufficientia?

X. Itaque ſubacto rationum momentis intellectu, ſupereſt, ut aliqua, quæ voluntatis affectum ciere queunt, obiter licet, dicamus. Si ab Ethnicis, Dei Providentiam ignorantibus, ea quæ narravimus, opponerentur, utcunque tolerari poſſent: ſed vix, ac ne vix quidem, audiri poſſunt, quin juſte excandeſcat animus, ab iis qui cum Propheta (Pſ. 26.) canere debent. *Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.* Quapropter etiamſi vera eſſet objecta egeſtas, nihiloſecius infidelitatis diffidentiæ, & incredulitatis eos arguit, qui, proprio ſpreto patrimonio, parentibus relictis, ſubſidium omne in ampliſſimo Divinæ Providentiæ latifundio repoſuere. Ipſis enim exprobrat Chriſtus (Matth. 6.) *Reſpicite volatilia Cæli, quoniam non ſerunt neque metunt, neque congregant in borrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa, nonne magis pluris eſtis illis vos? Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis. Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neque nent . . . ſi autem fœnum agri quod hodie eſt & cras in clibanum mittitur, Deus*

ſic

ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis, (Et Luc. cap. 12.) *Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos, quanto magis vos pluris eſtis illis?*

XI. Si Deus populum Chriſtianum alloquens tam ſevere ejus increpat infidelitatem, qua objurgatione correpturus eſt diffidentiam Religioſorum, qui potiori jure in Divinis conquieſcere ſponſionibus paternæque Providentiæ ſinu tenentur? Quo zelo, qua efficacia e ſuggeſtu populo Chriſtiano fiduciam in Divinam Providentiam ſuadere valent, qui vel ſecuri de craſtino, de hodierno diffidunt, & plano ventre jejunium prædicant? Quamobrem Auguſtinus quodam veluti ſacro furore percitus in diffidentes Monachos invehit (in expoſ. epiſt. ad Gal.) *Tu Dei ſervo, tu bonis operibus dedito aliquid exiſtimas defecturum? Unde tam incredula cogitatio? quid facit in domo Dei perfidum pectus?* Venerabilis tandem Umbertus (in Reg. D. Aug. cap. 60.) expreſſe aſſerit hunc peculiorum ſeu depoſitorum abuſum, & confidentiam in Providentiæ Divinæ Religioſorum animis avellere, eoſque proprietatis crimine inficere. *Præterea*, inquit, *per hoc* (ideſt depoſitum, de quo ibi) *aufertur viris ſanctis illa confidentia de Deo, quæ dicit, eis non eſſe cogitandum de craſtino, cum ipſis per hoc provideatur uſque ad annum vel magnum tempus certitudinaliter de veſtibus, per hujuſmodi ordinationem contra illud* (Matth. 6.) *& de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Item hoc non caret ſpecie proprietatis.*

XII. Ex quibus omnibus hanc elicio evidentiſſimam demonſtrationem, nulli ſubjectam cavillo. Si qua Monachorum peculia ratio excuſaret, ea unica foret, impotentia ſeu impoſſibilitas exactæ communitatis ſervandæ ob Monaſteriorum penuriam, & egeſtatem. Hoc eſt potiſſimum atque adeo unicum fundamentum, cui innituntur omnes ii Theologi, qui peculia ceu licita, conditionibus ſervatis, defendunt. Hæc eſt unica, & perſola ratio, quam vel ipſi peculiorum Patroni exponere ſolent, ſacra ſuper Diſciplina Regulari Congregationi, ipſiſque Pontificibus Summis. Atqui objectam egeſtatem falſam, & commentitiam eſſe perennis a natis Monachis experientia, & traditio omnium ſanctorum Religioſorum evincit. Ergo evidentia manifeſta liquet, depoſita iſta, prout nunc graſſantur, proprietatis crimine laborare. Si dura nimis videtur, aſpera, rigidaque conſecutio iſta, ſolidum detur reſponſum, & confeſtim eam retractabo. Antequam tamen huic capiti finem impono, omnia quæ diximus authoritate doctiſſimi unaque piiſſimi Johannis Nyderii firmare lubet. Hic ſiquidem (tract. de Refor. cap. 18.) propoſitæ objectioni hoc pacto reſpondet.

Ad

Digitized by Google

Ad nonum, quando adducunt neceſſariorum victus & amictus, ſi reformentur, defectionem, reſpondetur, quod Monaſterium reformabile aut eſt de ordine poſſeſſionatorum, aut non. Si primum, tunc eſt poſſeſſionatum, ſeu redituatum adeo quod victus neceſſaria ſingulis poſſent diſtribui omnibus in commune redactis. Aut omnes aut quidam tantum habent de ſibi ad uſum conceſſis, quod ſi in commune imponerentur, omnes poſſent habere victum neceſſarium: aut neutrum ſcilicet, quod nec a ſingulorum bonis, nec a Monaſterii bonis tantum poſſet haberi, quod communitatem rerum pro ſufficientia habere poſſent victus, ſtantibus tot perſonis in Monaſterio. Si primum, tunc nullus ſe excuſare poteſt, qui nollet ex communitate vivere ſi alii reſignarent, quia tunc nulla cauſſa eſt diſpenſandi cum tali in habendo appropriata quoad uſum incertum. Si ſecundum, tunc quicunque impediunt poſitionem rerum temporalium ad communitatem, non poſſunt tales excuſari ex præcedenti ratione. Si tertium, tunc minuere deberent numerum fratrum mediis opportunis, & tot manere, quot eſſent ſuſtentabiles per bona, quæ pro communitate manentium ſufficere poſſent . . . . Si vero Monaſterium reformandum eſt de Ordine non poſſeſſionatorum, ſed Mendicantium, qui ſatis principaliter ſunt ſuper prædicatione, aut mendicitate, aut ſuper utroque fundati, tunc ſi alii conſentiunt reformationi, tales qui reformationi reſiſtunt, in nullo videntur rationabiliter a gravi peccato excuſari poſſe, quia neceſſaria victus per mendicitatem poſſunt acquirere quotidie. Deficiunt autem tripliciter tam Mendicantes, quam poſſeſſionati ut plurimum propter motivum novum reformationi reſiſtentes. Primo propter de Divina proviſione diffidentiam. Secundo propter paupertatis, quam voverunt, carentiam. Tertio propter boni communis negligentiam. A quibus tamen omnibus Religioſi plus cavere tenentur, quia omnes tenentur ad perfectionem longe amplius quam ſæculares tendere. Contra primum veritas quæ nec falli nec fallere poteſt, Religioſis dixit (Matth. *6.) Nolite ſoliciti eſſe dicentes quid manducabimus. Deficiunt præterea temporalium queruli ſecundo propter paupertatis, quam voverunt, carentiam. Quia quidam Religioſi adeo curæ carnis intenti eſſe volunt nunc in cibis, & potibus, nunc in veſtitu & medicinalibus, vel rebus aliis, quod neceſſariis non contenti: quæ eis competenter miniſtrantur, lautiora quam voluntaria paupertas, quam voverant, exigat omnino volunt habere.*

Deficiunt tertio objicientes propter boni communis negligentiam, quia multi Religioſi ad ea, quæ ad communitatem ſpectant, ſunt tardi; ad ea vero, quæ ſunt propria vel appropriata, ſunt aſſidui. Et hæc eſt ſingularitas peſſima, de qua Bernardus dicit: Singularis ad omnia ſua eſt ſtrenuus, ad communia piger. Hæc ſingularitas eſt boni communis negligentia, & multa mala facit, ſcilicet a Chriſti veſtigiis deviare . . . . Quam ſingularitatem ſi adverſarii Reformationis depoſuerint, & dili-

gentiam ad bonum commune exercuerint inquirentes Dominum, non deficient omni bono. Vidi & expertus ſum: Quotieſcunque reformabantur Monaſteria virorum aut fœminarum noſtri temporis, ſemper quam antea ſe in temporalibus melius habuiſſe. Non ergo trepident timore, ubi non eſt timor, hi qui deformato vere renunciant ſæculo.

CAPUT SEPTIMUM.

Septimum refutatur argumeneum ab auctoritate petitum Theologorum, qui peculia propugnant.

I. ETſi inter diſputandum convulſa eſt propoſita objectio, nihiloſecius tamen, quoniam imperitis negotii quidquam faceſſere poteſt, ad criſim iterum revocare lubet. Quod quidem vel maxime id præſtare mea intereſt, quod ſæpius ſpoponderim non meam hac in controverſia peculiarem opinionem, non quorundam dumtaxat Theologorum placitum propugnaturum, ſed communem omnium integræ mentis Theologorum, ſed certam & irrefragabilem ſententiam, a qua, nullo probabilitatis fucato prætextu opitulante, quiſquam abſolvi valeat. Quæ ſponſio, & nimiæ præfidentiæ, & apertæ falſitatis revinci poſſe videtur. Quandoquidem, & Canoniſtarum, & Theologorum potiſſima pars, oppoſitum docent. Quod adeo compertum eſt, ut ſuperfluum plane ſit, quempiam particulatim allegare. Si quis rei periculum facere velit, illorum volumina & ſummas percurrat. Ecquo igitur auſu in re tam aperta, & cuique obvia illudere conamur? Qua fronte eatenus ſermonem noſtrum protendimus, ut proprietatis Regulares damnemus? Fierine poteſt Navarrum virum doctiſſimum, optimiſque inſtructum moribus, qui poſt Tridentinum ſcripſit in peculiorum defenſione, aberraſſe? An credibile eſt, omnes alios utriuſque Juris Doctores cum eodem in errorem prolapſos eſſe? Durum enimvero, ne dicam temerarium videtur, tot inſignes Theologos doctrina ſplendidos, caritate ardentes, tot Epiſcopos, Archiepiſcopos, immo tot Pontifices uno hiatu ad Inferos detrudere. Tandem ipſæmet Religiones reformatæ, vel ipſi Capucini aliquid peculii ſuis uſibus a Superioribus ſuppeditatum retinent, puta breviarium, veſtes, cingulum, calculos precatorios, calceos idque genus alia ad victum & veſtitum neceſſaria. Eadem igitur ratione, qua Prælati præfata concedere valent, poſſunt itidem permittere, ut eis liceat aliquid amplius habere ratione ſtudii, ægritudinis, attentis loci & temporis circumſtantiis.

II. Ex iis, quæ (Diſſert. II. cap. I. & alibi) diximus, in fumum abeunt lemures iſti. Quid? Si antequam recta objectioni occurro, autho-

rita-

ritati plurium recentiorum, omnium Patrum auctoritatem, Patriarcharum Regulas, Conciliorum Canones & Pontificum Decreta opponerem? Verum, ut ſtemus promiſſis, jam laudato capite oſtendimus ex ipſiſſimis Navarri verbis, perdoctum virum non aliud defendiſſe peculium, quam illud quod juſta exigente cauſſa conceditur. Juſtam porro cauſſam aſſerit evidentem neceſſitatem, technis ſemotis, & fictionibus. Quæ neceſſitas utpote naturalis alendæ vitæ quamlibet antecedit poſitivam legem. Idipſum edocent tum Canoniſtæ, tum Theologi omnes, licet quidam in ſuis ab optimis principiis conſecutionibus a veritatis ſemita deflectant, ut loco laudato palam fecimus. Duo itaque penes omnes authores certiſſima ſunt. Primum, ad exactam communitatem ex graviſſimo præcepto teneri Regulares omnes. Secundum, ſolam neceſſitatem non fictam, non voluntariam, ſed veram ab hujus præcepti vinculo ſolvere. Conſule Navarrum loco laudato, Paſſerinum, cujus verba retulimus (Diſſert. 2. cap. 5.) Calderinum (Conſil. 2. de Reg.) *Profeſſi poſſunt*, inquit, *de licentia Prælati habere libros, veſtes, & pecunias ad uſum ſuum . . . . pro ſuis veris neceſſitatibus, non autem alias pro libito voluntatis . . . . . ultra neceſſitatem autem incapaces eſſent talium rerum. Ratio eſt, quia iſta conceduntur propter neceſſitatem. Illa ergo ceſſante, vel ultra illam, intelliguntur denegata argument. capit. quod pro remedio*, (1. q. 7.)

Quid multa? Volve, revolvitoque omnium authorum volumina, & ſi vel unum ſanæ mentis reperturus ſis eorum, qui ex profeſſo controverſiam hanc verſavit, qui duo hæc non edoceat propugnetque, confeſtim manus dabo. Non temere, ſed data opera: vel unum ſanæ mentis dixi. Non enim me fugit Caſuiſtarum unum aut alterum eo prorupiſſe, ut docuerint, licitum eſſe Regularibus & ſuperflua, & pretioſa retinere. Quam doctrinam utpote antievangelicam ab Eccleſia damnatam aſſero. Ex animi ſententia ſubdidi, *eorum, qui ex profeſſo provinciam hanc obierint*. Eo quod ſummiſtarum, quos vocant, plures, ut præſtituræ ſibi brevitati morem gerant, opinionum, quas de libro in quinternum transferunt, momenta, exceptiones, clauſulas, quibus a ſuis authoribus limitantur, prætereunt. Eorum namque profeſſio eſt aliena convaſare in proprios libellos & compendiario typis cudere. Hinc non raro evenit, ut Theologorum ſententiæ, quæ ſuis limitationibus circumſcriptæ veræ ſunt, ſi deſtitutæ ſuis clauſulis, & exceptionibus tranſcribantur falſæ evadant. quod ſi profecto, in qua alia, in noſtra accidit cauſſa. Theologi ſiquidem & Canoniſtæ pro dignitate ſpartam hanc adornantes, Monachis peculium concedunt, vera tantum, & non ficta neceſſitate occurrente, & ad ſolos uſus Religioſæ paupertati conſentaneos. Ideoque in modica quantitate, brevique temporis ſpatio plus minuſve, quoad ſcilicet vera neceſſitas ſublata fuerit. Fictam porro doloſamque hanc reputant neceſſitatem, cum Prælati & ſubditi mutuo liberoque conſenſu in

Digitized by Google

eandem ſe ſe conjiciunt, renuuntque, licet Cœnobium ſufficienti abundet patrimonio, eam tollere, ut peculiorum ſerpente abuſu, uberius ſuis indulgere valeant commoditatibus. Hæc omnia ſilentio obvolvunt Caſuiſtarum plures, votumque paupertatis in metaphyſica abſtractione contemplantur. Iccirco ſententia cœteroquin vera, falſa, & quandoque erronea evadit, quoniam ſuis ſpoliata limitationibus, & exceptionibus. Limpida enim ſuo in fonte, turbida vero in rivulis acqua. Neque id dolo, vel fraude, ſed oſcitantia, vel ignorantia ſæpius evenit. Quod inde conſtare poteſt, quod Theologorum, a quibus tranſcribunt, authoritatem, & loca unde deſumſerunt, allegant ad ſuas detruncatas opiniones firmandas. Et licet methodus iſta ad decipiendos imperitos conferat plurimum, quod putent nimia credulitate ducti, idipſum omnes, quos legunt allegatos Doctores, cum ſuis Summiſtis ſapere. Attamen ſi iſti ingenue loquuntur, quæ ſcribunt, vera dumtaxat erunt eo in ſenſu, quem penes, quos laudant DD. habent. Si hujus rei certior fieri aveas, a rivulis ad fontem digitum convertito, hocque experimento comperies Theologos, trullam dare, Summiſtis quibuſdam cœmentum porrigentibus. Conſule quæ diximus locis laudatis.

III. Ut autem brevi verbo reſpondeamus primæ objectionis parti, dicimus omnes tum Theologos, tum Canoniſtas ipſoſque benigniores probabiliſtas proſcriptis, vel jure proſcribendis exceptis, manibus pedibuſque in noſtram concedere ſententiam. Quandoquidem omnes peculium permittunt ſolum in hypotheſi veræ neceſſitatis, pluribuſque adjectis limitibus, quod & nos impertimur. Nobiſcum omnes damnant peculium nullis definitum terminis, nec uſus, nec temporis, nec quantitatis. Nobiſcum omnes adfirmant Prælatos Regularium teneri ad hanc tollendam neceſſitatem, victum & veſtitum de communi ærario, ſi fieri poteſt, ſubminiſtrando, niſi grave timeant ſcandalum, quod rebellione ſubditorum contingere poteſt. Nobiſcum tandem concludunt, ſubditos peccare mortaliter veroſque eſſe proprietarios, cum Prælatis communitatem invehere conantibus, reſiſtunt. Singulas propoſitiones ad ſeverum criterium exige, & ſi vel unam minus conſiſtentem inveneris, victoria tua eſto. Quod ſi omnes firmæ, ſi omnes luculentæ, te quoque iſtius conſequutionis judicem habere volo: Depoſita ſeu peculia, quæ in tot Cœnobiis opulentiſſimo patrimonio inſtructis vigent, paupertatis Monaſticæ voto hoſtiliter repugnant, iiſque utentes in omnium Theologorum, & Canoniſtarum ſententia proprietatis vitio laborant, pauciſſimis exceptis, qui ideo excuſantur, quod nequeunt multitudinem in ordinem redigere, neque eo rem deducere, ut ſine peculiis vivere poſſint. Hactenus de Caſuiſtarum auctoritate.

IV. Ad ſecundam quod attinet partem objicientem, durum nimis aſperumque videri tot viros doctos, optimis ornatos moribus, tot Prælatos, Epiſcopos, & Pontifices, qui in tali vixerunt ſtatu, proprietates damna-

re,

re, paucis me expedio. Ex data enim reſponſione omnis evaneſcit fucus. Siquidem vel in ſenſu a nobis explicato peculia propugnarunt, iiſque uſi ſunt, & tunc nobiſcum ſenſerunt. Si aliter, eos reprobamus. Et quod eorum ſpectat ſanctitatem, eorum ego ſanctitatem duntaxat colo, quos in ſuum Kalendarium adſcripſit Eccleſia, cœteros omnes Divino relinquo judicio. Hoc unum ſcio, viros Dei omnes ſumma in paupertate vitam voto potiſſimum conſecratam duxiſſe, aliiſque amplectendam ſuaſiſſe. Nunquid in ſanctorum catalogo eos locabis, qui docuerunt Regulares ſine paupertatis ſolemni ritu Deo adpromiſſæ jactura, immo & læſione, poſſe ſuperflua, pretioſaque vaſa aurea, argentea, gemmas, & margaritas retinere? Fuerint, per me licet, in cœteris ſancti, in hac certe promenda doctrina non cenſeo de Eccleſia adeo benemeritos, ut iiſdem altaria erigere debeat, atque thurificare. Quinimmo plures reperiri aſſerimus, qui quemadmodum, ut in Chriſtianos miſericordes evaderent, Euangelii mandata ſuavitate delinierunt, ſic ut clementiores erga ſemetipſos forent, benignioribus commentis Monaſtica vota emollierunt, ſuæque humanitati inflexere. Horum interpretamenta tamquam regulari diſciplinæ infenſiſſima, rebuſque ſacris diruendis accommodatiſſima amaris lacrymis deploravit, & acrioribus verbis inſectarus eſt Pater Goſvvinus Nikel Præpoſitus Societatis Jeſu in epiſtola de amore, & ſtudio perfectæ paupertatis, in qua poſt ſeveram cenſuram inuſtam variis commentis, quibus nonnulli paupertatem Euangelico-Monaſticam cum pecuniarum affluentia conſociare ſatagebant, hæc ſubdit: *Quæ dum memoro, ſubit animum, nec ſine mærore fateor, recordatio nonnullorum, qui ſibi infeliciter, aliis damnoſe acuti laxandæ ultra jus faſque omne paupertati, ſua quædam commenta excogitant, vel aliunde conquiſita in vulgus aſſerunt, docentes gravia quædam & factu admodum periculoſa, ſalva atque integra paupertatis & voti obligatione, licere. Invehuntque ea paſſim ejuſmodi rerum ignaris, ne, ut ajunt, imperitia ſua decepti trepident timore ubi non eſt timor, & fruſtra peccent, ſi forte illicitum putent, quod Doctorum hominum (oh Dii boni! Qui Doctores!) arbitratu, quorum munus eſt haſce de conſcientia quæſtiones diſſolvere, tuto & ſine ulla culpæ ſuſpicione fieri poſſe ſtatuitur. Qua ſane pietate nihil crudelius fingi poteſt.* Nihil profecto ea miſericordia crudelius, quæ ut blandimentis vulnera mortalia foveat, & paſſionibus ſamuletur, in ſalutem ſævit animarum. Verum de his pluſquam ſatis.

V. Id porro quod tertio loco addunt, Religiones Reformatas, atque adeo ipſos Capuccinos ſuum habere peculium, veſtes nempe, calculos precatorios, calceos, breviarium, lectiſternia, idque genus alia, purus putuſque eſt paralogiſmus. Quandoquidem ubi viget communitas in eodem veſtiario, & cellario ſingulis, prout cuique opus eſt, ſupellex Religioſo ſtatui congrua impertitur; neminem neceſſariis egere, neminem ſuperfluis redundare, neminem ſitire, neminem ebrioſum eſſe permittitur, ſicuti

& acta

Digitized by Google

& Acta Apoſtolorum, & Regulæ Monachales omnes præcipiunt. Neque hujuſmodi ex communi penu proviſionem a quoquam vel Theologorum vel Canoniſtarum peculium vocatur, aliter in Eccleſia Dei nunquam floruiſſet communitas ſine peculio. Iſtud enim in omnium ſententia, portio quædam eſt pecuniæ, vel bonorum temporalium, quam Religioſus ſeorſim a communi patrimonio tamquam propriam, ſeu quod ajunt, appropriatam retinet. Ex his colligas velim, quanta authoribus iſtis habenda ſit fides, quantumque eorum auctoritati ſit deferendum, qui ſophiſmatibus Euangelicæ paupertati tenebras prætendere adnituntur. Quod tandem addunt, eadem ratione, qua Prælati impertiuntur ea, quæ in objectione narravimus poſſe alia, & alia abundantiora largiri, ex eodem profluit errore. Poſſunt, immo tenentur Prælati ex communi ærario ſubditis omnibus congruam ſupellectilem miniſtrare; nequeunt autem peculia permittere. Eorum poteſtatis officium eſt omnia in commune redigere, & ea cuique, prout opus fuerit, tribuere. Conſule ea quæ (cap. 3.) hujus diſſertationis diximus.

CAPUT OCTAVUM.

Rejicitur octavum argumentum: ad communem ſcilicet vitam non teneri Regulares in Cœnobiis deformatis profeſſos, quoniam emiſſæ profeſſionis tempore, non communis vita, ſed peculia vigebant.

I. OPus cujuſque voti non ultra progreditur, quam voventis intentio. Hæc ſola promiſſæ obligationis regula eſt, atque menſura. Intentio autem noſtra in paupertatis voto, quod Deo nuncupavimus, mori & conſuetudini, quæ, tempore noſtræ profeſſionis, in Cœnobiis vigebat, conformis fuit, nec ultra proceſſit. Porro id temporis quiſque ſuum habebat, non ſecus, ac hodie, peculium, ſuas domunculas, ſcrinia, ornamenta, aurum, & argentum, iidem ludi, eædem comeſſationes, oblectationeſque, quibus pellecti ad talis conſuetudinis normam paupertatem noſtram profeſſi ſumus. Quid igitur aures noſtras obtunditis, nunc ubique inclamantes: Communitatem, Communitatem? Communitas iſthæc jam tum præter intentionem voti noſtri fuit, cum Religioſam vitam profeſſi ſumus. Neque enimvero aliud onus amplecti animo noſtro inſedit, quam illud, quod portabant Patres, & Magiſtri noſtri, & portaverunt avi proavique.

II. Hæc frequentior eſt, quæ opponi ſolet excuſatio, & hæc eſt omnium tergiverſationum imbecillior, inanior, & ſi ita loqui fas eſt, omni ex parte falſa. Tirocinia, quæ in quoquo ordine antequam profeſſio edatur, juvenes profeſſuri præmittunt, ſunt evidentia argumenta objectæ falſita-

ſitatis. Et primum plures ordines peculiares conſtitutiones habent, quæ conceptis verbis oppoſitam excuſationem rejiciunt. Ordo Prædicatorum, ut huic perfugio rimam quamque occluderet, hanc rogavit legem, quæ in ſuis Conſtitutionibus inſerta legitur (Diſt. 1. cap. 14. text. 10.) *Mandamus autem ſub pœna abſolutionis ab officio, & gravioris culpæ Prælato, ut quando vocatus fuerit Novitius ad terminum profeſſionis ſuſcipiendum EXPRESSE proteſtetur eidem, quod profeſſio ſua eumdem obligabit ad tria vota, paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ ſecundum Regulam Beati Auguſtini, & Inſtitutiones Fratrum Prædicatorum, & NON SECUNDUM QUOD HIC vel IBI SERVATUR.* Severiorem legem, quod ad præcavendos attinet inanes prætextus conſuetudinis tempore emiſſæ profeſſionis obtinentis, habent Religioſi Societatis Jeſu. Siquidem edita ſolemni profeſſione trium votorum, peculiari voto ſe ſe obſtrigunt ad nunquam laxandam, ſed ad reſtringendam potius paupertatem Apoſtolicam ſocietatis. En votum, quod omnes profeſſi edunt. *Ego N. Profeſſus Societatis Jeſu, promitto Deo omnipotenti coram ejus Virgine Matre, & tota curia Cœleſti, & coram R. Patre Præpoſito Generali, vel coram N. locum Generalis Præpoſiti tenente nunquam me acturum quacumque ratione, vel conſenſurum ut quæ ordinata ſunt circa Paupertatem in conſtitutionibus Societatis, immutentur: niſi quando ex cauſſa juſta rerum exigentium videretur Paupertas reſtringenda magis.* D. enim Patriarcha Ignatius *voluntariam paupertatem appellabat*, inquit Maffejus in ejuſdem vita (lib. 3. cap. 8.) *Religionis murum.*

III. At ne tempus in cujuſque Ordinis legibus recenſendis teramus, nonne illo Novitiatus anno, quem probationis vocant, Regulæ, & conſtitutiones leguntur, & explicantur? Quis eſt, qui antequam profeſſionem ederet, præcipua ſuæ Regulæ capita ignoraret? Quin non modo in *Novitiatibus* Regulæ & conſtitutiones leguntur, ſed exequutioni quoque demandantur. In qualibet Religione quantumlibet ab antiqua obſervantia collapſa, Novitii experiuntur Regulæ profitendæ ſeveritatem, tum in veſtium aſperitate, tum in abſtinentia, & jejuniorum obſervantia, tum in ſenſuum cuſtodia ſeveriori, & ſolitudinis cultu, & a mundanis oblectamentis & commerciis omnimoda ſeceſſione. Hæc omnia explorata, compertaque ſunt. Bone Deus! Antequam Regulam profiteantur, Regulam ſervant. Poſtquam ſolemni ritu Regulæ obſervantiam Deo ſpoponderunt, Regulam ſervare negligunt. Quando nulla erat ſervandæ Regulæ obligatio, Regulam implebant: elapſo Novitiatus anno, & contracto, ſacræ profeſſionis vi, debito exequendi quæ Regula jurata præſcribit, ſe ab illius obſervantia eximere conantur.

IV. At Regulam profeſſi ſumus juxta morem, qui tum in Monaſterio obtinebat. Falſitas oppoſitionis ex dictis patet. Alia tamen via eam explodere lubet, ut penitus convulſa remaneat. Omnes profitentur Regulam, ut a Sede Apoſtolica approbatam. Sed Apoſtolica Sedes non ap-

pro-

probavit Regulas Monachales juxta abuſus quorumdam Religioſorum, ſed prout eas ediderunt Sanctiſſimi Patriarchæ Ordinum inſtitutores. Omnes porro Regulæ a Sede Apoſtolica confirmatæ vitam communem imperant, ergo ad eam omnes Regulares tenentur, nulla opitulante excuſatione. Si profeſſio emiſſa fuiſſet ſecundum mores quorumdam Religioſorum tranſgredientium Regulam, profeſſio nulla revera eſſet. Verum ſicut in nullo Tribunali invalida reputatur profeſſio iſtorum, qui ſic ſe excuſant, quia falſus judicatur prætextus: ita in nullo Tribunali admitti poteſt exemptio ab obſervantia Regulæ, quia fallax & inepta creditur præfata excuſatio. Quamvis ergo aliqui perſiſterent, ſe ita profeſſionem edidiſſe, nulla iiſdem adhibenda fides eſſet, quemadmodum nulla fides illis præberetur, pro reſcindendo profeſſionis vinculo. Præter quam quod ſi plures Regulam violabant; plures quoque eamdem ſervabant. Cur ſecundum iſtorum mores non fuit edita profeſſio? Accedit, quod quamvis olim, non tamen nunc, allegari poteſt ejuſmodi excuſatio; eo quod Clemens VIII. Urbanus VIII. Alexander VII. Innoc. XI. Innoc. XII. cæterique omnes Pontifices Summi præcipiunt Novitios recipi, & profeſſionem fieri in illis dumtaxat Conventibus, uti viget obſervantia Regularis. Quid plura? Novitii ipſi ter, aut quater in anno has Pontificias Conſtitutiones in publico refectorio legunt. Poſtremum ſi cathecumenus adultus ſacro baptiſmate ſuſcepto, & ſancta Euangelii profeſſione edita, præcepta euangelica negligeret, propterea quod dum Euangelium ille profeſſus eſt, Chriſtianorum plurimi Euangelium tranſgrediebantur, eſſetne excuſatione dignus?

V. Non negaverim aliquas conſtitutiones Monachales præſcriptioni eſſe obnoxias, dummodo omnes occurrant conditiones, quæ pro vera præſcriptione neceſſariæ ſunt, quod raro contingit ob contradictionem, & Religionis in Capitulis Generalibus, & Summorum Pontificum in ſuis Conſtitutionibus. Sed vota ſolemnia, ut & ea quæ cum eorumdem obſervantia neceſſario ſunt annexa, nulli ſubjacent contrariæ præſcriptioni, ut dictum ſæpius eſt, repetendumque nunc opportune videtur. Porro communitas bonorum cum excluſione cujuſque privati peculii, vel ipſius voti paupertatis Monaſticæ quidditatem pervadit, vel medium eſt cum eo in morali acceptione adeo connexum, ut, illa ſublata, vix, ac ne vix quidem, conſiſtat. Quamobrem ſupra cap. 4. oſtendimus, nulla conſuetudine vel præſcriptione hanc communitatem aboleri poſſe. Itaque quicunque deliberato, ſerioque animo paupertatis Religioſæ votum emittit, eadem intentione media connexa, & ad ejus obſervantiam neceſſaria ſpondet, vel jure ſpondere tenetur. Qui enim ſincere vult finem, media ſeu inſtrumenta itidem velit, neceſſum eſt. Neque contraria vovendi intentio, quæ in praxi vix contingit, non ad præſcriptum Regulæ, ſed juxta abuſus & corruptelas, quæ profeſſionis tempore vigent, plus præſidii confert, quam iis, qui Matrimonium inirent, intentione adulterandi, quoniam

Digitized by Google

niam ſuo in oppido frequens eſt adulterandi abuſus. Quare merito irriſionem Dei, ſimilem intentionem vocat perdoctus Johannes Heſſelius, qui Concilio Tridentino interfuit in Decal. (cap. 81.) *Contingit hominem inveniri infidelem, ſeu non ſervantem promiſſum: primo ſi quod vovet implere non ſtatuat, quod vovet, uti faciunt illi, qui vovent quidem vitam inſtituere ſecundum regulam Benedicti vel Auguſtini, ſed quoniam a cæteris qui eandem voverunt, negligi vident, cogitant atque proponunt eam ſervare ſicut eam ſervari inveniunt, hoc eſt proponunt eam violare. Hi vovendo Deum irrident. Non minus tamen vero ſunt obligati, quam ſi inter recte Regulam obſervantes, illud emiſiſſent.*

IV. Illud quoque accedit, Religioſos obedientiam Prælatis ſuis in omnibus iis ſpondere, quæ ad votorum & Regulæ, quam profitentur, exactam obſervantiam conducunt. Porro graviſſimum Prælatos manet onus peculiorum abuſus reformandi, communemque vitam invehendi, ut Diſſ. 3. palam fecimus. Quæcunque ergo fuerit voventis intentio, obedientiæ vinculo obſtringitur ad parendum Superioribus in iis maxime, quæ ad votorum attinent obſervantiam. Sed quid multa? Ad ipſius Caramuelis Tribunal cauſſam hanc deferre volo. Nec enim ſuſpicari licet, quempiam repertum iri, qui hominem Euangelicæ auſteritatis, ſi quis alius, delinitorem pro ſe arbitrum ſedere nolit, dum indulgentiam quærit. Itaque controverſiam dirimat Caramuel ipſe eo ad benignitatem proclivior, quo longius a ſeveritate abeſt. Is autem ſententiam ſuam promit Theolog. Regular. (Diſp. 48. art. 1. n. 631.) quam oculis tuis ſubjicio.

V. Ex prædictis omnino clarum evadit quam periculoſe illi ſe fallant, "
qui cum in ſua profeſſione Deo voverint converſionem morum ſuorum, "
& ſecundum Regulam S. Benedicti, exiſtimant tamen ideo ſe ex voto "
non obligari ad *vitam communem, quia illa tempore profeſſionis ſuæ* "
non ſervabatur in Monaſterio, & quia non intendebant (ut putant) ſe "
ad aliud obligare vi voti, quam ad id quod videbant in Monaſterio ob- "
ſervari. Cum enim in iis quæ claris, & ſpecialibus verbis deliberate- "
que prolatis vovent, non differat intentio ab expreſſione verborum, "
clarum eſt omnes dictos Religioſos intendiſſe Deo vovere quod verbis "
expreſſerunt. Multitudo autem peccantium & violantium votum ſuum, "
neminem a peccato excuſat. Similes autem ſunt tales Religioſi illis "
conjugibus, qui putant, ſe non violare fidem uxori promiſſam, ſi cum "
aliis mulieribus congrediantur, eo quod plures conjuges ſui pagi, vel "
oppidi adulteri ſint; aut iis qui putant ſe non perjuros eſſe, dum ju- "
rant ſe non ſimoniace obtinuiſſe beneficium, quod ſimoniace acquiſi- "
verunt, propterea quod illi inter quos habitant ſimili ſimonia perve- "
niunt ad beneficium, & ſimiliter perjuri ſunt. Turpiter hi abutuntur "
verbis S. Bernardi (lib. de præcept. cap. 20.) dicentis. *Quiſquis tenet* "
quod teneri invenerit bonum, ubi profitetur, profecto vivit ſicut pro- "
mittit, quia non aliud procul dubio promittit, quam quod habere pia "

„ *eorum vita videtur cum quibus ſe vivere deinceps diſponit & legit* „ & iterum „ *Quia non eſt omnibus una cordis intentio, poteſt indubitanter ſine* „ *detrimento ſalutis & ſine damno profeſſionis operis quoque non una ubi-* „ *que obſervatio celebrari.*

„ Legunt D. Bernardum, & nolunt intelligere ut bene agant. Juvabit „ ejus verba expendere. *Quiſquis tenet quod teneri invenerit bonum ubi profitetur, profecto vivit ſicut promiſit* „ Ergo qui tenet quod teneri in- „ venerit malum ubi profitetur, ſane is non vivit ſicut promiſit. Atqui „ abuſus & illegitimæ conſuetudines malæ ſunt: Ergo licet inveneris ubi „ profeſſus es, illas tenere non poteris, aut ſi tenes non vives ſicut pro- „ miſiſti. Loquitur D. Mellifluus de Monaſteriorum variis uſibus & rela- „ xatione. Si aliquid in Monaſterio fiat contra tenorem Regulæ diſpenſan- „ te Summo Pontifice bonum eſt, & uſus Monaſticus vocari poteſt: ſi „ fiat contra Regulam & nulla adſit diſpenſatio legitima, illa conſuetudo „ irregularis eſt, abuſus eſt. Hinc intelligitur D. Bern. cum eodem capite ſic „ ait: *Si quod pro ſui clauſtri ritu, vel mutant, vel prætermittunt* „ „ nempe rationabiliter, hoc eſt cauſſa legitima poſcente, Pontificeque „ diſpenſante: *a regulari tamen profeſſione non diſcedunt; donec tamen* „ *ſobrie & juſte, & pie pro ſuorum moribus vivere non deſiſtunt* . . . . „ Salva igitur cuique manet in Cœnobiis bene ordinatis profeſſio, tan- „ tum ſi ſana fuerit intentio & recta, cum igitur non vivere in commu- „ ni, comedere carnes feriis quartis & ſimilia, (ſi fiant) abuſus ſint abſ- „ que legitima diſpenſatione aut cauſſa introducti, ſequitur ad hujuſmo- „ di obſervantias compelli poſſe, nec a D. Bernardo excuſari: Maxime „ cum Concilium Tridentinum præcipiat ſervari in Monaſteriis ſubſtan- „ tialia vota, nec non ad communem vitam & victum pertinentia. Se- „ quitur etiam non poſſe Religioſos ſuam ignaviam tueri contra Refor- „ matores, ex eo quod tempore profeſſionis illa non ſervabantur, quia „ tale Monaſterium irregulare erat & potuit, immo debuit reformari.

V. Adeo perſpicua eſt Caramuelis ſententia, ut nihil addendum ſuperſit. Narrationem duntaxat adjicere lubet, utpote ad emolliendam voluntatem ſatis idoneam. S. Robertus Abbas Moliſmenſis ac Ordinis Ciſtercienſis fundator, ſimulatque Reformationis conſilium patefecit, perfractarios calumniatores, perſecutoreſque expertus fuit. Non defuerunt tamen viri Dei, qui graſſantes Benedictinæ Regulæ abuſus ægreferentes ſancto Reformatori manus dederint; nihilque carnalium hominum prætextum conſuetudinis objicientium morantes calumnias, ſe perjuros confeſſi ſunt, quod Regulam, quam profeſſi fuerant, non ſervabant. Rem narrant, ex Henriquez in Apparatu ad Menologium Ciſtercienſe, Continuatores Bollandi (Tom. 3. April. 29.) *in Commentario prævio ad vitam S. Roberti*. (§. 2.)

Hi itaque ſervi Dei pauci numero, ſed igne illo quem Dominus Jeſus miſit in terram & vult vehementer accendi, fortiter inflammati, dum

quo-

quotidianas Regulæ lectiones a Capitulo audirent, & aliud Regulam præcipere, atque aliud conſuetudines Ordinis tenere perpenderent, graviſſime contriſtabantur videntes ſe cæteroſque Monachos Regulam B. Patris Benedicti ſolemni profeſſione ſervaturos fore promiſiſſe, ſed ſecundum inſtituta ejus nequaquam vivere. Primitus ergo privatim ſæpius inter ſe colloquentes tranſgreſſionem ſuam conquerebantur, & quonam modo hujus tanti mali remedium invenire poſſent, ſolicite tractabant. Cum vero poſtea verbum effuſiſſet in publicum, cæteri qui carnales erant, nec poterant dicere cum Propheta : (Thren. 1.) *quia de excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me, ſervos Dei deridere modiſque omnibus, quibus poterant, ut a ſancto propoſito ceſſarent, infeſtare cœperunt. At illi, qui ſpiritu Dei agebantur, & propterea liberi erant, non curantes eorum malevolas infectationes, toto mentis anniſu ad Deum converſi precibus inſtantiſſime poſtulabant, ut Domini pietas eos ad talem locum dirigere dignaretur, in quo vota labiorum ſuorum, quæ ſecundum Regulam firmaverant, ſed non ſervaverant, reddere poſſent . . . . Erat tunc in Galliarum partibus ſedis Apoſtolicæ Legatus Venerabilis Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus vir Religione, prudentia & auctoritate venerandus. Hunc prædictus Abbas & Fratres, qui deſiderio innovandæ Monaſticæ Religionis flagrabant, adeunt, æſtus & vota cordium ſuorum humiliter pendunt. Conſuetudines Ordinis a Regula, quam erant profeſſi, nimium diſcrepare conqueruntur, propterea manifeſte perjurii crimen ſe ſcienter incurriſſe dolendo fatentur.* Habes hinc Probabiliſtarum benigniſſimi Auctoris ſententiam luculentam prætextum tuum damnantem : habes illinc ſanctos Dei viros, qui voce, & exemplo cavillos ſuos, ceu ſacrilega perjuria execrantur. Si plura cupis, lege quæ dicta ſunt Diſſert. 1. cap. 4.

CAPUT NONUM.

Nonum rejicitur argumentum ab Epiſcoporum, & Parochorum Regularium, aliorumque Religioſorum exemplo deſumptum.

I. IN Regularibus ad Plebanatum, vel Epiſcopatum evectis votum remanet paupertatis, & tamen iſti communem vitam non ſervant. Item Æquites D. Johannis Hieroſolymitani votum emittunt paupertatis, non minus ac cœteri Regulares, nihiloſecius communem vitam minime ducunt. Stat ergo paupertatis votum ſine communitate, niſi dicamus aliam eſſe eſſentialem paupertatem Epiſcoporum Regularium, a paupertate Cœnobitarum.

II. Qui hæc objiciunt, vel ipſius controverſiæ nomen ignorant. Jam ſub Diſputationis initium diximus votum paupertatis ſignare, ut ajunt,

acceptum diverſos excipere ſtatus, & modos. Suapte natura neque complectitur, neque repellit communitatem. Quod hunc præ alio ſtatum modumque ſubeat, a ſtatuto pendet Eccleſiæ, cujus eſt, methodum ſolemnia & publica vota ſervandi, præſcribere, regulamque proponere, ad quam ſponte voventes intentionem ſuam conformare tenentur. Eo ferme modo, quo jejunium per ſe plures abſtinentiæ gradus admittit. Alia eſt Græcorum, alia Latinorum, alia Hebræorum abſtinentia. Illud jejunium, eodem tempore, eiſdem circumſtantiis, eodem ciborum delectu quiſque ſervare tenetur, prout Eccleſia ſua præcipit. Porro omnes Regulæ Monachales ab Eccleſia confirmatæ præcipiunt paupertatem communi vita ſervandam. A quibus? Ab iis, qui in ſocietate vivunt. Communitas enim, ut ipſum nomen ſonat, plurium ſocietatem adfert. Si ſocietas deſit, deficiat quoque Communitas neceſſe eſt. Quare non temere, ſed ex animi ſententia diximus, Communitatem; non quamcunque, ſed Monaſticam tantum, paupertatem comitari, eoſque ad Communitatem teneri exactam, qui in Cœnobio ſocialem vitam ducunt. Extra Cœnobium commorantes, ut Regulares Parochi, Epiſcopi, itinerantes ad eam obſtringuntur paupertatem, quæ eorum ſtatui conformis eſt. Quid ergo opponis? Epiſcopi Regulares non ſervant Communitatem licet voto adſtricti: igitur ſine communitate conſiſtere paupertas valet. Paupertas abſolute accepta concedo, Monaſtica nego. At Epiſcopi Regulares Monaſticam voverunt paupertatem: hæc & non alia in iis remanet. Monaſtica itaque ſine communitate ſubſiſtit. Monaſticam utique voverunt paupertatem, ſed eo uſque ſervaturi, dum Cœnobiticam vitam degiſſent. At nunquid alia eſt eſſentia paupertatis regularis Epiſcopi, ab eſſentia paupertatis Cœnobiſticæ? Cum diverſus ſit Epiſcoporum Regularium ſtatus, a Monachorum in Cœnobio degentium conditione; idcirco alius illorum, alius iſtorum, alius paupertatis gradus eſt. Si Epiſcopi Mitra relicta ad clauſtra remearent, communi vitæ aſtringerentur.

III. Ex his, quæ dicta ſunt, cætera quæ objiciuntur, ſoluta remanent. Æquites Hieroſolymitani, hiſque ſimiles Cœnobiticam vitam non agunt, ideo paupertatem eorum ſtatui convenientem profitentur, & ſervant. Parochi Regulares, qui extra clauſtra commorantur, omnia ex Superiori arbitrio adminiſtrant, & quæ eorum ſuſtentationi ſuperſunt, ad proprios Prælatos deferunt. Solemnis paupertatis profeſſio juxta diverſum Religioſorum ſtatum, varios excipit gradus, & appendices. Nec enim in aliquo individuo puncto concluditur, ſed circumſtantiis mutatis, & ipſa mutationem ſubit. Apoſtolica Communitas omnibus ſuccurrit, non æqualiter, ſed prout cuique opus fuerit. Regulares dum iter agunt, dum extra cœnobia commorantur, communem vitam non ſervant; ergo eam ſervare non aſtringuntur, cum ad Cœnobia redeunt, & ibidem permanent? Verum de his pluſquam ſatis.

C A.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM.

Decimum diluitur argumentum, quo repræſentantur bona, & commoda, quæ ex peculiorum abuſu profluunt, potiſſimum ſpiritualia, nempe ſacra ſupellex, & Templorum ornamenta.

I. NE quidquam eorum, quæ objici ſolent, ſilentio præteream, bona, quæ peculia pariunt, quæve, communitate invecta, ceſſarent, ob oculos ponam. Fertur ergo ædificia, reditus, ſupellectilem, ornamenta templorum, ſin omnia, plurima ſaltem ex Religioſorum peculiis obrigiſſe. Ille, inquiunt, altaria erigit, iſte calices, vaſa argentea, veſtes ſacras donat, & tandem poſt mortem Cœnobium opima ſpolia, ut vocantur, frequenter colligit.

II. Tantum poſſunt præjudicatæ opiniones, & inveteratæ conſuetudines, ut vel manifeſtam veritatem obſcurent. Religioſi, Parentes, mundum, divitias & omnia, quæ habebant, reliquerunt, ut in paupertatis ſpiritu Deo inſervirent. Quo ergo jure holocauſtum paupertatis ſolemni ritu Deo oblatum ſurripere contendunt, & pro ingenio donaria argentea, & aurea illi offerre? Numquid Deus pecuniis indiget? nunquid ut Dei templa ornentur, vota illi nuncupata negligenda ſunt? *Numquid vult Deus holocauſta, & victimas, & non potius, ut obediatur voci Domini?* (1. Reg. 3.) & per Prophetam Jeremiam (cap. 6.) *Ut quid mihi thus de Saba offertis, & calamum ſuaveolentem de terra longinqua: holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi.* Cavendum, ne iſtis accidat, quod ſcribit Anonymus (hom. 45. in Matth. inter opera D. Joan. Chryſoſt.) *Ecce enim, qui martyria ædificant, Eccleſias ornant, bonum opus facere videntur; ſed ſi quidem, & juſtitiam Dei cuſtodiunt . . . jam ergo ex antiquis temporibus morbus iſte in hominibus habebatur. Dicebant enim apud ſe: Si bene fecerimus pauperibus quis illud videt? & ſi viderint, non multi vident: & ſi multi viderint, pro tempore vident. Non ergo melius ædificia facimus, quæ omnes aſpiciunt, & non ſolum hoc tempore, ſed etiam impoſterum? O inſipiens homo, quid tibi prodeſt poſt mortem iſta memoria, ſi ubi es, torqueris, & ubi non es, laudaris?* Cavendum ergo eſt, ne animos noſtros ſimilis gloriæ æſtus invadat. Si Patres Sancti falſæ pietatis arguunt, vel ipſos mundi homines, qui, neglecto eleemoſinæ præcepto, martyria ædificant, Eccleſiaſque ornant: quibus exciperent increpationibus Religioſos, ſi voto ſolemni paupertatis aſtrictos cernerent propriis peculiis altaria excitare, & aurea ornamenta templis exhibere? Quid ſi ſacræ veſtes donarentur, hac lege, ut quoad vixerint donatores, ipſi uterentur eiſdem? Quid

ſi pro

ſi proprio gentilitio ſigillo donaria obſignarent, & ædificiis erectis proprium nomen inſcribi curaretur? Cur comparatæ pecuniæ vix unquam ad pauperum Fratrum inopiam levandam erogandum? frequenter objicitur communitatis præceptum ideo ſervari non poſſe, quod tenue ſit Cœnobii patrimonium? Cur in iſtius incrementum ſuperflua peculia non conferuntur, ut communitatis præceptum ſervetur? Bonorum omnium communitatem Regulæ præcipiunt omnes. Votum ſolemne paupertatis eamdem ſibi vendicat. Nemo vero Religioſorum præcepto urgetur, ut Templa privatis peculiis amplificet, aut ut ornamentis eadem ditet. Cur ergo præceptum negligitur, ut arbitrariæ pietati litetur? Quiſque Regularium obſtringitur operam ſuam dare, ut communitas bonorum invehatur. Plurimum autem ad hanc exequendam communitatis obſervantiam conducerent privata peculia. Qua ergo ratione a culpa excuſari poſſunt, qui in commune conferre ſua peculia recuſant? qui nihil curantes iſtius præcepti obſervantiam, ſua peculia pro arbitrio in res quandoque ſacras, quandoque non ſacras diſtrahunt?

III. Peculia acquiſita ſunt. Nonne ſatius eſt eadem Divino cultui conſecrare, quam in ludos, in epulas, reſque vanas prodigere? Minus utique malum eſt. Sed neque hoc faciendo profeſſionem tuam imples. Vi paupertatis Monaſticæ aſtringeris omnia bona in commune conferre, ut Prælatus valeat omnibus ſuccurrere. Omnes religioſi jus habent, ut ex tuis peculiis privatis ſibi in neceſſariis provideatur. Quot ſunt, qui tum ſani, tum infirmi gravi premuntur neceſſitate? Quoties ergo templa Dei viva negliguntur, illiſque, quæ ſua ſunt, ſurripiuntur, quamquam in finem ornandi templa materialia toties voti tranſgreſſio non vitatur. At ſi Prælatis peculia dentur, non in Religioſorum commodum, ſed in res inutiles eadem expendunt, ut experientia conſtat. Ut ut hoc ſe habeat. Tu non de Prælati tui adminiſtratione minus provida, ſed de tuæ profeſſionis obſervantia, & tranſgreſſione, Deo rationem redditurus es.

IV. Si hæc non infrequens repugnantia conferendi in commune ærarium privata peculia, & vehemens propenſio eadem in res quæ genio proprio arrident, libenter diſtrahendi, ſerio animo reputetur, vereamur oportet, ne in his donariis, quamtumlibet ſacris, propriæ voluntatis, ſeu proprietatis vitium ſerpat, & cujuſdam humanæ gloriæ appetitio ſaturetur. Commeditandum ergo eſt, nihil nobis profuturum eſse laudari, ubi non erimus, ſi futurum eſset, ut torqueremur, ubi erimus. Quamquam D. Patriarcha Chryſoſtomus præter futura ſupplicia iſtius quoque mundi ignominiam, & infamiam minatur illis, qui ampla ædificia erigunt ut gloriam terrenam captent. *Aut non vides, quomodo multi ſplendidas ædes illas contemplati talia inter ſe invicem ſermocinantur? Quantum ille defraudavit, quantum rapuit, inquiunt, ut hanc domum ædificaret . . . . Non igitur gloriæ tuæ memoriam poſt te relinquis, ſed avaritiæ . . . . Donec enim ipſa ſteterit cognomen tuum habens, omnino neceſſe eſt cunctorum*

ctorum ora adverſum te reſerari . . . & iſta quidem in hac vita, in futura vero quid faciemus, dic quæſo?

V. Verum non modo Patres antiqui; ſed ipſi Theologi recentes ejuſmodi mala deteſtantur. Miſſis plurimis pauca tranſcribam ex *P. Maſtrio*, qui in ſua Theol. Mor. (diſp. 14. art. 5. n. 47.) adverſus potiſſimum Prælatos, qui pecunias congregant, & vitam communem invehere negligunt, hæc ſcribit. *Quamvis enim extrinſece ſanctitatem, & ſermonibus publicis, ordinibus, & factis quibuſdam externis, Religionis reformationem, & vitæ communis reparationem prætendere videantur; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, & non niſi pecuniæ inhiantes, & munera accipientes a Religioſis dignitates, & officia ambientibus, quantumvis indignis, & dignioribus prætermiſſis. Et hoc quotidiana experientia demonſtrat in quibuſdam Religionibus. Miniſtri enim Generales, terminato earum officio ditiores facti dignitates Eccleſiaſticas extra Religionem quærunt; vel ſi in Religione perſiſtant, omnes cumulatas opes ad ſuos conventus deferunt, in quibus nec etiam vitam communem obſervari procurant, & hoc eſt, quod Faber noſter zelo Religionis impulſus exaggerat, & cum lacrimis deplorat.*

VI. Fortius invehitur in hæc mala clariſſimus Johannes Nyder in ſuo tractatu de Reformatione (cap. 15.) *Ad quartamdecimam objectionem jam reſpondendum eſt ubi reformari recuſant, eo quod per diſpenſationes & modos vivendi hactenus a longinquo tentos facilius, ut dicunt, procurantur res religioni neceſſariæ, utputa potiſſimum in Ordine Mendicantium, libri plurimi, & in omnibus Conventibus & Monaſteriis multæ ad habitandum domunculæ, quinimmo aulæ plerumque magnæ, quæ vix aut nunquam procuratæ fuiſſent de Communibus, ſed facilius ædificatæ appropriatis Monachorum aut Fratrum pecuniis. Similiter de multis picturis & de multis Sanctorum tabulis & ſimilibus. Reſpondetur ſimpliciter negando totum. Quia olim ante lapſum Ordinem & hodie apud reformata loca talia, pro quanto ſaltem Religioni congruunt, copioſius procurata ſunt, & hodie procurantur facilius. Qui videt, teſtimonium perhibet de iis quoad omnia pene apud quæ ſunt in Alemania reformata Monaſteria, ubi quotidie librorum coacervatur numerus, ædificia reficiuntur ruinoſa, quæ apud deformata corruunt, Monaſterio & favor accreſcit populi, augetur perſonarum valens numerus, & decor multiplicatur ſacrarum veſtium. Qui autem domunculas ad inhabitandum ſe erexiſſe gloriantur, ſi de hoc tacuiſſent, fortaſſis Philoſophi fuiſſent, quia per hæc omnis Religionis deſtructio ſuborta eſt. Nam in talibus privatis habitaculis fiunt comeſſationes, ebrietates & rerum communitatis diſpendia, ubi quilibet non communia propriis, ſed propria communibus anteponit. Ibi inepta ſolatia, chori neglectus, ibi detretationes, & contra Prælatum murmura. Seminaria ibi inchoantur diſcordiæ, & conſpirationum vitia. Et utinam non plerumque ibi forent (ſi paries fodi deberet) fornicationes,*

nes, & voti caſtitatis præjudicia. Hæ ſunt Camerulæ, quæ in Monaſteriis nonnullis jam commune deſtruxerunt dormitorium & regulare refectorium, cellas evacuant, & quod deterius eſt, deſtruunt oratorium, quia omnes ibi quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu-Chriſti. Ad nibilum ergo valent ſpeluncæ iſtæ latronum, niſi ut mittantur foras & conculcentur per eos ad quos ſpectat. Audiatur præterea Patrum ſanctorum ſententia de materia propoſita. Dicit enim ex ore Iſaac Caſſianus in Collationibus Patrum. Quidquid neceſſitatem victus quotidiani, & inevitabilem uſum carnis excedit, ad ſæcularem definierunt curam & ſolicitudinem pertinere, ut V. G. cum duarum ſufficiat velamen tunicarum, trium, aut quatuor fieri procuramus. Cumque unius ſive duarum ſufficiat habitatio cellularum, ambitione ſæculari atque amplitudine delectati quatuor ſive quinque cellas & has eaſdem exquiſiti ornatus & capaciores, quam uſus deſiderat, extruimus, quod non ſine inſtinctu Dæmonum fieri manifeſtiſſima nos experimenta docuerunt. Et ponit ibi exemplum de ſanctiſſimo Patre, qui vidit fratrem pro curioſæ cellæ extructione lapidem duriſſimum Dæmonis aſtantis inſtigatione dolare; & cum ceſſare vellet Frater, Dæmon ignitis facibus eum reaggredi opus perſuaſit inviſibiliter. Tandem admiratus Pater cellam intravit, eique dixit: Quid operatus es? reſpondit ille: Laboravimus contra duriſſimum lapidem, vixque potuimus illum aliquando conterere. Ad hæc ſenex: Bene dixiſti potuimus; non enim ſolus eras quando illud cædebas, ſed fuit alius tecum, quem non vidiſti, Dæmon, tuus ad hoc violentus impulſor.

CAPUT XI.

Diluitur ultimum argumentum, quod damnationem omnium tum Prælatorum, tum ſubditorum ex doctrina hactenus tradita conſequi improperat.

I. IN hoc quod poſtremo loco opponunt argumento, quaſi poſtrema in acie ſubſidium firmiſſimum collocant. Quantum igitur in eo roboris atque nervorum ſit, videamus. Plus enim fortaſſe eſt, quam ut contemnere, minus certe quam pertimeſcere, debeamus. Vix unquam in hanc diſputationis arenam me deſcendiſſe memini, quin arietis hujus ictus perſenſerim. Siquidem ad omnia ſolidiora argumenta has voces, buccis concrepantibus emittunt pecunioſi homines. An Patres noſtri omnes damnati? An noſtri Prælati omnes in damnationis alea verſantur? nunquid nos omnes improbi, omnes proprietarii, omnes ſacrilegi votorum violatores?

II. Lemures iſtos hoc brevi verbo propulſare poſſem: Vos dicitis. Enimvero quid hominis ſanæ mentis damnatum quempiam certo pronunciaverit?

rit? Quis ſolius ſupremi Judicis vices ſibi uſurpare auſus fuerit? At ex doctrina noſtra id conſequitur? Recte, an ſecus? Si recte profluit illatio, an falſa evaſerit, ne tuam ſubſequi damnationem dicamus? Si falſa, & diſparata: falſitatem oſtendito? Quid doctrinæ conſectarium, quod te damnat, traducis? Doctrinam ipſam adorire, ejuſque, ſi vales, exilitatem palam facito. Hoc deſperato commento omnes obſtinatæ, projectæque conſcientiæ peccatores Euangelium ipſum, atque adeo immenſam Dei clementiam & bonitatem impetunt. Quaſi lex injuſta foret, quoniam ipſi perverſi ſunt; quaſi juſtitiæ, bonitatis, ac honeſtatis confinia laxanda eſſent, ut ipſi vitiis omnibus impune habenas laxare valeant, ſuoſque explere appetitus. *Sunt impii*, inquit Eccleſiaſtes (cap. 8.) *qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant, ſed & hoc vaniſſimum judico*. Verum contra hos, qui ex peccantium multitudine impunitatem ſibi ſpondent, & ex Dei bonitate anſam ſe ſe in fæcibus ſuis volutandi arripiunt, clamat Deus ipſe per Sophoniam (cap. 1.) *Scrutabor Jeruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis. Qui dicunt in cordibus ſuis: Non faciet bene Dominus, non faciet male*. Quare ineptæ oppoſitioni hoc breve ſufficeret reſponſum.

III. Cœterum ad majorem non tam objectionis impugnationem, quam cauſſæ noſtræ illuſtrationem, corroborationemque, ad ſanctuarii Tribunal, ad Patrum, Theologorumque authoritatem hanc revocare lubet difficultatem. Quod antequam præſto, quædam præfari e re mea duco. Primum autem illud eſt, quod unius præ alio damnatio myſterium eſt, cujuſque creatæ mentis aciem fugiens. Omnes eadem verſamur in navi, hinc ſcopulis, illinc fluctibus expoſita: quinam naufragium paſſuri, quinam portum arrepturi, arcanum eſt nobis impervium, ſolique increatæ ſapientiæ reſeratum. Tantum ſupplicii de quoquam vel ominari, ne dum certo ſtatuere, humanitas ipſa refugit, horret, deteſtatur. D. Franciſcum Saleſium adeo circumſpectum, cautumque hoc in negotio fuiſſe ferunt, ut neque Calvinum ipſum Hæreſiarcham certo damnatum eſſe aſſerere vellet, eo quod perſpectum haud ei eſſet, an extrema in lucta internum aliquem pœnitentiæ fructum edidiſſet. Verum enim vero aliud eſt in aliquem particularem damnationis ſententiam veluti ex Tribunali dicere, aliud longe maxime diverſum Divinæ Legis votorumque violatores damnationis reos enunciare, pœnaſque æternas daturos, niſi Chriſtiana pœnitentia crimina expiaverint. Judicium illud decretorium eſt uni Deo reſervatum, hoc oraculum a Deo nobis eſt revelatum, quodque invicem, Deo mandante, auribus noſtris prædicare debemus, non malo imprecandi genio, quod Deus avertat, ducti; ſed caritate Chriſti, & zelo mutuæ ſalutis accenſi, ut in cordibus noſtris excitemus divinum illum, ſalubetrimumque timorem, quem initium ſapientiæ cœleſtis, æternæque ſalutis, Scriptura ſancta appellat.

IV. Itaque, ne quid temere, ne quid arroganter imprudenterque cala-

Digitized by Google

mo excidat noſtro in tam tale. roſa diculcitate, ad Scripturarum in primis, ac Patrum authoritatem confugiamus, capite vero ſequenti Theologorum ſenſa hac de re pandemus. Manus ergo conſeramus. Quid? Si conſequentiam, quam tu ceu maximum inconveniens atque monſtruoſum doctrinæ noſtræ conſectarium obtrudis, ſcripturæ ipſæ non tam concederent, quam & ſymbolicis eventibus comprobarent, & apertiſſimis oraculis aſſererent? Cedo ſodes? Quid præſidii attuliſſet hæc tua argumentatio toti humano generi diluvii acquis demerſo? Quid reſponſi dediſſes, ſi univerſi homines exclamaſſent: Numquid nos omnes ſola Noemi excepta familia naufragio peribimus? (Geneſ. 7.) Quid? Si populi quinque Civitatum Pentapolitanæ regionis exclamaſſent: Numquid nos omnes incendio ardebimus, ſola Loti familia incolumi ſervata? (Gen. 18.) Quid ſi immenſa illa Hebræorum multitudo ab Ægypto egreſſa, & ad terram fluentem lacte, & melle, Deo duce, incedens exclamaſſet: Numquid nos omnes in itinere morte confecti jacebimus, vel in diſperſionem errantes ibimus, duobus tantum Joſue, & Chaleb terram illam ingredientibus? Quid iis profuerit tua argumentatio, Scripturam conſulito, cavetoque ne eadem te maneat ſors miſera. Sed quod propius ad rem noſtram accedit, omnes proprietariorum coripheos damnatos ſcriptura teſtatur. Acham filius Charmi cum univerſa ejus familia lapidibus obrutus interiit, quod pallium coccineum, aurum, argentumque contra præceptum Domini peculatus ſit, (Joſue cap. 7.) Gietzi cum univerſa ſua progenie lepra uſque in ſempiternum, quod munera a Naaman Syro, inſcio ſuo Superiore Eliſæo, acceperit, mulctatus fuit. (4. Reg. cap. 5.) Judas quoniam Apoſtolici Collegii procurator pecunias communes furatus fuit, & Chriſtum, accepto pretio, vendidit, & ſuſpenſus laqueo crepuit. (Johan. 13. & Matt. 27.) Ananias & Saphyra repentina morte plexi ſunt, quod agri Deo nuncupati partem ſibi retinuerunt (Act. 5.) Ex his paucis collige, quam difficilis ſit proprietariorum pœnitentia, & ſalus, quorum neminem penituiſſe in Scriptura legimus.

V. Verum Symbolis, figuris cœteriſque eventibus amandatis, conſequentiam tuam evidentius concedunt Euangeliſtæ Sancti, atque confirmant. Et quanquam, quæ allaturus ſum Religioſos viros directe non tangant, iiſdem tamen applicari peroptime valent. Siquidem ut in ſæculo pauci Chriſtiani arctam viam percurrunt, ſic in cœnobiis, pauci reperiuntur, multitudine inſpecta, qui ſeverioris Monaſticæ diſciplinæ ſemitam calcent. Quare non ſecus Regulares omnes, & potiſſimum collapſæ diſciplinæ, ac cœteri Chriſtiani, pavere debent, quæ ſcribit (Matth. cap. 7.) *Arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam: lata & ſpatioſa quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam.* (Et cap. 22.) *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Eam itidem ultro concedit Lucas (cap. 13.) *ait autem illi quidam. Domine*

ſi pau-

ſi pauci ſunt qui ſalvantur. Vides jam tum conſequentiam tuam objectam fuiſſe Chriſto Domino : audi reſponſum. *Ipſe autem dixit ad illos: Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi dico vobis quærent intrare, & non poterunt.* Si conantes per anguſtam portam intrare repulſam patiuntur, quid ominandum de illis, qui non anguſtam diſciplinæ ſemitam, ſed per amplam collapſæ diſciplinæ obambulant viam?

At juvat penitius rem ingredi. Hæc a multitudine petita argumentatio recens haud eſt, ſed vetuſtiſſima fallacia. Major delinquentium numerus, ea vi pollet, ut vel ipſa prima mentis lumina obnubilare, & ſenſim rationis ſcintillas extinguere valeat. Nutant, tremuntque pauci a veritate ſtantes, in conſpectu plurimorum propugnantium errorem, qui legis authoritatem a ſequaci multitudine ſibi comparat, atque in ſui obſequium vel repugnantes allicit, trahitque. Miſſis innumeris, tum Philoſophorum, tum Patrum ſententiis, quas adverſus tam exitialem illuſionem congerere poſſem, ea dumtaxat adducam, quæ ex Magno Baſilio ſcribit D. Theodorus Studita (Epiſt. lib. 1. epiſt. 48.) apud Garnerium (in Auctat. Theodoreti pag. 690.) *Attende itaque Frater, quid Divinus Baſilius dicat in eos, qui veritatem metiuntur ex multitudine. Qui de poſita quæſtione, ait, rationem reddere non audet, & cui non ſuppetit demonſtratio; ideoque perfugium habet in multitudine, is ſe victum fatetur, ut qui nullum habeat fiduciæ adjumentum . . . . Multitudo autem ſine demonſtratione authoritatem ſibi vendicans, terrere quidem poteſt, perſuadere non poteſt . . . . ergo terrenarum quidem rerum cauſſa, multitudinem nihil verebor, ſi mentiatur. In cæleſtibus autem decretis ſimplicem abſque demonſtratione nutum ſequar, ab iis recedens, quæ jam olim magno conſenſu ex Divinorum ſcriptorum teſtimonio tradita fuerunt . . . . Pluris eſt unus Deo placens, quam myriades ſe ſe arroganter jactantium . . . . Quod ſi dixiſſet ille (Phinces) qui auſim ego adverſus ea, quæ tam multi uno conſenſu faciunt? Qui refrager iis, qui ſic vivere decreverunt? Ne præclarum facinus edidiſſet? . . . . Enim vero mihi etiam reverenda multitudo non inquiſitionem fugiens, ſed demonſtrationem præbens; non amare ulciſcens, ſed paterne caſtigans, non novitate gaudens, ſed Paternam retinens hæreditatem. Quam vero multitudinem mihi prædicas? Blanditiis, & muneribus conductam? imperitia, & ignorantia captam? Metu & terrore proſtratam? Quæ brevi peccati uſuram æternæ vitæ prætulit? quod multi aperte confeſſi ſunt? Multitudine mendacium defendis? Hinc mali vim declaraſti. Quo enim ad plures malum pertingit, eo major eſt calamitas.*

VII. Quæ ex ſcriptura dicta ſunt, exemplis, quæ terrorem, vel durioribus animis incutiunt, confirmare juvat. Sanctiſſimus Patriarcha Pachomius Monaſtici Inſtituti facile Princeps, relaxationem, damnationemque poſterorum Monachorum pauciſſimis exceptis, cœleſti lumine illuſtratus prædixit. Atque in primis defuturos Prælatos, qui Fratres ſuos tentationi-

Digitized by Google

bus, & tribulationibus actos, verbo, & exemplo in Domino ſolari, & confirmare valeant, indicant: quæ hic deſcripturus ſum, non ex apochryphis, ſed ex ſinceriſſimis actis deſumpta ſunt, quæ habentur apud Bollandiſtas ad diem 14. Menſis Maji. Igitur in vita ipſius Pachomii (c. 6. n. 4. pag. 314.) hæc leguntur. *Alio tempore una cum Pachomio verſantibus Monachis & ligna cædentibus, atque eorundem transportationem in reliquum annum facientibus ſubito in extaſim raptus eſt vir ſanctus. Atque ecce fratrum alios ignibus undique cinctos, quorum flammæ ipſis imminere videbantur propius, cum nullus interim fugæ pateret locus; alios autem rudibus & ſpinoſis lignis affixos, ac nudos pedibus negata evadendi facultate: alios denique in altiſſimo videt præcipitio conſiſtere, in cujus ſummitatem neque aſcendere, neque in ſubjectum fluvium conjicere ſe valebant, obſervantibus crocodilis & e ſummis aquis exilientibus. Cum tali ſpectaculo extra ſe factus Pachomius intereſt, conſpicati eum ſunt Fratres ab injuncto ſibi opere revertentes, projectiſque in terram ſarcinis, orationi pariter cum eo vacare cœperunt. In qua cum tempus haud modicum exegiſſent, ad ſe reverſus ſanctus ſenex cibos Fratribus dari juſſit, jam quippe veſpera agebatur. In unum deinde convenire juſſos alloquitur & de objecta ſibi viſione edocet. Qui audita ea in magnum omnes gemitum proruperunt, timore non exiguo correpti. Rogatus autem quid rei viſo iſto portendi putaret, reſpondit: Quemadmodum conjicio, ita poſt mortem meam futurum eſt, ut nemo prorſus ſit reperiendus, qui fratres in tribulationibus poſitos, ut oportet, ſolari in Domino & confirmare poſſit.*

VIII. Alia viſio ejuſdem Sancti Pachomii, quæ immenſum damnandorum fratrum numerum, & electorum paucitatem repræſentat, adeo tremenda eſt, ut nemo bene moratus ſine magno horrore legere valeat. Revera mihi eam deſcribenti manus, calamuſque tremunt; habetur autem apud eoſdem Bollandiſtas loco laudato (pag. 339. n. 17.) *Ingreſſis Fratribus ad orationes ingreſſus & ipſe* (Pachomius) *explevit orationes. Et illis egredientibus ad guſtandum manſit ſolus in domo, in qua ex more orationes ſynaxis peragebat.* (Et claudens oſtium oravit Deum ſupplex, ut ſibi de futuro ſtatu fratrum indicaretur aliquid) *Et quænam futuris temporibus eventura ipſis forent. Ac producenti ei orationem ab hora decima quouſque pulſaretur fratribus ad nocturnam liturgiam circa mediam noctem* (Matutinas jam tum circa mediam noctem recitari ſolitum erat.) *ſubito oblata ipſi eſt e Cœlo viſio indicans ipſi finem ſecuturi poſt hæc ſtatus fratrum & perſeverantiæ in vita ſecundum Chriſtum pia, dilatationiſque futuræ Monaſteriorum.* Paullo aliter hæc ultima verba vertit ex græco Dionyſius Exiguus in hiſtoria ipſius Pachomii (cap. 45.) *Nam Monaſteria, inquit, ſua vehementius dilatanda, nulloſque pie victuros & continenter agnovit, negligentiores etiam plurimos didicit, ſuamque ſalutem penitus eſſe perdituros.* Nonnullos ex immenſa Monachorum multitudi-

Digitized by Google

tudine, ideſt pauciſſimos pie victuros, proptuque æternæ ſalutis potituros prædicit, plurimos vero æternum paſſuros ſupplicium, ut etiam animadvertit Bellarminus de Gemitu Columbæ (lib. 2. cap. 6.)

IX. Pergunt acta Bollandiana viſionemque explicant. *Vidit autem turbam innumerabilem fratrum in valle profundiſſima & ſquallida iter agentium, ac multos quidem ex iis volentes aſcendere ex valle, nec id facere valentes, multos autem ſibi invicem in faciem præ denſiſſima, qua circumfundebantur caligine, occurſando impingentes, nec ſe mutuo agnoſcentes; multos etiam prolabentes ex torpore, alios vero clamantes voce miſerabili; paucos denique ipſorum multa contentione tandem reluctantes aſcenſum ex valle, quibus ſimul aſcenderant, lumen occurrebat. Hi quod ad lucem perveniſſent gratulantes, ingentes Deo gratias agebant. Tunc agnovit Beatus, quæ fratribus in extremo eventura erant, & futuram illis temporibus remiſſionem, multamque obdurationem & errorem defectumque Paſtorum: atque ut iis, qui hodie boni eſſent, prævalituri denique numero negligentiores eſſent, eoſque vi ac multitudine tracturi. Intellexit quippe iſta, quæ deſcripſimus, oſtenſa ipſi ſymbola ad præſignificationem ſucceſſuum certo pertinere. Ita ut monſtraretur fore ut mali ex fratrum numero promoverentur ad aliorum regimen; expertes homines notitiæ debitæ juris, inſtitutique Monaſteriorum, ambitu & certamine præfecturas occupantes: unde erat neceſſario ſecuturum, ut boni a malis fratribus perſecutionem paterentur.*

X. Hæc eſt horrenda S. Pachomii viſio, quam antequam animadverſionibus illuſtramus ejuſdem Sanctiſſimi Monachorum Patriarchæ humilem ad Deum exclamationem, ne dicam amicabilem objurgationem exſcribere placet. *Intelligens igitur* (pergunt Acta) *Beatus talia exclamavit cum planctu ad Deum dicens: Si ſic futurum erat, quare permiſiſti Cœnobia fieri? Si inquam temporibus illis futuri Præſides fratrum mali erunt, quid ſubditis horum fiet? Nimirum ſi cæcus cæcis ducatum præſtet, quid reſtat niſi ut omnes pariter in foveam cadant? Fruſtra laboravi. Recordare Domine laborum meorum, & omnium fratrum, qui nunc tota anima in ſancta diſciplina converſantur. Memento Domine, promiſiſſe te mihi fore ut uſque ad conſummationem ſæculi hujus remaneret mihi ſuperſtes ſpirituale ſemen. Tu ſcis Domine ex quo indui hunc habitum Monachi nunquam ſupra terram ſatiatum ulla re, ne aqua quidem. Hæc autem eo dicente, vox ad ipſum facta eſt dicens: Gloriaris Pachomi, homo cum ſis? Pete tibi ipſi miſericordiam, quoniam omnia miſericordia mea fiunt & conſervantur. His beatus auditis abjiciens ſe repente ſuper terram petiit miſericordiam a Deo dicens: Domine omnipotens miſericordiam tuam demitte ad me, & ne unquam auferas a me. Nam & ego novi ſine tua miſericordia conſiſtere nihil poſſe. Talia ipſo loquente confeſtim adſtiterunt ei duo Angeli Dei, quibuſcum erat adoleſcens faciem habens, cujus exprimi dicendo pulcritudo non poſſet. Totius vero habitus corporis decorem*

Digitized by Google

rem præferebat inenarrabilem: habebat autem impoſitam capiti ſpineam coronam. Ad Pachomium porro ſurgere juſſum ſic ſunt Angeli locuti: Quoniam petiiſti a Deo ut ſuam tibi miſericordiam mitteret, en hic eſt miſericordia ejus Dominus gloriæ Jeſus Chriſtus, unigenitus filius ipſius, quem miſit in mundum & crucifixiſtis illum, ac coronam e ſpinis capiti ejus impoſuiſtis. Pachomius vero his auditis aſpexit juvenem illum & dixit: Oro te Domine, non ego te cruci affixi; ille autem vultu ſubridens dixit ipſe: Scio non a te crucifixum eſſe me, ſed Patres veſtri cruci me affixerunt. Confide autem, quia radix ſeminis tui uſque in ſæculum non deficiet, verum uſque ad conſummationem ſæculi hujus conſervabitur ſuper terram. Cæterum qui ſalvabuntur temporibus extremis, propter denſam, quæ tunc diffundetur caliginem, pauci reperientur in comparatione numeri eorum, qui nunc ſumma perfectione virtutem exercent. Idcirco quod qui nunc te ut luminare præ oculis habent, facile poſſunt in virtutis ſtudio proficere: At poſteri tenebroſo quodam tempore victuri, & quod neminem ſibi propoſitum habebunt, a quo ad lucem veritatis deducantur, non exigua difficultate in boni operatione laborabunt. Si ergo hujuſmodi arbitrio bene uſi, proprio e tenebris iniquitatis conatu proſiliendi expedite emerſerint, ac lumen juſtitiæ adamaverint eique vitæ ſuæ rationes accomodaverint, amen dico tibi cum iis, qui ſumma nunc diligentia diſciplinam virtutis exercent pari laudis & meriti dignitate ſtabunt, ſimiliter atque hi æterna dignandi vita & bonis cæleſtibus perfruentes. Atque his dictis ſtatim aſcendit in Cælum ſubito in aperto aere omni circumreſplendente mirifica luce, cujus gloria humanis exprimi verbis nequit.

XI. Quæ in ſua cœleſti viſione a tot ſæculis prævidit Sanctus Patriarcha Pachomius, nos hoc calamitoſiſſimo tempore oculis conſpicimus, manibuſque contrectamus. Cum in prima, tum in ſecunda viſione, Religionis relaxationem, ruinamque in Prælatorum ſocordiam ignaviamque refundit. Præfecturarum dignitates, quas Sancti Dei homines, qui debitum altiſſimum perfectionem regularis diſciplinæ promovendi perſpectum habent, ceu onus Angelicis humeris formidandum reſpuunt, & nonniſi reluctanti invictoque animo quandoque ſuſcipiunt, obedientia cogente & maximo cum timore & tremore exequuntur; in laxatis ordinibus tanquam dominandi occaſiones arripiuntur, induſtria, artificio, pactionibus, aliiſque minus honeſtis conditionibus & mediis comparantur. Quare non mirum ſi ſupra candelabrum poſiti, non ſpiritu Dei vocante, ſed carnali ſenſu impellente, non tamquam lucernæ ardentes gregem ſuum ad perfectionis faſtigium præeuntes non dirigant, ſed tamquam lucernæ extinctæ ex ſublimi perfectionis monte una cum grege in profundiſſimam ac undiqueverſum tenebris & caligine circumfuſam vallem prolabantur. Quoniam ſi cœcus cœcum duxerit, ambo in foveam cadent.

XII. In hac tenebroſiſſima valle quatuor Monachorum genera Patriar-

triarcha Pachomius intuitus eſt. Primum illorum eſt, qui ſurſum aſcendere conabantur, ſed ab aliis minime ſibi notis præpediti, non valebant: Invicem ſe ſe ignorare dicuntur, quod ſcelerum ſocii amici putantur, ſuntque infenſiſſimi hoſtes, & inimici. In hoc autem Monachorum genere illi deſignantur, qui in collapſis ordinibus indole optima a Deo donati, moribuſque a Parentibus, dum in ſæculo degebant, inſtructi, & ſecum in Religionem delatis, gratia itidem Divina pulſante ad perfectionis clivum aſcendendi languido tenentur deſiderio, ipſamque aſcenſionem quandoque aggrediuntur; ſed iniquis aliorum exemplis, praviſque ſuaſionibus impediti, ab incœpto propoſito reſilire quodammodo coguntur. Nonne auribus noſtris audimus frequenter eos derideri, qui propriæ profeſſionis memores, vota, quæ diſtinxerunt labia ſua, implere ſatagunt? Quod & Spiritus Sanctus prædixit (Eccleſiaſt. c. 33.) *Contra bonum malum eſt, & contra mortem vita. Sic & contra virum juſtum peccator. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi. Duo & duo, & unum contra unum.* Secundum genus illorum eſt, qui perfectionis iter arripiunt, ſed vix incœpto curſu, veluti de via feſſi, in voraginem relabuntur. Etenim non paucos in collapſis Ordinibus conſpicimus, qui conſcientiæ aculeis transfixi Regulæ obſervantiam ad tempus amplexantur, vitiis, & concupiſcentiis bellum indicunt; verum antiqua conſuetudine victi ſociorum exemplis pellecti & humani moris rapido torrente abrepti in voraginem corruunt. Tertium genus eos repræſentat, qui in ima vallis parte jacentes, nec oculos attollunt, ſed terra continenter repentes, in vitiorum luto volutantur. Soporis calicem bibunt, & uſque ad fæces abſorbent eructantes ex hoc in illud, quin fæx exinaniatur unquam. Cœcitatis telam texunt, & caligine undique circumfuſi huc, & illuc diſpalantes in ſempiternum baratrum tandem prolabuntur. Poſtremo quartum genus eos paucos indicat, qui pectore invicto ex profunda tenebrarum valle conſurgunt, perfectionis iter inſtituunt, ad montem Divinæ conſolationis aſcendunt, difficultates, obſtacula, remoras forti animo ſuperant, adverſam fortunam, iniquorum dicteria, ſcommata, & deriſiones conſtanti patientia tolerant, illecebras, oblectationes, idque omne, quod ſenſus & paſſiones demulcere valet, nauci faciunt, contemnunt, conculcant. Ac denique ad extremum uſque diem perfectionis ſemitam calcantes perſeverant. Hic eſt ille puſillus grex, qui vocem Paſtoris ſui non modo capitis, ſed & cordis, aure percipit. Hi ſunt pauci illi diſcipuli, qui Divini Magiſtri prementes veſtigia, & a claritate in claritatem incedentes ſequuntur Agnum quocunque ierit, donec perveniant ad Civitatem ſanctam Hyeruſalem.

XIII. Itaque non modo ex ſcripturarum, Pontificum, Conciliorum, Patrumque oraculis; ſed ex ſanctorum etiam revelationibus, colligimus Religioſorum potiſſime laxatæ diſciplinæ nonnullos tantum, ideſt pauciſſi-

ciſſimos ſalvandos fore juxta oraculum Chriſti. *Pauci ſunt electi.* Neque unus Pachomius his viſionibus illuſtratus fuit, ſed ſimiles alii Patriarchæ viderunt. D. Franciſcus ſuum Ordinem ſtatuæ Nabuchodonoſoris comparatum aſpexit, cujus caput erat aureum, pectus argenteum, venter æreus, tibiæ ferreæ, pedes partim ferrei, partim fictiles. Quæ viſio primorum Patrum auream perfectionis ætatem, & poſterorum luctuoſam relaxationem patefacit. Conſule Chronicum Fratrum minorum (part. 1. cap. 28. & 29.) Sanctæ Birgittæ revelatum fuiſſe legimus ex Religioſis remiſſæ diſciplinæ adeo parvum eſſe ſalvandorum numerum, ut vix centeſimus quiſque reperiatur. (Revel. S. Birg. lib. 6. cap. 35.) *Religioſi viri tam pauci ſunt, quod vix unus reperitur inter centum.* Omitto brevitatis gratia ea, quæ hoc de argumento referunt Acta ſanctæ Matris Thereſiæ, & S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

XIV. Non eo iſta retuli, Lector optime, ut tuæ ſalutis fiduciam frangerem, ut animum tuum diffidentia languidum deſperationeque oppreſſum efficerem, ſed ut timorem illum excitarem, quem D. Gregorius clavum animæ fluctuantis appellat, quem David ſuam carnem crucifigentem avebat. *Confige timore tuo carnes meas.* (Pſal. 118.) quem tuæ ſalutis fundamentum ſcriptura enunciat. *Si non in timore Domini tenueris te, inſtanter, ſubvertetur domus tua,* (Eccleſiaſt. cap. 27.) ut denique cum timore, & tremore ſalutem tuam opereris. Noli quæſo ſpem tuam in cucullo, ſed in opere, non in veſte Monachali, quæ Monachum non conſtituit, ſed in tuæ profeſſionis obſervantia collocare. Memento votorum, quæ labia tua Deo nuncuparunt, perfectionis ad quam ſolemni ritu te obſtrinxiſti. Utinam eo cœleſti rore, ſcriptionem meam reſpergere datum eſſet, qui ad ciendos pietatis affectus efficax foret. Sed quoniam vel ipſe ſentio, quam ſit ſterilis oratio mea, adhortationem ſubjicere lubet ipſius Patriarchæ Pachomii, qui poſt explicatam viſionem ſuam Fratribus ſuis, eos tali pacto alloeutus eſt, ut ejuſdem Acta referunt apud Bollandiſtas loco ſupra laudato. (pag. 340. n. 20.)

XV. *Propterea Fratres contendamus ex toto corde, mortem præ oculis omni hora propoſitam ſpectantes. Ex his quippe ad ſenſum mens venit, & horret quidem flens anima contemplativa; mens autem ipſam excitans a terrenis attentam ad Deum efficit. Quin & præterea humilitatem ex his operatur ſupplicemque ac vanæ gloriæ expertem in ſuis oculis vitam alienamque ab omni mundano faſtu perſuadet eſſe ipſam. Quot die ergo fratres cum tarda iſta corporis noſtri mole anima philoſophatur, & cum veſperi cubitum concedimus, ſic unumquodque corporis membrum alloquatur. O pedes qui poteſtatem habetis ſtandi atque progrediendi, antequam per mortem extendi vos contingat & immobiles fiatis, ſtate parati Domino ac Deo veſtro. Ad manus deinde dicat: Tempus erit quando ſolutis nervis immobiles futuræ eſtis, ſimulque conſtrictæ. Quapropter antequam illa hora adveniat, manete perpetuo ad*

Do-

Dominum in oratione extenſæ. Ad totum porro corpus hanc anima orationem habeat. O corpus antequam longe ab invicem ſeparemur, & ego quidem ad infernum cogar, conſtituta mihi in tenebris vincula ſubitura; Tu vero in antiquam tuam terræ materiam relabaris, & diſſolvaris in fœtorem & putredinem deſinens, ſta fortiter, Dominum adora, ſenſum mihi præbe ſalutarium lacrymarum, exhibe Domino debitam tuam ſervitutem, alacriter me ad Deum & Divina defer, antequam ipſum tu ab aliis alio auferaris, ne ſi volueris hic quieſcere & otiari, cruciatuum me æternorum ream conſtituas. Tempus ſiquidem adveniet, quo profundus ille ſomnus te occupabit. Si me audieris, pariter hæreditate æterna potiemur, ſin e contra non audieris, hei mihi! quia infelici mecum vinculo conjunctum es, & ego propter te infelix, ac rea efficiar. Si hoc modo ſingulis vos diebus ad certandum unxeritis, veri Dei templum veriſſime efficiemini. Cum autem ſuum in animis veſtris domicilium cœperit, quæ erit Cacodæmonis ars & verſutia, quæ vos decipere valeat? Plus enim quam mille Præceptores verbum Dei, quod vos inhabitat docere valet, ad clariorem ſui ipſius vobis præbere cognitionem. Sane quod humanus exprimere ſermo non poteſt, hoc omne ſanctus nos ſpiritus poteſt docere. Etenim, quid inquit oremus, ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inennarrabilibus. Multo etiam plura hujus generis cum Dei gratia poſſem ac deberem proferre, ſed ne in eodem ſemper verſemur argumento, ad alia orationem placet convertere.

CAPUT XIII.

Ejuſdem argumenti ex communi Theologorum conſenſu evidentior confutatio.

I. QUoniam in ea incidimus tempora, in quibus ſcripturarum, Patrumque oracula vanis, frigidiſque interpretamentis emolliri, ſenſui & carni per ſummam violentiam accomodari, vel ſaltem ad figuratas, & hyperbolicas exaggerationes detorqueri ſolitum eſt; iccirco ne ad ejuſmodi perſugia ſe ſe recipere nemo queat, præſens caput adjicimus, in quo, quæ ſupra dicta ſunt, Theologorum authoritate firmantur. Quandoquidem etſi, quæ capite ſuperiore produximus, adeo explicata, & manifeſta, adeo tremenda, & funeſta ſint, ut ipſamet ænea corda frangere, horroremque vel ipſis obcæcatis injicere, & induratis valeant; nullus tamen dubito, quin tibi aliquantulum hucuſque adblanditus fueris, his inanibus commentis: Scripturarum oracula non ſemper ad litteram, ſtrictoque in ſenſu accipienda. Sæpius enim tropis, figuriſque intermixta ad terrorem incutiendum, non ad eventum ominandum prolata ſunt. Sanctorum, & Beatarum viſiones, Eccleſiæ authoritate non accedente, quanti

Digitized by Google

ſint faciendæ, norunt æqui rerum æſtimatores. Patres zelo domus Dei accenſi, & Oratoriæ arti indulgentes, atque redundanti eloquentiæ fluvio quodammodo abrepti, emphaticis exaggerationibus ſua ſenſa promunt. Quas animadverſiones ob oculos habendas in Scripturarum. Patrumque lectione nos edocent Theologi, qui preſſius controverſias dirimunt, & ad vivum, ut ajunt, omnia reſecant optime ſane & peracute. Quid ſi Scripturis, Conciliis, Patribus Theologi concinerent? Quid ſi explicatius, quid ſi manifeſtius, quid ſi vividius conſequentiam tuam concederent, evincerent, demonſtrarent? Agedum ergo. Judicum, ad quos appellaſti, ſententiam promamus in medium. Infinitus eſſem, tempuſque me deficeret, ſi omnes allegare vellem. Præcipuos tantum referam, ne prolixitatis tædio Lectorem afficiam. Id antequam præſto objectionem tuam reſumere juvat. *An omnes Patres noſtri, inquis, qui vitam non ſervarunt communem, qui peculiis uſi ſunt, damnationis æternæ ſupplicio torquentur? An Prælati noſtri omnes improbi? Nunquid nos omnes proprietarii, omnes ſacrilegi, quod peculiis utimur? an damnati omnes?*

II. Reſponſum imprimis audito, ſerioque perpendito, quod tibi reponit Clariſs. Johan. Nyder ſæpius laudatus, & nunquam ſine laude nominandus. (De Ref. cap. 8.) *Ad ſeptimum motivum, in quo auctoritatem præcedentium Patrum in ſuo Ordine allegant, qui taliter vixerunt, ut vivunt ipſi, reſpondetur eis, quod aut loquuntur de primis ſui Ordinis Patribus, aut de modernis tranſgreſſoribus. Si de primis (quod non credo) quia alias loquentes, ut Judæi perfidi, eiſdem datum reſponſum a Chriſto mererentur accipere. Nam Judæi Chriſto primo Reformatori reſiſtentes dixerunt:* (Johan. 8.) Pater noſter Abraham eſt. *Quibus reſpondit Chriſtus:* Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite (ubi Gloſſa) *Factis probate, non verbis. Et S. Thomas in poſtilla ſuper eodem dicit; ſignum hoc ponit Chriſtus debitæ filiationis. Signum quippe debitæ filiationis eſt, quod aliquis aſſimiletur ei, cujus eſt filius. Sicut enim filii carnales, ut plurimum ſolum ſecundum carnem aſſimilantur Patribus; ita & filii ſpirituales, ſi ſunt vere filii, debent ſpirituales parentes imitari ſecundum illud* (Epheſ. 5.) Imitatores mei eſtote, ſicut filii cariſſimi. *Deformati autem Religioſi opera Patrum ſuorum primitivorum non faciunt: Ergo non ſunt filii eorum, nec gloriari poſſunt de Patribus ſuis. Unde Chriſtus tales filios alloquitur tamquam illegitimos, ſicuti Judæis* (Luc. 3.) *dixit peccatoribus.* Ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham: facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. *Si prætera Reformationis inimici iterato cum Judæis replicaverint dicendo:* Nos ex fornicatione non ſumus nati, unum Patrem habemus Deum. (Joh. 8.) *Audiant tales, Chriſti quod ſequitur reſponſum.* Si Deus Pater veſter eſſet, diligeretis utique me; ego enim ex Deo proceſſi, & veni, neque enim a me ipſo veni, ſed ille me miſit.

Qua-

Digitized by Google

Quare loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meum. Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. *Novit Altiſſimus, norunt etiam Reformationem practicantes, quam veraciter dicta Chriſti verba locum habeant in invitis & Religioſis rebellibus. Porro ſi tales pro authoritate allegant Patres moderni temporis, qui eſſentialia tranſgreſſi ſunt & præcepta ſui ordinis. Hoc primum reſponſum habeant, quod mortui, de quorum virtutibus aperte non conſtat, judicium cordium cognitori committendum eſt, non temere in vivis diffiniendum, quo animo plura regulæ & conſtitutionum non obſervaverunt. Pie enim credi poteſt multos animum habuiſſe ea ſervandi, ſi hi cum quibus degerant Prælati, ea omnino ſervanda mandaſſent, & multitudo fratrum, ſine qua plures cæremoniæ ſervari nequeunt, talia practicaſſent. Nulli quippe dubium, quin ſemper aliqui in quibuſdam Monaſteriis ſervaverint tria eſſentialia modis eis poſſibilibus, & alias duras Ordinis plures cæremonias, quemadmodum hodie in utroque ſexu in multis reperitur locis quamplurimum deformatis. Immo pro præſenti omnes in non reformatis exiſtentes Monaſteriis judicare tranſgreſſores ſuæ Regulæ ſuperbia non caret, aut eſt ei proximum . . . . . Si autem pro ſe allegaverint Patres ſuæ Regulæ & ſtatutorum tranſgreſſores & inobedientes ſuis Superioribus in licitis, reſponſum accipiant tales Philoſophi dicentes, quod multiplicare inconvenientia non eſt ſolvere argumenta, & uno dato inconvenienti multa ſequuntur, errorque parvus in principio, in fine maximus erit. Lugeant potius talium filii pro patribus dicentes cum Jeremia illud* (Threnor. 5.) Patres noſtri peccaverunt & non ſunt, & nos iniquitates eorum portamus. *Et cum Pſalmiſta.* Peccavimus cum patribus noſtris, injuſte egimus, iniquitatem fecimus. (Pſalm. 105.) *Nec mirum ſi Patres eorum comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt. Veniant jam in reformatione potius vaticinia Prophetæ, quibus dicit.* (Jerem. 31.) In diebus illis non dicent ultra: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt, ſed unuſquiſque in iniquitate ſua morietur: omnis homo, qui comedit uvam acerbam, obſtupeſcent dentes ejus. *Super quo Gloſſa & eſt B. Gregorii. Quid eſt uva acerba, niſi peccatum? Uva quippe acerba eſt fructus ante tempus. Quiſquis enim præſentis vitæ delectationibus ſatiari deſiderat, quaſi fructus ante tempus comedere feſtinat. Qui igitur uvam acerbam comedunt, dentes obſtupeſcunt, quia qui præſentis vitæ deliciis paſcitur, in tantum ſenſus ejus ligantur, ut jam ſpiritualia manducare, ideſt intelligere nequeat, quia unde in exterioribus delectati ſunt, inde in intimis obſtupeſcunt. Et dum peccato anima paſcitur, panem juſtitiæ edere non valet, quia ligati dentes ex peccati conſuetudine juſtum, quod intus ſapiat, non poſſunt edere, nec mirum, quia tali nihil plus libet agere, quam ſe maligno conformare ſæculo.*

III. Conſequentiam tuam ultro concedit, atque ea cautela & circumſpectione, quam tremendiſſimi periculi magnitudo requirit, confirmat Dionyſius Carthuſianus, qui objectionem tuam ſibi opponit (De Reform. Clauſtral. art. 13.) *Poſtremo & id mihi objici poteſt, quia tam diſtricte contra peculium Monachorum ſcribendo, quaſi innumerabiles diverſarum Religionum perſonas in ſtatu damnationis conſtituo. Fateor, conſideratio iſta aliquos terruit, & ad ſcribendum de iſta materia nimis remiſſe induxit. Quid igitur reſpondebo? Utique pro præſenti aliud pro reſponſione non occurrit, niſi quod zelo Dei & ſanctæ Religionis hæc ſcribo, atque in genere loquor, & viam ſecuriorem oſtendo. An vero aliquæ Religioſæ perſonæ habentes peculium ſecundum modum, quem quidam Doctores excuſant, excuſentur in ſpeciale ex aliqua cauſſa occulta, ſecundum quod aliqua ſunt mortalia in genere, quæ tamen in ſpecie excuſantur a peccato mortali propter actus modicitatem vel ſubreptionem: hoc ergo interim Divino committo judicio. Securior autem via amplectenda eſt Religioſo.*

IV. En reſponſionem, quam exhibet doctiſſimus unaque piiſſimus Doctor. Ex peculiorum uſu collapſaque Religioſorum diſciplina damnationem conſequi haud revocat in dubium. An poſtea aliquæ perſonæ, inquit, peculia tenentes excuſari poſſint vel actus parvitate, vel ignorantiæ velamine, vel mentis ſubreptione, vel alia occulta cauſſa, ſe latere fatetur, arcanumque eſſe ſubdit, quod Divino committit judicio. Illud vero quod animadvertit, tot Religioſorum damnationis conſectarium Doctores plures ita deterruiſſe, ut remiſſius, quam par fuerat, hoc de argumento ſcripturierint, & a veritatis ſemita exorbitaverint, non tam verum, quam quod veriſſimum. Quid enim frequentius in paucis quibuſdam caſuum Arbitris minus in Scripturæ Patrumque lectione verſatis occurrit, quam ſimiles paralogiſmi? An credibile eſt tot viros graviſſimos ſcientia & eruditione prædìtos peculia retinere, ſi hæc paupertatis voto repugnarent? An damnare debemus innumeram Religioſorum multitudinem? Hæc & ſimilia paradoxa invehunt, quæ ſexcentis in locis Scriptura Sancta exſufflat, damnatque. (Exod. 23.) *Non ſequeris turbam ad faciendum malum.* Et manifeſtius Euangelium prædicens talia futura tempora: (Matth. 24.) *ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.* Quid plura? Si vel penes ipſos Gentiles in commune evaſerit adagium, argumenti peſſimi turbam eſſe. Conſule (Diſſert. 2. cap. 1. & ſeq.) Nunc adjicere juvat aliam ejuſdem Carthuſiani auctoritatem loco laudato (art. 6.) *Immo ut rurſus Hieronymus in Regula ſua teſtatur. Sine ſpirituali charitate (quæ utique ſine humilitate, manſuetudine, patientia, juſtitia aliiſque virtutibus non habetur) clauſtra ſunt tartara, & habitantes in eis ſunt Dæmones. Cum caritate vero ſunt Paradiſus in terris, & habitatores ſunt Angeli . . . . Monachi ergo, qui proprium habent, aut incontinenter, ſeu inobedienter vivunt, contra vota*

ſua

ſua quotidie enormiter peccant, & perjuris pejores redduntur. Immo in quolibet actu, quo proprietate utuntur, vel contra aliquod votorum ſuorum agunt, gravius crimen incurrunt, quam ſit ipſum perjurium, ſicut Doctores concorditer ſcribunt, videlicet S. Thomas, Petrus de Tharantaſia, Alexander de Ales, & alii viri Doctiſſimi ac devoti.

V. Conſequentiam tuam concedit & authoritate D. Auguſtini confirmat Alvarus Pelagius de planctu Eccleſiæ (cap. 64.) & præcipue tuos viros graviſſimos & litteratiſſimos alloquitur. *Inter Mendicantes aliqui, maxime Prælati, & Litterati, inter eos ſummas librorum, pannorum, & ſupellectilium habent & ducunt ſcrinia magna & capſas. Et eorum cellæ, non pauperum domunculæ, & tuguria, & diverſoria videntur, ſed mercatorum cameræ, & ponticæ & ſpeciariorum apothecæ, & enthecæ contra illud Canonis Enthecam habere non licet. Si dicatur* (en tuam objectionem) *quod omnes, quaſi Religioſi, ſic vivunt cum ſua proprietate permiſſa. Reſpondeo cum Auguſtino, quod non minus ardebunt, qui cum multis ardebunt, & multi ſunt vocati, pauci vero electi.* (Matth. 20.)

VI. Conſequentiam tuam concedit Johannes Excuria perdoctus ac piiſſimus Ordinum Prædicatorum Theologus & diſciplinæ Regularis celeberrimus reformator. Epiſtola ad Ducem Burgundiæ. (3. p. art. 1. conſid. 2.) *Omnis Religioſus non obſervans, ſed paſſim & indifferenter Regulam & Patrum ſtatuta tranſgrediens, ſi ſic moriatur, eſt plangendus, aut tamquam inevitabiliter quantum eſt ex conditione modi vivendi perdendus, aut tamquam periculo extremæ perditionis expoſitus.*

VII. Conſequentiam tuam exprimit & concedit S. Antoninus (3. part. tit. 16. cap. 1.) *Satis credo ubi non vivitur in communi eos non eſſe in ſtatu tuto.* (Silveſter verb. Relig. 6. §. 7.) *Si Prælatus non facit quantum poteſt ſine magno ſcandalo, ut vivatur in communi, non eſt in ſtatu tuto.* Conſequentiam tuam concedunt Cajetanus Cardinalis, Johannes de Neapoli, Cardinalis de Turre Cremata, Fagnanus, Capponi a Porrecta, Paullus Nazarius, Van-Eſpen, cæterique graviores Theologi omnes.

VIII. Verum quid? Si vel ipſi benigniores Theologi conſequentiam tuam, quam loco portenti obtrudis, concederent, & comprobarent? Primus omnium, qui poſt Tridentinum in favorem peculii Monachalis laudatur, eſt Martinus Navarrus immerito tamen; non enim aliter ac in neceſſitatis eventu, ut cœteri omnes, peculium permittit. Is porro conſequentiam tuam in quæſtionem vocat, eamque fuſiore calamo verſat. (Comment. 3. de Reg. n. 25.) *Septima principalis quæſtio ſit illa quotidiana, & a nemine quod ſciam æque tractata: An debeat cenſeri damnatus & infernalis, ut quidam ajunt, an probatus & tollerabilis ſtatus ille Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ſive Canonicorum Regularium, ſive Monachorum Regularium, in quibus certa portio panis, & vini & reliquorum neceſſariorum pro victu, & certa quantitas pecuniæ pro veſtitu diſtribuitur.*

IX. An

IX. An nil commovearis, aut nullo excruciaris angore, ſtatum tuum, in cujus olim comparatione Patrem & Matrem totumque Mundum nihil eſſe duxiſti, nunc in dubitationem vocatum audiens, num damnatus ſit, & infernalis nec ne? In quam partem concedit Navarrus? Pro ſententia damnationem propugnante duodeviginti refert argumenta. *Nam pro parte*, inquit, *affirmante quod ſit damnatus, & infernalis, faciunt illa 18. fundamenta, quæ ſuper eo* (n. 8.) *induximus contra diviſionem tripartitam fructuum bonorum Roccævallis*. Hæc decem & octo argumenta prætereo, cum ut brevitati conſulam, tum quia efficaciora dedi in demonſtrationibus Theologicis. Sed quid tandem reſolvit Navarrus ipſe? Quamvis vires ſuas omnes exerit, ut ſtatum illum reprobum non eſſe quoquo modo oſtendat; verumtamen, ut erat homo ad pietatem compoſitus, veritate cogente, concludit ſimilem vivendi methodum, ſeu abuſum ſtatum conſtituere reprobum, niſi ſex concurrant conditiones, quibus poſitis, non infernalem, ſed tolerabilem eſſe defendit. *Concludo igitur pro hac parte negante prædictum ſtatum non eſſe damnationis, & infernalem, modo concurrant ſex. Primum quod ea, quæ ſibi dantur, nullatenus ſibi dentur, nec accipiantur ab eis pro ſuis quoad Dominium. Secundum quod non utantur eis diſpendendo illa in uſus malos, vanos, vel profanos, quia per talem uſum etiam Abbates peccarent peccatum proprietatis, ut diximus ibi. Tertium, quod ſi per leges diviſionis vel chartas, quam vocant rationes, vel conſtitutiones & diſtinctiones portionum, quas vocant privilegiatas vel alias juſtas rationes, vel ſtatuto Eccleſiæ fuerit cautum, ne quis eorum de ſuperfluo ſine licentia particulari ad unguem ſervent illam. Quartum, quod Prælati ſaltem tacite ei modo vivendi conſentiant, vel conſentire debeant. Quintum quod juſta de cauſſa fiat prædicta licentia expreſſe vel tacite. Sextum, quod non contradicant reformationi legitimæ, auctoritate legitima faciendæ.*

X. Deficientibus igitur conditionibus iſtis, quoniam exceptio firmat Regulam in contrarium, Navarrus ipſe teſtatur peculiorum ſtatum reprobum eſſe, & infernalem. His horrendis vocibus uti minime auderem, niſi eas adhibuiſſet Navarrus. Porro an hæ conditiones deficiant hac noſtra ſaltem tempeſtate aliquibus in locis alii viderint. Eas omnes ad veritatis libram exigere nunc non vacat. Ut de poſtremis tribus aliquid obiter dicam, ſi Navarrus nobis ſuppar eſſet, aſpiceretque tot ab ejus morte editas Pontificias Conſtitutiones communem vitam peculiorum expertem præcipientes: Si ultimos Pontificum conatus perſpectos haberet, quibus exactiſſimæ communitatis invectionem procurarunt. Si videret legitimæ auctoritati imperanti vitam communem repugnari, haud amplius dubitanter ſcriberet de iſtorum infelici ſtatu.

XI. Denique conſequentiam tuam concedunt vel ipſi benigniores Theologi, qui probabiliſtæ appellantur. Thomas Sanchez in Decal. (lib. 7. cap. 19. n. 27.) *Tertio deducitur non eſſe in bono ſtatu Prælatum, qui*

non

non nititur, Religioſos vivere in communi. (Valentia in 2. 2. quæſt. 4. diſp. 2. par. 2.) *Quarto ſequitur eſſe in malo ſtatu tam Prælatos, quam ſubditos, qui non agunt vitam communem.* (Pellizarius tract. de Monialibus cap. 4. ſect. 1. q. 4.) *Sicut Prælatus Regularium non eſt in bono ſtatu, ſi non nititur Religioſos in communi vivere, ſic nec ſunt in bono ſtatu ſubditi reſiſtentes.* (Lezana quæſt. Regular. cap. 18. n. 14.) *Prælati qui non curant ſuos ſubditos vivere in communi abſque peculio, non ſunt in bono ſtatu conſcientiæ.* (Peyrinus formul. Prælat. cap. 3. n. 19. litt. K.) *Tolle Communitatem & Religio non eſt Religio, ſed confuſio: Non ſtatus perfectionis, ſed damnationis.* Si longiorem catalogum videre cupis, conſule ſecundam Diſſertationem (c. 4. 5. & 6.) Item ſecundam (cap. 2. & 3.)

CAPUT XIV.

Rationibus eadem objectio confutatur, & Regulares ad Communitatem amplectendam, peculiumque projiciendum ſuadentur, urgentur.

I. HActenus ex Pontificum, Patrum, Theologorum, & Caſuiſtarum ore locuti ſumus; nunc autem ad pleniorem ultimamque objectionis convulſionem propria ſenſa promere in votis ac animo eſt. Ac ut amicabili mutuoque ſermone invicem paullulum colloquamur, peto a te, Lector optime, efflagitoque num aliquis conſcientiæ remorſus animum tuum pulſet? num Divini quicquam timoris tibi incuſſerint tot authoritatum momenta luculentiſſima, tot ſententiæ maniſeſtiſſimæ, quæ extremum damnationis periculum denunciant, evincunt, demonſtrant? Quænam, amabo te, in tota quanta eſt Catholico-Morali Theologia reperitur ſententia tot munita præſidiis, tot teſtimoniis roborata, tot rationibus undiqueverſum vallata? Uno oculi conjectu percurras velim noſtras demonſtrationes, altero intueare, quæ hic ab ipſa ducta experientia ſubjicere juvat.

II. Cum Monachale peculium a praxi & circumſtantiis ſejunctum inſpicitur, vix quidquam exhalat deformitatis. Tot enim fucis linitur, tot technis obregitur, tot anguſtiis illuſtratur, tot emendicatis prætextibus veſtitur, ut ſuo in ſinu mortale venenum peſtemque exitialem occludat, mentesque vel doctiorum, ne dum imperitorum hebetet. Verum ſi ad ejuſdem practicum uſum oculos convertimus, illico vitia foras erumpunt, quæ regularis obſervantiæ frugem omnem in ipſa radice corrumpunt, & tamquam rapidiſſimus ſpumanſque torrens ipſos euangelicæ perfectionis cardines ſecum deferunt, abripiuntque vineæ illæ florentiſſimæ, quæ olim antequam dirus peculii ferus ad depaſcendas ingrederetur, omnigenarum virtutum ſemine fœcundæ, ceu continuum

ver

ver nitidiſſimos flores, fructus ſuaviſſimos immenſamque ſanctitatis ſegetem progignebant, atque in ſui exiſtimationem venerationemque mundum rapiebant univerſum. Sed heu luctuoſiſſimam viciſſitudinem! Vix ingreſſo peculio, non tantum flores fructuſque aruerunt, ſed ab imis radicibus exſiccatis plantis, *ut umbraculum*, (inquit Iſaias cap. 1.) *in vinea*, & *ſicut tugurium in cucumerario*, & *ſicut Civitas*, *quæ vaſtatur*, remanſerunt, omnium inimicorum inſultibus, atque depopulationibus expoſitæ. Percurrito, ſi per otium licet, ea Cœnobia, cujus ſodales ab uno Cellario non paſcuntur, neque ab uno induuntur veſtiario, videbis illico fracta ſolitudinis clauſtra, ſeceſſum in vagationes per compita & platea, ſilentium in loquacitatem & murmura, victus frugalitatem in comeſſationes, modeſtiam in effuſam garrulitatem, veſtitus aſperitatem in vanas, faſtoſaſque veſtes, aliaque conſectaria ex peculiis profluentia, quæ (Diſſert. 2, cap. 10.) deſcripſimus, deplorandum in modum demigraſſe conſpicies. Quæ mala quamvis ſingillatim accepta mortem non inferant, ſimul tamen congeſta animam opprimunt, vermem conſcientiæ enecant, atque denſiſſimam cœcitatis caliginem conflant. Eo fere modo, quo pluviarum guttæ, licet minutæ, tractu temporis flumina, & torrentes implent, quæ domos ſubruunt. Non ergo parvipendenda ſunt peccatà noſtra quod minuta, ſed timenda quoniam multa ſunt. Hæc omnia conferto cum altiſſimo mandato, graviſſimoque præcepto, quo Regulares obſtringuntur ad perfectionis faſtigium animo ſaltem, ſin minus re, aſſequendum. Expergiſcere tandem aliquando, rogo te, obteſtorque, rationemque prudentis hominis paullulum ſuſcipe, atque ſerio meditare quæ ſcribit Dionyſius Carthuſianus (de reformation. Clauſtral. art. 6.)

III. *Quamvis autem multa contineantur in regulis, aut ſtatutis Religioſorum, ad quæ non tenentur de neceſſitate præcepti; ita quod ſtatim mortaliter peccent, quando in aliquo eorum fuerint negligentes, ut eſt obſervatio ſilentii, ſurgere alacriter ad matutinas, otioſitates vitare, inutiliter hinc inde diſcurrere, atque ſimilia. Verumtamen conſuetudo excedendi, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare, nec emendare, non poteſt a mortali excuſari peccato. Propterea Religioſi deformati, in quibus parva, aut nulla eſt rigoris, aut diſciplinæ obſervantia, qui carnaliter vivunt, & mundanis vanitatibus pleni ſunt, otioſitati, & loquacitati vacantes in innumerabilia prorſus incidunt vitia, non venialia ſolum, ſed & mortalia quoque: immo tota vita eorum eſt quaſi quoddam peccare continuum; præſertim, quia & hæc ipſa bona agere videntur tam negligenter, irreverenter, & tepide, tam inordinate, atque indebite agunt, ut magis ſit offenſivum Dei, quam honorativum, ac reconciliativum ipſius. Tales enim, qui in fæcibus ſuis jugiter manent, qualiter confitentur, qualiter celebrant, qui ſe in nullo emendant: immo de multis, quæ mortalia ſunt, nullam ſibi conſcientiam facere comprobant. Porro quam vera ſint hæc, ex verbis Patrum Sanctorum, facile eſt probare. Dicit enim ille do-*

ctiſſi-

Digitized by Google

ctiſſimus, & devotus Euſebius Epiſcopus Emiſſenus in homiliis ſuis (in his enim devotus eſt) *ad Monachos: ait quodam loco Beatus Apoſtolus:* Videte vocationem veſtram Fratres (1. Cor. 3.) *Quapropter & nos dilectiſſimi videamus vocationem noſtram. Non enim prodeſt ad locum hunc clauſtralem veniſſe, ſi tales hic ſumus, quales in ſæculo fuimus. Nam, ut ait Scriptura, qui multa promittunt, neceſſe eſt ut multa repetantur ab eis. Quid enim nobis habitatio clauſtralis prodeſt, quando tyrannico dominatu in nobis malitia regnat, quando ira ſuperequitat, quando majorem metum in nobis humanus oculus, quam Divinus inducit, quando nos clauſtrales, qui extra mundum eſſe nos credimus mundum intra nos per varias varietates, & iniquitates clauſum tenemus? Ideoque videte vocationem veſtram Fratres. Venire quidem ad clauſtrum ſummæ perfectionis exordium eſt; ſed non perfecte in Monaſterio vivere ſumma damnatio eſt.* Iterum ait. *Habet hoc infelix conſuetudo peccandi, ut quanto amplius quis peccaverit, tanto minus peccata ipſa intelligat; & tanto plus eum peccare delectet. ut eveniat illi, quod ait Propheta: Non eſt Deus in conſpectu ejus: auferuntur judicia tua a facie ejus. Etenim quando ſubrepit peccandi delectatio, ſtatim diem futuri judicii abſcondit oblivio.*

IX. Tempus jam eſt, ut ſermonem meum paucis perſtringam. Ex his enim, quæ dicta ſunt, neminem fugit, quam pernicioſum ſit illud argumenti genus, quo aliquid ceu licitum defenditur, eo ſolo titulo, quod a multis fieri conſueverit: quantumque periculoſum ſit vitam ſuam, non ad veritatem, ſed ad opinionem hominumque morem componere. Itaque ſi ex aliorum vivendi norma vitam tuam inſtituere cupis: Jeremiam audi, *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* (c. 6.) Quod ſi viventes etiam conſulere vis, paucorum potius quam multorum geſta ſectare. Quoniam, Deo ipſo teſte, pauci ſunt, qui viam ingrediuntur veritatis. Quare D. Baſilius Monachos alloquens de abdicatione rerum (cap. 9.) inquit. *Eorum quos recte atque ex virtute videris vivere, æmulator eſto . . . . opto ut ſis de numero paucorum; rara ſiquidem quæ bona.* Caſſianus (lib. 4. cap. 37.) *Conſidera te de paucis & electis eſſe effectum. Et ne exemplo ac tepore multitudinis refrigeſcas. Sed vive cum paucis, ut cum paucis inveniri merearis in Regno Dei.* Sed non pigeat ipſum gentilem Senecam chriſtiane loquentem audire, qui lib. de vita beata (cap. 1. & epiſt. 7.) hæc ſcribit. *Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt. Quæramus quid optime factum ſit, non quid uſitatiſſimum; & quid nos in poſſeſſione felicitatis æternæ conſtituat, non quid vulgo veritatis peſſimo interpreti probatum ſit. Sanabimur ſi modo ſeparemur a cœtu. Quid tibi vitandum eſſe exiſtimem, quæris? Turbam, utique, quo major eſt, cui commiſcemur, hoc plus periculi eſt.* Tandem D. Bernardus præ aliis preſſius hoc ſophiſma ex Religioſorum plurium damnabili praxi deſumptum retundit Hom. de diſcipulis euntibus in Emaus. *Ponere vereor os*

meum in Cœlum, ut non dicam in cœnum, & Saul ad purgationem ventris inclinatum occidere. Sufficit ſi oram clamidis abſcindam gladio Jeremiæ, cum Dominus dicat per Malathiam. Vos me configitis, gens ſcilicet tota. Oſtendit Jeremias quomodo ſummi Sacerdotes & Principes crudelius crucifigunt. Ibo, inquit, ad optimates & loquar eis, ipſi enim cognoverunt viam Domini & judicium Dei ſui. Et ecce hi magis ſimul fregerunt jugum, ruperunt vincula, & à Propheta uſque ad Sacerdotem omnes faciunt dolum . . . Hinc eſt non minima cauſſa triſtitiæ nobis, quia etiam litterati & qui videntur Religioſi, comparantur jumentis, & immundiores facti ſunt illis. Ipſi enim non ſolum ſpinis peccatorum ſuorum crucifigunt Deum, ſed aliis facti ſunt in proverbium & exemplum. Non eſſet doloris materia, nec res tam ſtupenda, ſi plebs, quæ non novit legem, ſola caderet in errorem, quia relevari poſſet per litteratorum & Religioſorum prudentiam, ſi ipſi non fuiſſent primi ad ruinam . . . ſed de litteratis ſtupemus, & qui prætendunt habitum Religionis, qui bonum Dei verbum guſtaverunt, & donum cæleſte virtuteſque ſæculi venturi. Et ecce vaccæ pingues Samariæ factæ ſunt arbores autumnales eradicatæ, bis mortuæ, facti hoſtes in capite, qui docere debuerant viam vitæ.

CAPUT XV.

Ex iis, quæ hactenus diſputata latius ſunt, quædam conſectaria inferuntur, & paucis noſtra ſententia pleno in lumine collocatur.

I. NE aut uſque ad ſuperſtitionem meticuloſi, aut nimium imprudentes, æſtuque cupiditatis abrepti, vel denique ignoratione obducti ullo modo carpere hanc, quam hactenus propugnavimus, ſententiam, vel ſopitam eidem ſeveritatis notam inurere audeant, placuit iterum ſenſa noſtra paucis, & omnibus ad vivum reſecatis, aperire. Veniam itaque impertiri non dedignentur eruditi, veritatiſque amatores, ſi deſiderio imperitos docendi, illuminandique, prolixitatis moleſtia eos affecerim, quoniam cujuſdam redundantiæ vitio laborare malo; quam perfugium aliquod vel minimum, apertum relinquere. Summi momenti cauſſa, quam verſo, brevitatis limites tranſilire quandoque permittit. Objectio quam capitibus proxime præcedentibus contrivi, ea eſt, quam ad ravim uſque refricant illi, qui pro Ethicæ Chriſtianæ regula ſibi præſtituunt, non legem Euangelicam, non Conciliorum Canones, non Patrum, non Pontificum Decreta; ſed multitudinis prævaricantis morem, ad quem ceu ad ſupremum tribunal, cauſſam appellant, exclamantes: An fieri poteſt, quod tam immenſa tot Ordinum Religioſorum multitudo damnari debeat? Ut igitur iſtorum ora penitus obſtruantur, ſequentia conſectaria oculis ſubjicio.

CON-

Digitized by Google

CONSECTARIUM I.

II. Regulares diſciplinæ collapſæ, qui reformari recuſant maxima in parte crimine proprietatis infecti ſunt, & in extremo damnationis æternæ periculo verſantur, tum quod peculii Monaſtici neceſſarias conditiones non ſervant, tum quod deliberato animo perſiſtunt in neceſſitate, quam vocant, conſequente, violandi legem communis vitæ, quæ vel eſſentiam voti paupertatis Monaſticæ, ut ego quidem arbitror, ingreditur, vel graviſſimo præcepto, ceu medium in practica executione cum eodem voto connexum ab omnibus Regulis Monachalibus, Conciliis, & Pontificibus imperatur, cui proinde communitati lege ad peccatum lethale abſolute obligante obſtricti ſunt Regulares, ut omnes Theologi fatentur. Quoniam ſi Regulares ſecundum majorem partem revera ſincerum haberent, quem jactant, animum deponendi peculia, & Communitatem introducendi, quantum per eos ſtat, tandem aliquando obedirent Regulæ, obedirent Pontificibus ſummis, obedirent Eccleſiæ, communitatem, quam præcipiunt acceptando, & peculia, quæ vetant abigendo. Nec pauci refractarii optatum finem, effectumque remorari poſſent. Quandoquidem major pars prævaleret.

CONSECTARIUM II.

III. In Religionibus collapſæ diſciplinæ reperiuntur Religioſi aliqui, qui votum paupertatis ſervant, qui pietate, obſervantia Monaſtica, caritate, & ſanctitate fulgent. Quoniam iſti non ſponte, & libere in occaſione perſiſtunt habendi peculium, & violandi ſive præceptum, ſive votum communitatis. Sed ferventi ſpiritu communitatem & univerſæ diſciplinæ reformationem optant, inhiant, &, prout eorum fert conditio, procurant, manuſque ad id, data occaſione, porrigerent. Neceſſitate alendæ, induendæque naturæ coacti moderatum peculium quandoque retinent, ſed, ſublevata indigentia, qua premuntur, ſi quod ſupereſt, totum communitati immiſcendum tradunt. Paupertatem reipſa ſeveriorem, quam iimetipſi, qui in communi vivunt, experiuntur tum in victu, tum in veſtitu. Pauci tamen ejuſmodi ſunt, ut experientia didici, & rationes evidentiſſime demonſtrant. Quandoquidem ſi multi forent, pulſis peculiis, communitatem, quin & Regulæ, atque Conſtitutionum obſervantiam inveherent; ſed quia puſillus eſt grex, multitudine opprimitur. Pauci iſti, vel ob infirmitatem, vel ob alia impedimenta ad Provincias, ſeu Congregationes reformatæ diſciplinæ tranſire nequeunt. Iccirco in occaſione non libera, ſed neceſſaria tranſgrediendi legem communitatis detinentur, quæ tamen tranſgreſſio, quia minime libera, culpa caret. Conſule quæ dicturus ſum (Diſſert. 7. c. 11.) ex doctiſſimo Cardinali de Turrecremata.

Digitized by Google

CONSECTARIUM III.

IV. Ex his duobus præviis conſectariis ſponte fluit tertium; videlicet inane & commentitium eſſe ſpectrum illud, quod objiciunt, ex noſtra ſententia conſequi, omnes Regulares laxatæ diſciplinæ continenter peccare, & in ſtatu eſſe damnationis. Siquidem ſemper aliquos, ex hoc numero exemi. Quid itaque eſt, quod ſeveri cenſores carpere, aut vellicare auſint? An quod maximam Regularium multitudinem crimine proprietatis infectam, & in extrema damnationis alea verſari docuerim? An quod paucos tantum ab hoc numero exceperim? At hæc omnia palam feci, & utrumque extremum cum crudelis ſeveritatis, tum illudentis laxitatis devitavi. Profecto auctoritas Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Pontificum, Theologorum, inſuper rationum momenta ſplendidiſſima ac ipſius Monaſtici ſtatus, & votorum natura evincunt, Regulares remiſſæ diſciplinæ graviter delinquere, & ſuper abyſſi oras ambulare. Id dumtaxat, ſubdunt, nobis durum eſt, aſperumque nimis, tam immenſam ſcilicet cujuſque ordinis collapſi multitudinem damnare. At quis te cogit eam damnare? Ego evici eam peccare, & perditionis viam currere, quoniam legem, & vota tranſgreditur. Sententia porro damnationis, vel ſalutis æternæ Deo ſoli relinquenda eſt. Verum quia ſuperioribus capitulis fuſo calamo hoc ſophiſma in nihilum redegimus, nil amplius dicendum supereſt, niſi quod pudere eos deberet, qui Theologi audire geſtiunt, tam inepta commenta obtrudere, & tam craſſis illuſionibus ſe deceptos confiteri. Enimvero qui ſic loquuntur, indicant nec primoribus labiis Scripturam Divinam ſe deguſtaſſe, nec a limine ſalutaſſe ſive Patres, ſive ipſoſmet ethnicos Scriptores, ubique hoc profligantes delirium impiorum, qui ex multitudine peccantium, propriæ iniquitati patrocinium quærunt. Si pauci eſſent diſciplinæ Monaſticæ & communis vitæ tranſgreſſores, eos, quantum per te licet, damnare non pertimeſceres; ſed quod multi & immenſi ſunt, iccirco eos ſalvare contendis? Conſule Scripturam ſanctam clamantem. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies.* (Exod. 23.) Lege cap. 5. libri Sapientiæ ubi hæc offendes. *Interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tamquam lex cuſtoditus eſt.* Audi Jeremiam dicentem: *Leges populorum vanæ ſunt* (c. 10.) *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona & ambulate in ea* (c. 6.) Quid Patrum oracula referam ſi ubique clamant. *Vive cum paucis, ut cum paucis inveniri merearis in Regno Dei?* (Caſſianus lib. 4. Inſtitut.) *Quid nobis in illo Dei judicio proderit multitudo, ubi ſinguli judicabuntur?* S. Eucherius Epiſcopus ad Val. *Conſenſere jura peccatis, & cæpit licitum eſſe quod publicum eſt.* (Cypr. Epiſt. ad Donat.) *Invadens omnia conſuetudo pro lege obſervatur.* (Aug. lib. de decem chordis cap. 4.) *Non*

præ-

Digitized by Google

prævaleat Euangelio neque privilegium Nationum, neque patrocinium perſonarum. (Tertull. de veland. Virg.) *Per diverſa errorum diverticula ad viam multitudinis revertimur.* (Epiſt. 48.) Ex ethnicis unum Senecam omnium loco audi (lib. de beata vita cap. 2.) *Non tam bene cum rebus humanis agitur ut meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt. Quæramus ergo quid optime factum ſit, non quid uſitatiſſimum, & quod nos in poſſeſſione felicitatis æternæ conſtituat, non quod vulgo veritatis peſſimo interpreti probatum ſit.* (Item ep. 123.) *Inter cauſſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur.* (Et epiſt. 58.) *Recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt.*

CONSECTARIUM IV.

V. Ultimo loco colligas velim, fallacem eſſe Regulam illam, quam in quibuſdam libellis præſcribunt myſticæ ſcientiæ magiſtri; videlicet te eam paupertatem ſervare debere, quam a viris probis tuæ Religionis obſervari conſpexeris. Ambigua & fallax eſt regula iſthæc. Quoniam ſi ſermo ſit de viris probis, qui ad Regulæ & Conſtitutionum ſuæ Religionis præſcripta vitam inſtituunt, qui in Cœnobiis vere reformatis degunt, Regula vera eſt. At tum nil aliud ſignificatur, niſi quod ad regulam tuæ profeſſionis paupertatem tuam conformare debeas. Si de alio genere virorum proborum ſermo habeatur, fallax eſt & vana. Quod ut paucis palam fiat, qua via deprehendere ego valeo, viros iſtos Religioſos, probos eſſe? An fortaſſe quod ſcelera, quod crimina, quæ infamiam ſecum adferunt, non perpetrent? An quod gravitatem, modeſtiam, comitatem honeſtatemque præferant? At hæc omnia, & longe ſplendidiora, vel ipſimet ethnici peragunt. Unde ergo iſtorum probitatem tanta certitudine dignoſcere potero, ut eorum geſta ſint mihi in æternæ ſalutis negotio imitationis exemplar? Profecto non aliunde, quam ex comparatione illorum vitæ cum Regula, quam profeſſi ſunt, & cum perfectione illa, cui ex ſtatus conditione obſtricti ſunt. Probine erunt, etiamſi adverſus proprias leges, vitam inſtituant? An fortaſſe, non quod Regula, & Conſtitutiones imperant, ſed quod ipſi agunt, ſpectandum erit? An ne leges eorum moribus inflectendæ, & aptandæ, non mores ad legum & Conſtitutionum præſcriptum revocandi? Verum quid hæc perſequor? Si ergo non aliunde, quam ex collatione eorum vitæ cum Regula, & ſtatu ſuæ profeſſionis illorum probitatem comprehendere nequeas, fruſtra, & per ſummam oſcitantiam ad dubiam virorum probitatem, non vero ad Regulam te remittunt, cum non minus illi, quam tu, ad Regulam ſe conformare teneantur, & omnes ſecundum Legem, non ſecundum conſuetudinem judicandi ſint. *Ne trahamur authoritate cujuſpiam, ſed veritati potius accedamus. Nullus hic temeritati locus*

eſt:

Digitized by Google

eſt: in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis aut opinio falſa decipiat. (Lactantius lib. 3. cap. 13.) Aliqui pauci in Religionibus collapſæ diſciplinæ a violatione voti paupertatis idcirco excuſantur, quod coacte in tali detineantur occaſione ob plura impedimenta, quæ liberum illis tranſitum ad reformata Cœnobia non permittunt. Et hac etiam de cauſſa geſta unius nequeunt eſſe alteri imitationis exemplum. Quia ille poterit alio ſe recipere, ubi obſervantia viget, ſecus iſte. Præterquam quod pauci illi, qui in Ordinibus collapſis ſevere vivunt, qui jejunia ſervant, qui pullam aſperamque tunicam induunt, qui paupertatem exacte ſervant, traducuntur tamquam meticuloſi, & infirmæ mentis homines.

VI. Agnoſco ego Religioſum virum remiſſæ diſciplinæ Cœnobii mihi amicitiæ fœdere conjunctum, quemve in magno pietatis pretio habet Civitas illa ampliſſima, quam inhabitat, cujuſque nomen ſileo, ne ejus virtutem extollendo aliis præjudicium inferre videar. Hic ſuis Superioribus proteſtatur, ſe velle fame & frigore potius perire, quam vel unicum obolum habere, ejuſque conſtanti propoſito quodam modo, ut ita dicam, perterriti Superiores, unaque ædificati opportuno tempore veſtitum, & omnia neceſſaria ſuppeditant. En virum probum imitandum; quem ſi tu cum cœteris fueris imitatus, en vitæ communis & diſciplinæ regularis obſervantia invecta. Quid reponis? Si iſte abſque peculio vivit, quidni & alii? Quia iſti ſuique ſimiles viri ſunt conſcientiæ nimis meticuloſæ, & imaginationis imbecillæ, qui æſtro quodam ſanctitatis perciti ſublimi inhiant perfectioni, quive ſuſpiciendi, nequaquam imitandi ſunt. Sic modeſtiores loquuntur. Cœterum communiter Regulæ & Conſtitutionum obſervatores in Cœnobiis remiſſæ diſciplinæ irriſionibus potius obnoxii ſunt, quam ſint aliis imitationis exemplo. Tu itaque, ſi æternæ ſalutis animum tuum ardens deſiderium tenet, ad Regulam, & Conſtitutiones, quarum obſervantiam Deo ſolemni ritu ſpopondiſti, oculos converte. „ Religioſus, inquit Clariſsim. Vincentius „ Contenſonius (lib. 6. Diſſert. 3. cap. 1. quæres 4. prope finem,) Re„ gulam & ſtatuta ſuæ profeſſionis legere, meditari, retinere tenetur, „ ut ea poſſit obſervare. Unde plane deploranda eſt quorundam la„ xatiſſimæ diſciplinæ Regularium conditio, apud quos nunquam pro„ ponitur regula, ſub cujus nomine militant in Eccleſia Dei. Vidi quoſ„ dam Canonicos Regulares conteſtantes, ſe nunquam audiviſſe Regulam „ D. Auguſtini, ad eamque obſervandam minime ſe teneri effutientes: „ & cum quæſiviſſem ab eis, quid toto probationis anno profeciſſent, „ ingenue reſponderunt, ſe ſimplicibus modis Gregoriani cantus artem „ didiciſſe, ſæpeque cantitantes, & ſæpius diſſonantes flagris a Magiſtro „ ſeveriſſime exceptos fuiſſe: Regulam vero Divi Auguſtini non magis „ audiviſſe, quam ſi non extaret in orbe terrarum. Vah indignitatem! „ Ubi pudor mentis! ubi rubor frontis! Siccine irridetur Deus, & illu„ ditur.

Digitized by Google

ditur Eccleſia! Væ Abbatibus, & Prioribus oſcitantibus, & diſſimu- "
lantibus! Væ ſic profeſſis judicandis, non ſecundum adeo rationi ad- "
verſam conſuetudinem, ſed ſecundum vota, quæ diſtinxerunt labia ſua "
quæve reddiderunt coram omni populo Dei „ Hoc de argumento Diſſet. ſeq. iterum ſermo recurret, idcirco his quattuor de communi vita & peculio Regularium finem impono præclariſſimis D. Gregorii Magni verbis, quæ in fine Paſtoralis habentur, atque minime illi, mihi vero quam maxime quadrant. *Pulchrum depinxi hominem pictor fædus, alioſque duxi ad perfectionis littus, qui adhuc in delictorum fluctibus verſor. Sed in hujus quæſo vitæ naufragio orationis tuæ me tutela ſuſtine, & quia pondus proprium me deprimit, tui meriti me manus levet.*

DISSERTATIO QUINTA,

IN QUA METHODUS OBSERVANDA, ne vita communis, ubi viget, relaxetur. Cur in pluribus Religionibus collapſa ſit: impedimenta reformationis: inſtrumenta, quibus laxitatis radices præcidantur, palam fiunt. Plurium Religioſorum in hac materia craſſa, & graviter culpabilis ignorantia. Eos tuta conſcientia in Cœnobiis, a quibus exulat communis vitę, & aliarum Conſtitutionum obſervantia, habitare minime poſſe, ſed pedem referre illoque ſe ſe recipere debere, ubi reformatio diſciplinæ floret, evincitur. Ii porro, qui ex cœnobiis reformatis ad Provincias collapſę diſciplinę demigrant, ut exactam propriæ profeſſionis obſervantiam effugiant, in ſtatu ſe ſe detrudunt damnationis æternæ: quemadmodum in idem periculum damnationis ſe conjiciunt juvenes, qui ſæculum relinquentes, Religionem in ſubſtantialibus ſtatutis relaxatam, ingrediuntur.

PRÆLOQUIUM.

Plura in hac diſſertatione diſceptanda aggredior, quæ quamquam maximi momenti ſunt, ſcitu digniſſima, & utilitatis ſummæ, indicta Theologi reliquerunt. Ego autem, qui pro dignitate hanc controverſiam dirimendam aſſumpſi, expenſis illius præcipuis capitibus, conſecutiones inde

de proficiſcentes, quæ praxim ipſam propius inſpiciunt, declarandas pretium operæ exiſtimavi. Quid enim vero prodeſſet ſtrictum callere debitum, graviſſimumque jus illud, cum conſervandi florentem, tum inſtaurandi collapſam communem rerum vitam, ſi viam, & rationes, quæ eo conducunt, ignoraremus? Quos inſuper angores experirentur ii, qui ad hunc aſſequendum finem omnium remediorum facto, ſine profectu, periculo, atque proficiendi impoſterum ſpe dejecti, ſi quo tandem pergere, ubive pedem, ſtationemque figere, neſcirent? Quæ omnia licet ex ſe gravem non præferant difficultatem, ut tamen executioni demandentur, & ad certas exigantur regulas, non parum faceſſunt negotii. Quidpiam fortaſſe eorum, quæ dicturi ſumus, paullulum aſperitatis ſapere primo aſpectu videbuntur, non quod minus legi, rationique conſentanea, ſed quod flumini moris humani quaquaverſum exundanti infeſta. Non ob id tamen a veritatis tramite, vel latum unguem diſcedemus. Utinam lex dulciora propinare permitteret, & ad ſacrum profeſsionis noſtræ rigorem blandis deliniendum interpretationibus, abſque veritatis, ſalutiſque diſpendio, via pateret recta. Neque enim vel a natura, vel ab educatione ita comparati ſumus, ut duriora, & arbitrariam ſeveritatem vel nobis, vel cœteris amplectendam proponamus. Sed neque eo cœcitatis devenimus, ut veritati offucias prætendamus, ne ejus ſplendor ægrorum oculos percellat, vel, ut auram captemus popularem. Euangelicæ itaque inſiſtemus viæ, illudque Chriſti Domini oraculum ſemper ob oculos habebimus: anguſtam ſcilicet eſſe Paradiſi januam, & paucos, atque perſolos violentos Regnum Dei poſſeſſuros.

CAPUT PRIMUM.

Regula prima exponitur, quam Prælati Regulares, ut florentem ſuis in Cœnobiis, quibus præſunt, communitatem, ſartam, tectamque cuſtodiant, obſervare debent.

I. MAniſeſtiſſima experientia, omniumque cordatorum hominum auctoritate compertum eſt, ex Prælatorum oſcitantia, vel ignorantia, aut tenacitate, & avaritia, peculiaritatis, ac ſubinde proprietatis crimen in Monaſteria invaſiſſe. Quandoquidem ſolemnis Regularium profeſſio, ut non ſemel jam dictum eſt ſupra, contractus quidam eſt mutuus, in quo Regulares ſeipſos, omniaque ſua tum præſentia, tum futura ſub dominio ponunt Religionis, eiſque penitus renunciant: & Religio viciſſim, ceu Mater amantiſſi-

tiſſima eos ſuſcipit in filios, eodemque obligationis vinculo ſe ſe obſtringit ad victum, & veſtitum, ſeu ad omnia, quæ eorum cum naturæ, tum ſtatui neceſſaria ſunt, conferenda. Porro ſi Religio huic ſuo altiſſimo debito explendo, deeſt, contractus ad iſtam, quod attinet, partem, læditur, juſque primum naturæ conſervandæ in Religioſo conſurgit ad alimenta neceſſaria, alia via, ſibi comparanda. Hinc eſt, quod ſanctiſſimi Patriarchæ Sacrorum Ordinum inſtitutores tantopere in ſuis Regulis Superioribus mandant, inculcantque, ut omnia neceſſaria ſubditis ſuis conferant, ne ex eorum malignitate clanculum aliquid comparandi anſam arripiant. *Diſtribuatur*, inquit Auguſtinus, *unicuique veſtrum a Præpoſito veſtro victus & tegumentum*. Et expreſſius Divus Benedictus (cap. 55.) *Ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria, ideſt cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabula, ut omnis auferatur neceſſitatis excuſatio.*

II. Hoc ipſum inclamant Concilia, & Pontifices, atque, ut cujuſque excuſationis prætextum auferant, ſeveriſſime prohibent, maxime Tridentinum (Seſſ. 25. de Refor. cap. 3.) ne ad Religionis habitum recipiantur, ultra numerum eorum, qui ex Monaſteriorum reditibus congrue ali valeant. Hæc omnia plana ſunt, & cuique pervia, ſi in ſe ſpectentur; ut ad praxim vero deducantur, ſumma prudentia, & dexteritate opus eſt. Quoniam non omnium ſubditorum æqualis eſt valetudo, non eadem omnium indigentia, & neceſſitas; idcirco Regula Auguſtini, ſicut & cœteræ, immo acta ipſa Apoſtolorum Prælatos admonent, ne æqualiter provideant omnibus, quia non æqualiter valent omnes, ſed prout cuique opus fuerit, Religio omnibus æqualiter providere debet, hoc in ſenſu, quod nemini quidquam eorum deſit, quæ illi neceſſaria ſunt: At quia eorum indigentia inæqualis eſt, ideo proviſio inæqualis reſpondere debet. Omnibus ſimul diſcumbentibus dicitur æqualiter inſtructum convivium, quamvis, qui majore laborant fame, & ardentiore abundant calore, plus cœteris manducent. Verum de hac inæqualitate fuſius infra.

CAPUT SECUNDUM.

Secunda regula pro exacta Apoſtolicæ Communitatis perenni conſervatione. Quam æqualitatem, quamve inæqualitatem hæc communitas excipiat, declaratur.

I. Quemadmodum omnes homines in ipſa natura, perfecta ſimilitudine & æqualitate conveniunt, differunt vero in adventitiis, & prærogativis, quæ naturam ipſam comitantur, eidemque accidunt: ita

quoque Communitas Monaſtica, quæ naturam alit, induitque, omnimodam ſervat æqualitatem. Quoniam, ut commune, tritumque fert adagium, buccæ omnes ſorores ſunt, nullam in victu, nullam in veſtitu diverſitatem admittit, præter eam, quæ materialis nuncupari poteſt, prout longiori corpori longiorem veſtem, magiſque eſurientibus abundantiores porrigit dapes; quæ inæqualitas conſummatam conſtituit æqualitatem. Communitas itaque Monaſtica limites fixos, certoſque habet, quod, ſine ullo diſcriminis veſtigio, eadem menſa nutrit, eodem veſtiario induit Religioſos omnes cum Superiores, tum ſubditos, cum doctos, tum indoctos, infirmis pariter eodem valetudinario ſuccurrit, non ſumptibus, non laboribus, non induſtriæ parcit, ſed ea omnia, quæ de medicinæ conſilio expedientia, ac reparandæ ſanitati congrua judicantur, prompta liberalitate ſubminiſtrat. Caveant igitur Prælati, ne in victus, & veſtitus, eorumque, quæ ſub his nominibus veniunt, proviſione, acceptatores ſint perſonarum, ſed æquet amor, ut inquit alicubi Auguſtinus, quos æquavit natura: cæterum ut homines natura pares, & prærogativarum varietate diſſimiles ſunt: ſic quoque communitas æqualitate proviſionis in conſervatione naturæ ſervata, inæquale ſubſidium confert, quo ſubditorum itidem prærogativas foveat, alat, ſuſtentet. Hæc inequalitas major in una, atque in altera communitate reperitur, prout cujuſque finis diverſus extat. In Religionibus, quæ uni contemplativæ vitæ vacant, vix eſt inæqualitati locus: quæ vero præter contemplativam, activam ſimul ducunt vitam, proximorumque ſaluti operam navant, inæqualitas, non modo conveniens, verum etiam neceſſaria eſt. Euntes ad prælium, & remanentes ad ſarcinas, non iiſdem telis, ſcutis, & gladiis opus habent. Concionatoribus, Theologis, qui re non nomine tales ſunt, quive communi, & ordinis, & Eccleſiæ utilitati, & decori inſudant, ea librorum copia, ea a chori ſequela exemptio, aliæque diſpenſationes impertiuntur, quæ ad eundem finem ineptis denegantur, & denegari debent. Ex Chronicis Ordinis Prædicatorum colligitur Thomæ Aquinati, Vincentio Bellovacenſi, cæteriſque inſignibus viris codices, ammanuenſes, aliaque ſubſidia, plus minuſve, prout expediens, attentis circumſtantiis, videbatur, collata a Religione fuiſſe. Id tamen ſemper præ oculis habendum eſt, cujuſque indulgentiæ, inæqualitatis, & diſpenſationis menſuram, & regulam, boni communis augmentum, & progreſſionem eſſe debere. Quæcumque inæqualitas, quæ ab hoc ſcopo declinat, diſſipatio, & miniſterii prævaricatio reputanda eſt.

CAPUT TERTIUM.

Regula tertia, ad quam reſpicere debent Prælati Regulares in ſubditorum in Communi viventium, proviſione.

I. REgula, & menſura iſtius proviſionis eſto, non tenax; & avara œconomia, ſed Jeſu Chriſti charitas, quæ Religioſos inſpicit non tamquam ſervos ſub vinculo legis, ſed ceu filios ſub libertate gratiæ conſtitutos. Non perraro Prælatorum animos invadit nimiæ malignitatis Spiritus, ſub ementita paupertatis larva, eoſque ſub dolo communis patrimonii conſervandi, aut augendi zelo. Et quoniam ea, quæ propius a virtute, quam a vitio abſunt, quæve ex ſe nullam produnt deformitatem, aſpectu primo, ſed potius honeſtatem, ſæpe numero fallunt, mirum in modum. Nil frequentius inclamant Superiores, quam frugalitatem, temperantiam, & parſimoniam Religioſorum maximas virtutes eſſe, quod non tam verum, quam quod veriſſimum; ſed & ipſos animadvertere vellemus ſub hoc velamine ſæpiuſcule oppangi callidiſſimum illum præſtigiatorem, amorem nempe boni proprii, qui in rebus temporalibus adminiſtrandis, negotiiſque peragendis ſummæ dexteritatis famam, & in Cœnobiorum regimine ſolertis prudentiæ gloriolam omni anniſu aucupare conatur. Iſtius œconomiæ non Chriſtianæ, ſed mundanæ aura, ita eos alit, & depaſcit, ut pro ſecundis menſæ dapibus iiſdem deſerviat. Patrimonii caritatem penuriamque opportune, importune exaggerant, & dum per ſummam illuſionem ſpiritum paupertatis in ſubditorum animis ſimilibus ſuaſionibus accendere arbitrantur, indignationem, ſcandalum, & de Divina providentia diffidentiam pariunt.

II. Porro ut ſcrupulos iſtos evitent, illud primum ſubditis ſuis inclamare debent, & ſuadere. *Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* (Matth. 6.) Divinæ Providentiæ munificentiam in eorum proviſione extollant, certoque adpromittant tandiu temporalium bonorum largitionem fore abundantem, quandiu ipſi in obſervantia regulari perſeveraverint. Quoniam, inquit David *junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* (Pſal. 36.) Brevi verbo, quo Superiores in ſubditorum proviſione liberaliores erunt, eo facilius ſubditis ſuis paupertatis affectum inſtillabunt, & voluntarios euangelicæ paupertatis profeſſores conſtituent; duo itaque extrema declinare contendant: tenacitatis, ſcilicet, & prodigalitatis, prudentiæ præeunte fulgore. Si bivium occurrit, ad quod horum declinandum ſit extremorum, ad abundantiam greſſum vergant. Nullus ſubeat timor, vel diminuendi patrimonii, vel laxandæ obſervantiæ regularis ex abundanti proviſione.

ſione, quam non captandæ gloriæ, vel indulgendi paſſionibus cupido; ſed euangelicæ caritatis amor impertitur. At, inquis, Cœnobiorum Temporalia in dies decreſcunt. Si verum eſt, jam condemnaſti temetipſum, quoniam argumentum hocce eſt non leve ſpirituale cœnobii tui regimen in præceps ruere: inſtaura ſpiritualia, ac Cœleſtia, & continuo temporalia a Divina Providentia porrigentur. Cavendum igitur Prælatis eſt, ne ſua tenacitate materiam ſubditis præbeant excuſandi proprietatem prætextu neceſſitatis, & rurſus ne ſua profuſa liberalitate occaſionem luxuriandi aperiant; ſed tribuant unicuique, prout cuique opus eſſe, proſpexerint.

CAPUT QUARTUM.

Quarta regula pro perenni Communitatis conſervatione præſcribitur. Cenſus annui in favorem alicujus Religioſi relicti, vel in communi adminiſtrandi, omnino rejiciantur.

I. Nil frequentius inculcari ſolet, quam illud Divinum axioma: *Qui ſpernit modica, paullatim decidet.* (Eccleſiaſt. 19. 1.) Quod ſummopere locum habet in iis minimis, quæ maximis inſidiantur, ſi tamen minima aut parva dicenda ſunt, ſine quibus maxima vix conſiſtere queunt, vel iis admiſſis, facillime ruunt. Quare ſerio duo parvorum genera, prout ad noſtrum attinet inſtitutum, ſecernenda occurrunt, primum eorum, quæ cum aliquo ſummi momenti præcepto proximam conexionem non habent: puta fractio ſilentii, clandeſtina comeſtio, cæteraque id genus. Secundum eorum, quæ aliquam afficiunt legem præcipuam alicujus profeſſionis, & ad ejuſdem tranſgreſſionem perquam facile januam aperiunt. In hoc ſecundo genere annuos Religioſorum cenſus collocamus, etiam in communi adminiſtrandos. Et profecto quouſque Religiones in regulari obſervantia floruerunt, vix nomen eorum cognitum fuit. Quod adeo verum eſt, ut ex tot ſacris ordinibus cœnobiticam vitam profitentibus, nec unum reperire fas ſit, qui ſub ſuæ inſtitutionis initium aliquem annuum reditum in favorem cujuſque Religioſi quoquo modo relictum admiſerit. Et tandiu hæc ſancta conſuetudo obtinuit, quamdiu euangelicæ perfectionis ſpiritus exarſit. Deferveſcente poſtea paupertatis Monaſticæ fervore, illico peculiares cenſus Cœnobia invaſerunt.

II. Verum quemadmodum nullum ſcelus prima fronte ſuam prodit malitiam, nec abſque aliquo honeſtatis fuco innocentiam adoritur; ita quoque nec cenſus Monaſtici ſtatim ac invehuntur, proprietatis crimen patefaciunt. Primo ſiquidem ea lege admitti ſolent, ut a publicis officialibus in commune beneficium adminiſtrentur, vera cum cæteris Monaſterii bo-

nis

nis facta confuſione. Temporis progreſſu aliquid illius cenſus Religioſis ipſis, in quorum favorem relictus eſt, impertitur; deinde id, quod primum per quandam indulgentiam conceſſum eſt, actuum repetitione in conſuetudinem tranſit; ac tandem & adminiſtratio, & uſus cum trita illa, quam vocant, dependentia a Prælato ad Religioſos ipſos plene devolvuntur; unde poſtea proprietatis lues, & univerſæ obſervantiæ regularis jactura proficiſcitur. Itaque licet cenſus peculiares, cum a ſolis Conventus officialibus in commune omnium commodum, ut cætera Monaſterii bona, adminiſtrentur, nec voto, nec communitati abſolute repugnent. Attamen ſenſim ſine ſenſu rimas, & viam ad proprietatem invehendam aperiunt. In primis cenſus iſti Religioſos, ut vocant, cenſuitas, de uno in aliud demigrantes Cœnobium ſemper comitantur. Quapropter quandam cum ipſis præ aliis, connexionem habent. Non me fugit conexionem hanc in eo ſitam, quod non ſibi, ſed Monaſterio acquirant. Verum ſicuti canales deferentes aquam non ſemper totam in ciſternam deponunt, ſed quidquam ſibi ebibunt; ita quoque Superiores, vel quod aliquando in paupertatis voto minus verſati, vel quod minus cauti, & circumſpecti, indulgent, ut quidpiam legati legatario ſuo conferatur, non ſemper, quia vere indiget, ſed quia legatum habet. Quæ indulgentia, ſi ibi pedem figeret, unde initium ſumit, utcunque interdum tolerari poſſet; at in praxi ultra ſemper progreditur. Et quoniam res eſt plena periculi, (radici enim univerſæ diſciplinæ regularis inſidias ſtruit) idcirco aditus omnis præcludendus eſt conſtanti iſtorum cenſuum rejectione. Itaque ſi zelus ſervandæ communitatis ardet, nullus impoſterum cenſus, nullum legatum cujuſque Religioſi nomine relictum, quodve Religioſum ipſum comitari debeat, admittatur; ſed tanquam Apoſtolicæ Communitatis infeſtum omnino reſpuatur. Si Noviriis profeſſionis emittendæ tempore, vel eorum parentes, ante vel poſt profeſſionem aliquid in Religionis favorem diſponere parati ſint, alicui pauperi Cœnobio, vel in quo Novitius profeſſus eſt, vel alteri vere indigenti, prout expediens viſum fuerit, nulla cujuſque Religioſi facta mentione, legent, & donent, ſi velint, ſi hocce modo legare noluerint, ſua ſibi retineant temporalia, ne noſtrum ſpirituale patrimonium inficiant, & deſtruant. Quod, ut facilius executioni demandetur in Religionibus, quæ ariſtocratico vel democratico regimini gubernantur, lex condatur, quæ ſupremo cujuſque Provinciæ, vel Congregationis Superiori facultatem conferat ejuſmodi cenſus, ſi quando obvenerint, iſti, vel alteri Cœnobio prout ſibi in Domino expedire videbitur, deputet, & adjudicet.

III. Neque reponas Religiones reperiri, quæ exactam communitatem, & regularem diſciplinam examuſſim obſervant, & nihilo ſecius Religioſorum cenſus a ſolis officialibus adminiſtrandos recipiunt. Verum hoc, an falſum, non diſcutio, hoc unum ſcio ſub initium inſtitutionis ſuæ

non

non admiſiſſe. Quod nunc excipiant, alicujus imminutionis, & ſublapſus argumentum eſt evidentiſſimum: experientia ſiquidem plurium ſæculorum teſtatur ſimilem communitatem talibus obſeſſam reditibus haudquaquam perdiu duraturam. Cœteræ quippe omnes Religiones in laxitatis, & diſſolutionum ſentinam prolapſæ hac via ſunt. Nec te moveat quod in iſtis ordinibus adhuc eluceat cujuſdam Communitatis, & regularis obſervantiæ ſpecimen; quonam uno ictu munitæ arces non expugnantur, nec una gutta lignum putrefacit, cœdit tamen, & diuturna deſtruit repetitione. Aliorum bonas conſuetudines imitare; malas vel mali ſpeciem præferentes devita. Conſilium Chriſti Domini, quod eidem voviſti, ob oculos ſemper habeto. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, & da pauperibus.*

CAPUT QUINTUM.

Quinta Regula, quam Religioſi ſubditi inſpicere debent, ut Apoſtolicæ Communitatis fervorem foveant, atque in dies magis, magiſque accendant.

I. PRælatis hucuſque regulas, & documenta, quibus ſartam tectam cuſtodire, & promovere valeant rerum communitatem, brevi indicavimus. Nunc autem ipſis Religioſis ſubditis quædam inculcanda occurrunt, ut viciſſim cum illi, tum iſti ad Apoſtolicam hanc vitam nutriendam, & ab inimicorum inſidiis propugnandam manus ſibi porrigant.

II. Ac primum veram ſinceramque euangelicæ paupertatis imaginem præ oculis continuo habeant religioſi oportet, ut ad illius amuſſim vitam ſuam componere valeant. Porro hujus paupertatis Typum in ſemetipſo expreſſit Chriſtus (Matth. 8.) *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet.* Quam paupertatem, penuriamque pertulit ille, ut nos cœleſtium virtutum divinorumque Chariſmatum opulentos efficeret, ut inquit Apoſtolus Paulus (2. Cor. cap. 8.) *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet Dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.* Hanc autem ſuæ paupertatis imitationem nobis conſulens ait (Matth. 19.) *vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo, & veni, ſequere me.* Ut poſtea diſtinctam, claramque ideam haberemus, qua paupertatem hanc exequi, & reipſa exercere poſſemus, in ſuo Apoſtolico collegio formam ipſe præſcripſit, & praxim, quam fui Apoſtoli ſervarunt, nobis Euangeliſta Lucas enarravit (Act. cap. 4.) *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eo-*

rum

rum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia . . . . . Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant; vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant. Et ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat. Hanc ipſam paupertatem nos obſervaturos fore ſpopondimus, cum profeſſionem Monaſticam emiſimus ſecundum Patriarcharum Regulas, quæ omnes paupertatem communitate exequendam imponunt, præcipiuntque.

III. Unum hic obiter animadvertere lubet, prius ſcilicet donis cœleſtibus, ipſoque Spiritu Sancto donatos fuiſſe Apoſtolos, deinde mutuam illam ſanctamque ſocietatem, rerumque omnium communionem inſtituiſſe. Quare merito Auguſtinus in ſua Regula primum charitatem innuit. *Ante omnia fratres chariſſimi diligatur Deus.* Et poſtea ſubdito . . . *Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia Communia.* Hæc eo dicta ſint, ut intelligamus id, quod expreſſe docet Angelicus Doctor (2. 2. quæſt. 188. art. 7.) bonorum nempe communionem fructum eſſe caritatis: & viciſſim rerum communionem caritatis fervorem accendere. Caveant itaque, qui rerum communitatem impoſſibilem exaggerant in ſuis Cœnobiis, ne verum affectant, quoniam tunc caritatem in Cœnobiis illis deficere evidens eſſet argumentum. Caritas enim non quærit, quæ ſua ſunt, ſed propria communia facit. Deficiente vero caritate omnes fatentur, impoſſibilem eſſe rerum communionem, eo modo, quo exſiccata planta ceſſant fructus.

IV. Sed in ſemitam revertamur. Hanc paupertatis Monaſticæ ideam, quam Scripturæ ſanctæ nobis depingunt, quotidie contemplari debemus, ejuſdemque lineamenta penitius introſpicere. Enimvero vel in ipſis Cœnobiis, in quibus rerum communitas floret, multifariam lædi poteſt, & læditur ſæpius Monaſticæ paupertatis virtus. Ad exactam quippe perfectamque iſtius paupertatis obſervantiam ſatis haud eſt, quod nihil ut Domini poſſideamus, quod ex communi penu omnia nobis adminiſtrentur, ſed requiritur inſuper, quod paucis contenti ſimus, quod frugalitatem in victu, tenuitatem, humilitatemque in veſtitu ſervemus. Hæc namque ad eſſentiam ſtatus Monaſtici pertinere aſſerit Doctiſſimus, unaque piiſſimus Guillelmus Antiſidorenſis apud Dionyſium Carthuſianum (opuſc. de profeſſ. Monaſt. cap. 11.) *Advertat, & ponderet Religioſus, quod ille famoſus Dominus Guillelmus Antiſidorenſis ait in ſumma ſua. Tenuitas victus, & veſtitus ita ſunt de eſſentia Religionis, quod ſuper ea non cadit diſpenſatio.* Quid itaque dicendum de illis, qui ſelectiora quærunt fercula, qui ſevera criſi eſcatum, & qualitatem, & quantitatem reprehendunt, qui publicis officialibus ſunt moleſti, Prælatis importuni? qui in indumentis veſtes ſubtiliores venantur, reſarcitas reſpuunt, qui nunquam ſatis ſibi induti videntur, niſi ad plures annos, reſque omnes duplicatas habeant, quarumve conſervationem negligunt?

V. Hæc

V. Hæc omnia ; inquis, ex communi mihi ſubminiſtrantur ad uſum dumtaxat, Prælato conſentiente. Quid inde? Quænam paupertas juxta omnium prudentum ſenſa dicenda ea eſt, quæ penuriam ſemper reſpuit, quæ palato indulget, quæ cum in victu, tum in veſtitu ſemper redundantiam quærit, quæ in tantum a quibuſdam abſtinet eſcis, in quantum eas Religio non concedit? Hæc ſane Monaſticæ paupertatis larva eſt. Vera enim paupertas, quam nos Deo nuncupavimus, ea eſt, quæ corpus alit ad ſuſtentationem, quæ nuditatem operit ad modeſtiam tuendam, aeriſque intemperiem propulſandam, quæ ciborum non modo qualitate, verum etiam parcitate guſtus appetitum coercet, ut cœteris paſſionibus, concupiſcentiæ maxime, frænum imponat juxta documentum Auguſtini ajentis. *Venter, & genitalia ſibi vicina ſunt,* (in die Ciner. Serm. de jejun. vide) *& pro ordine membrorum ordo quoque vitiorum exiſtit . . . Qui enim a carnibus ſic abſtinent, ut alias eſcas difficilioris præparationis, & majoris pretii inquirant, multum errant. Hoc enim eſt non ſuſcipere abſtinentiam, ſed mutare luxuriam.* Hinc vera jejunii notio in unica præcipue comeſtura conſiſtit, ut alibi, Deo dante, contra quoſdam caſuum Arbitros evincemus. Nolimus igitur noſmetipſos decipere, plenoque ventre jejunia commendare, atque inter rerum omnium affluentiam paupertatem extollere. Nobis ipſis illudimus, fucumque facimus, quoties paupertatis Monaſticæ obſervatores audire velimus, ſi penuriam aliquando, incommoda, cæteroſque Euangelicæ paupertatis effectus perferre recuſamus, ſed cum Apoſtolo parati eſſe debemus, & cum eodem dicere (ad Philip. 4.) *Scio & humiliari, ſcio & abundare, (ubique, & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati, omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Prælatorum utique munus eſt redundare potius in ſubditorum proviſione, etſi iſtorum quiſpiam tanta abuſurus ſit caritate, quoniam Superiores boni communis conſervationem, publicamque tranquillitatem inſpiciunt, eorumque eſt murmurationum, perturbationumque occaſiones auferre. Cœterum non ideo ſubditi a læſione paupertatis euangelicæ immunes evadent, ſi hac abundantia etiam a Prælato oblata abutantur, ſi ſobrietatem, frugalitatemque tam in victu, tum in veſtitu non cuſtodiant, ſi penuriam, data occaſione perpeti recuſent. Hi enim ſunt genuini paupertatis Monaſticæ characteres, quidquid fabulentur caſuiſtæ quidam inter vaſa aurea, & argentea, inter gemmas, ſericaſque veſtes paupertatem Cœnobiticam propugnantes, ob id unice, quod dominio excluſo, licentia Abbatis accedat. Ejuſmodi enim argutiolis, ad metaphyſicas quidditates venandas aptatis, minime vero ad euangelica conſilia explananda conſentaneis Deus non irridetur. Fateor tamen, confiteorque, me iſta ſcribentem ſynderesis aculeos intimius perſentire; quoniam ad hanc euangelicam methodum vitam meam adhuc non comparaverim. Sed quid inde? An ne peccatis peccata veritatem occultando addenda ſunt? Doleamus potius de præteritis tranſgreſſioni-

ſionibus, viamque rectam tandem arripiamus; quoniam eadem immenſa clementia, quæ mentem illuminare dignatur, voluntatem inflammare non recuſabit.

VI. Quid poſtremum de illis dicemus, qui rebus ſibi ad uſum traditis, ita earum afficiuntur amore, ut ad eas ceu polypus ad ſaxum inhæreſcant, qui ſi ablatio contingeret, in murmura erumperent, & ſchiſmata concitarent, ob quæ evitanda interdum Prælati plura diſſimulant? Ut obiter dicam, in tranſgreſſionem votorum, vel eorum, quæ votis ipſis proxime annexa ſunt, diſſimulatio Prælatorum valde periculoſa eſt, cavendumque ne humanæ, mundanæque prudentiæ plus juſto tribuatur. In his eventibus præ oculis habeant Prælati effatum D. Gregorii ajentis. *Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur:* neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala. Gravius ſemper eſt, majorumque cauſſa malorum peſſimum exemplum, quod ingerit votorum tranſgreſſio in conſpectu multitudinis, quam ſcandalum, quod parit unius, vel alterius ab correctionem illis factam, tumultus, vel etiam rebellio. Sed hæc per tranſennam dicta ſint.

VII. Ut autem ad noſtra revertamur, vitiorumque narrationem contra paupertatem perſequamur, id felicius præſtare haud poſſumus, quam lectorum oculis ſubjicere, quæ de tribus votis ſcribit B. Umbertus quintus Ordinis Prædicatorum Generalis (cap. 13.) *Sed heu* (inquit) *ſunt aliqua quæ bonum paupertatis vitiant nunc poſſidendi deſideriis, nunc verbis inordinate prolatis, nunc etiam factis in virtutis hujus præjudicium demonſtratis. Nonnulli ſunt etiam, qui ad ea, quæ profitendo contempſerant, appetitibus accenſi anhelant, obliti, quod apud ponderatorem ſpirituum ipſa perverſa voluntas, priuſquam ad actum procedat, condemnetur. E contra quidam Patrum, quia rapere cucumerem concupivit, in ſole acriter ſe afflixit, ut vexatio talis intellectum ſibi tribueret, ac ſic malum in ſe deſiderium puniret. Hi vero, qui divitias, quas foris habere non poterant, nunc affectant, ſi veri Chriſti diſcipuli eſſent, per anguſtam portam, quæ ducit ad vitam exonerati ab omni impedimento intrare ſolicite laborarent. Invenimus etiam interdum quoſdam in quibuſdam rebus adeo delectari, ut nec ad concedendum ea fratri petenti velint aliquatenus inclinari. Alii quaternos vel res alias innituntur a fratrum conſpectu abſcondere, ne poſſint petentibus non negare, quibus contemnenda eſſent illa tranſitoria, & fraternæ charitati omnia poſtponenda. Pudet autem dicere, quod nonnunquam viliſſimis rebus ſic accenduntur; ut ſi quis vel digito ex his quicquam attrectare præſumpſerit, tam indignatione cordis contra ipſum, quam verborum inſolentia moveantur. Inveniuntur & alii, qui ſic dicunt, niſi mihi detur hoc, vel illud habendi, vel recipiendi licentia, nequaquam domum de cætero in talibus promovebo. Sunt & alii, qui tales ſe exhibent, ut Prælatus ex his, quæ habent, auferre non audeat, velut ad tempus concedant, injungere non præſumat. Et ſi abſtu-*

abſtulerit quicquam talium, turbationes in domo concitant, & tumultus. Sed quia per talem indignationem in prædictis rebus aliquale ſibi jus vendicant, proprietarios quodam modo ſe demonſtrant. Pro his nequaquam turbationem ſibi aſſumerent, niſi res illas, pro quibus moventur, ad ſe pertinere aliqualiter judicarent. Sunt & nonnulli qui denarios ſine licentia nec accipiunt, nec expendunt. Et tamen quia licentiam ſibi negari nulla ratione volunt, apud Deum excuſabiles non exiſtunt. Alii dum dare, vel accipere quoque deſiderant, inſidioſe Prælati ſui abſentiam expectant, ut a minore Prælato licentiam obtinere valeant, quam negandam a majore credunt probabiliter, aut formidant. Iſti quidem apud homines forinſecus ſe excuſare poterunt; ſed apud Deum, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, perfectionis ſemitam derelinquunt. Quidam etiam comeſtilia, vel potabilia ſibi miſſa, vel ſoli contentantur habere, vel illis quibus placet tantummodo diſtribuere, nec fratres alios ſecundum diſpenſationem eorum, quorum intereſt, participes volunt eſſe. Sunt & alii, quibus auctoritas eſt tradita, qui Monaſterii res indignis conferunt, aut incaute perire ſinunt, aut ſuperflue res expendunt, qui nonnunquam circa curam propriam reperiuntur ſatis prodigi, ſed quoad alios ſatis avari. Hi ſi certe adverterent, quod eleemoſinæ ſint pauperum, quibus vivunt, eas cum magna timoris reverentia, & providentia æqualiter diſpenſarent.

VIII. Expoſitis vitiis, quibus vel perfectionem, aut votum ipſum paupertatis Monaſticæ Religioſi communem etiam vitam ſectantes violare poſſunt, plura in paupertatis commendationem ſcribit Doctiſſimus ille Generalis, atque immenſa proprietatis damna in medium promit; quæ omnia brevitatis gratia miſſa facimus. Ejus dumtaxat adhortationem ad paupertatem ſectandam referre lubet. *Sufficiat autem* (inquit loco laudato c. 20.) *vobis fratres chariſſimi, paupertas, & abominetur anima noſtra tranſitorias ſubſtantias; quia Chriſto vobiſcum manente, divites nimis eritis, nihil temporalium habentes. Et ſine illo pauperes eritis, & egeni, cunctas etiam divitias mundi obtinentes. Ille autem ſit veſter Theſaurus, qui ſolus animæ deſideria replere poteſt, & ſine illo eſt omnis creatura vacua. Quare ſi propter paupertatem eſuritis vel ſititis, ſi nudi eſtis, ſi ſuſtinetis incommoda; ille ſolus vobis ſufficiat, qui dulcedinis ſuæ magnificentia, omnia mundi commoda propter ſe dimiſſa incomparabiliter recompenſat. Attendite fratres mei; quia ſicut ſecurum iter pauper tranſit per latrones; ſic & Monachus nihil habens cum decidit, Diaboli ſecurus tranſit laqueos, & evadit. Elementa levia ſurſum vadunt, ſic & fratres, qui ſe perfecte omnibus mundant, libere Cælos petunt. Exemplum enim eſt horum pauper Lazarus, qui fuit tandem ab Angelo in ſinu Abrahæ deportatus.*

IX. Sic loquuntur ſancti Dei homines, nos ad ſitim, famem, nuditatemque hortantes ut ſolemni noſtræ profeſſioni faciamus ſatis, ut Chriſti imaginem in nobiſmetipſis exprimamus. Iſtorum igitur volumina diur-

na,

na, nocturnaque manu revolvamus, nullis caſuiſtarum diſtinctiunculis, quibus ut abſtractam quandam umbratilis paupertatis quidditatem propugnent, ſinceram euangelicam paupertatem ad nihilum fere redigunt. Nos igitur Sanctorum inhærentes veſtigiis, & doctrinis, debemus ſedulam navare operam tum verbis, tum factis, ut exacta rerum communitas in domibus noſtris ſervetur. Si Prælati noſtri abundanti proviſione noſtris ſuccurrunt neceſſitatibus, noſtra intereſt in ipſa abundantia ſobrietatem ſervare. Si diminuti aliquando fuerint, noſtrum eſt euangelica patientia penuriam pati. Si quæ ſemel ad uſum nobis conceſſerint, velint eadem auferre, de una ad aliam cellam transferre, prompto animo obſecundare debemus eorum voluntati. Quare obiter hic admonere quoſdam ducimus neceſſarium, qui Prælatis ſuis eos de una ad aliam Cellam, de uno ad aliud Cœnobium transferentibus, dum reſiſtunt, non modo contra obedientiam peccant, ſed votum etiam paupertatis violant. Vi ſiquidem ipſius voti neque cubiculum, neque domum, neque Civitatem, neque Patriam permanentem habemus, ſed tanquam hoſpites, & advenæ peregrinamur a Domino, donec ad Sanctam æternamque Civitatem Jeruſalem perveniamus. Quæ omnia veriſſima cum ſint, perpende quanta cæcitate detineantur tot Religioſi, qui poſt longiſſimum Religionis Tyrocinium iis terrenis quiſquiliis tenaci animo affixi ſunt, quas in ipſo ſæculo exiſtentes eos appetere puduiſſet. Colligito in quantis jaceant tenebris plures alii, qui voto paupertatis obſtricti ea quærunt in Religione, quæ nec in ſæculo quondam habebant, nec nunc ſi eſſent, haberent. Quos omnes ad vivum deſcribit Dionyſius Carthuſianus opuſculo de profeſſione monaſtica (cap. 11.) *Certe, ut aſſerit Caſſianus, cupiditas, aut avaritia a Religioſis perſonis in exordio converſionis eorum faciliter vincitur, ac vitatur. Sed ſi rurſus cœperint cupiditatem admittere, fiunt cupidi nimis, ac difficillime a cupiditate purgantur; immo multis ſæcularibus ſunt avariores, quod eſt vehementer deteſtabile, ac deflendum. Inſuper ſunt quidam Religioſi votum ſuæ paupertatis non ſatis penſantes, quibus, ſi a Superioribus ſuis non miniſtretur de cibo, potu, veſtitu, aut conſimilibus ad voluntatem eorum, mox indignantur, obloquntur, ac murmurant, ſicut de impiis in pſalmo cantatur: ſi vero non fuerint ſaturati, & murmurabunt, immo nonnulli, qui in domibus ſuorum parentum vix tenuem alimoniam habuiſſent, jam in clauſtro abundantiam quærunt. Attendat ergo Religioſus, cur Terrena reliquerit; nec proprium habeat: quatenus cor ſuum a variis diſtractionibus, curis, & affectionibus liberum, & ereptum in Deo ſuo totaliter occupetur, accendatur, ſtabiliatur, & quietetur; atque hoc indefeſſe conetur: ſicque curioſa, ſuperflua, delicata, & carnalia ſpernet.*

CAPUT SEXTUM.

Prima, ac præcipua collapſæ, vel collabentis communitatis Monaſticæ radix eſt, aut oſcitantia, aut avaritia Prælatorum.

I. QUanquam ex aſſignatis regulis, mediiſque, quibus rerum communitas conſervatur, ejuſdem pateat ruinæ radix, & principium; nihiloſecius, quod non parvi momenti negotium eſt, enucleatius hanc originem, radicemque maniſeſtare operæ pretium duximus. Et quoniam res eſt odii plena (licet ſermo noſter nemini injuriam irroget, quia hypotheticus eſt: in hypotheſi ſiquidem collapſæ vel collabentis communitatis loquimur) nolo meis ſed alienis verbis aſſertionem firmare, tum ut cujuſque indignationis umbram evadam, tum ut veritas ipſa evidentior in medium appareat. Iſtius itaque communitatis deplorabilis jacturæ radicem, & primordia, ſeria, & jugi meditatione ſe conſideraviſſe teſtatur perdoctus, & quam maxime pius Abbas Servatius Lairuelz, & poſt meditationem adeo longam hanc exhibet deciſionem in ſua Optica Regularium (Spec. 3.): *Mihi ſæpe numero ponderanti Monaſteriorum quorundam ſtatum depravatum, & requirenti inter quotidianas meas lectiones, atque inter fletus, & lacrymas uberes, Deum roganti, ut mihi hujus morbi fomitem ſimul, & remedium panderet. Non occurrit aliud verius (ni fallor) quam illud veridici vatis Hieremiæ cap. ult.* Quia ſtulte egerunt paſtores, & Dominum non quæſierunt: propterea omnis grex eorum diſperſus eſt. Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Iſaiæ (cap. 1.) *Nolite mihi ſuccenſere (Patres venerandi) apud vos veritas odium parere non debet, qui veritatis in terris eſtis Vicarii. Stulte egerant plerique noſtrum, quia vitiis ſuis gregi Monaſtico ad eadem ſectanda viam fecerunt. Scitum eſt enim illud Poetæ:*

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Dominum non exquiſierunt, quia quo rueret grex pretioſo Chriſti cruore reſperſus, non curarunt. Quid dico non curarunt? immo potius curarunt, ut præceps in æternam Abyſſi voraginem rueret. Primi enim miſerunt manum ad inutilia: Primi ſæcularibus negotiis ſeſe implicarunt . . . Quia marſupia propria ſibi in totius Apoſtolicæ inſtitutionis detrimentum fabricarunt. Hinc retrorſum abierunt, quia PAUPERTATIS VOTUM retro projecerunt. Et mirabitur aliquis greges illis creditos in conſimilem morum corruptelam ſubinde abiiſſe? Quin potius miretur ſi non abierint, ſi conditionem brutorum animantium non ſuſceperint. Nam & ipſe Epaminondas conſpecto magno exercitu, qui bono, & prudente imperatore carebat: Quanta bellua *inquit* abſque capite. *Utcumque ſit ego ſaltem*

non

non miror ; ſed hinc ſcaturiiſſe omnia mala noſtra mibi facile perſuaſerim. Hinc caſtitatis jactura, hinc obedientiæ contemptus, hinc quorumdam clauſtra in maligno poſita fuere, hinc eorundem ordo ſine ordine, & Religio ſine Religione remanſit. Radix enim omnium malorum, & noverca Religionis eſt illa proprietas, quam in ORDINEM HUJUSMODI PASTORES INVEXERUNT. Et utinam ſicut minus cauti illi Monaſteriis illam invexerunt, ita nos cautiores, & oculatiores facti, illam deturbare totis viribus niteremur.

II. Nec in animum ſubeat ſolum Abbatem Lairuelz ſuæ Præmoſtratenſis Religionis ſibi ſuppoſitæ vigilantiſſimum reformatorem collapſæ communitatis cauſſam in Superiorum derivare cupiditatem. Idipſam ſiquidem cæteri omnes cum Patres, tum Theologi, ſuffragante, quod plus eſt, experientia manifeſta, adfirmant. Ut brevitati morem geram, plura, quæ ex Auguſtino, Bernardo cœteriſque Patribus depromere poſſem, ſilentio abſolvo, immo vel ipſos primi ſubſellii Theologos prætereo, ne ipſis aliqua vel nimiæ rigiditatis, vel quod ad exactam præciſamque ſcholæ methodum controverſias non tractaverint, exceptionis cenſura impingatur. Hæc namque ſunt, quæ præ oculis habere debemus ad obſtruenda plurium hujus corruptiſſimi ſæculi opinantium ora. Duos itaque, qui inter ſcholaſticos cum laude eminent, referre lubet, Fabrum ſcilicet, & Maſtrium. Hic autem (diſp. 14. art. 5. n. 47.) in ſuæ aſſertionis patrocinium Fabrum laudans aliosque Doctores hæc ſcribit : *Et quidem rationabiliter Doctores allati hanc Superiorum obligationem exagerant, quia, ut inquit Faber noſter* (diſp. 45. n. 138.) *quærens, unde proveniat, quod in quibuſdam Religionibus vita communis non ſervetur, nec introduci poſſit : quamvis hoc proveniat ex nonnullis Religioſis privatis, & ſubditis, qui parum Deum timentes & ſuæ profeſſionis immemores volunt pecuniis pro voluntate uti : Principalius tamen, & majori ex parte ex imperfectione & culpa Superiorum majorum provenit, ut ibi cum Navarro oſtendit. Quamvis enim extrinſece ſanctitatem, & ſermonibus publicis, ordinationibus, & factis quibuſdam externis Religionis reformationem & vitæ communis reparationem prætendere videantur : Intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, & non niſi pecuniæ inhiantes, & munera accipientes a Religioſis dignitates, & officia ambientibus, quantumvis indignis, & dignioribus prætermiſſis. Et hoc quotidiana experientia demonſtrat in quibuſdam Religionibus. Miniſtri enim Generales, terminato eorum officio, ditiores facti dignitates Eccleſiaſticas extra Religionem quærunt, vel ſi in Religione perſiſtant omnes cumulatas opes ad ſuos conventus deferunt, in quibus nec etiam vitam communem obſervari procurant.* Ecquidnam eis prodeſſent eorum opes, ſi vitam communem obſervari curarent? idcirco enim opes aggregant, ut commodiorem præ aliis vitam ducere valeant.

CAPUT SEPTIMUM.

Duo præcipua, & maxima impedimenta, quæ collapſæ vitæ communis inſtaurationem remorantur, palam fiunt. Primum eſt Superiorum maxime majorum, pecuniarum cupiditas. Alterum plurium ſubditorum propriæ libertatis amor.

I. REm, neſcio, an admiratione, an lacrymis dignam hoc in capite indicaturus ſum. Quanquam, quæ hic dicturi ſumus, omnia fere ex iis, quæ tum in hac, tum in ſuperioribus diſſertationibus explicata ſunt, patere poſſint; attamen, quia, ut ſuperiore capite indicavi, ultimæ neceſſitatis negotium agitur, placuit per diſtincta capita illud verſare. Et quod primum admirationem ingerit, eſt, quod, vix quempiam reperire licet, qui Monaſticæ communitati bellum aperte indicat, quinimmo omnes eam extollunt, atque eam euangelicæ caritatis fomentum, mutuæ pacis, & concordiæ dulce, ſolidumque ligamen eſſe adfirmant. Hæ, inquiunt, quæ Religioſos intra clauſtra detinet, quæ a ſæcularium familiarium commercio mundaniſque curis eos abſtrahit: quæ ab anxia illa, moleſtaque ſollicitudine propriis conſulendi indigentiis animum ſolvit, & paratum ad cœleſtem contemplationem, & ad proximorum ſalutem procurandam conſtituit. E contrario vero in peculia totis lateribus inclamant. Hæc, inquiunt, nullis cancellis contineri poſſunt. Hæc jura omnia cum divina, tum humana pervertunt; turbas commovent, diſcordias alunt, ſeditiones excitant, fratres in fratres concitant, cupiditatemque animi dominatricem nutriunt, ſovent, roborantque.

II. Sic Religioſi non pauci ex una parte: ex altera vero Eccleſia qua præceptis, qua decretis, qua pœnarum inflictione hanc Communitatem, & ſervandam ubi viget, & invehendam, ubi deeſt, mandat: maxime vero a tempore Tridentini Concilii duorum ſcilicet ſæculorum ſpatio clamare non deſtiterunt Pontifices contra Monachorum ſeu Regularium peculia. Cum hæc omnia mente animoque revolvo, totus in admirationem actus exclamo. Cur hæc rerum Communitas non introducitur? cur peculia tandem aliquando non abjiciuntur, non exterminantur? Et ſerio peracto examine, aſſiduoque Auctorum ſtudio præmiſſo experientia conſulta, nulla alia occurrit cauſſa, niſi quod januæ, per quas communitas ingredi, & peculia egredi deberent, clauſæ ſunt, & obſeratæ. Januæ porro iſtæ ſunt, ut omnes fatentur auctores, experientia ſuffragante, ſupremi Religionum Hierarchæ, ſunt eorum aſſiſtentes, ſunt Provinciales, Magiſtri, & gradibus inſigniti. Hi ſunt, per quos Conciliorum Canones, & Pon-

Pontificum Bullæ, & Congregationum Decreta in clauſtra regularium ingrediuntur. Hi ſunt, qui verbo, exemplo, & auctoritate legum obſervantiam promovere deberent.

III. Verum cum iſti omnes, plus, minus reditibus abundent: cum in adminiſtranda juſtitia diſtribuente, in conferendis nempe gradibus Magiſtrorum, baccalaureorum, & jubilatorum, ut vocant, aurea munuſcula in dies accipiant, rerum communitati ingreſſum concedere minime poſſunt in eorum clauſtra & cœnobia. Quoniam, admiſſa ſemel omnium bonorum exacta Communitate, omnibus prænarratis commodis nuncium remittere deberent. Abundantes reditus, pecuniarum crumenæ, detracta appropriationis larva, ex peculiaris depoſiti theca in commune ærarium tranſire deberent, facta cum cœteris perfecta confuſione. Amplam ſupellectilem ad publicas officinas in communem omnium utilitatem commutare deberent, & ipſimet in communem Religioſorum ſortem deſcendere. Eadem menſa, eodem cibo, iiſdem ferculis, eodem potu nutriendi forent, & eiſdem veſtibus induendi: Quapropter iſte tranſitus adeo rarus eſt, hæc tranſmigratio adeo difficilis, ut facilius ſperarem Principem, ſceptro poſito, regnoque relicto, ſtatum Monachalem amplexurum, quam Religioſum divitem, & opulentum, fieri verum Chriſti pauperem.

IV. Quare dum Concilia, & Pontifices vitam communem præcipiunt, dum reformationem promovere adnituntur, illico Religionum, Monaſteriorumque cuſtodes non pauci nervos omnes intendunt, ut communem vitam repellant, rejiciantque. Omnia illa ſophiſmata, quæ Superiore diſſertatione diluimus, opponunt, exaggerant, ut imperitis fucum faciant. Non induſtriæ, non labori, non cavillis, non denique ſumptibus parcunt, ut Eccleſiæ Decreta eludant, ut impoſſibilitatem iſtius communitatis oſtendere conentur. Quid plura? ut ſterilitatis illius fulmen evadant, prohibitionem ſcilicet recipiendi novitios ad habitum religionis iis in Cœnobiis, in quibus vita communis non viget: atteſtationem Apoſtolicæ Sedi exhibent juramento firmatam ſuis in Cœnobiis exactam florere rerum omnium communitatem. Hoc ſiquidem juramentum exigunt Pontifices, ut licentiam veſtiendi novitios impartiantur. Et tamen totus mundus videt, cognoſcit, clamatque nequaquam in iſtis cœnobiis reperiri rerum omnium communionem peculia excludentem, cœterarumque legum, & ſtatutorum, conſtitutionumque obſervantiam ſacroſancto jurejurando aſſertam.

VI. Non negaverim tamen, ut de ſecundo impedimento aliquid dicamus, plurium etiam ſubditorum propriæ libertatis nimium amorem Communitatis inſtaurationi obicem ponere. Siquidem iimet ipſi, qui Communem vitam abſentem extollunt, quoniam propriæ penuriæ, & indigentiis faventem concipiunt vicinam, tamen odio habent, rejiciuntque, eo quod inimicam propriæ libertati, cœteriſque paſſionibus infeſtam perſentiunt. Omnes virtutem venerantur remotam, quia, diſtantia poſita, nil affert incommodi, in propria domo pauci recipiunt; quamobrem, ut lux

ſuper-

ſuperveniens tenebras diſſipat, ægroſque oculos percellit, ita virtus animi, aliis appetitibus maximum infert nocumentum. Porro Monaſtica rerum Communitas libertatem evagandi adimit, jugum obedientiæ imponit, ſolitudinem colit, cœteraſque paſſiones coercet. Hæc quippe baſis eſt, & fundamentum univerſæ diſciplinæ Regularis, & eſt unica cauſſa, cur univerſi fere eam in propria cœnobia properantem repellant, & inſequantur ut inimicam. Quid igitur facto eſt opus, ut hæc impedimenta tollantur? ſequenti capite indicabitur.

CAPUT OCTAVUM.

Prælati communitati invehendæ refragantes ab officiis removendi ſunt: iiſque ſubſtituantur, qui tantum negotium ad felicem exitum perducere queant.

I. AB hoc capite brevi nos expediemus, tum quia in ſecunda parte longior hoc de argumento ſermo recurret, tum quod res clarior eſt, quam ut explanatione egear. Expoſitis namque, & proprietatis radice, & reſtituendæ communis vitæ impedimentis, ſponte fluit electio remediorum, quibus morbi radix præcidatur, & ſanitatis comparandæ obſtacula convellantur: Enim vero ſi Superiores Prælati vel oſcitantia, vel avaritia obcœcati poſtliminio reſtituendæ communitatis impedimenta opponunt, ab officio removendi ſunt. Ad hos vero gradus & officia viri zelo, pietate, doctrina, paupertate, & ſumma prudentia euangelica, non mundana, imbuti ſeligantur. Id quippe ratio, & experientia ſuadent. Siquidem Chriſtus Dominus nihil nobis præcepit, quod ipſe prius non præſtiterit. Deferendam crucem nobis impoſuit, quia eam prius ipſe portavit. Hinc tam frequenter in ſuo Euangelio duo illa verba repetit: *Sequere me*. Quæ omnia adeo manifeſta ſunt, ut in tritum evaſerit adagium plus exempla, quam verba movere. *Longum*, inquit Seneca epiſt. ad Lucil. *iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla. Memento* (inquit D. Bernard. epiſt. 201. ad Balduinum Abbatem.) *etiam voci tuæ dare vocem virtutis. Quid illud, inquis? Ut opera tua verbis concinant, immo verba operibus, ut cures videlicet prius facere, quam docere. Pulcherrimus ordo eſt, & ſaluberrimus, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te diſcas qualiter oporteat aliis moderari. Alioqui in ſubſannabit te ſapiens, utpote pigrum illum, cui labor ſit, manum porrigere ad os. Arguet & Apoſtolus dicens: Tu, qui alios doces, teipſum non doces? Sed & notaberis vitio Phariſæorum, qui alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum,*

minum, digito autem ſuo nolunt ea movere. Sermo quidem vivus, & efficax exemplum eſt operis facile faciens ſuadibile, quod dicitur, dum moſtrat factibile, quod ſuadetur. Ergo in his duobus mandatis, verbi ſcilicet, atque exempli ſummam tui officii ad conſcientiæ ſecuritatem pendere, intellige.

II. Unum hic perpendas velim, nempe quod etſi Prælati zelo, & pietate deſtituti, valeant interdum cœterarum legum obſervantiam promovere, tepidos excitare, in delinquentes animadvertere; hoc tamen in negotio muti ſint, oportet, ignavi, & conniventes. Quid iſtud? quia obſervantia cœterarum legum nullum eis præjudicium, nullum nocumentum adfert, ſed in decus potius & honorem præfecturæ conducit. At cum exacta rerum communitas omnia privata peculia auferat, & ad omnium utilitatem convertat, neceſſe eſt, ut Religioſi, qui ad hanc invehendam communitatem ſeliguntur, ſint zelo Monaſticæ paupertatis ardentes. Si enim privata commoda ament, nunquam ſincere, valideque bonorum communionem promovebunt, ut ait Abbas Lairuelz (Spec. 4.) *Ne permittamus nos ſeduci. Nunquam (credite mihi) noſtris Religioſæ diſciplinæ obſervationem ſuadebimus, niſi primi virtutum gradus conſcendamus .... Dicam tamen, ſi forte futura ſit mea vox ſagitta in manu potentis. Nunquam in via morum proficient nobis a Deo crediti, nunquam ſuis ſatisfacient votis, niſi apparatum, pompaſque relinquamus, niſi menſas noſtras religioſorum noſtrorum menſis jungamus, niſi noſtra marſupia, ſecundum Apoſtolicam regulam, quam profeſſi ſumus, communia faciamus, niſi abdicatis hujus ſæculi converſationibus, relictiſque platearum compitis cum fratribus verſari, & eiſdem in dormitorio, clauſtro, & templo adeſſe incipiamus, niſi ſilentium cæteraſque vitæ Monaſticæ obſervantias, nos ipſos Chriſtiana humilitate abnegantes, cum ipſis obſervemus.*

CAPUT NONUM.

Culpabilis plurium Religioſorum ignorantia in Monaſticæ paupertatis materia exponitur.

I. SUpervacaneum foret in examen nunc vocare varias ignorantiæ ſpecies, vincibilis, & invincibilis, antecedentis, concomitantis, & conſequentis, craſſæ, affectatæ, ſupinæ, juris & facti. His itaque omiſſis, de ea ſolum ignorantia inſtituendus eſt ſermo, quæ ad noſtrum pertinet inſtitutum. Menſura malitiæ ignorantiæ eſt debitum, & poteſtas earum rerum, quæ ignorantur, ſcientiam comparandi. Porro ſinguli ea omnia mente tenere obſtringuntur, quæ vel ad ſtatum, vel ad officium

proprium attineat, ut omnes fatentur Theologi, quorum Princeps Angelicus Doctor (1. 2. quæſt. 76. art. 2.) *Unde omnes*, inquit, *tenentur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta. Singuli autem ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant . . . unde propter negligentiam, ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum.*

II. Ignorantia, qua Religioſi nonulli in iis, quæ propriam inſpiciunt profeſſionem, laborant, craſſa eſt. In ſopore enim quamlibentiſſime obdormiunt, nec brachium, aut pedem movere volunt, ut cognitionem neceſſariam conſequantur. Cœteri vero ſuperioris ſubſellii quadam monſtroſa ignorantia, obcœcantur, quam ſi affectatam dixerimus, haudquam plenam notionem habebimus, ſed mancam, & diminutam. Enim vero iſti abſolute non reſpuunt quamlibet cognitionem proprii ſtatus Monaſtici, nec omnino ignorantes appellari queunt, ſed quadam fallaci, & ſophiſtica diſcurrendi ratione imbuuntur, quæ quacunque ignorantia pejor eſt. Fontes, e quibus hanc ſcientiam hauriunt, ſunt tum plurium Religioſorum, quibuſcum vivunt, praxis, corruptaque conſuetudo, tum quædam inania axiomata, quæ orali traditione a ſuis ſenibus magiſtris accipiunt, ceu oracula, tum pauci ſcriptores, eorum ſcilicet, qui laxius hoc de argumento ſcripſere, tum denique propria ratio paſſionibus, & præcipue cupiditate circumſcepta. Hi ſunt loci, e quibus hæc ſcientia ſuas elicit argumentationes, ſuaſque regulas non minus laxas, quam laxa ſit diſciplina, cui regendæ accommodari debent. Vix, ac ne vix quidem a collapſa cœnobiorum quorumdam diſciplina ad antiquam majorum traditionem, neque ad recentem, piamque tot Religionum, etiamnum, Deo opitulante, in ſancta diſciplina perſeverantium, ſuos convertunt oculos; nunquam, miſſis quibuſdam laxioribus ſcriptoribus, Patres Sanctos, Conciliorum Canones, Pontificum bullas, propriam regulam, originalemque Conſtitutionum textum ſerio examine verſant, ſincere conſulunt, omnique conatu veritatem eruere adnituntur. Quæ omnia, & longe majora ſæpe numero præſtant, non dixerim, ut morum regulas populo Chriſtiano deſignent, vel ad aliquem ineundum contractum, vel ad aliud levioris momenti dubium decidendum; ſed ut punctum hiſtoricum, & quandoque ad profanam eruditionem ſpectantem reſolvant, cujus neque ſcientia magnum emolumentum, nec inſcientia grandem jacturam parit. In altiſſimo vero, tremendiſſimoque æternæ ſalutis puncto, cujus ſcientia infinitam beatitudinem, & cujus ignorantia infinita tormenta parturit, negligunt, contemnunt, conculcant. Quandonam Deo ferventes fundunt preces, quibus propriæ animæ ſcientiam implorent? Quandonam pios, doctoſque homines conſulunt? Immo ſi caſu in colloquium conveniunt de hac materia, evidentiſſima rationum momenta exſibilant: Regulæ Textus, Conciliorum Decreta vaniſſimis interpretamentis eludunt, & in erroneos ſenſus detorquent.

III. Sed

III. Sed antequam ulterius proveham, liceat mihi oculis ſubjicere dialogum me inter, & alium Religioſum adoleſcentem optimæ capacitatis, optimorumque ſtudiorum amore flagrantem, peractum. Inito invicem dulci amicitiæ fœdere, cum ille in Cœnobio collapſæ diſciplinæ profeſſionem Religioſi ſtatus emiſiſſet, ſæpius eum admonebam, ſuadebamque, ut onera, & debita profeſſionis ſuæ æqua lance perpenderet, ut vota, quæ diſtinxerunt labia ſua, ut regulam, & Conſtitutiones, ſublatis præjudiciis, ſerio examine meditaretur. Profeſſus ſum regulam, reponebat ille, ut cœteri fratres, quorum vivendi conſuetudo interpres eſt profeſſionis meæ. Ab amicabili Monaſticæ diſciplinæ colloquio ad litterariam exercitationem gradum fecimus. Is quamvis ex inſtituto Ariſtotelis philoſophiam propugnare obſtrictus eſſet: attamen aliorum philoſophorum placitis in examen vocatis, plura in illo ſe offendiſſe ajebat, quæ minime illi arridebant, eaque palam rejicere haudquaquam verebatur. At, non te pudet, ſubdebam ego, a fratrum tuorum doctrina recedere? Tantum ne immaturo judicio tuo defers? Nil te mover ſenum tuorum veneranda Canities, nil tot bacchalaureorum, magiſtrorumque tum veterum, tum recentium conſenſus? nil univerſæ ſcholæ tuæ authoritas? Nihil prorſus repoſuit ille. Elapſa ſunt jam, Deorum beneficio, tempora illa, in quibus homines pecudum more unus poſt alium incedebant. An adhuc ſiliquis veſci debemus, cum optimæ fruges exiſtunt? Ætas litterarum aurea refloruit. An cœteris experectis, nos ſoli barbari in fœce & luto dormientes volutabimur? In philoſophicis quæſtionibus non authoritati, non Magiſtrorum fidei, non ſcholarum factionibus præjudiciis affectis, ſed proprio maturoque examini, jugique meditationi inhærendum. Sit ita, per me licet. At jam ore proprio temet condemnaſti. Enim vero ſi in philoſophicis ſubtilitatibus ſcrutandis tantum temporis impendis; cur, amabo te, huic non inſiſtis viæ, ut veram ſtatus tui Monaſtici ideam aſſequaris? ut profeſſionis tuæ onera perſpecta habeas? Ex hac ſiquidem cognitione, maximum, & unicum æternitatis animæ arcanum pendet. In philoſophicis tricis, non magiſtrorum multitudini, non univerſæ ſcholæ tuæ authoritati tantum tribuendum cenſes; quin aut deceptionis, aut ignorantiæ, aut fraudis periculum vereare? Ut vero laxitatem diſciplinæ tuæ periculoſiſſimam excuſes, ut conſcientiæ tuæ aculeos retundas, hac ſpreta methodo, fratrum magiſtrorumque tuorum abuſus, & prævaricantium turbarum obtrudis conſuetudinem? cur hæc diverſa pondera? Cur hic ineruditum, obæſæ naris, corruptique palati te deridendum manifeſtas? cum hic eo magis neceſſaria foret exquiſita eruditio tua, quo majus eſt argumentum, quo de agitur: Cur in hac materia multitudini morem geris, cum toties illud jactes: *Argumentum peſſimi turba eſt*? Cur modo digitum ad limpidiſſimas fontes non intendis? ad antiquorum nempe traditionem, ad regulæ conſtitutionumque rectam feriamque meditationem? Quid hiſcis? Quam excuſationem ſupremo judici iſtius tuæ tam diverſæ decempedæ, allegabis? In

utrumque latus ſe ſe vertebat hæc audiens. Et ſi ea facilitate animus ſuas coercere paſſiones, morumque conſequi integritatem quiret, qua intellectus opiniones mutare, nullus dubito, quin Religioſus iſte ſuæ conſuluiſſet ſaluti, ſed eruditio, bonarum litterarum ſtudium, acte in diſſerendo acumen ad concupiſcentiam moderandam, ad euangelicæ Caritatis perfectionem acquirendam, ad Jeſu Chriſti jugum, crucemque portandam, parum valent, niſi miſerentis Dei gratia ſuppetias ferat.

IV. Quare hæc omnia eo dicta ſunt, ut ex animo, quoad fieri poteſt, evellam anticipatas illas prænotiones, quas non pauci, & interdum, vel ipſi non indocti, effingunt ex corrupta conſuetudine, & quorundam Doctorum praxi: ut evincam vel in ipſis doctioribus altius inſidere hoc ignorantiæ malum, quod ſupra declaravimus: ut denique ſtabiles efficerem puſillos quoſdam, & fluctuantes, qui ſimilium Doctorum auctoritate, praxi, & placitis in errorem pertrahuntur. Ne igitur in poſterum, ut inquit Paulus Apoſtolus (Epheſ. 4.) *Circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris, veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus*: in rem noſtram fore judicavimus iſtorum Theologorum pauca ſaltem placita indicare.

V. Alios muſſitantes audies rerum omnium communitatem inter Religioſos mendicantes ultimam jacturam, extremamque ruinam parere. Enim vero, inquiunt, admiſſa exacta Communitate, & expulſis peculiis atque cujuſcumque particularis lucri, & commoditatis ſpe ſublata, quis interim Cathedras moderabitur, quis Concionibus operam navabit, quis Prioratus, quis Provincialatus cœteraque officia ſuſtinebit, ſi proventus, ſtipendia, munera, munuſcula ceſſarent? Alii ineptiora exhibent reſponſa; ſed quod ſummopere dolendum, & ſanguineis lacrymis deplorandum eſt, hæc erronea commoda diſſeminant, ſenes juvenibus, & adoleſcentibus inſtillant, inculcantque, ut ſpiſſas ignorantiæ tenebras omnium mentibus effundant, & cœcitatis telam redordiantur. Puſillus enim grex cum iſtos ſuos Doctores audit, ejuſmodi Theoremata emittere, ore aperto auribuſque erectis eadem ſuſcipit, ea inter ſe repetit, filiis, & nepotibus narrat. Hinc eſt, quod in ipſis educationis primordiis tantum repugnantiæ & odii in ipſam Communitatem, ejuſdemque ſectatores concipiunt, ut miraculo fere opus ſit, quo veritas cœcitatis tenebras diſſipare valeat. Neque hoc admirationis quidquam mihi ingerit, cum educationis vim, efficaciamque conſidero. Eo vel magis, quod magiſtrorum, a quibus iſtius tremendæ ebrietatis vinum epotant juvenes, quoddam, non modo ſcientiæ ſpecimen, ſed cujuſdam etiam pietatis, honeſtatis, & integritatis imaginem præferant. *Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* (2. ad Timoth. 3.) *ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, etiam electi.*

VI. Ex quibus omnibus duo animadverſione digna colligimus. Primum eſt,

eſt, non tantum laicos, ſimpliceſque de turba Religioſos, ſed ipſos maxime Theologos nonnullos Superiores, Prælatoſque in paupertatis voto, interdum laborare ignorantia. In his ſiquidem locum habet illud Ambroſii: *Acuti ad vana, hebetes ad Divina.* Acuti profecto ad vana; quoniam iſtos videre licet plurium annorum ſpatio metaphyſicis ſubtilitatibus inſudare, & melioribus etiam quandoque litteris operam navare. Et quod magis dolendum eſt in Chriſtianorum moribus moderandis ſeveriorem ſe glorientur amplecti diſciplinam. In Theologia vero Monaſtica hebetes omnino ſunt, quoniam iſtius nec primoribus quidem labris vera principia, ſolidaque ſundamenta attingunt. Ad ſummum unius vel alterius laxioris authoris volumina percurrunt, ut aliquid expiſcari queant, quo remordentem obtundant ſynderesim. Secundum eſt ignorantiam hanc criminoſam eſſe, cum in doctis, cum in indoctis, cum nulla reperiatur religio, quæ ſtatuta, legeſque ſuas non explicet, ſervandaſque intimet. Quamquam in rudibus, & illliteratis minoris malitiæ ſit crimen, quibus aptari poteſt illud Greg. (lib. 17. Mor.) *Tolerabilius eſt quempiam cum ignorantia in humilitate jacere, quam cum elatione alta ſapere.* Et ne veritatem, quam experimento didici ſileam non paucos rudes, ignaroſque, & ſimplices Religioſos reperire licuit in paupertatis ſuæque profeſſionis votis ſatis doctos; inter laureatos vero admodum paucos. In iſtos enim quadrat illud Divi Bernardi (Serm. 35. in Cant.) *De ignorantia tua venit ſuperbia, ac de ignorantia Dei tui venit deſperatio.*

VI. Huic capiti finem imponat piiſſimus Joannes Tritemius (Hom. 4. de ſtudio divinarum Scripturarum.) *Videmus inter vos quoſdam ſcripturarum ignaros, inſtabiles mente, diſcolos, & vagos, quibus eo magis imputamus ignorantiam, quo minus inclinantur ad diſciplinam. Turpe quidem eſt neſcire, quod ſcire juberis: turpius non diſcere, turpiſſimum vero contemnere. Et ſunt inter vos, qui ſcientiam ſalutarem neſciunt, ſunt etiam qui diſcere negligunt: Quid ſi addam eſſe & alios, qui ſcientiam divinarum ſcripturarum penitus contemnant?*

Et paulo ante hæc habet. *O ſtulti, & perditiſſimi petrones, qui ſcientiam ſalutarem contemnitis, & ignorantiam Divinarum Scripturarum potius, quam intelligentiam amatis. Nunquid affectata ignorantia paucioribus vos plagis reddet obnoxios? Aut propterea delinquentes eritis coram Deo innoxii, quia mandatorum Dei voluntarie eſtis ignari? Duplici pœna cruciandi eritis, altera quod ſcire viam mandatorum Dei contemnitis, altera, quod ſermones Dei non cuſtodiſtis . . . De vobis etiam, o ſtultiſſimi tenebriones, illud intelligitur Sancti Hieronymi, quoniam ibi non eſt ignorantia jam excuſabilis, ubi ſcitur, quid ſit illud, quod ignoratur. Magis autem cavendum vobis, ne cum illis tandem computemini, qui dixerunt Deo, recede a nobis, viam ſcientiarum tuarum nolumus.* Sic alloquitur Monachos ſtudium ſcripturarum negligentes, & ſuæ profeſſionis onera ignorantes Abbas Tritemius.

C A-

CAPUT DECIMUM.

Utrum electi ad præfecturas Cœnobiorum, in quibus vita communis cum cæteris aliis ſtatutis collapſa eſt, acceptare tuta conſcientia queant has dignitates, ſeu officia?

I. Ex iis, quæ diſſertatione tertia dicta ſunt de altiſſimo Prælatorum debito vitam communem inſtaurandi, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, tenorem, juxta expreſſum Tridentini mandatum, facillime propoſitæ difficultatis deciſio colligitur. Dictum eſt loco laudato ſub lethali, graviſſimaque culpa teneri Prælatos, juxta omnium Theologorum placitum ad vitam communem invehendam, niſi grave ſcandalum timeant. Et quanquam debitum hoc Generales præcipue, & Provinciales afficiat, ab eo tamen ſoluti minime ſunt particularium Cœnobiorum Præfecti.

II. Antequam igitur præfecturas acceptent, ſerio perpendere debent, an huic altiſſimo debito ſatisfacere queant, an ſcilicet Cœnobium capax ſit reformationis, an ſubditi parati ſint ad rerum omnium communitatem ſuſcipiendam? Et, ſi omnibus penſatis, futuræ reformationis ſpes affulgeat, præfecturam acceptare poſſunt, & etiam tenentur plus, minuſve, ſecundum circunſtantiarum varietatem: Dummodo tamen zelus, Doctrina, prudentia, in rebus peragendis dexteritas, animi fortitudo reſplendeant, quæ omnia requiruntur ad arduum reformationis facinus aggrediendum.

III. Contra vero, ſi nulla invehendæ, ſeu inſtaurandæ Communitatis fiducia ſuperſit, ſi deſperatum cujuſque reformationis negotium prævideatur, veritas eſt evidens, & manifeſta, neminem poſſe tuta conſcientia ſimilium Cœnobiorum præfecturam ſuſcipere. Quandoquidem quis plantam infœcundam colendam, quis aridas, ſiccaſque vites potandas, quis ſterilem vineam ſerendam, quis denique Terram illam, quæ triticum omne in zizaniam convertit, occandam acciperet? Apoſtoli, ut teſtatur Lucas (Act. 16.) *Vetati ſunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Aſia*, quod ſua infinita ſapientia prævidebat Deus, Euangelicum ſemen in caſſum iri, ob contumaciam illius gentis, toties Divinæ lucis rebelli. Qua igitur ratione curam animarum ſuſcipere audes tu iis in circunſtantiis, in quibus curam iſtam inanem, inutilem, & quocumque fructu vacuam præcognoſcis? Clamant Concilia, Patres, Theologi, & vel ipſi miſericordiores probabiliſtæ: Superiores ſub culpa mortali ad communitatem invehendam obſtringi. Si in hoc explendo debito conatus tuos fruſtratum iri pertimeſcis, quo fundamento te tanto periculo committere præſumis?

IV. At,

IV. At, inquis, debitum inſtaurandæ communitatis urget, niſi grave timeatur ſcandalum. Non repugno, ſed in quo ſcandalum iſtud eſt ſitum? Quod ſubditi pervicaci contumacia reſiſtent, quod in murmura & ſeditionem erumpent? Verum iterum percontor, an pauci, vel plures ſint ejuſmodi refractarii? ſi pauci ſpernendi: ſi plures deſerendi. Quoniam iſti, tota affirmante Theologia, in ſtatu ſunt damnationis æternæ: in hoc ſtatu, te fatente, taliter ſunt obſirmati, & obſtinati, ut grave ſcandalum timeres, ſi vel tentares ſortem eos reformandi. Et tu talium hominum curam ſuſcipies? Tu graviſſimum, tremendumque onus ſumes rationem pro iſtis ſupremo judici reddendi? Proh dolor! Hæc eſt communis Prælatorum excuſatio. Inſanabilis facta eſt plaga ſubditorum noſtrorum, curationum utilitas deſperata: Zelus noſter exaſperat potius vulnera, quam obducat. Eo devenere mala noſtra, ut fiant ipſis remediis graviora. Cur igitur nemine cogente, curam eorum ſumunt? cur indiſciplinatorum hominum regimen ambiunt? cur tanta aviditate illud anhelant? rationes, cauſſaſque impellentes exponant. Quia ſi nemo præeſſet, ajunt, quid foret de Religione? Simili fere argumento utebatur Vigilantius contra Hieronymum Monachos a malorum contubernio avocantem. *Si omnes ſe clauſerint* (inquiebat Vigilantius) *& fuerint in ſolitudine, quis celebrabit Eccleſias? quis ſæculares homines lucrifaciet?* Cui reſpondit Hieronymus: *Hoc enim modo ſi omnes tecum fatui ſint; ſapiens quis eſſe poterit? Rara eſt virtus, nec a pluribus appetitur.* Noli itaque timere defuturos Cœnobiorum præfectos, quia multi ſunt vocati, pauci electi, pauci, qui veritatem percipere, pauciſſimi, qui terrenis dignitatibus renunciare velint. Tu tibi conſule, negotiumque tuum peragito, ut ait Apoſtolus, & recordare non de alieno, ſed de tuo regimine redditurum eſſe rationem.

V. Nulla ergo occurrere cauſſa poteſt, quæ ad acceptanda ejuſmodi officia obſtringat? Nonne ſaltem cum majora mala nos impedituros confidimus, licita nobis erit Præfecturarum ſuſceptio? Hi ſunt ultimi receſſus, quibus ſeſe obtegere ſtudet Terrenarum dignitatum nimius appetitus: Verum ſi animadverteres ſolum animarum ſalutis zelum, ſolum ſincerumque Monaſticæ diſciplinæ promovendæ deſiderium, ſolamque Divinæ gloriæ exaltationem, veras juſtaſque eſſe cauſſas proximorum acceptandi curam, ad has hypoteſes haudquaquam recurreres, neque mentem torqueres in ejuſmodi abſtractionibus effingendis.

VI. Cæterum quia plures occurrere poſſunt circumſtantiæ, quæ a via ordinaria recedere pauliſper interdum ſuadeant; idcirco paucas has ſubjicimus regulas. Primum ſibi perſuadeant, fas eſt, candidati iſti, nullum vitium adeo invaluiſſe, quin ejuſdem eradicationem, Divina opitulante gratia, ſperare liceat: dummodo labores, induſtriam, & conatus omnes impendere non omittant. Secundum. Exemplo præire debent, omnia ſua in perfectam communitatem redigentes, & abſque ulla reſervatione, diſtin-

ſtinctione, ſed vere, ſinceroque animo, quicquid peculiari uſui deſtinatum erat, cum communi patrimonio confundentes, ſeu commiſcentes. Hoc exemplum, ſin minus omnibus, pluribus ſaltem profuturum, non eſt ambigendum. Tertio, omnia de communi ſubminiſtrare incipiant, non victum tantum, & veſtitum, ut mercenariis ſervis, ſed tanquam filiis ſub gratia conſtitutis omnia ea, quæ nomine victus, & veſtitus comprehenduntur. Nihil unquam in pecunia, ſed omnia in ſpecie tradantur. Quatto tandem Verbum Dei frequenter ſeminent, altiſſima Monaſticæ profeſſionis onera ob oculos ſubditorum ferventi zelo, modo obſecrando, modo arguendo, modo increpando exponant.

VII. Hæc omnia, inquis, ſcriptis facilius, quam executioni mandantur. Non abnuo, immo fateor, arduam difficillimamque fore horum praxim. Quoniam nullum eſt opus bonum, cui per homines malos obſiſtere Diabolus non conetur. Non ideo tamen animos deſpondere debemus, ſed ſpem vivam in illum erigere, qui omnia in finem ſuum ſuaviter, efficaciterque dirigit. Si vero, his omnibus libratis, tu jugum iſtud non movendum, importandumque judicas, cur humeros tuos illi ſupponis? Libenter, ſubdis, aſſignata remedia executioni demandarem, niſi proſpicerem ſucceſſores meos in Præfectura, omnem reformationem a me invectam, deſtructuros, antiquaſque conſuetudines, & abuſus inſtauraturos. Quare experientia compertum fit, innovationes iſtas non alium profectum parere, niſi confuſionem, murmura, & ſcandala. Iſtæ ne excuſationes legitimæ? Non debuiſſet ergo Chriſtus ſuam legem promulgare. Non debuiſſent Patriarchæ ſanctiſſimi ordines inſtituere, quod ſucceſſorum prævidebant laxitates. Inſuper hoſne malos eventus ſortitæ ſunt tot monaſteriorum reformationes, quorum uberrimos fructus in dies conſpicimus? Quid plura? Te meminiſſe oportet, non de eventu, ſed de zelo, ſedulitate, vigilantia, caritate, & intentione, qua præfecturam adminiſtraſti, te redditurum eſſe rationem. Non igitur, quid alii facturi ſint, ſed quid tu præſtare obſtringeris, perpendere debes. Quoniam etſi fruſtrandi eſſent omnes conatus tui, ſi officio tuo functus fueris, animam tuam liberaſti. (Ezech. cap. 3.) *Si tu annunciaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate ſua, & a via ſua impia: Ipſe quidem in iniquitate ſua morietur: Tu autem animam tuam liberaſti.* Quod ſi tanto zelo non ardes, ſi tanta non polles fortitudine: *Noli quærere fieri judex, niſi poteſtate valeas irrumpere iniquitatem: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* (Eccleſ. 7. v. 6.) item v. 9. *Noli eſſe puſillanimis in animo tuo.* (item v. 17.) *Non te reputes in multitudine indiſciplinatorum.* In his Divinis oraculis tota continetur propoſitæ quæſtionis doctrina. Quandoquidem primum, potiſſimumque momentum, quod ab ejuſmodi præfecturis abducere quemquam debet, eſt periculum illud graviſſimum non implendi munus ſuum, ob graviſſima, quæ intercedunt, obſtacula. Ut

quis

quis Cœnobii bene morati regimen accipiat, mediocris ſufficit habilitas. Verum, ut quis in moderando Cœnobio, a priſtinis devio moribus, partes omnes exequatur ſuas, ornatus ſit, neceſſum eſt, invicta animi fortitudine, ardente animarum zelo, rerumque gerendarum acerrima dexteritate. Nullam habeat placendi hominibus curam, oportet, ſed omni humano abſciſſo reſpectu; eo conatus ſuos dirigere debet, ut Ordinis ſui decorem, ut animarum ſuæ gubernationi concreditarum ſalutem, utque æternam Dei gloriam promoveat. Qui his dotibus ſe ornatum ſenſit, cujuſque Cœnobii quantumvis a diſciplina collapſi moderamen tute ſuſcipiat. Contra ſi timor diſplicendi hominibus, propriaſque interturbandi rationes animum tuum occupat. Si mens anguſta eſt, ſterilis lingua, corpus ſine pectore: ſi notas valde vereris imprudentis, nimiæ religionis, importentis zeli: ſi inquam hæc omnia quæ impingere minus boni ſolent, in te dominantur, teque deprimunt, animoque dejiciunt; *noli quærere fieri judex*. Quoniam graviſſimo te exponis periculo, non adimplendi miniſterium tuum. *Non te reputes in multitudine indiſciplinatorum*.

C A P U T XI.

An Regulares tuta conſcientia iis in Cœnobiis, in quibus vita Communis collapſa eſt, commorari valeant; vel ad Cœnobia communis vitæ tranſire debeant, ſi aditus patet? ſi vero occluſus eſt ingreſſus, quid præſtare debeant, ut propriæ conſulant ſaluti?

I. QUoties in mentem revoco debitum, quo obſtringuntur ſubditi ad acceptandam, & Prælati ad invehendam rerum communitatem, fateor me illico ſummopere commoveri. Enimvero ſi ſubditorum animis communitatem ſuſcipiendi promptitudo inſideret, & ſi Prælati eam inſtaurandi debito facerent ſatis, ſtatim optatus haberetur effectus, marſupia exularent, & communio illa ſancta tum rerum, tum animorum ſuaviſſimum efflaret odorem. Oppoſitum igitur cum videamus, neque Prælatos ſuo fungi officio, neque ſubditos jactata promptitudine inſtructos eſſe, dicamus, neceſſe eſt. Hinc neceſſaria conſequtione elicitur, eos in extremo ſalutis æternæ periculo verſari. Quid itaque præſtare renentur, ut ab hoc ſe eripiant periculo? quo, ad portum ſalutis inquirendum petere debent?

II. Quanquam conſequutio deducta vera eſt, ſuas tamen admittit exceptiones idcirco, ut quæſtionem, quam propoſuimus, ſumma explicemus claritate, quin ad dexteram, vel ad ſiniſtram, ad rigorem nempe,

vel laxitatem declinemus, ſed veritatis ſcopum, quoad fieri poteſt, attingamus, aliqua præfari oportet.

III. Ac primum variæ Religioſorum ſpecies, ut ita dicam, ſecernendæ ſunt in qualibet collapſa religione. Enimvero etſi ex meritis relaxatæ diſciplinæ in præcipuis legibus, damnationis pœna legitime inferatur; hinc tamen minime conſequitur, omnes iſtius diſciplinæ vel, ut melius dicamus, omnes Religioſos commorantes in Cœnobiis ſimilis diſciplinæ damnationis pœnam dare. Neque hic locum habet Philoſophicum illud axioma, videlicet, quod abſolute, & ex meritis ſuis tale eſt, idem in quocumque ſtatu eſſe debet. Perperam enim hæc, & ſimilia ad mores regendos traducuntur. Ex plurium namque circumſtantiarum complexione morum pendenr notiones.

IV. In quinque ergo claſſes tribuo cujuſque relaxati inſtituti Religioſos. In primam eos conſcribo, qui vitam communem ſincere ducere vellent, eam omni conatu anhelant, ſummoque afficiuntur dolore, quod non introducatur. In ſecundam eos rejicio, qui ſuam laxam vivendi conſuetudinem permutare obfirmate recuſant, ſed in eadem perſiſtere volunr, reſiſtendi ramen voluntatem pertinacem non nutriunt. Tertio loco veniunt ii, qui pecuniis ſuis incubant, qui peculia ſua dimittere nolunr, atque refractarium animum contra quemque rerum communitarem invehere tentantem, fovent. Quarto in loco reperiuntur ii, qui neutrales & adiaphori nuncupari poſſunt, ad utranque vitam parati, nihilque curant an hoc, vel illo modo vivant. Quinti tandem ſunt, qui bonam præferunt voluntatem, qui reformarionem a longe ſuſpirant, quia ramen opus laborioſum eſt, & carni infeſtum, manum operi haudquaquam admovenr, ſed differunt de die in diem.

V. Primi in ſtatu ſalutis reperiunrur dummodo ea præſtiterint, quæ infra dicturi ſumus. Secundi, & tertii in ſtatu damnationis, nemine diſcrepante, exiſtunt. Quarti, & quinti in gravi periculo propriæ ſalutis verſantur.

VI. Hanc Religioſorum diverſitarem, & in plures claſſes partirionem, eam grapbice, & ad unguem expreſſam, depictamque offendi in perdoctis commentariis, quos Eminentiſſimus Cardinalis Joannes de Turre Cremara in Regulam Sancti Benedicti adornàvir. Ut itaque Lectores pleniorem ſemper, firmiotemque concipiant perſuaſionem, me nihil in hac ſummi momenti controverſia proprio marte effingere, ſed Conciliorum, Pontificum, Patrum, graviorumque Theologorum ſenſa depromere, inregrum doctiſſimi Cardinalis textum tranſcribere lubet, qui habetur loco laudato. (cap. 94.)

VII. *Graviſſime peccant, qui reformationi bujuſmodi abuſuum temere reſiſtunt, & ſe, & alios defendunt, ne a tali labe purgentur. Ratio eſt, quia iſti ſunt formaliter contemnentes remedia ſuæ ſalutis, & tale peccatum eſt in Spiritum Sanctum. Unde illi qui vivunt in Monaſteriis de-*

ſor-

formatis quintuplicis ſunt generis. Quidam enim dolenti, & amaro ſunt animo, quod non vivunt in obſervantia, ex animo tamen adſpirant ad reformationem. Alii ſunt qui nolunt aliter vivere, & ſic, ut ſunt, malunt manere, nollent tamen Superioribus reſiſtere, ſi vellent reformare. Tertii ſunt, qui poſitive ſic vivere ſub deformatione volunt, & omni reformationi pertinaciter reſiſtunt. Quarti inveniuntur Neutrales in omnem partem incurii de modo vel ſic, vel aliter vivendi. Quinti ſunt, qui apparent bonæ voluntatis, & ſe reformare intendunt, ſed aut quadam animi fragilitate, aut quia nullum modum conſentaneum reformatiouis ſibi intendunt, differunt, & ſemper inducias captant.

VIII. *Inter hos omnes Religioſos ſecundi, & tertii generis, qui deliberate reformari nolunt ſive reſiſtant, ſive non, ſi ſic uſque in finem perſiſtant, in ſtatu ſunt damnationis. De quarti generis religioſis dicitur, quod ſunt ſub periculo ſalutis, eo quod in ſchola Religionis non proficiunt, nec ad perfectionem tendunt pro ſui ſtatus exigentia, & incurii ſunt ſuæ ſalutis. De quinti generis Religioſis apparet periculum ſuæ ſalutis propter tepiditatem affectus, & quia diſcrimini ſe exponunt, & puſillos ſcandalizant.*

Religioſi primi generis, qui vivunt in locis deformatis, ubi regula non ſervatur cum propoſito ſe reformandi, ſi valerent, ut ſecurius vivant, & tutius ſaluti ſuæ conſulant, hæc omnia facere tenentur.

1 *Laborare pro alio Conventu, ubi regulariter vivere poſſint, & illuc ſe transferre, niſi forſan ſpem haberent ſatis certam proprii loci reformandi ex eorum præſentia.*

2 *Si locum reformatum habere non poterunt, ut aliqua digna cauſſa illum omiſerint, ſuper hoc doleant, & pro reformatione inducenda, ſemper quod in ſe eſt, faciant.*

3 *Non ſæculariter vivant. Bona conceſſa, non niſi cum licentia Superioris, & in uſum neceſſarium diſponant, cum propoſito ſemper reſignandi ad placitum Superioris: immo omne ſuperfluum illi dando, aut potius ab alio rerum proviſionem ſine uſu pecuniario recipiendo.*

IX. En expreſſam methodum, quam ſervare tenentur, qui in Monaſteriis deformatis reperiuntur. Primum non tantum animo parati eſſe debent ad reformationem ſuſcipiendam, ſed cooperari etiam, & adlaborare debent, quantum privata eorum fert conditio, ut rerum communitas introducatur. Secundum cum deſperatum reformationis eventum proſpiciunt, Monaſterium ejuſdem Religionis (fere enim in qualibet Religione, vel aliquæ Provinciæ, vel Congregationes, vel Cœnobia reperiuntur, in quibus obſervantia & Communitatis, & regulæ floret) in quo vita communis ſervatur, inquirere, atque illuc petere, ſi ingreſſus pateat. Si vero in eadem Religione nullum reformatum Monaſterium invenitur, alterius Religionis obſervantis tentare ſaltem ingreſſum obſtringuntur. Quid ita? Quia quilibet tenetur ſe ſe abducere ab occaſione proxima Deum offen-

dendi. In Cœnobiis autem deformatis, in quibus præceptum communitatis, ad cujus obſervantiam regulares omnes ſub mortali culpa tenentur, ut ſupra demonſtratum eſt, non modo non obſervatur, ſed penitus negligitur, occaſio proxima adeſt violandi præceptum, & Deum offendendi; hæc igitur relinquenda ſunt Cœnobia, & alia inquirenda.

X. At nonne faſſi ſumus in quolibet, vel relaxato Cœnobio, poſſibilem eſſe paupertatis Monaſticæ obſervantiam? Cur itaque nunc hujus difficilis tranſitus grave jugum imponimus? in qualibet occaſione proxima neceſſaria poſſibilis eſt obſervantia legis, quandiu occaſio iſta neceſſaria perſeverat. Tum autem occaſionem neceſſariam, ſeu ſub neceſſitatis ſtatu perſeverare dicimus, cum omnibus tentatis mediis ad fugam, relinquere eam nequimus; cæterum ſi media ad fugam congrua intentata omittimus, non neceſſaria amplius, ſed libera, & voluntaria occaſio evadit, & ideo culpabilis. Fugam itaque iſtius occaſionis communitatis Monaſticæ violandæ procurare debes, quantum per te licet, ne occaſio reſpectu tui libera, & voluntaria dicatur. Hunc tranſitum etiam tentare debes, cum, ut ſcandalum removeas, quod ingeris, dum non reprobas conſuetudinem ſcandalorum plenam, tum ut exemplum te imitandi cæteris præbeas.

XI. Quod ſi vel ob ſenectutem ingraveſcentem, vel ob infirmitatem, vel ob aliam cauſſam in Cœnobium reformatum ingreſſus minime patet, tunc in proprio remanere poterit cum ſincero efficacique deſiderio reformationis, cui inſtaurandæ pro viribus ſedulam navare operam debet. Difficillima utique eſt, minime tamen impoſſibilis etiam in ſimilibus Monaſteriis paupertatis Monaſticæ obſervantia. Revera enim non minori periculo obnoxium eſt paupertatis votum inter marſupia, pecuniarumque uſum quotidianum, quam votum caſtitatis inter puellarum familiare contubernium. Habent enim inter ſe maximam neceſſitudinem, ſimilitudinemque carnis concupiſcentia, & divitiarum cupiditas. Verum enim vero ſicut Joſephi caſtitatem ab inſidiis procacis mulieris immaculatam ſervavit Deus, quod non ſponte, & libere, ſed coactus ex officio inveſtigandi ſcripturas rationis ſuæ, illius cubiculum ingreſſus fuerat: ſimili quoque clementia obſervantiam paupertatis cuſtodiet Monachus, qui vel in Monaſterio deformato, vel extra clauſtra non libere, ſed vel ex officio, vel alio impedimento coactus commoratur.

XII. Porro ut Deus immenſæ clementiæ ſuæ auxilia impertiatur, & gratiam: hæc omnia, quæ ſequuntur, præſtare Monachus debet. Primum, in victu, & veſtitu tenuitatem ſervet. Secundum, peculium in parva quantitate habeat. Quinam ſunt cancelli hujus parvæ quantitatis? ſunt ii, qui in Monaſteriis reformatis figuntur. Quod ut clarius explicem, dico, tantum peculii tibi licitum eſſe, quantum neceſſarium eſt pro iis rebus comparandis, quas Religio ſubminiſtraret, ſi communitas exacta vigeret. Intuere ergo quæ, & quanta cœnobia perfectæ communitatis ſubditis ſuis impertiantur, & pro talium rerum neceſſario uſu peculium habeto. Comper-

per-

pertum autem eſt, nullam religionem, ſive obſervantem, ſive reformatam cubiculorum pluralitatem ſubditis ſuis concedere. Unicum itaque ſit tibi cubiculum, cœteras cameras ad communem omnium uſum Cœnobii Prælato reſignato. Sed tria vel quatuor cubicula jam inde a juventute mea mihi ædificavi, quibus dum ætati, & valetudini meæ commoditatibus ornavi, eadem etiam diſpoſitione invicem colligavi, ut ſeparari nequeant. Hoc ſane eſt quod vereor, ne ſcilicet tibi ſacrilegæ proprietatis funem indiſſolubilem texas, juxta illud (Proverb 5.) *iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Si ſeparare eas non vales, omnes relinque, & pauperem in Cellam, te recipito. Sed ſenex ſum, & valetudinarius. Senior te erat Eleazarus, qui vivus in ignem projici voluit, potius quam legis ſuæ præceptum, ſuillam carnem comedendo, tranſgredi. Cum hoc ſanctiſſimo ſene recordare & meditare ſcandalum, quod poſteritati relinquis, cum paupertatis voto obſtrictus, inter tot cubicula, & commoditates animam exhalas. Qua fronte iſtarum te commoditatum affectu non teneri, jactas, ſi ſola mors te ab eis ſeparare valet? Quid plura? Nonne ipſa tua conſcientia in extremis vitæ tuæ tormentis hæc omnia tanquam voto repugnantia damnat, reprobatque, quando *ſpolium illud*, ut vocant, funeſtum dixerim, an ludicrum, imperat. Ludicram certe & tu aſſereres illius peccatoris converſionem, qui in extremis duntaxat conſtitutus, occaſionem dimittere vellet. Omnia ergo ſuperflua, tum in victu vilioribus cibis contentus, tum in veſtitu, demiſſis, humilibuſque veſtibus indutus, tum in cubiculis, unam tantum inhabitans Cellam, cœteraque omnia in communem uſum conferto. Proviſionem vero rerum neceſſariarum a Procuratore, qui ſolus peculium tuum habere, & adminiſtrare debet, a procuratore, inquam, Cœnobii expectare debes, excluſo a te quocumque pecuniarum uſu, quantum fieri poteſt. Nil denique accipere, commodare, commutare, diſtribuere debes abſque licentia, quam niſi ob juſtam, & rationabilem cauſſam petere non debes, aliter fruſtanea & nulla eſt.

XIII. Quorum omnium ratio eſt manifeſta, & evidens. Quandoquidem peculium ſubſtituitur proviſioni, quam Religio impertire deberet. Ideo enim, toto Theologorum Conventu ſuffragante, peculium in Monaſteriis deformatis licitum eſt, quia Cœnobium, ſeu Religio de communi neceſſaria non ſubminiſtrat. Igitur id tantum peculii retinere licite vales, quod ſufficiens ſit ad illud ſubſidium comparandum, quod porrigeretur, ſi communitas vigeret, & quod reipſa ſubminiſtratur, ubi communis vita floret.

XIV. Luber nonnulla adjicere ex P. Natali ab Alexandro, qui hanc controverſiam, perfunctorie licet, verſat (tom. 2. Theol. Dog. epiſt. 79.) Docet autem Religioſos viventes in Monaſteriis, in quibus remiſſa, & relaxata eſt diſciplina Regularis, ad alios Conventus, in quibus viget ſtrictior obſervantia, migrare, aut abſtinentiam, & jejunia Monaſtica, &

alia,

alia, quæ victum exteriorem, veſtitum, & communem converſationem ſpectant, ſeorſim implere non teneri: ſed ſatis eſſe, ut paratum habeant animum ad reformationem ſuſcipiendam, ſi Superiores diſciplinam Regularem inſtauraverint, interimque vota fideliter obſervent. Hactenus Pater Natalis, qui ſuæ aſſertionis hanc effert rationem. „ Quamvis enim conſuetudo obligationem ex religioſa profeſſione ortam non ſolvat, ſuſpendit tamen quodammodo, quoad ejus obſervantias, quæ ad votorum ſubſtantiam non pertinent .... Et aliunde earum tranſgreſſio reatum culpæ non inducat, ſed pœnæ tantum, quam Superiorum conniventia remittere tenetur „. Animadvertendum primum eſt *P. Natalem*, nec loqui, nec loqui poſſe de illis Religionibus, in quibus nulla conſuetudo ſuſpendere valet profeſſionis obligationem; eo quod profeſſio hæc non edatur, niſi præmiſſa hac publica proteſtatione, quam leges ordinis, & Summi Pontifices præcipiunt, potiſſimum Alexander Papa VII. in ſuo Decreto anno Domini 1655. die 11. Maji, cujus initium eſt. *Ad propagandam ... Regularem obſervantiam ... Elapſo anno poſt ſuſceptum habitum ad profeſſionem admittatur ſub exacta VITA COMMUNI ad præſcriptum Regulæ, cum ſolita proteſtatione quod PROFESSIO SUA EUMDEM OBLIGABIT AD TRIA VOTA SECUNDUM REGULAM .... ET CONSTITUTIONES ORDINIS, ET NON SECUNDUM QUOD HIC, AUT IBI SERVATUR, necnon ſervata forma Sacrorum Canonum Concilii TRIDENTINI, Conſtitutionum Apoſtolicarum, & præcipue Decretum Sanctæ memoriæ CLEMENTIS VIII.* Ubi ſimilis editur profeſſio, nemo unus dixerit conſuetudinem aliquam excuſare ejuſdem profeſſionis violatores. De illis ergo Sacris Ordinibus ſermonem P. Natalis habet, in quibus conſuetudo obtinet, quæ ſuſpendit obligationem aliquarum legum, quæ nec ad culpam obligant, nec cum votis proximam habent connexionem. Huic P. Natalis ſententiæ & ipſe accedo; & ultro concedo, quod Religioſi ſimilium Ordinum non teneantur migrare ad alios conventus, in quibus viget ſtrictior obſervantia; dummodo vota fideliter obſervent Religioſi iſti, habeantque animum paratum ad reformationem ſuſcipiendam. At quid dicendum, ſi paupertatis votum fideliter non obſervaretur? Communitatem bonorum ad ſubſtantiam, & quidditatem paupertatis Monaſticæ pertinere demonſtravi & ut quidem arbitror, evidenter (Diſſ. 1. cap. 3. & 4.) Verum ne rem certiſſimam, dubiam diſputando efficiam; ſit extra voti paupertatis Monaſticæ eſſentiam bonorum communitas: ſub gravi tamen præcepto cadere omnes fatentur Theologi, etiam illi, quos fibulas in paupertatis vota nimium laxaſſe P. Natalis ſcribit (Epiſt. 81.) Omnes docent huic bonorum communitati ſub pœna peccati mortalis aſtrictos Regulares eſſe. Quin Regularium plures poſt Conſtitutionem Innocentii XII. conceptis verbis vitam communem vovent. In illis ergo Cœnobiis, in quibus laxata eſt iſtius præcepti obſervantia, in quibus Religioſorum quiſque ſuum tenere privatum peculium coactus eſt; quod ex com-

communi Cellario omnia victui, & veſtitui neceſſaria non ſuppeditantur: in ejuſmodi, inquam, Cœnobiis nequeunt Religioſi tuta conſcientia permanete, niſi neceſſitas ſeu impotentia excuſet: ſed aſtringuntur ad Conventus tranſire, in quibus præceptum communis vitæ ſervatur. Eſt ne in univerſa P. Natalis Theologia, vel aliquo caſuum arbitro doctrina quædam, ex qua colligi poſſit, licitum eſſe commorari in occaſione proxima, & morali neceſſitate tranſgrediendi aliquod præceptum obligans ad culpam mortalem? In hac autem morali neceſſitate reperiuntur Religioſi commorantes in illis Conventibus, in quibus communis vita non viget.

XV. Ad ſuam concluſionem firmandam P. Natalis affert duos textus Sancti Bernardi, qui explicatione aliqua indigent. Aliquibus enim videtur, quod D. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem excuſet Monachos in laxioris diſciplinæ Cœnobiis vitam degentes, Inquit namque (cap. 7.) *Sub hac tamen abuſione, jam fere ubique, ſic pro ordine tenentur, fere jam ita ab omnibus ſine querela, atque irreprehenſibiliter obſervantur, quanquam diſſimiliter. Nonnulli quippe his omnibus tanquam non utentes, utuntur, & ideo, aut cum nulla offenſa, aut cum minima. Aliquanti quippe hoc agunt ex ſimplicitate, aliquanti ex charitate, aliquanti ex neceſſitate. Quidam namque ſimpliciter iſta tenent, quoniam ſic eis præcipitur, parati aliter agere, ſi eis præciperetur. Quidam autem, ne diſcorditer vivant ab eis, cum quibus habitant: ſectantes in his non ſuam libidinem, ſed aliorum pacem. Alii vero, quia reſiſtere non valent multitudini contradicentium, qui hæc ubique tanquam pro ordine libera voce defendunt, & quoties iſti aliqua (prout ratio doceat) reſtringere, vel mutare incipiunt, illi mox tota auctoritate reſiſtunt.*

XVI. Item Epiſtola ſeptima ad Adam Monachum, non omnes ſe damnare teſtatur, qui in relaxatis Cœnobiis vivunt. *Quid me vis odioſum facere multis millibus Sanctorum, qui ſub noſtra profeſſione, non noſtro converſantes more, tamen aut ſancte vivunt, aut beate defuncti ſunt? Non ignoro, quod reliquerit ſibi Deus ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Audi ergo æmule calumniator, auſculta. Dixi, cur de aliis Monaſteriis ad noſtra venientes recipiendos cenſuerim. Nunquid non venientes damnavi? Excuſo illos, non iſtos accuſo. Soli ſunt invidi, quos excuſare nec volo, nec valeo: quibus exceptis, ſi quis cæterorum ad Regulæ cupiat tranſire puritatem, ſed propter ſcandalum non audeat, aut certe etiam ob certam corporis infirmitatem, PUTO, QUIA NON PECCAT, DUM TAMEN IN SUO STUDEAT LOCO SOBRIE, ET JUSTE, ET PIE CONVERSARI. Nam ſi quo ex more Monaſterii minus forte diſtricte, quam regula conſtituiſſe videtur, obſervare compellitur, excuſabit hoc FORSITAN aut illa charitas, qua cunctatur migrare ad melius propter ſcandalum, juxta illud: Caritas operit multitudinem peccatorum, aut illa humilitas, qua conſcius propriæ infirmi-*

firmitatis ſe reputat imperfectum: ſiquidem & de ipſa conſcriptum eſt: Deus humilibus dat gratiam. (Jacob. 4.) Mirum eſt potuiſſe a quibuſdam opponi recenſitos textus in quibus ipſiſſimam doctrinam docet Bernardus, quam ex Cardinali de Turre Cremata (num. 7.) huius capitis dedimus. Siquidem poſtquam tum in Apologia, tum in Epiſtola fuſo calamo laxioris diſciplinæ mala, & graviſſima pericula deſcripſit, ſubdit a damnationis pœna quoſdam excipere. Quos autem? Qui vel humilitatis ſpiritu, vel caritatis fervore ducti, vel certa corporis infirmitate impediti ad puritatem Regulæ tranſire omittunt: excuſat eos, qui rebus utuntur, tanquam non utantur, qui denique ſobrie, & juſte, & pie in ſuo ſtudent loco converſari. Hos excuſat Bernardus, hos excuſamus & nos in toto hoc opere. Et tamen etiam de his dubitanter loquitur Bernardus. *Puto quia non peccat . . . Excuſabit hoc forſitan aut caritas &c.* Si de his dubitat, quid de aliis? Interroga nunc temetipſum, tuam diſcute conſcientiam ante illud Tribunal, a quo judicandus eris; expende ſerio, quibuſque præjudiciis poſitis, num idcirco ad reformatam non pergas congregationem, quod aut certa corporis imbecillitas, aut humilitatis ſtudium, aut caritatis zelus tranſitum hunc haudquaquam tibi concedunt? Te expende, num in remiſſæ diſciplinæ Cœnobio degens, rebus utaris, tanquam non utens, num ſobrie, & juſte, & pie vivas? Si adfirmes, audi lepidum Bernardi reſponſum. *Ibi ſi pelliciæ lenes & calidæ, ſi panni ſubtiles, & pretioſi, ſi longæ manicæ, & amplum Capucium, & opertorium ſilveſtre, & molle ſlamineum ſanctum faciunt, quid moror, & te non ſequor?* Genuinus ergo Bernardi ſenſus eſt, quod, admiſſa hypotheſi vitæ juſtæ, piæ, & ſobriæ, vel in media laxitate, ſpes ſit concipienda ſalutis. Cæterum tum in Apologia, tum in epiſtola totus eſt in oſtendenda ejuſmodi hypotheſis raritate. Quin validiſſimis momentis, ex ipſa Dei ſcriptura, depromptis evincit, graviſſimam, ſummamque difficultatem eſſe; cum relaxatis converſari, & relaxate non vivere, quod capite ſequenti ex ſententia Bernardi, Theologorum, & Caſuiſtarum omnium, docentium occaſiones violandi proprias leges fugiendas eſſe, palam fiet. Hæc ſatis ſuperque ſufficerent ad aſſequendam Bernardi mentem.

XVII. Verum, ut omnia clariora fiant, ſcias oportet Divum Bernardum tam in Apologia, quam in Epiſtola ſermonem habere de Monachis Ciſtercienſibus, & Cluniacenſibus ejuſdem quidem Ordinis, ſed in duas Congregationes diviſis. Solutior Cluniacenſium diſciplina tum erat; Ciſtercienſium vero adeo ſevera, ut incredibilis ejuſdem rigor videretur. Non modo Divi Benedicti Regula, quam ambæ Congregationes profitebantur, adamuſſim obſervabatur, ſed plurimæ, præter Regulam, obtinebant auſteritates. Pulmentum ex folus fagi, panis hordeaceus, viciarius, & miliarius; veſtes ruſticanæ, ſolitudo perpetua. Audi clariſſimum Mabillonium in præfatione ad opera Divi Bernardi (§. 3. n. 34.) „ Qualis, & „ quanta fuerit ſive Ciſtercienſium, ſive Clarevallenſium ſub Bernardo „ di-

diſtrictio, & rigiditas, non eſt neceſſe hoc loco exponere, quando id « ſatis ſuperque patet, tum ex Bernardi litteris ac ſcriptis, tum ex ipſius « vita, maxime (ex libro 1. cap. 5.) Ubi primi Claraevallis incolae Deo « ſerviſſe memorantur: *in paupertate ſpiritus, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in vigiliis multis. Pulmentum ſæpius ex foliis fagi conficiebant. Panis ex hordeo, & vicia, & milio erat.* Ita Guillelmus teſtis oculatus . . . . . Eandem vitæ ſeveritatem nos Galli etiamnum refloreſcere conſpicimus in piiſſimis Monachis B. Mariæ de Trapa « aliiſque nonnullis eorum imitatoribus, qui vitæ ſuæ puritate, ſolitudinis amore, ſilentio, labore, aliiſque Religioſis virtutibus id factu poſſibile adſtruunt, quod de Bernardo ejuſque diſcipulis legebamus, nec fere credebamus. «

XVIII. Hinc colligas velim, primum, quod merito Bernardus non damnet omnes Cluniacenſes, nec eoſdem improbet, quod ſuam Claraevallis ſeveriſſimam diſciplinam non ſuſcipiant. Ultro venientes excipiebat, ſed non idcirco non venientes damnabat. An ne damnandi nunc Monachi, qui Regulam Divi Benedicti ſervantes, auſteriſſimam Monachorum de Trapa diſciplinam recuſarent? Abſit. Nec nos illos improbamus regulares, qui illam reſpuerent reformationem, quæ ſupra Regulam, & Conſtitutiones, quas profeſſi ſunt, rigorem præſcribit. Secundum, Divus Bernardus in Apologia loquitur de quibuſdam mitigationibus Regulæ, & conſuetudinibus, quæ irreprehenſibiliter, & ſine querela obſervabantur; immo Superiores talem præcipiebant obſervantiam ſubditis paratis aliter vivere, ſi aliter eis præciperetur. Quapropter & ego lectorem meum monitum volo, me, in hac, quam verſo; quæſtione; ſermonem haudquaquam habere de iis Regularibus, qui in illis cœnobiis vitam degunt, in quibus aliquantulum mitigata eſt aliquarum conſtitutionum obſervantia, puta abſtinentiarum, jejuniorum, vigiliarum, idque genus ſimilium. Viget tamen in iiſdem obſervantia votorum, obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, ſeu communis vitæ ad Regulæ, & Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum præſcriptum; ubi Religioſi omnes ex uno cellario nutriuntur, & ex eodem veſtiario induuntur. Ubi privati peculii abuſus exterminatus eſt, ubi pro veſtitu, non pecuniæ, ſed veſtes in ſpecie, ut ajunt, de communi conferuntur. Regulares, qui in ſimilibus Cœnobiis profeſſi ſunt, minime aſſero, eoſdem debere ad ſtrictioris obſervantiæ cœnobia tranſire: quamvis collapſa, ut dixi, ſit diſtrictior quarundam conſtitutionum, quæ cum votis neceſſariam propinquitatem non habent, obſervantia. Nec enim denego, plura ſtatuta Monaſtica poſſe quandoque, vel contraria conſuetudine præſcribi ſi conditiones veræ conſuetudinis occurrant, vel ad tempus ſuſpendi. De iis itaque Religioſis ſermo mihi eſt, qui ſua privata peculia ſinguli habent, quæ poſt D. Bernardum, Concilia, & Pontifices millies decreverunt ea licite haberi non poſſe, præcipiuntque eadem abigere. De iis mihi ſermo eſt, in quorum Cœnobiis nec con-

ditiones, quas pro licito peculiorum uſu, in neceſſitatis eventu, Theologi, & eorum Conſtitutiones præſcribunt, ſervant. Inſuper conſtitutiones primarias paſſim tranſgrediuntur. Iſti obſtricti ſunt, quando nulla eſt propria Monaſteria reformandi fiducia, ad alterius congregationis reformata Cœnobia ſe conferre. Quæ reformatio nullum rigorem ſupra regulam; ſed ſolius Regulæ, & conſtitutionum, quas quiſque profeſſus eſt, obſervantiam præcipit. Quoniam quiſque occaſioni, gravique periculo propriam violandi profeſſionem ſe debet ſubducere. Ut autem omnium ora obſtruam: ſi tu in præfatis relaxatis cœnobiis tanta ornatus ſis fortitudine, tantaque polleas ſanctitate, ut peculiis tuis cubiculis amplis, cœteriſque bonis, & commodis uti valeas, ac ſi non utaris: ſi ſobrie, & juſte, & pie vivere potes; illamque viam, non quæ abducat, ſed quæ ducat ad perfectionem tui ſtatus percurrere, uti vi graviſſimi præcepti teneris, ſi hæc omnia præſtare vales; ibi dege, ibi per me licet, ſecurus eſto. Quid eſt nunc, quod adverſus me opponas? Eſt autem quod ego reponam, nimirum ſcripturam, Patres, & Theologos omnes docere veriſſimum eſſe verſiculum illum: *Cum viro innocente innocens eris, & cum perverſo perverteris*. Conſule quæ docent Caſuiſtæ de occaſione evitanda. Et de hoc plura capite ſequenti.

CAPUT XII.

Regulares profeſſi in aliqua Provincia, vel Congregatione, ubi diſciplinæ Monaſticæ, maxime communis vitæ, obſervantia viget: Si tranſeunt ad Provincias, vel Cœnobia ejuſdem, vel alterius religionis, ubi communitas rerum collapſa ſit, & abuſus peculiorum ſerpit, peccant mortaliter, immo in ſtatum damnationis ſe ſe conjiciunt. Peccant vero graviſſime, qui eoſdem recipiunt.

Caput hoc in duos tribuo paragraphos. In primo rationes, quæ aſſertionem meam certam conſtituunt, explicabo. In ſecundo, quæ hoc de argumento docent Tridentinum Concilium, & Divus Bernardus expendam.

§. I.

I. Quamquam Theologi, acervum dubiorum infarciunt ſuper tranſitu de una ad aliam Religionem; De hac tamen, quam propoſuimus, quæſtione, altum apud eos ſilentium. Innumeras propemodum difficultates movent: an ſcilicet licitus ſit tranſitus de laxiori ad arctiorem: de arcta

ad

ad æque arctam; de arctiori ad laxiorem Religionem. Cauſſas hujus tranſitus venantur. Quid jus commune, quid concilia, quid Pontificum Bullæ ſtatuant, quidve decernant: quænam licentia requiratur: petita vel obtenta, & penes quos facultas reſideat eam impertiendi, pluraque alia verſant, quorum diſquiſitio, utpote ab inſtituto noſtro aliena, omittitur. Noſtra potius intereſt hanc Summi momenti quæſtionem, quam aſſumpſimus tractandam bono in lumine ponere. Quod, ut præſtemus, ea, quæ extra diſputationem ſunt poſita, præmittamus, & ea quæ diſceptationi, variiſque ſenſibus obnoxia ſunt, explicemus, fas eſt.

II. Et in primis præ oculis habendum eſt oraculum Divi Pauli inquientis. (1. Corinth. 7.) *Quiſque in vocatione, qua vocatus eſt, permaneat;* Quare Theologi omnes cum Divo Thoma tranſitum hunc, ſi abſolute, & ab omnibus circumſtantiis ſejunctum conſideremus, reprobant. *Reſpondeo dicendum* (inquit Angelicus Doctor 2. 2. q. 289. art. 8.) *quod tranſire de Religione ad Religionem, niſi propter magnam utilitatem, vel neceſſitatem, non eſt laudabile. Tum quia ex hoc plerumque ſcandalizantur, qui relinquuntur, tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione, quam conſuevit, quam in illa, quam non conſuevit.* Tres tamen cauſſas occurrere poſſe, ſubdit eodem loco, quæ laudabilem, honeſtumque tranſitum hunc efficere queunt. *Poteſt tamen aliquis laudabiliter de una Religione tranſire ad aliam triplici ex cauſſa. Primo quidem zelo perfectioris Religionis. Secundo propter declinationem Religionis a debita perfectione. Puta ſi in aliqua Religione arctiori incipiant Religioſi remiſſius vivere, laudabiliter tranſit aliquis ad Religionem etiam minorem, ſi melius obſervetur . . . Tertio propter infirmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum provenit, quod non poteſt aliquis arctioris Religionis ſtatuta ſervare, poteſt autem ſervare ſtatuta Religionis laxioris.* Ex quibus omnibus tria colligimus.

III. Primum, ut tranſitus quilibet a culpa immunis ſit, & honeſtus, fieri minime debet, odio, temeritate, ira, contemptu, vel alia qualibet animi perturbatione, ſed ſolo tutioris vitæ ſtudio & deſiderio perfectioris religionis comparandæ, ſicuti omnes fatentur, qui hac de re ſcripſerunt.

IV. Secundum (quod ſumma animadverſione dignum eſt) Theologi, & qui aiſerunt, licitum interdum eſſe tranſitum de arctiori ad laxiorem religionem, magna abutuntur æquivocatione, ex qua imperiti lectores mirum in modum decipiuntur, ſeu potius ſe ſe decipiendi occaſionem nanciſcuntur. Theologi enim quæſtionem hanc verſantes quid laxioris Religionis nomine intelligendum ſit, non ſatis accurate explicant. Quamobrem falſæ, & damnabili intelligentiæ locum relinquunt. Lectores ſiquidem, qui avidis oculis, quæ ſibi favent in ejuſmodi libris, expiſcari conantur, nomine laxioris religionis, religionem accipiunt a ſuæ regulæ, & ſuarum conſtitutionum obſervantia collapſam. Quæ perceptio erronea eſt, & a

Theologorum mente prorſus aliena. Quamquam enim minus preſſe, & enucleate loquantur, ex eorum tamen doctrina colligitur, quod nomine laxioris inſtituti religionem intelligant minus ſtrictam, ut eorum verbis utar, ſeu mitiorem, quæ corporis macerationes, ſeveraſque auſteritates non præſcribit, ſed in corpore affligendo blandior eſt, ac religio, quæ vocatur arctior, ſua tamen ſtatuta, ſuamque regulam (quod eſt totius controverſiæ punctum) adamuſſim obſervat. Hoc aperte colligitur ex ipſa laudata doctrina D. Thomæ aſſerentis; *laudabiliter tranſit aliquis ad religionem etiam minorem ſi melius obſervetur . . . poſſet autem ſervare ſtatuta religionis laxioris*. Et manifeſtius indicant cœteri Theologi. Verum, ut omnis auferatur errandi occaſio, veram religionis laxioris, ſeu relaxatæ notionem exhibere debemus. Eam itaque vocamus religionem relaxatam, quæ ab exacta ſuæ regulæ obſervantia declinans contra ipſam regulam mores inſtituit, jejunia frangit, ſilentia ſolvit, carnes manducat, convivia parat, marſupia privata implet. Hæc eſt Religio, quæ relaxatæ, & laxioris nomine proprie venit. Mitior vero Religio ea dicitur, quæ, ut jam indicavimus, ſuavius jugum imponit, atque in victu, & veſtitu blandior eſt. Cœterum regulam, quam profitetur, & maxime communem vitam, ad quam Religiones omnes tenentur, exactiſſime obſervat. Ad ejuſmodi mitiorem Religionem ab arctiori licitum eſſe tranſitum juſta de cauſſa ultro fatemur. Hinc perſpectam habebis cauſſam, cur ego nunquam in hoc libro diſciplinam Regularium Conventualium appellaverim mitiorem, nec illam, quam profitentur Reformati dixerim ſeveriorem: quæ dictiones libentiſſime adhibuiſſem, ſi veram quæſtionis, quam verſamus, ſignificationem efferrent: modeſtæ quippe ſunt, nihilque invidiæ concitant. Er hoc forte in cauſſa fuit, cur paſſim eiſdem Auctores uſi ſint: verum, ut modeſtiæ litarent, falſos affinxerunt cauſſæ, quam egerunt, ſignificatus. Idcirco ne & nos in eundem incidamus errorem, miſſis vocabulis ad germana controverſiæ ſenſa prodenda minus aptis, quamquam modeſtis, veras uſurpavimus dictiones. Ut tamen, quoad fieri potuit, invidiam vitaremus, nec Religioſos appellavimus relaxatos, ſed quandoque Conventuales, nec diſciplinam eorumdem diximus, niſi raro, relaxatam, ſed collapſam, ut, ſalva veritate, majori, qua licuit, circumſpectione loqueremur.

V. Tertium eſt, nos ſermonem habere, non de tranſitu quodam fortuito, & contingenti, qui vel alicujus negotii, aut officii peragendi gratia fieri quandoque poteſt: ſed de tranſitu in vera ſui ſignificatione accepto. Iſte autem tranſitus domicilii mutationem adfert. De iis igitur Religioſis quæſtio inſtituitur, qui de una ad aliam Religionem tranſeunt, ut Diſciplinam regularem mutent. Quibus poſitis.

VI. Dicimus regularem profeſſum in una Provincia, vel Congregatione obſervanti, ſeu reformata, in qua rerum Communitas viget, ſi ad aliam ejuſdem ordinis Provinciam, modo ſupra explicato relaxatam tran-

ſit,

ſit, non ſolum culpam perpetrare lethalem, ſed in ſtatum damnationis æternæ ſe ſe detrudere. Idem dico de tranſitu de una Religione Reformata ad aliam Reformatam. Aſſertio iſthæc certiſſima eſt ſecundum omnes Theologos.

VII. Ut iſtius aſſertionis evidentem præformemus demonſtrationem, eorum aliqua, quæ ſupra fuſius diſputata ſunt, in memoriam revocemus, oportet. Diximus communem vitam cujuſque peculii expertem, ſi minus ſub voto, ſub præcepto ſaltem graviſſimo comprehendi: Regulares omnes eam reſpuentes, vel ejuſdem introductioni reſiſtentes maximum ſcelus perpetrare, atque in futuræ damnationis baratro demerſos eſſe. Qua poſitione facta, ſponte erumpit demonſtratio aſſerti noſtri ineluctabilis. Enim vero cum Cœnobita Provinciam, ſive Congregationem Reformatam, in qua perfecta viget rerum communitas, deſerit, & ad aliam ſive ejuſdem, ſive alterius ordinis tranſit, in qua laudati præcepti obſervantia obſoleta eſt, & antiquata, tria crimina committit. Primum quod rerum communitati reſiſtit, dum eam deſerendo reſpuit. Secundum quod aliis idipſum faciendi exemplum præbet, ſcandalumque grande ſociis relictis ingerit. Tertium denique, quod in occaſione proxima præceptum iſtud tranſgrediendi perſtacto animo ſe ſe conſtituit. Hæc omnia manifeſta experientia comperta ſunt. Si quidem jam tum crumenam parare ſibi debet Religioſus iſte cum tranſitum ad Provinciam relaxatam meditatur. Sæpius enim in anteceſſum, diverſorium quod ipſi affiliationem vocant, emere ſibi debet, & ſine hac veſte ingreſſus ad illos nemini patet. Deinde quotidie ad manus pecunias habeat neceſſe eſt. Cubiculum neceſſaria ſupellectile inſtruere, lectiſternia diſponere cogitur. Poſtremo ceu novus Paterfamilias effectus domunculam ſuam ornare ſibi debet, ſuiſque indigentiis in dies occurrentibus proſpicere. Quæ omnia directo Communitatis præcepto repugnant. Porro quicumque libere in proxima ſe ſe collocat occaſione aliquod violandi præceptum, lethalem culpam perpetrat; & quandiu deliberato animo in ejuſmodi verſatur occaſione, tandiu in culpa perſeverat. Regulares autem, de quo in præſens ſermo eſt, ad remiſſæ diſciplinæ Cœnobia demigrant, animo ibidem perpetuo commorandi. Non eſt ergo ambigendi locus, quin iſti in futuræ damnationis graviſſimum diſcrimen ſemetipſos ſponte detrudent.

VIII. Nec eſt, quod opponas, hinc conſequi, omnes collapſæ diſciplinæ Regulares damnationis pœnas daturos; quoniam pluries convulſa eſt objectio iſthæc. Acta curſim retractabimus. Qui jam reperiuntur in collapſæ obſervantiæ regularis Conventibus, non omnes plena libertate violandæ profeſſionis occaſionem quæſivere. Quandoquidem cum profeſſionem ediderunt, fortaſſe non omnia illius onera perſpecta habuerunt. Nec mirum ſi educatio quid fuci ejus impoſuerit. Sed id, quod caput eſt, ex his non omnes libere ibidem permanent, ſed eorum aliqui, Divina opitulante Miſericordia, ab eadem occaſione pedem referre pro virili parte enituntur, reformationem anhelant, communitatem avent, & ſumma

ma in paupertate vitam degunt. Ne multa. Præceptum communis vitæ iſti tranſgrediuntur, neceſſitate ſuſtentandæ vitæ coacti; idcirco immunes a culpa eos ſperare licet.

IX. Qui vero a Conventibus reformatis ad non reformatos tranſeunt, numquid animum ad reformationem ſuſcipiendam paratum habent? Iſtine Monaſticæ paupertatis deſiderio flagrant? Iſtine communis vitæ votum ſive præceptum ſervare cupiunt? Iſtine Monaſticæ perfectionis viam inſtituunt, atque percurrunt? Nonne firmato animo in proximam occaſionem, immo in moralem neceſſitatem ſe ſe deturbant tranſgrediendæ ſolemnis ſuæ profeſſionis?

X. Plures obtendere iſtius demigrationis prætextus ſolent, quos ſingulos perſequi, & mihi, & lectori nimium eſſet moleſtum. Paucis rem expediam. Genuinæ, veræque iſtius tranſitus cauſſæ ſunt, quia nolunt cervices obedientiæ jugo ſubmittere; quia exacta diſciplinæ regularis obſervantia valde illis incommoda eſt. Idcirco, ut liberius propriis appetitionibus morem gerere valeant, laxioris diſciplinæ cœnobia inquirunt. Quod enim aliis obtrudunt Superiorum inſectationem, tetra calumnia eſt. Se vexari quippe calumniantur, dum Prælati majori, qua valent caritate, eos ad bonam ſtugem inducere, & in diſciplinæ ſemita continere ſtudent. Alii opponere conſueſcunt infirmam valetudinem, viriumque imbecillitatem, & alia id genus, quæ omnia ficta commenta ſunt. Quis namque negare auſit, melius, ubi viget diſciplina, quam ubi collapſa eſt, Religioſorum infirmitatibus ſubventum iri? Singularis quippe cujuſque Religionis optime inſtitutæ character eſt, debilium, & ægrotorum, pluſquam paterna ſollicitudo, in eorum levandis neceſſitatibus. Siquidem Religio quæque potiſſimo euangelicæ caritatis cardine vertitur. Eo ergo liberalius debilibus infirmiſquis ſuppetias porrigit, quo ſeverius ad profeſſionis ſuæ amuſſim Religioſorum mores conformat. Contra, quo laxior eſt diſciplina in obſervantiæ regularis cultu, eo remiſſior caritas eſt in ægrotorum ſanitate curanda. De quibuſdam Cœnobiis collapſæ diſciplinæ hæc ſcribit Franciſcus Ramirez Archiepiſcopus Brunduſinus in ſuo de reformat. opuſc. (Aſsert. 1. pag. 32.) *Alimentum tenue, vile veſtiarium, Prior agreſtis, Vicarius intractabilis, Converſi indiſciplinati, & irreverentes, atque cæteri Fratres ſine caritate. Si infirmaris, nullus ibi medicus, aromatarius nullus. Atque ſi ingraveſcente morbo enixas preces emiſeris, apparebit coram te quidam titulo Doctoris donatus, ſed imperitioris medicinæ ſervus, non qui morbum præcidat, ſed prolonget, & coquus, non qui appetitum exacuet, ſed qui nauſeam cauſet.*

XI. Accedit quod etiamſi vera interdum aliqua forent eorum, quæ opponi ſolent, non idcirco infertur, licitum eſſe tranſitum de cœnobiis reformatis ad laxioris obſervantiæ Conventus. Sit quandoque nimia Prælatorum ſeveritas. Nullus enim in hoc Mundo ſtatus eſt, in quo adverſitates, viciſſitudineſque, plus minuſque non occurrant. Propter ea

ne

ne deſerenda propriæ profeſſionis, & veritatis via eſt ? Idcirco ne in moralem peccandi neceſſitatem te conjicere debes ? Abſit, inquis, ſed ego leges, quas profeſſus ſum, in medio tranſgreſſionum ſervabo ſolus. Omnes hac errronea imbuti perſuaſione infelicem tranſitum peregerunt. An propoſitum exequuti fuerint Deus ſcit. Hoc eodem errore decepti Chriſtianorum multi in occaſione volutantur peccandi. Theologorum nemo concedit ſincerum propoſitum ſervandi legem habere illum, qui voluntarie occaſionem violandæ legis amplectitur.

XII. Peccant vero graviſſime omnes tum Superiores, qui ejuſmodi deſertores recipiunt, tum qui conſulunt, qui ſuffragium exhibent. Quippe omnes auxilium, operamque conferunt in rem malam. Res explorata eſt: Si peccant qui ad illos tranſeunt, peccent neceſsum eſt, qui eoſdem recipiunt.

XIII. Quid dicendum de illis, qui de Congregatione, vel Provincia reformata vocantur ad moderandas cathedras, ad officia peragenda, in illis Cœnobiis, in quibus minime viget diſciplinæ Regularis obſervantia? Quando iſti legitimo Superiore approbante, viriſque pietate, doctrina, ac prudentia inſtructis conſulentibus, eo concedunt, ut aliquo magni momenti, & publicæ utilitatis, ac decoris miniſterio fungantur, planum eſt, eos minime peccare; ſed econtrario magna ſibi comparare merita valent. Quoniam ad eos Conventus minime immigrant, ut diſciplinam laxiorem inquirant, & amplectantur, quemadmodum illi, de quibus diſseruimus; ſed, ut munus, ad quod vocati ſunt, obire valeant. Qui in Principum Curiis, Confeſſionibus ſacris excipiendis, qui in Epiſcopis, in pagis, & villis ſacrarum Miſſionum gratia commorantur, eo animo, ut, propriis perſolutis officiis ſuas repetant domos, neque diſciplinam regularem reliquiſse, neque ad ſæculum demigraſse dicimus. Non negaverim tamen aliquo periculo violandæ paupertatis Monaſticæ obnoxios eſse. Quare magna vigilantia, in re aleæ plena, opus eſt. Eam communitatem ſervare aſtringuntur, quam circumſtantiæ loci, & temporis permittunt. Ab aliorum manibus, quoad fieri poteſt victum, & veſtitum accipiant. Pecunias, niſi juſta cauſsa urgente, non expendant. Reditus, proventuſque omnes, quos ex lectionibus, Concionibus, cœteriſque officiis percipiunt, Cœnobio proprio omnino reſignent, ut expreſſe Clemens VIII. cœterique Pontifices præcipiunt. Cœnobium vero ea omnia illis ſuppeditet, quæ eorum ſtatui neceſſaria ſunt. Væ Prælatis illis, qui anſam tribuunt paupertatis violandæ. Si velint ſubditos ſuos tum intra, tum extra clauſtra commorantes, communitatis obſervatores habere, de omnibus neceſſariis eis provideant. Aliter tum Prælati, tum ſubditi proprietatis periculo ſe ſe exponunt.

§. II.

§. II.

Quæ ſit hoc de argumento Concilii Tridentini, & Divi Bernardi Abbatis, mens, aperitur.

XIV. Ne vero quiſpiam in animum ſibi inducere queat, aut ſingularitatem, aut nimiam ſapere auſteritatem, hanc, quam propugnamus, ſententiam, lubet in ultimo moralis certitudinis gradu eam conſtituere. Quod ut præſtem, in ejuſdem confirmationem, auctoritatem in primis affero Synodi Tridentinæ, quæ (Seſſ. 25. cap. 19.) conceptiſſimis verbis prohibet, ne cuiquam Regularium ad laxiorem demigrandi Religionem, facultas impertiatur. *Nemo etiam Regularis cujuſcumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.* Divus Bernardus fuſo calamo hanc verſat quæſtionem, duabus integris & prolixis epiſtolis, prima videlicet ad Robertum conſanguineum ſuum, ſuique Monaſterii alumnum, & ſeptima ad Adam pariter Ciſtercienſem Monachum. Utrique præfati Monachi ab arctiori diſciplina Ciſtercienſium, ad laxiorem Cluniacenſium declinaverant. Idem erat ordo in Congregationes diviſus, quarum una ſeveriorem, altera remiſſiorem ſervabat vivendi formam. Divus Bernardus interdum ordinem loco Monaſterii, & aliquando diſciplinam pro ordine accipit, ut obſervat Clariſſimus Mabillonius in notis ad primam Epiſtolam. Ambo iſti Monachi, non modo annuente, ſed imperante Abbate ſupremo, ad Cluniacenſes tranſierant. Quod ideo conſiderandum objicio, ut hinc manifeſtior fiat ſententia noſtra. Quandoquidem ſi neque legitimo Abbati jubenti tranſitum ad laxiorem diſciplinam, parendum eſt, ut evincit Bernardus, nemo non videt, quid de illis dicendum ſit, qui proprio arbitrio, & non ut Prælato obediant, ſed, ut vivendi libertati, ſuiſque cupiditatibus faveant, id peragunt. Sed ad rem accedamus, & utriuſque epiſtolæ ſpecimen perſtringamus.

XV. In epiſtola prima Sanctus Abbas præmiſſo exordio, Roberti Monachi conſanguinei ſui diſceſſum a ſuo Monaſterio deſcribit. „ Primo, „ inquit, miſſus eſt magnus quidem Prior ab ipſo Principe Priorum: foris quidem apparens in veſtimentis ovium, intrinſecus autem lupus rapax: deceptiſque cuſtodibus, æſtimantibus quippe ovem eſſe, væ, væ, „ admiſſus eſt ſolus ad ſolum, lupus ad oviculam. Nec refugit ovicula „ lupum, quem & ipſa putabat ovem. Quid plura? Attrahit, allicit, „ blanditur, & novi Euangelii Prædicator commendat crapulam, parſimoniam damnat: voluntariam paupertatem miſeriam dicit. Jejunia, „ vigilias, ſilentium, manuumque laborem, vocat inſaniam. Econtrario „ otioſitatem contemplationem vocat, edacitatem, loquacitatem, curioſitatem innictam denique intemperantiam nominat diſcretionem . . . . „ Talibus tandem allegationibus male credulus puer circumventus ſeduci- „ tur,

tur, ſeductorem ſequitur, Cluniacum ducitur. Tondetur, raditur, lavatur; Exuitur ruſticanis, vetuſtis, ſordidis : induitur pretioſis, novis, ac nitidis, & ita in Conventum ſuſcipitur. Sed cum quali putas honore? Cum quo triumpho? cum quanta reverentia? Defertur ei ſuper omnes coætaneos ſuos, & tanquam victor rediens a pugna; ſic laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. Suſtollitur in altum, ſtatu non mediocri collocatur, ita ut multis ſenioribus prælatus ſit adoleſcens. *Favet, blanditur, congratulatur ei univerſa fraternitas : exultant omnes tanquam Victores, capta præda, quando dividunt ſpolia. O bone Jeſus, quam multa facta ſunt, pro-unius animulæ perditione!* "

XVI. Primum rationis momentum, quod ſanctus Abbas Epiſtola ſeptima producit, eſt ſcandalum illud maximum, quod ejuſmodi deſertores fratribus ſuis, quos relinquunt, ſuo malo exemplo ingerunt. Hocce ſiquidem ſuo diſceſsu, occaſionem aliis porrigunt imitationis, & quantum per ipſos eſt, januam ad eggreſsum ex ovili, gregi aperiunt, euangelico. Exactam Regulæ obſervantiam facto ipſo in contemptionem adducunt : Vacillantes, & infirmos fratres commovent, turbant, & ad laxiorem provocant diſciplinam. Quæ omnia quam immane ſcelus conſtituant, audiamus Bernardum loquentem laudata epiſtola ſeptima, num. 1. " Si maneres in caritate, quam in te olim, aut novimus, aut putavimus, caritatis profecto damna ſentires, quæ utique ſunt ſcandala puſillorum.... Si maneret in te, non ſileret, non quieſceret, non diſſimularet gemens, & æſtuans, & intra pium pectus tuum proculdubio ſubmurmurans illud. *Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* (2. Corinth. 11. item n. 11.) Mirum vero, quod hominem audiebas furtive ſuſſurrantem, Deum non audiebas aperte reclamantem, tali quaſi cœlitus emiſso tonitru. *Væ illi per quem ſcandalum venit*. (Matth. 18.) Non tantum autem Dominus, ſed & ſanguis ipſius clamore nihilominus vehementi ſurdis licet, terribiliter irrugiebat. Clamor ejus : ejus effuſio . . . & quid clamat? *Exurgat Deus & diſpergentur inimici ejus*. (Pſal. 67.) Sanguis Chriſti eſt. *Frater Adam Sanguis Chriſti eſt, qui pro piis congregatis adverſus impios diſperſores, quaſi tuba exaltat vocem ſuam.* "

XVII. Quid reponis? An forte ſcandalum iſtud graviſſimum, aut phariſaicum eſse, aut ſolido deſtitutum fundamento? Conſequenter paſſivum eſse, ut vocant, non activum. Quod inſanum commentum hoc pacto profligat Bernardus loco laudato. " Nec timendum mihi arbitror, quod ad illud Domini reſponſum, de ſibi nunciato ſcandalo Phariſæorum, refugias, ut quomodo ille nihili pendebat, dicens : *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum*. (Matth. 15.) Ita & noſtra vobis ſcandala, non eſse timenda, exiſtimes. Vides nempe quam nihil ſimile habeat in hac parte proportio. Nam ſi compares perſonas, illic Phariſæi ſuperbi, hic pauperes Chriſti ſcandalizantur. Si cauſsas. Hic Levitas, ibi veritas in cauſsa eſse dignoſcitur. "

XVIII. Adam Monachus, cum Bernardi rationibus reſpondere haudquaquam poſſet, ad obedientiæ perfugium ſe ſe recepit. Ajebat itaque imperio Abbatis, cui obſequi ſe debere putabat, diſceſſiſſe. Divus autem Bernardus ei oſtendit in iis, quæ ſuapte natura mala ſunt, nullo modo obediendum eſſe Abbati. Porro tranſitus ab arctiori ad laxiorem diſciplinam ita malus, ita culpabilis eſt natura ſua, ut nulla, ſive Abbatis, ſive Papæ licentia licitus fieri poſſit. En illius verba ex præfata epiſtola excerpta. (num. 2.) „ Sed forſitan diris Abbas noſter abduxit nos, & ſecum „ ire præcepit. Num inobedientes eſſe debuimus? „ Hæc eſt Monachi Adam excuſatio, & hæc eſt, quæ ſequitur Bernardi reſponſio. (num. 12.) „ *O iſtorum temporum Paule ſimplex*? Si tamen & ille alterum ſe tibi ex„ hibuiſset Antonium. *O Monachum obedientiſſimum*! cui, ex quibuslibet ſeniorum verbulis, ne unum quidem jota prætervolet. Hoc ſolo „ contentus, quod præcipitur . . . . Si ita oportet; ſine cauſsa legitur „ in Eccleſia, *omnia probate, quod bonum eſt tenete*. (1. Theſs. 58. item „ num. 2.) Sed eſto, debuiſtis obedire filii Patri. Sed quandiu vixit, „ nunc vero mortuo illo, quem vel audire Doctorem, vel ſequi Ducem „ cogimini, quo adhuc tam *grave ſcandalum* emendare cunctamini? . . „ Et hæc dixi, non quod putem, vos vel viventi in hoc paruiſse debe„ re, aut vel dicendam eſse obedientiam ſic paruiſse. Alioquin generalis „ de hujuſmodi illa ſententia eſt. *Declinantes autem in obligationes ad„ ducet Dominus cum operantibus iniquitatem*. (Pſal. 124.) „ Deinde ſic inſtaurat ſuam argumentationem eadem epiſtola (num. 5.) „ Et ſi res „ per ſe jam ſatis eluceſcat, tamen propter quoſdam, qui quærunt occa„ ſionem, ubi ratio non ſuppeditat. Clarum faciam breviter, & ita cla„ rum, ut omnis dubietatis umbra diſpereat: quod nec purum, nec me„ dium bonum; *ſed plane purum fuerit malum ſic obediſſe, ſic veſtrum „ Monaſterium reliquiſſe*. Et quidem taceo de mortuo, qui ſuum, & ſo„ lum judicem habet Deum . . Adverſus illos tantum, qui conſcii præ„ ſumptionis ſequuti ſunt præſumptorem: non audientes Apoſtolum pro„ hibentem, & denunciantem, ut ſe ab omni fratre deambulante inordina„ te ſubtraherent. (2. Theſs. 3.) Contemnentes, & ipſius Domini vocem „ dicentis: *Qui non colligit mecum, diſpergit*. (Matth. 2.) Vos Fratres „ notat . . . . illud apud Jeremiam. quod cum dolore reminiſcor op„ probrium, *Hæc eſt gens, quæ non audivit vocem Dei ſui*„. Et multis Scripturarum textibus in medium productis, concludit. „ Unde conſe„ quenter advertitur, quod iter veſtrum in multorum uſurpatum ſcanda„ lum, ac per hoc contra Dei mandatum, non purum bonum, aut me„ dium, ſed purum omnino fuerit malum . . . . item num. 8. Quomodo „ ergo vel Abbatis juſſio vel Papæ permiſſio licitum facere valuit, quod „ purum, ſicut irrefragabiliter probatum eſt, malum fuit?

XIX. Perſequitur Sanctus Abbas licentiæ Pontificiæ prætextum, quo præcolorate adnitebantur eorum receſsum, labefactare. Et quoniam multi ſi-

ti ſi-

ti ſibi blandiuntur de ejuſmodi licentiis, ſeu diſpenſationibus, quas per ſubreptionem, ut ajunt, extorquent; congruum duxi iſthuc omnia transferre, quæ hac de re in laudata Epiſtola ſcribit Doctor Mellifluus. Hinc enim palam fiet, quam mirifice decipiantur illi, qui ut conſcientiæ aculeos quoquomodo obtundant, his cautionibus ſibi ad ſpeciem blandiuntur. *Papa videt : Papa tacet : Papa conſentit.* Audi itaque Bernardum. (n.9.) Quod & vos quoque non immerito timentes, nec ſatis de propria cauſſa confidentes, remorſas, ac remordentes conſcientias, Apoſtolica conati eſtis delinire licentia. O frivolum ſatis remedium! Quod non eſt aliud, niſi more protoplaſtorum cauteriatis conſcientiis texere perizomata: videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. Apoſtolicam inquiunt licentiam quæſivimus, impetravimus. Utinam licentiam non quæſiſſetis, ſed conſilium: id eſt non ut liceret, ſed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam? Ut liceret, quod non licebat? Facere itaque volebatis, quod non licebat . . . Sed quod non licebat, malum erat . . . Hujus tamen mali patrandi quærendam putaſtis eſſe licentiam; ſed ad quid? An ut quanto licentius, tanto ſecurius, & quanto ſecurius, eo & periculoſius peccaretis? Mira cautela, & ſtupenda providentia! Malum, quod jam corde conceperant, opere tamen cauti fuerunt non implere, niſi cum licentia. Conceperunt dolorem, ſed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præberet aſſenſum. Quo lucro? Quove ſaltem compendio mali? Nunquid ideo, aut malum eſſe deſiit, aut minoratum eſſe deſiit, quia Papa conceſſit? Quis vero malum eſſe neget, aſſenſum præbere malo? Quod tamen ſummum feciſſe Pontificem nequaquam crediderim, niſi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum. *Quando enim aliter hujuſcemodi vobis licentiam indulgeret, ſeminandi videlicet ſcandala, ſchiſmata ſuſcitandi, amicos contriſtandi, Fratrum conturbandi parem, & confundendi unitatem.* "

XX. Ultimo loco rationem omnium validiſſimam, luculentiſſimamque ex Divo Bernardo adducimus. Quæ ut evidentior evadat, omnium Patrum, & Theologorum Doctrina alibi tradita, in memoriam revocanda eſt. Docent autem Patres, & Theologi omnes, Regulares vi graviſſimi præcepti, animo ſincero debere ſaltem inhiare euangelicæ perfectioni, iſthucque animum ſuum intendere. Porro via, quæ ad hanc ducit perfectionem, eſt obſervantia votorum, quæ via omnibus Regularibus communis eſt: deinde obſervantia Regulæ, & conſtitutionum, quas quiſque profeſſus eſt, quæve unum ordinem ab alio diſtinguunt: Quiſque vero non modo ad comparandam perfectionem omnibus communem; verum etiam ad peculiarem proprii ſtatus perfectionem aſpirare tenetur. Qui ab arctiori ad laxiorem diſciplinam tranſit, ubi paſſim propriæ conſtitutiones, ad quarum amuſſim, ſolemni ritu Deo adpromiſit conformare mores ſuos, non obſervantur: ubi præceptum vitæ communis reipſa violatur: nonne de-

liberato animo a perfectionis via declinat? Nonne acquiſitionem perfectionis Monaſticæ facto ipſo reſpuit, aſpernatur? An negare auſis, hoc eſſe retro reſpicere, & ad vomitum redire? Audi Bernardum ex ipſa Dei Scriptura loquentem. „ *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſ-*
„ *piciens retro aptus eſt Regno Dei.* (Luc. 9.) Numquid & hoc perſua-
„ debunt non eſſe retro reſpicere, qui dicunt tibi euge, euge?

XXI. Quid ad hæc? Quæ ſententia nunc animo tuo ſurgit? An fortaſſe, quod tu vel in non reformato cœnobio viam perfectionis percurrere vales? Quoniam ſi cœteri leges ſuas tranſgredi velint, ipſi viderint: intetim tu in medio tranſgreſſionum, profeſſionem tuam ſervabis? Teneri ſane non poſſum, quin Bernardi verba in epiſtola prima repetam. *Si panni ſubtiles, & pretioſi, ſi longæ manicæ, & amplum capucium, & opertorium ſilveſtre, & molle ſtamineum ſanctum faciunt, quid moror, & te non ſequor?* Sed, miſſis urbanis ſalibus, ſolidiorem Bernardi reſponſionem promamus, & in primis præceptum communis vitæ, quod eſt primarium acquirendæ perfectionis fundamentum, minime ſervare vales. Variæ quoque conſtitutiones ibi jam antiquatæ fere ſunt. Eas, ut obſerves, omnium tranſgreſſorum in te odia convertas oportet. Quid plura? Tu te in occaſionem violandi leges libere detrudis, & legis obſervantiam oſtentabis? Sed Bernardi verba recitemus ex laudata epiſtola ſeptima. „ Tange picem
„ & dic: non ſum inquinatus ab ea: Abſconde ignem in ſinu tuo, & te
„ jactato non aduri. Pone denique portionem tuam cum adulteris, ni-
„ hilque tua intereſſe putato. Non ita Iſaias. Redarguit enim ſeipſum,
„ non ſolum, quia ipſe immundus, ſed quod ſocius ſit immundorum,
„ *quia*, inquiens, *vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi pollu-*
„ *ta labia habentis, ego habito.*

XXII. Poſtquam D. Bernardus rationum momenta in medium adduxit, quibus palam fecit, tranſitum ab arctiori ad laxiorem diſciplinam iniquitatis plenum eſſe, ad ipſos deſertores Fratres ſermonem convertit. Eorum corda emolire, ad virtutis ſemitam reducere devios ſtudet. Tremendum, formidandumque Dei judicium illis recordatur: Ad ipſorum conſcientiæ tribunal cauſſam revocat: illos ipſos perpetratæ Apoſtaſiæ judices conſtituit. Adeo manifeſta ſunt ſcandala, ſchiſmata, & damna, quæ ejuſmodi tranſitus patere ſolent. Denique qua precibus, qua increpationibus illos aggreditur, ut a perditionis via eoſdem avocet, & ad æternam vitam lucretur. Audite ergo, non capitis, ſed cordis aure, Bernardi verba ex ſeptima epiſtola (num. 13.) „ Si hæc non ignoras, quo-
„ modo non trepidas? quod ſi trepidas, quomodo non emendare feſtinas?
„ Alioquin qualem hinc ad illud tribunal terrificum conſcientiam portas,
„ ubi judex teſte non indiget, ubi veritas diſcutit intentiones? . . Ubi
„ frater Adam facientes, & conſentientes pari pœna punientur. Ibi fures
„ & ſocii furum ſimilem ſunt excepturi ſententiam: ibi par inibunt ju-
„ dicium, & qui lactant, & qui lactaverunt peccatores. „ Similia ha-

bet

bet epiſtola prima ad Robertum. „ Filiole ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Noli credere omni ſpiritui: ſint tibi multi neceſſarii, unus autem ſit tibi conſiliarius de mille. Tolle occaſiones, reſpue blandimenta, adulationibus claude aures. Te interroga de te, quia tu te melius noſti, quam alius. Attende cor tuum, diſcute intentionem, conſule veritatem. Tua tibi conſcientia reſpondeat, cur abjeris, cur ordinem tuum, cur fratres, cur locum deſerueris? Si ut arctius, ſi ut rectius, ut perfectius viveres, ſecurus eſto. Sin alias, noli altum ſapere, ſed time, quoniam, ut cum venia tua dixerim, quidquid tibi amplius indulges in victu, veſtituque ſuperfluo, in verbis otioſis, in vagatione licentioſa, & curioſa, quam videlicet promiſiſti, quam apud nos tenuiſti, *hoc proculdubio retro reſpicere eſt, hoc prævaricari eſt, Apoſtatare eſt.* " Hæc verba perpendens Doctiſſimus Mabillonius in notis ad hanc epiſtolam tamquam terroris, & horroris plena eadem Monachis conſideranda proponit. " Formidoloſa, (inquit) ſententia in Monachos, qui laxiora quærentes, regulares inſtitutiones pro minimo habent. " Neque hic tantum, ſed alibi quoque tranſitum a ſeveriori ad laxiorem diſciplinam apoſtaſiam vocat. (in Pſalm. 90.) " Aut ſi pudor neget *Apoſtaſiam corporis*, tepor ipſe paulatim ingerat *Apoſtaſiam cordis*. (Et epiſtola 113.) Ego Bernardus ſi de bonis ad meliora, vel de periculoſis ad ſecuriora voto, & opere libere pertranſiſſem, & illicita voluntate ad ea, quæ mutavi, denuo recurrere præſumpſiſſem, non *ſolum Apoſtata, verum etiam Regno Dei non idoneus fieri pertimeſcerem.* Hoc & Beatus Gregorius ait, Quiſquis, inquit, majus bonum ſubire propoſuit, minus bonum, quod licuit, illicitum fecit. Scriptum quippe eſt. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & retro reſpiciens aptus eſt Regno Dei.* "

XXIII. Quæ latius diſputata ſunt ex Divo Bernardo paucis perſtringo. Tranſitum a ſeveriore ad laxiorem diſciplinam ſuapte natura maximum ſcelus plurium criminum plenum eſſe demonſtravit Doctor ſanctus, malum adeo purum, ut nec Abbatis, nec Papæ diſpenſatione licitum fieri poſſit. Quoniam ſcandalum graviſſimum fratribus relictis ingerit: iiſdem abeundi a loco ſancto viam aperit. Vacillantes, debiles, infirmoſque fratres perturbat, amicos contriſtat; a via perfectionis deducit: in occaſionem violandi profeſſionem Deo factam conjicit, in neceſſitatem tranſgrediendi præceptum communis vitæ, & habendi peculium reipſa detrudit: obſervantiam regularem contemptioni exponit, ſchiſmata, & jurgia ſuſcitat. Quibus de cauſſis Religioſos hujuſcemodi ſcandalorum ſeminatores, Divinæ vocis contemptores, prævaricatores, & Apoſtatas nuncupat. *Hoc prævaricari eſt, Apoſtatare eſt.*

XXIV. Huculque Divus Bernardus loquutus eſt, nunc autem ex Bernardi Doctrina unum eruere conſectarium mihi liceat. Si præfati Monachi, qui ut legitimo Prælato obſequium præſtarent, ad Cluniacenſes tranſierunt,

ſierunt, tot criminum rei poſtulantur a Divo Bernardo : ſi eorum tranſitus neque Pontificiæ diſpenſationis privilegio de crimine purgari potuit : quid de illis dicendum, qui non ut Prælato ſuo pareant, ſed ut ſuis appetitionibus morem gerant, non ab auſteriſſima, ut laudati Monachi, ſed a mitiſſima ad relaxatiſſimam diſciplinam demigrant? Commiſeratione ſane maxima digni ſunt, qui relaxatis in Cœnobiis, profeſſione emiſſa, atque ab ineunte ætate in iiſdem educati, innutriti; & adulti tanta non pollent virtute, ut ſeveriorem amplectantur diſciplinam, immo iſtorum aliqui pluribus de cauſſis ſuis in locis licite remanere queunt, ſanctique evadere. At quam excuſationem obtrudere jure valent deſertores iſti? An corporis infirmitatem? Sed commentum iſtud ſupra profligatum eſt. Quam ergo ſui diſceſſus, vel apparentem cauſſam allegare poſſunt? Nullam profecto, niſi liberioris vitæ deſiderium, ſuiſque indulgendi cupiditatibus voluntatem obfirmatam; nullam, niſi obſervantiæ regularis, quam ſolemni ritu Deo promiſerunt, tædium, faſtidiumque incredibile. An igitur conqueri in poſterum audebunt, quod ingrati, & inverecundi deſertores, malarumque ſedium occupatores ſint compellati? Niſi frontem omnem exuerint, nec muſſitare, nec hiſcere amplius poterunt; cum Divus Bernardus, non modo peringratos deſertores appellet, ſed ſeverioribus cenſuris eos excipiat. Si unquam locum habere debeat verſiculus ille Davidis: *iraſcimini, & nolite peccare.* (Pſalm. 4.) quandonam, & ubinam melius quam iſthic? In quos, amabo te, potiori jure, juſtæ iracundiæ tela collineare fas eſt, quam in illos, qui a Fide, ſive in profeſſione baptiſmatis, ſive in profeſſione Monaſtica ſemel Deo data deſciſcunt? Veniam dabit Lector, ſi id quod alias dixerim, repetam. Et ſilentio peccare poſſumus & ſermone: quoniam tempus tacendi eſt, & tempus loquendi. Redarguebat ſe Iſaias quod tacuiſſet. Tremendum enim etiam, atque etiam eſt monitum hoc. *Væ mihi, quia tacui.* 6. Quæ verba ſic interpretatur Bernardus. (Epiſt. 7.) *Redarguit autem ſe, non quia cum malis habitaret, ſed quia mala non redargueri*t. Falſi Prophetæ peccabant frequentiſſime modo ſilentium ſervantes, modo dulcia pollicentes, modo flagitia palpantes, modo auribus blandientes. Facilius adulatione, & diſſimulantia, quam ſeveriori increpatione delinquitur. Et hoc eſt vitium quod noſtra hac dominatur ætate. Ab hoc potiſſimum ſibi cavebat Bernardus. *Vereor namque diſplicere quibuſdam, quod dicturus ſum, cæterum mihi magis verendum puto, ne tacendo veritatem, illum verſiculum veraciter non cantem.* „ Juſtitiam tuam non abſcondi in corde „ meo. Veritatem tuam & ſalutare tuum dixi. „ Plures reperiuntur, qui ſub caritatis velamine delinquentibus compatiendum eſſe prædicant. Tranſitum quem deſcripſimus, non audent tamquam noxium, exitioſumque improbare. Quod ſane ſilentium mortale eſt, criminiſque plenum. Si enim ab ipſa educatione ediſcerent juvenes, defectionem hanc graviſſimum eſſe peccatum, extremumque damnationis periculum infer-

re,

re, haud eſſent adeo faciles ad deſciſcendum. Caveant ergo illi, qui plus juſto humanæ prudentiæ indulgentes, & fallente caritatis ſpecie obnubilati omnia alto ſilentio diſſimulanda conſtituunt; caveant inquam, ne, dum reos excuſare ſtudent, innocentibus offendicula parent, viamque deficiendi aperiant. Sed tempus jam eſt ut prolixam diſputationem Divi Bernardi verbis concludam. *De cætero nemo mihi moleſtus ſit quod juſtitiam Dei non abſcondi in corde meo: niſi, quod minus fortaſſe, ob vitandum ſcandalum, quam debui, dixi.* (Epiſt. 94.)

CAPUT XIII.

Juvenes, qui ingrediuntur Religionem collapſæ diſciplinæ maxime in rerum Communitate gravi ſalutis æternæ periculo ſe exponunt. Graviter vero delinquunt, nulla opitulante ignorantia, Superiores, cæterique fratres, qui eos recipiunt, qui conſulunt, qui operam dant. Peccant quoque Pater, & Mater, qui pro viribus eos non retrahunt a propoſito. Tolerantia Eccleſiæ mere permittens eſt. An ignorantia quandoque excuſet juvenes eorumque Parentes, incertum.

UT confuſionem atque obſcuritatem evitem, varia quæ producturus ſum argumenta in diſtinctas ſedes tribuo. In primo paragrapho argumenta ab Eccleſiæ authoritate petita explicantur. In ſecundo, Theologorum ſenſa aperiuntur. In tertio, rationum momenta dabimus. In quarto objectiunculam ab Eccleſiæ tolerantia petitam, & an ignorantia interdum excuſet, reſolvemus. In ultimo tandem contractam totius capitis imaginem ob occulos revocabimus. Obiter nunc duo in anteceſſum indicamus. Primum, nullum fere ordinem reperiri, qui totus a diſciplina collapſus ſit; ſed in quaque Religione Cœnobia, Congregationes, & Provinciæ ſunt, quæ Regulam, & conſtitutiones ſervant. Et iſthuc ingredi laudabile eſt. Alterum relaxationis notionem ſpectat. Porro ea Religio relaxata, ſeu collapſa dicitur, quæ ſubſtantialia, ut ajunt, ſeu præcipuas leges impune violat. Religioſi tam ſubditi, quam Prælati ſua privata peculia majora, vel minora, prout fortuna fert, tenent: eadem conſenſione tacita Prælatorum ad libitum expendunt in quoſcumque uſus, in ludos, in oblectamenta, & ſoli per Civitates diſcurrunt, ſilentia violant continenter, cœteraſque conſtitutiones negligunt.

§. I.

§. I.

Summorum Pontificum conſtitutiones expreſſe vetant, ne juvenes in ea cœnobia, in quibus collapſa eſt vita communis, ingrediantur.

I. Veritatem, odii, invidiæque plenam, ſi quam unquam aliam, proponimus manifeſtandam. Quoniam in ea incidimus tempora, in quibus non modo ſcelera perpetrantur; verum etiam malum bonum aſſeritur, & bonum malum. Quare mihi uſurpare vacat, quæ ſcribit D. Bernardus (Epiſt. 7.) *Vereor namque diſplicere quibuſdam, quod dicturus ſum, cæterum mihi magis verendum puto, ne tacendo veritatem, illum verſiculum non veraciter cantem*: Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo. Veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi. *Hac ergo ratione illos ſuſcipimus, quoniam non putamus eſſe malum, ſi vota labiorum ſuorum, quæ in locis ſuis potuerunt quidem promittere, ſed nequaquam perſolvere Deo, qui ubique eſt, ubicunque poterunt, reddant & ſolius ruptæ ſtabilitatis damna reliquorum regularium præceptorum integra obſervatione compenſent. Si cui diſplicet hoc, & murmurat adverſus hominem quærentem ſalutem ſuam, reſpondebit pro eo ſalutis author*: *Nonne occulus tuus nequam eſt, quia ille bonus? Quiſquis es, qui ſaluti invides alienæ, parcito vel tuæ. An neſcis, quod invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum? Attende itaque tibi. Si enim ubi invidia, ibi mors: profecto non potes ſimul, & invidere, & vivere. Quid moleſtus es fratri tuo, quoniam ſatagit, quemadmodum, quæ proceſſerunt de labiis ſuis, non faciat irrita? Si quærat homo, quomodo, & ubi perſolvat quod pollicitus eſt Deo, quid tu perdis? Fortaſſe ſi aliquantæ pecuniæ tu eum debitorem teneres: circuire cogeres mare, & aridam, donec uſque ad noviſſimum quadrantem debitum redderet univerſum. Quid igitur meruit de te Deus tuus, quoniam non vis, ut & ipſe a ſuo debitore, quod ſuum eſt recipiat? Immo uni invidens duos tibi reddis infenſos. Dum, & dominum ſervi obſequio, & domini gratia ſervum fraudare conaris. Tu quare potius illum non imitaris & ipſe, videlicet perſolvendo, quod debes? Putaſne, & tuum non requiretur debitum? An potius propter hoc magis irritas impie Deum; quia dicis in corde tuo, non requiret?* Hac in epiſtola Sanctus Bernardus Monachum Adam alloquitur in Cœnobio laxioris diſciplinæ commorantem, eumque ad ſuum reformatum Monaſterium, in quo perſolvere vota ſua valeat, efficaciſſimis ſuaſionibus invitar. Relaxatis Monachis Epiſtolam ſuam peroſam fore, certo præcognoſcebat: Non ob id tamen in corde ſuo veritatem cælatam voluit. (Ut noſtræ ætatis prudentes ſuadent.) Sed publice eam reſonare fecit. Illius nos aliorumque patrum veſtigiis inhærentes, omni mundano timore poſito, invidarumque linguarum ſpretis jacu-

jaculis, veritatem Dei, & juſtitiam ejus, quam nos condoceſerunt Patres, Pontifices, & Theologi omnes narrabimus rationumque momentis, illuſtratam a cavillis, ineptiiſque loquentium mendacia vindicabimus.

II. Atque, ut in anteceſſum diſputationem meam cujuſque invidiæ periculo ſubducam, illud admonere lectorem convenit, me hac in controverſia, non ſenſa propria, non aliquorum Doctorum placita, non denique opinionem quamdam, quæ rigorem ſapiat: ſed veriſſimam, certiſſimamque, non modo Patrum, & Theologorum, ſed ipſius Eccleſiæ communem ſententiam promere. Et ut ab Eccleſiæ auctoritate initium ducam, primum omnium aperire juvat, quid hac de re ſenſerit celeberrimus ille cœtus, quem pro univerſæ Eccleſiæ reformatione Paulus III. inſtituit. Cardinales quatuor ſelegit doctrina, & ſanctitate præſtantiſſimos, videlicet *Gaſparem Contarenum* Venetum, *Joannem Petrum Caraffam* Neapolitanum, *Jacobum Sadoletum* Mutinenſem, *Reginaldum Polum* Anglum. His quinque adjecit Præſules doctiſſimos morumque integritate ſplendidiſſimos. Iſti fuerunt *Fredericus Fregoſus* Archiepiſcopus Salernitanus, *Hieronymus Alexander de Motta* Archiepiſcopus Brunduſinus, *Joannes Matthæus Libertus* Epiſcopus Veronenſis, *Gregorius Corbeſius* Abbas S. Georgii Venetiarum Ordinis Benedictini; & *Thomas Badia* Sacri Palatii Magiſter Ord. Præd. quibus præcepit Pontifex, ut omni mundano reſpectu abſciſſo, & quacumque humana ratione poſita, ex animi ſententia, ac ſi coram Divino Judice adſtarent, loquerentur, eaque remedia, pro convellendis Eccleſiæ morbis, ſuggererent, quæ validiora judicarent. Sic illi ipſi in proemio exhibitæ ſcriptionis, quæ MSS. in Vaticana Bibliotheca aſſervatur, teſtantur. *Certiſſimam*, inquiunt, *hujus Divinæ ſententiæ conjecturam nos facere valemus, quibus Sanctitas tua ad ſe vocatis mandavit, ut nullius aut commodi tui, aut cujuſpiam alterius habita ratione, tibi ſignificaremus abuſus illos, graviſſimos videlicet morbos, quibus jampridem Eccleſia Dei laborat, ac præſertim Romana curia; quibus effectum prope eſt, ut paulatim, ac ſenſim ingraveſcentibus peſtiferis his morbis, magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam ſanctitas tua ſpiritu Dei erudita . . . probe noverat principium horum malorum inde fuiſſe, quod nonnulli Pontifices Prædeceſſores tui prurientes auribus (ut inquit Apoſtolus Paulus) coacervaverunt ſibi Magiſtros ad deſideria ſua, non ut ab eis diſcerent, quid facere deberent; ſed, ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret, id quod liberet*. Hæc paullulum prolixiora deſcripſi, ut evidentius innoteſceret potiſſimam malorum cauſſam falſos eſſe Prophetas, Theologoſque illos, qui ſub benignitatis fuco Divina miſcent humanis, euangelicaſque ſanctiones carnis appetitionibus attemperant. Sed ad inſtitutum noſtrum propius tandem accedamus. Igitur inter graviſſima Eccleſiæ mala ſacrorum ordinum relaxationem adnumerarunt. Quod malum, ut de medio rolleretur, abolendos omnes Religioſos *Conventuales*, admonuere. Collapſæ diſciplinæ Fratres, juxta il-

lius temporis dialectum, *Conventuales* nuncupabantur. En illorum verba ex laudato MSS. Vaticano decerpta. *Alius abuſus corrigendus eſt in ordinibus Religioſorum, quod adeo multi deformati ſunt, ut magno ſint ſcandalo ſæcularibus, exemploque plurimum noceant. Conventuales ordines abolendos eſſe putamus omnes, non tamen ut alicui fiat injuria, ſed prohibendo ne novitios poſſint admittere. Sic enim ſine ullius injuria cito delerentur, & boni Religioſi eis ſubſtitui poſſent. Hunc vero putamus optimum fore ſi omnes pueri, qui non ſunt profeſſi, ab eorum Monaſteriis repellerentur.* Clemens VIII. relaxatæ diſciplinæ religionibus omnibus novitiorum ad habitum receptionem prohibuit; & quædam reformata, ad propriæ regulæ præſcriptum, Cœnobia deputavit, in quibus juvenes religioſa veſte induendi acceptatentur, variaque ſtatuta ſervanda impoſuit. Ab hoc ſuſpenſionis anathemate ſolas religiones obſervantiales, ſive reformatas excepit. *Exceptis* (inquit in ſuo Decreto die 20. Junii anni 1599. emanato.) *Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori obſervantia, nec non Capuccinorum Sancti Franciſci, Reformatorum Sancti Dominici, Diſcalceatorum Ordinis Carmelitarum, nec non Fratrum Congregationis Folienſis, Cyſtercienſis Ordinis, ac Eremitarum Ordinis Eremi Camaldulenſis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatibus Jeſu, S. Pauli decollati, & aliorum de Somaſca, Miniſtrorum infirmorum reſpective ordinibus, Societatibus, ſeu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam antea exceperat, & nunc iterum excipiendo voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi.* Plura, & ſaluberrima Decreta cum pro regularium Reformatione, tum pro Novitiorum in ſolis Reformatis Cœnobiis receptione, edidit iſte Sanctiſſimus Pontifex, ejuſque piis votis Divina obſecundavit Miſericordia. Quoniam non modo omnium fere relaxatarum Religionum plura Cœnobia; Verum etiam plures Congregationes, & Provinciæ Reformatæ fuere, quarum reformationum uberrimos, ſuaviſſimoſque fructus, etiamnum, Dei beneficio, conſpicimus. Clementis VIII. Decreta novis diplomatibus confirmarunt Pontifices ſucceſſores, Paulus V. Innocentius X. Alexander VII. aliique fere omnes ad hæc uſque tempora noſtra. Cœterum, ut quælibet lex humanæ malitiæ fraudibus, & dolis obnoxia eſt; ita quoque Decreta iſta, quamquam ſanctiſſima, his malis artibus ſubjecta fuerunt, eorumque vim, robur, & auctoritatem vanis commentis elevare contenderunt deformatæ diſciplinæ amatores. Quapropter Innocentius XII. ultimum, extremumque remedium executioni demandavit. Omnibus ſiquidem laxioris diſciplinæ Religionibus Novitiorum receptione interdixit. Hoc funeſtum ſterilitatis anathema in Religiones deformatas inflictum, a Sanctiſſimo Pontifice, ipſi conſpeximus, & deploravimus. Ne vero in poſterum fraudi, vel dolo locus pateret, Congregationem inſtituit, cujus præcipuum munus eſſet, extollere vocem ſuam, & clamare in gliſcentes contra Regularem obſervantiam abuſus, jubetque eouſque induendi juvenes ſuſpenſionis pœnam differre,

do-

donec Cœnobia eorum novitiatui deputata, reformata forent. Porro illius reformationis primum, præcipuumque fundamentum exactam rerum Communitatem, cujuſque peculii expertem eſſe præſcribit. Et ne in hoc puncto fraus aliqua contingere poſſet, ſtatuit, ut Conventuum Prælati, fratreſque a Conſiliis atteſtationem ſacroſancto jurejurando firmatam exhibeant, quod in talibus Cœnobiis, in quibus veſte Religioſa donandi ſunt juvenes, exacta vigeat rerum Communitas, cujuſque peculii vacua, ac cœterarum legum, & conſtitutionum obſervantia. Ipſius conſtitutionis die 18. Julii 1695. emanatæ verba tranſcribere jubet. *De mandato ſanctitatis ſuæ præſentis Decreti tenore denunciat omnium, & ſingulorum ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis, qui in præfatis Clementis VIII. Decretis excepti reperiuntur) ſuperioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, quocunque nomine nuncupentur, cæteriſque, ad quos ſpectat ut in unaquaque Provincia per Italiam, & Inſulas adjacentes, quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos cenſuerint, vel unum ſaltem, ibique auctoritate Apoſtolica ſtatuant omnimodam obſervantiam regulæ, conſtitutionum uniuſcujuſque ordinis, & Decretorum Apoſtolicorum, præcipue vero exactæ vitæ Communis ad formam eorundem Decretorum ab omnibus Religioſis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & profeſſi educandi ſunt morabuntur, omnino ſervandæ. Poſtquam vero Regularem obſervantiam, & ſignanter quoad EXACTAM VITAM COMMUNEM cum effectu ſtabilitam fuiſſe, tam ex eorumdem Superiorum Generalium, ſeu Provincialium relatione, quam præpoſiti, & fratrum in præfatis Conventibus degentium JUREJURANDO FIRMATO TESTIMONIO, nec non per ſecretas informationes, atque etiam ubi opus fuerit, per Apoſtolicos viſitatores ad hoc ſpecialiter deputandos eidem Sacræ Congregationi ſufficienter conſtiterit, tunc ſanctitas ſua ante-dictam licentiam, quam hactenus diſtulit, Novitios ibi recipiendi benigne concedet.*

III. Hæc ſufficere poſſent ad manifeſtam aſſertionis noſtræ demonſtrationem: Culpabilem nimirum eſſe ingreſſum in eam religionem, quæ, pulſa rerum Communitate, peculia religioſis concedit. Neque qua poſſint laudata Decreta tergiverſatione eludi. Apparet tamen, ut evidentius Apoſtolicæ Sedis voluntatem palam faceret Pontifex Summus, vetat, ne in poſterum aliquis erigatur Conventus, Domus, vel Collegium, niſi ſub expreſſa obligatione vitæ Communis. Atque reipſa poſt emanationem hujus Conſtitutionis in pluribus Ordinibus Novitii ſub expreſſa vitæ communis obligatione profeſſionem emittunt. *Porro* (ſequitur conſtitutio) *ne regularis diſciplina, dum in Conventibus jam erectis ſtatuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte conſtruitur, ſimul ex altera deſtruatur, Sacra Congregatio, Sanctitate ſua ſimiliter approbante, ſtatuit, atque decernit nulla in poſterum Monaſteria, Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religioſorum virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo inſtitui debere, niſi ſub EXPRESSA OBLIGATIONE EXACTÆ VITÆ COM-*

MUNIS ob omnibus Religioſis, ibi commorantibus perpetuo, & inviolate ſervandæ, ac propterea nullas deinceps admittendas hujuſmodi fundatione, niſi præter alia ad id requiſita, prius legitime conſtiterit adeſſe, annuos reditus, vel certam elemoſinarum ſpem, quibus duodecim ſaltem Religioſi in exacta vita communi commode valeant ſuſtentari.

IV. Unicum ad hæc evadenda perfugium ſupereſſe video: hanc nempe conſtitutionem acceptatam non eſſe; immo ſucceſſorum Pontificum ſilentio antiquatam; At huic etiam evaſioni proſpexit Pontifex Summus januamque præcluſit alio Decreto, anno 1698. edito, quo Congregationi ſuper diſciplina regulari a ſe inſtitutæ jubet, ut perpetuo in refractarios ſuæ promulgatæ legis vocem extollat, & clamet, non modo vocis ſonitu, verum etiam poteſtatis brachio.

V. *Hinc eſt* (inquit in laud. Decret. quod incipit: *Debitum paſtorali officii*, & reperitur in ejuſdem Pontificis Bullario pag. 309.) *quod nos prophetici illius moniti memores: Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam: ut conſtans, enixaque voluntas noſtra inceptum opus hujuſmodi peculiari ſtudio, ſummaque animi contentione proſequendi magis, ac magis omnibus innoteſcat, omniſque tranſgreſſionibus VANO FALSOQUE PRÆTEXTU SILENTII NOSTRI ſe ſe excuſandi occaſio penitus præcidatur: motu proprio prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum ſuper diſciplina regulari tenore præſentium perpetuo approbamus, &, quatenus opus ſit, perpetuo erigimus, & inſtituimus. Ipſius autem Congregationis facultates ſint, & eſſe debeant, deſignandi pro novitiatibus, & profeſſoriis, Conventus, Monaſteria: Decreta tum felicis record. CLEMENTIS PAPÆ VIII. prædeceſſoris noſtri ſuper reformatione regularium potiſſimum vero EXACTE VITÆ COMMUNIS obſervantiam promovendi.*

VI. Ad acceptationem quod attinet, non modo vivente Summo PONTIFICE Innocentio XII. verum etiam ſub aliis ſucceſſoribus reformandæ diſciplinæ religiones laudatam Conſtitutionem acceptarunt, & reipſa executioni demandarunt. Si qua vero Provincia, vel Congregatio in ſua laxitate obſtinata perſtitit, tremendæ ſterilitatis pœnam ſubiit. Immo neque noſtra hac tempeſtate, religio aliqua juvenes induere valet, niſi prius atteſtationem juramento firmatam Sacræ Congregationi ſuper diſciplina regulari exhibeat, quod in tali Cœnobio, tum exacta rerum Communitas, cujuſque peculii expers, tum cœterarum legum, & Conſtitutionum vigeat obſervantia. Si praxim conſulis, nullus dubito, quin incredibilia hæc tibi videantur. Verum ut evidentem notitiam nulli dubitationi obnoxiam habeas, unum oculis tuis ſubjicere vacat exemplar harum atteſtationum, quas, ſingulis bienniis, Congregationi ſuper diſciplina regulati, laudatæ religiones porrigunt, ut facultatem recipiendi juvenes, impetrent.

VII. „ Nos infraſcripti fidem facimus, & in verbo veritatis teſtamur,

„ quod

quod in hoc Conventu N. ſtabilita eſt *perfecta bonorum Communitas*, " & omnia bona fratrum particularium, tum quoad omnes pecunias, " tum quoad veſtes, & alia ſive ſint cenſus vitalitii, ſive eleemoſinæ ex " prædicationibus, ſive undequaque provenientia, omnia ſunt confuſa " cum bonis, & reditibus Conventus, & ipſis incorporata juxta Decre- " ta ſanctæ memoriæ Clementis VIII. & Innocentii XII. & Sacræ Con- " gregationis diſcip. regul. ita ut ex ipſis omnibus æqualiter provideatur, " tam tempore ſanitatis, quam infirmitatis. Et eſt ſtabilita veſtiaria Com- " munis, in qua repoſitæ ſunt omnes fratrum veſtes, ac omnia, quæ " ad Communem uſum ſunt, ex qua Veſtiaria omnibus æqualiter provi- " detur juxta uniuſcujuſque fratris indigentiam; in hoc etiam Conventu " ultra bonorum ſupradictorum perfectam Communitatem viget regula- " ris obſervantia ſecundum rigorem conſtitutionum noſtrarum. Et Novi- " tii in hoc Conventu religioſe enutriuntur, & educantur in omnibus e- " xercitiis ad ſtatum Religionis noſtræ ſpectantibus, etiam de die, quam " de nocte probantur. Quare humiliter ſupplicant infraſcripti cum JU- " RAMENTO omnia ſupradicta adfirmantes, Sacræ Congregationi diſci- " plinæ regularis pro licentia recipiendi juvenes ad habitum. Actum die.. " Anno &c. . . "

Fr. N.

Fr. N.

VIII. Hujus tenoris ſunt atteſtationes omnes (vocum, verborumque varietate dempta) quas Congregationi ſuper diſciplina Regulari laxioris diſciplinæ Prælati exhibent ſingulis bienniis, ut Novitios ad profitendum eorum Religionem admittere queant. Audio te opponentem. Si hæc vera ſunt, quemadmodum adducta documenta vera eſſe oſtendunt, atteſtationes iſtæ mendaciis, & perjuriis ſcatent. An ergo perjuriorum arguere, tantam religioſorum multitudinem audebimus? Juramus, inquiunt aliqui, exactam verum Communitatem in Cœnobio noſtro florere. Verum tum Pontifici Summo, tum Cardinalium Congregationi manifeſtum eſt, Communitatem aſſertam commentitiam eſſe, & peculiorum abuſus ſerpere. Cum itaque a nobis juramentum requirunt, ipſi ſponte decipi volunt. Horrent aures talia audientes. Ad pejerandum ergo Pontifices cogunt? Cur quæſo perjuriis ſibi illudi ſummi Eccleſiæ Hierarchæ volunt? Eo ne malorum devenimus, ut vel ipſa perjuria in morem, conſuetudinemque Eccleſia uſurpaverit? Verum in præſentia, neque, ut hæc immania excogitata convellamus, neque ut aliorum crimina manifeſtemus, ſermo habetur; ſed ut innocentes ab occaſione vota violandi, & perjuria proferendi avocemus. Porro laudata documenta, nulla media deductione, ſed ſeipſis grave periculum ſubire oſtendunt, juvenes Religionem amplectentes, quæ exactam rerum Communitatem non ſervat, quæve ſuæ regulæ obſervantiam non promovet. Ad alia itaque pergamus.

§. II.

§. II.

Communi Theologorum ſententia oſtenditur graviſſimo æternæ ſalutis diſcrimini ſe ſubjicere juvenes ingredientes Religionem, in qua obſervantia regularis, maxime rerum Communitas, non viget: Recipientes vero graviter peccare.

IX. Quæ paragrapho ſuperiore dicta ſunt, ad aſſertionis noſtræ probationem ſufficerent; Cœterum ad pleniorem evidentiam Theologorum placita referre lubet. Supervacaneum laborem ultro fatemur; ſed veniam dabit lector, in cauſſa odii, invidiæque plena, Doctorum ſubſidia, ſi quæramus. Id tamen ad minuendum prolixitatis tædium præſtabimus, ut ii ſoli in medium veniant, ex quibus colligere lector valeat, aſſertionem noſtram omnium Theologorum ſuffragio adprobari. Ad rem ergo.

X. Divus Antoninus tertia parte ſummæ (tit. 16. cap. 2.) crudelitatis arguit eos, qui juvenes ex errore, vel ignorantia ingredi volentes Religionem deformatam, a propoſito non revocarent. *Et ubi quis ex ignorantia, vel errore intenderet illam ingredi* (Religionem) *in qua non bene vivitur, crudelitas eſſet non reddere eum cautum, & a propoſito ſuo revocare.* (diſt. 38. §. 1.)

XI. Thomas Cajetanus Cardinalis (in 2. 2. quæſt. 189. art. 9.) *In eodem articulo nono in reſponſione ad ſecundum dubium occurrit, an ſit laudabile inducere aliquem ad Religionem in Monaſteriis, vel Conventibus vitæ Communis? Et eſt ratio dubii, quia ex una parte inductio fit ad Religionem. Ex altera parte inducuntur de facto ad ſuſcipiendum mala exempla Fratrum vitæ communis. Ad hoc dicitur, quod actus iſte, qui eſt inducere ad vitam Conventualium, eſt actus ex genere ſuo malus, quoniam inducitur quis ad vitam reprehenſibilem: omnis autem vita reprehenſibilis mala eſt. Patet autem vitam Communem Religioſorum eſſe reprehenſibilem, ex hoc ipſo, quod exorbitat a regulari vita, & ex hoc ipſo, quod continuus bonorum Prælatorum conatus eſt ad illorum reformationem, unde vituperabile eſt, non ſolum inducere, ſed etiam ingredi, & recipere ad vitam irregularem perſonas utriuſque ſexus, quamvis Eccleſia hoc toleret permiſſive.*

XII. Quoniam vero doctiſſimus, unaque piiſſimus Cardinalis experientia didicerat graviſſimum perditionis æternæ periculum, cui juvenes ingredientes Religionem, quam ipſe vocat de vita Communi juxta illius temporis morem, nos vero relaxatam dicimus, exponuntur, ubique, data occaſione, ad tantam præcavendam ruinam zelum ſuum accendit, calamumque acuit. Hinc eſt, quod in Commentariis ad articulum quintum ejuſdem quæſtionis 189. Parentes dementiæ, ſicut D. Antoninus crudelitatis, damnat, qui filios ſuos tales amplecti ſinunt Religiones. Deinde ad Pontificem,

ad

ad Eccleſiam ſermonem convertit ſuum, legemque rogati efflagitat, qua omnibus relaxatis ordinibus poteſtas accepandi juvenes auferatur. *In eodem* (inquit) *articulo quinto de pueris nutriendis in Religione, conſidera caute rationem literæ, & conclude, quod in illis locis expedit pueros nutriendos in Religione dari, in quibus optandum eſt, ut ſimiles illis fiant, quorum conſortio dantur, ubi autem perſonæ, quarum conſortio dantur, reprobæ aut infames, aut deviæ a regularibus ſunt inſtitutis, magna dementia eſt dare illis pueros, aut puellas nutriendas. Et hic error hodie in multis viget locis, dum dantur pueri, & puellæ Monaſteriis religioſorum vitæ Communis, qui vulgo, Conventuales, aut Clauſtrales appellantur, quo fit, ut reformandi nunquam reformari poſſint, dum tranſgreſſores vitæ regularis continue nutriuntur, ac augentur. Unde ſanciri deberet, ut nullus puer, nulla puella poſſit Religioni tradi, niſi ubi vere vivitur regulariter. Sic enim, aut extinguerentur irregulariter viventes, aut reformarentur vexatione dante eis intellectum.*

XIII. Venerabilis Seraphinus Capponi a porrecta, non minus doctrina, quam ſanctitate conſpicuus, ſuis calculis Cardinalis Cajetani doctrinam adprobat in enarrationibus ad eumdem articulum. *Concluſio loquitur de Religione bene obſervante in facto, non voce tenus, aut palliatione quadam excuſationem ſuæ obſervantiæ, vitæque laxioris ignominiam velante. In tali autem caſu, quid ſentiendum ſit, ex quo Sanctus Doctor aperte non deffinit: an ſcilicet inducendi ſint ad Religionem ſic relaxatam, docet hoc loco Reverendiſſimus Cardinalis Cajetanus, cujus doctrinæ a veritate ſuarum rationum coactus libens me ſubſcribo . . . . . Ex doctrina igitur textuali ad litteram datur intelligi, quod ruinam Religioſarum perſonarum non vulgaris, ne dicam maxima, pendet a malis exemplis conſodalium. Conſequenter ergo ex hoc textu liquet, quod illud Matt. 19. Væ mundo a ſcandalis, timendum valde eſt Religioſis, & ſummopere cavendum, ne ſua culpa ſic inflectatur, Veb Religioni a ſcandalis,*

XIV. Doctrinam Cajetani confirmat quoque Proſper Fagnanus (in 2. p. 3. lib. Decret. de Reg. cap. cum virum num. 48.) *ad extremum in hac materia obſervanda ſunt ſeria verba Cajetani* (in 2.2. q. 189. art. 5. . .) *Cujus conſilio valde affinis eſt, quod fecit Clemens VIII. in Decretis ad regularium reformationem editis. In ſingulis enim religionibus, aliquibus tantum exceptis, deſignavit aliquos Conventus regularis obſervantiæ, & initio tamquam baſem, & fundamentum reformationis præmiſit duo Decreta, quibus ſerio interdixit, ne quis deinceps ad habitum, vel profeſſionem reciperetur, niſi in Conventibus, ut præfertur deſignatis, vel in poſterum deſignandis per litteras ſub forma Brevis, ſub pœna nullitatis receptionis, & profeſſionis, inde ſequutæ, voluitque, ut ſic recepti in eiſdem Conventibus annum probationis peragerent, & poſt profeſſionem per aliquot annos detinerentur in profeſſoriis. Verum ex his decretis prorſus non prodiit fructus, qui ſperabatur. Nam etſi Novitiis primo in Con-*

ven-

ventibus ſic deſignatis, ac deinde in profeſſoriis in regulari diſciplinâ probe inſtituantur. Tamen poſtea, inde exeuntes, & ad alia Monaſteria laxioris obſervantiæ demigrantes, in Communes aliorum Religioſorum abuſus, & relaxationes incidunt. Poſt pauca autem cauſſam indicat, cur Sanctiſſimi Pontificis Decreta optatum non pepererint fructum. Nos vero fuſius hoc de argumento in ſecunda parte agemus, viamque planam, & certam reformationem invehendi aperiemus. Nunc autem Theologorum ſenſum perſequamur.

XV. Martinus Navartus (2. part. Dec. cap. 12. num. 45.) *Illud vero cum opinione communi perſuaſum habemus, illum qui retrahit alium ab ingrediendi, vel profitendi Religionem propoſito, aliqua bona intentione juſtiſque de cauſis, non peccare . . . præſertim ea de cauſſa, quod in Monaſterio, in quod ingredi deſtinat, male contra diſciplinam regularem vivitur. Nam inducere ad talem Religionem, & in eam ingredi, & in ea recipi peccatum eſt, ſive ſit virorum, ſive fœminarum, non obſtante, quod ab Eccleſia toleretur, ſecundum opinionem Communem, quam recte explicat Cajetanus* (2. 2. quæſt. 189. art. 9.) Hoc ipſum confirmat (num. 46.) *Præterea hoc etiam addimus, quod ſicut, qui inducit alium ad Religionem, ubi perfecte regula obſervatur, laudabiliter facit, juxta eumdem Sanctum Thomam, ubi ſupra art. 9. Sic e contrario, qui alteri ſuadet ingredi religionem adeo laxatam, qualem modo dicemus, & ubi regula perperam obſervatur, peccat.*

XVI. Paulus Nazarius de ſtatu, & obligatione Religioſorum dubitatione ſeptima concluſione 14. pag. 272. *De receptione Novitiorum in Monaſteriis deformatis dico 14. Prælatos Religionum, aut Provinciarum, vel Monaſteriorum, in quibus non obſervantur regulæ, vel Conſtitutiones, & ſubſtantialia Religionis, ita ut horum tranſgreſſores habeant impuniti, non poſſe abſque peccato mortali recipere Novitios ad habitum, vel Profeſſionem in ſua Religione. Et idem dicendum eſt de inducentibus, & voto ſuo conſentientibus, ut Novitii in tali Religione recipiantur, aut profiteantur. Hæc concluſio per evidentem conſequentiam deducitur ex dicto illo Domini.* (Matth. 13.) Væ vobis Scribæ, & Phariſæi Hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ duplo quam vos . . . *quem ſenſum approbat Sanctus Thomas* (2. 2. q. 189. art. 9. ad 2. & Cajetanus) *Ex quo ſequitur in Religionibus deformatis, ut ponitur in concluſione, non eſſe licitum eorum Prælatis recipere regulares adoleſcentes, aut adultos ad habitum, vel ad profeſſionem, nec eos ad habitum ſuſcipiendum inducere, aut eorum receptioni conſentire. Cujus ratio eſt. Quoniam ut plurimum, adoleſcentes in aliqua Religione recepti ſecundum cæterorum ejuſdem Religionis mores, & vitam educantur, & provectiores, ac ſeniores tamquam magiſtros imitantur, & ſimiles illis immo pejores efficiuntur.*

XVII.

XVII. Joannes Nyder inſignis Concilii Conſtantienſis Theologus in ſuo de reformatione tractatu aſſertionem noſtram pluribus evincit argumentis. Brevitatis gratia unicum, quod adducit exemplum, iſtuc tranſcribere lubet: *Audivi* (inquit cap. 9.) *a quodam magiſtro viro utriuſque juris peritiſſimo, & in cauſis tritiſſimo, dicente mihi: Si ego ſciviſſem modum habendi, & recipiendi aliquid privatim, quem ego in ordine inveni, ego nunquam veniſſem ad ſtatum iſtum. Magnipendi verbum illud ab homine tam Religioſo, cujus vita tam exemplaris fuit, ut imitarentur cæteri. Et magni pendendum conſulo cæteris juris ignaris.* Hæc Nyder ex Joanne de Neapoli, quem laudat, quique, ipſo Nyderio teſtante, fuſo calamo hoc de argumento ſcripſit, cujus tamen ſcripta quamcumque noſtram diligentiam hactenus fugerunt. Ipſe tamen Nyder etiam ſequentia ex eodem Joanne de Neapoli adducit, quæ hic ſubjicimus: *Dubitatur an inducens aliquem ad intrandam Religionem deformatam, taliter quod in ea non ſervetur regula, ſupra quam fundatur Religio, peccet mortaliter. Hanc quæſtionem movet Joannes de Neapoli ordinis Prædicatorum in utroque jure magnus libro ſuo (de quæſtionibus ſtatum Religioſorum concernentibus* p. 2. q. 431.) *& reſpondet. Quæſtio inquit iſta diſſolvitur per terribilem maledictionem in Euangelio* (Matt. 33.) „ Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cum factus fuerit, facitis eum “ filium Gehennæ duplo quam vos. “

XVIII. Ludovicus Lopez, *inſtruit* (conſ. cap. 43.) *inducere ad Religionem, vel ingredi ad eam, ubi male ob diſciplinam regularem vivitur, peccatum eſſe.*

XIX. Lezana de obligationibus Religioſorum (cap. 7. num. 16.) *quando regula Religionis alicujus fuerit deformata, ſeu relaxata, quoad ſubſtantialia Religionis, ſcilicet tria vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, tenentur Religioſi profeſſores ipſius, illam ſervare non ſic relaxatam, aut deformatam, ſed in ſuo priſtino rigore, quoad ſubſtantiam dictorum votorum. Major* (in 4. diſt. 38. quæſt. 20. *Navar.* in ſum. cap. 12. n. 50.) *qui bene propterea addit, peccare eum, qui filios, vel filias offert in Monaſteriis, ubi nimia cum libertate, & licentia vivitur, & promiſſa ſecundum regulam non obſervantur.*

XX. Leonardus Leſſius (de juſt. & jur. lib. 2. cap. 41. dub. 5.) *Quarto qui vovit ingreſſum certi Monaſterii, ubi eſſentialia non ſervantur, non tenetur ingredi, ſi non ſit ſpes brevi futuræ reformationis, quia eſt periculum perverſionis. Nec refert etiam ſi habeat propoſitum omnia integre ſervandi, quia æſtus Communis Conſuetudinis facile abripit mentem.*

XXI. Caſſianus a Sancto Elia (Dec. 1. num. 2.) *Votum primum eſt illud ingrediendi Religionem compertam non obſervare eſſentialia . . . . ſtante prædicta inobſervantia Religionis, quam primo voverat, votum*

non obligat . . . Ratio eſt, quia nemo, neque per votum poteſt ſe exponere periculo perverſionis, ubi enim Communiter delinquitur, etiam particularis communi lue inficitur. Immo hodie videtur damnatum affirmare contrarium. Et quia in Religionem intraret, in qua eſſentialia tranſgrediuntur, ſeu non obſervantur, quærit occaſionem peccandi. Et Innocentius Papa XI. prohibuit, & damnavit propoſitionem illam, quæ eſt ſexageſima tertia inter alias a dicto Pontifice damnatas. Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi. Sanchez (lib. 4. in Decal. cap. 16. n. 14. pag. 172.) *Illicitum eſt Monaſterium illud ita collapſum, nec proxime reformandum ingredi, QUAMVIS ID AB ECCLESIA TOLERETUR.* Paſſerinus (q. 189. a. 2. n. 6. pag. 198.) *Ex parte materiæ hoc votum eſſet illicitum, ſi eſſet illicitus ingreſſus, ex eo quod Religio . . . eſſet relaxata in ſubſtantialibus; . . . Ingreſſus enim in hanc Religionem eſſet illicitus ob imminens periculum perverſionis. Scriptum eſt enim.* (Pſal. 17.) Cum perverſo perverteris. Paſſerinus laudat pro hac opinione Ledeſmam, Ovandum, Rodriquez, Lopez, & alios. Leander (tract. 1. de juram. quæſt. 14. & 15.) *An prædictus vovens ingrediens Religionem quoad ſubſtantialia collapſam non ſolum non ſatisfaciat voto, verum etiam mortaliter peccet? Reſpondeo dicendum, quod non ſolum non ſatisfaceret voto, ſed quod denuo peccaret mortaliter ob perverſionis periculum.* Salmanticenſes (tract. 15. c. 2. punct. 1. num. 3.) *Cæterum pro comperto habemus non ſatisfacere* (voto ingrediendi Religionem) *ingrediendo Religionem relaxatam, & quoad principaliores obligationes collapſam, niſi forte ſubſit ſpes proximæ reformationis. Quia talis Religio non meretur nomen Religionis, nec ad perfectionem conducit, ſed ad perditionem, nec in eam ingrediendo pericula fugerentur, ſed majora forte amplecterentur.* Rotarius (tom. 1. lib. 1. cap. 7. punct. 2. n. 2.) *Hinc deducunt Auctores voventem indefinite Religionem aliquam ingreſſurum voto non ſatisfacere, ſi ingrediatur Religionem relaxatam in ſubſtantialibus, in qua regularis obſervantia periit.* Martinez de Prado (Tom. 2. cap. 31. q. 7. §. n. 2. pag. 695.) *Votum ingrediendi Religionem, ſi quæ eſſet, in qua ſubſtantialia non obſervarentur, nec ſpes eſſet proximæ reformationis, non obligaret: immo eſſet illicitum propter perverſionis periculum; immo eſſet mortale promiſſum implere, ut dicit Navarrus . . . . Veriſſima eſt hæc Doctrina.* Bonacina (diſp. 4. p. 2. punct. 5. §. 6. n. 3.) *Qui vovit ingredi certam aliquam Religionem, licet non teneatur ingredi, dum in ea non ſervatur Regula quoad ſubſtantialia: tunc enim eſſet magnum perverſionis periculum &c.* Paulus Layman (lib. 4. tract. 5. cap. 6. num. 5. pag. 105.) *Qui Religionem abſolute vovit, is non tenetur, immo neque licite poteſt ingredi ordinem, cujus regularis diſciplina collapſa eſt, ejuſque profeſſi plerique male vivunt, ut ne ſubſtantialia quidem vota obſervent. Ideoque ingredienti perverſionis periculum immineat, ut docent Cajetan. Major, Navar. Val. Rodr. Sanch. Leſſ.*

XXII.

XXII. Hunc Theologorum cenſum claudere volo auctoritate luculentiſſima Seraphicæ Virginis, Sanctæque Matris Thereſiæ, quam ſui ſexus prodigium, merito appellare poſſumus, quod non modo mulierum Monaſteria, ſed virorum Cœnobia ad ſummum Euangelicæ profeſſionis apicem reformaverit. Porro hæc Cœleſtis Heroina hoc de argumento, non tantum vi ſuæ naturalis cognitionis, vique ſupernæ lucis, qua uberrime perfuſa erat, ediſſerit; ſed longiore experientia edocta, extremam eorum qui collapſæ diſciplinæ Monaſteria ingrediuntur, calamitatem patefacit pluribus in locis. Nos eorum dumtaxat pauca quæ actorum ſuorum capite ſeptimo habentur italice ſcripta, latine verſa, hic promimus.

XXIII. *Monaſterium mulierum relaxate viventium ſcopulus potius eſt infernalis naufragii, eis maxime, quæ ad malum pronæ ſunt, quam earundem defectuum, ac delictorum remedium. Hoc de meo accipias nolim. De aliis ſermonem habeo, quæ novi, & vidi, quorumve infelicem deploro ſortem. Ut enim portum teneant ſalutis, non unam vocationis gratiam, ſed gratiarum plenitudinem, non ſemel, ſed frequentius elargiatur illis Deus, oportet. Adeo ſiquidem invaluerunt abuſus, eoque mundani honoris, ac profanarum appetitus vanitatum proceſſit, ut vix, ac ne vix quidem Monaſtici ſtatus veſtigium appareat. Et faxit Deus, ne peccatum ipſum virtutis loco habeatur, ut mihi ſæpius evenit. Hocce autem verum eſſe, ut illis ſuadeamus, illudque percipiant adeo difficile eſt, ut Divinæ Omnipotentiæ dextera opus ſit. Meis conſiliis acquieſcere, ſi vellent genitores, hortarer eos, quoniam nolunt iis in Monaſteriis collocare filias ſuas, in quibus via perfectionis percurritur, ſed ubi majora, quam in mundo, pericula offunduntur; ut malint eas in matrimonium dare ipſis inferioris fortunæ viris, quam ſimilibus concredere Monaſteriis; aut ſaltem domi cuſtodire. Infelicitas deploranda multarum eſt, quæ mundi pericula evadere, Deoque inſervire cogitantes, Monaſterium ingreſſæ, non unius, ſed decem ſimul mundorum laqueis circumſeptæ, & irretitæ reperiuntur. Quo autem ſe vertant, quove ſe recipiant, ignorant. Enim vero juventus, ſenſus, & dæmon provocant, urgentque ad ea, quæ mundi ſunt, amplectenda; quod videant iſtic, ceu licita, & honeſta, ut ita dicam, reputari. Quare ſimiles mihi videntur quibuſdam hæreticis, eorumque miſerrimæ ſortis participes, qui ex animi ſententia occæcant ſe ſe, atque ſuadere enituntur illud bonum eſſe, quod ipſi amplectuntur, & ita ſe credere effutiunt, quin tamen ſincere credant. Quoniam intimi ſenſus dictata, illud eſſe malum inclamant. Heu maximum malum! Heu ſummum Religioſorum malum? Nec enim plus de mulieribus, quam de viris dico, qui regulas, & conſtitutiones ſuas non obſervant . . . . Porro adeo occluſa eſt regularis obſervantiæ via, ut plus ſibi cavere debeant monialis, & frater, qui ſeria vocationis ſuæ penſum Deo ſolvere velint, pluſque pertimeſcere ejuſdem Monaſterii fratres, ac ſorores, quam omnia infernalia demonia. Atque majore ſagacitate, & diſſimulantia utantur fas eſt, ut*

de Divinis rebus, Deique amore ſermonem habere valeant, quam in colloquiis pravarum affectionum, carnaliumque amicitiarum, quas nutrit dæmon in Monaſteriis, Quapropter omnino ignoro, cur miremur, ſi tot mala in Eccleſia Dei graſſari perſpiciamus: quoniam illi, qui ſpeculum, atque exemplar virtutum, & imitationis cæteris ſe præbere deberent, penitus fere delevere Cœleſtis perfectionis imaginem, quam Spiritus Sanctorum Patriarcharum in Religionibus depinxerat. Utinam velit Deus illud, quod neceſſarium agnoſcit, remedium apponere. Amen.

XXIV. Hanc auctoritatem Sanctæ Matris Thereſiæ laudat, ſuoque calculo probat Archiepiſcopus Brunduſinus Franciſcus Ramirez Ordin. Præd. (§. 4.) *Placuit in calce hujus §. intexere doctrinam Navar. & Magiſtri Lezana, qui, ubi ſupra aſſerunt, peccare parentes, qui filios, aut filias offerunt Deo in Monaſteriis, ubi nimia cum libertate vivitur, & promiſſa ſecundum regulam non obſervantur. Idem ferventiori ſpiritu docuit Sanctiſſima Virgo, & Laureata Doctrix Sancta Thereſia a Jeſu* (cap. 7. lib. ſuæ vitæ) *proprio calamo, patrio idiomate ſcripto, ubi ſic alloquitur, parentes Monialium.* „ Si los Padres Tomaſſenmi Conſejo (ga „ que no quieram poner ſus hyas à donde vagan camino de Salvacion „ ſi no con mas peligoo, que è nel mundo) que lo miren porlo que „ tocca à ſu honra y quittam mas caſarlas bayamente, que meterlas „ en Monaſterios ſemeiantes. *Et poſt pauca*: es laſtima de Muchas, „ que ſe quieren appartarte deel Mundo y penſando que van a ſervir „ à Dios y appartarte deel Mundo y ſe hallan en diez Mundo. *Hoc conſilium Sacræ Virginis, quod præfati doctores, & nos cum illis putamus grave præceptum, pauci parentes amplexantur. Immo quærunt pro filiis, & filiabus illa Monaſteria, in quibus vita potius ſæcularis, quam Religioſa ducitur, gaudentes, quod liberius, quam in Domo paterna intra Clauſtra ſe gerant. Et ideo ita evenit, quia non zelo offerendi Deo ſacrificium tradunt filios, & filias Monaſteriis, ſed exonerandi proprias familias, & collocandi in ſtatu minoribus expenſis.*

§. III.

Rationum momenta proponuntur, quæ oſtendunt gravi periculo ſalutis ſe exponere, qui cœnobia collapſæ diſciplinæ ingrediuntur: conſulentes vero, recipienteſque graviter peccare.

XXV. Gravi periculo ſe exponere juvenes deformatam Religionem amplectentes, Prælatoſque recipientes peccare docent explicate ſummi Pontifices, Sancti, & Theologi benigniores. Tempus jam eſt, ut ad præcipua iſtius cauſſæ rationum momenta diſcutienda noſtra feſtinet oratio. Primum igitur exacta rerum Communitas in Cœnobitis, adeo proxime ad voti paupertatis obſervantiam conducit, ut ſine ea vix conſiſtat voti in-

integritas. Hinc eſt, quod Patriarchæ, Concilia, & Pontifices, eam ceu medium ad id apprime neceſſarium ſub graviſſimo præcepto imponant. Quæ omnia ſuperioribus diſſertationibus fuſo calamo demonſtravimus. Iis itaque in Cœnobiis, in quibus iſtius graviſſimi præcepti obſervantia antiquata eſt, & obſoleta, & contraria obtinet peculiorum conſuetudo, occaſio proxima adeſt præceptum violandi. At, qui proximam peccandi occaſionem ſponte quærit, gravi periculo ſe exponit, & niſi ignorantia excuſet, graviter peccat. En primum validiſſimum momentum aſſertionis noſtræ. Singulas propoſitiones iterum ad incudem revocamus, magis de veritatis manifeſtatione, quam vel de preſſa loquendi ratione, vel de brevitate, (quæ non ſemper proficua eſt) ſolliciti. Ac in primis quod Regulares ad vitam Communem ex graviſſimo præcepto teneantur, extra diſputationem poſitum eſt. Alterum deinde non minus certum, in Religionibus ſcilicet deformatis hoc præceptum non obſervari. Immo ſermo noſter totus quantus eſt, hypotheticus eſt. In hypotheſi ſiquidem loquimur, quod obſervantia Communitatis collapſa ſit. In iis vero Cœnobiis collapſam eſſe conſtat (ut ſic latens perſugium occludatur) in quibus omnia neceſſaria pro victu, & veſtitu de Communi non ſubminiſtrantur: in quibus ſingulis annis pro veſtium emptione certa numorum quantitas Religioſis impertitur: in quibus peculiorum depoſita permittuntur: in quibus alter dives, alter pauper: Ne multa, in quibus omnia de Communi non conferuntur Religioſis nec ſanis, nec infirmis. In omnibus his Cœnobiis præcepti Communitatis obſervantiam collapſam eſſe, factum omnium oculis ſubjectum evincit. Iſthic ergo non modo proxima reperitur Communitatis præceptum violandi occaſio; ſed inſuper ea eſt iſtius occaſionis indoles, & efficacia, ut tranſgrediendi præceptum neceſſitatem imponat: pulſa enim exacta Communitate, naturalis conſequitur neceſſitas parvi, vel magni peculii depoſitum habendi, quo quiſque ſuis proſpiciat indigentiis. Niſi ergo ignorantia excuſet, peccare dicamus neceſſum eſt, juvenes omnes, qui in hanc neceſſariam occaſionem libere ſe conjiciunt, cum ſimiles ingrediuntur Religiones.

XXVI. Obviam audio objectionem: An ne omnes ejuſmodi Religiones ſcholæ ſunt peccatorum? An ne omnes iſtorum ordinum Regulares in perpetua peccandi neceſſitate verſantur? Objectum iſtud non ſemel contrivimus. Regulares ipſos, vel reformare ſe ſe, vel ad Cœnobia ejuſdem, aut alterius Religionis reformatæ ſe recipere debere alias probavimus. Sed reſponſa hæc nunc miſſa facimus, quoniam eis non egemus. Fac regularium omnium, qui jam ſolemnem emiſerunt profeſſionem, neminem peccare, an propterea tu illorum ingrediens Cœnobia peccatum evades? Minime gentium. Hoc autem, ut perſpectum habeas, diſcrimen, quod occaſionem neceſſariam inter, & liberam intercedit in memoriam reducendum eſt. Aliter ſiquidem de neceſſaria, ac de libera occaſione Theologi omnes diſſerunt. Hanc nos ſponte inquirimus: illa nos coacte detinet. In illa

con-

conſtituti, ſi remedia ad præcavenda peccata opportuna adhibemus, haudquaquam peccamus. Porro Regulares Religionem profeſſi, in qua ex Communi victus, & veſtitus non ſubminiſtrantur, in occaſione reperiuntur neceſſaria. Jam illi in Navi occluſi, a littore ſolverunt, terramque repetere minime valent. Quomodo ipſi hac in occaſione conſtituti ſe gerere debeant, alibi explicavimus. Tu vero in littore adhuc es, Terramque firmo calcas pede. Quid ergo laxatam Navim conſcendere ſponte audes? Infauſto ſidere media in tempeſtate, fluctibus hinc, illinc ſcopulis expoſiti jam illi reperiuntur. In tua vero conſtitutum eſt poteſtate arcam ingredi munitiſſimam, intrinſecus, & extrinſecus clauſam, quam gubernatores ſapientiſſimi recta, polum verſus ſemper dirigunt, & in qua victus, & veſtitus proviſio, uſque dum portum tenueris, nunquam deficiet. Tu autem, hac rejecta Cimba, Navim undiqueverſus feneſtratam, undarum fluctibus exagitatam, veſte, ciboque vacuam deliberate ſeligis, in qua ne fame, frigoreque pereas, marſupium tecum deferre debes? Si illorum infelix ſors indulgentiam ſibi nanciſcitur, auſus tui duplici ſupplicio plecti merentur.

XXVII. Verum quoniam ſummi momenti cauſſam agimus, quæ per quandam metaphoram dicta ſunt, clarius explicanda occurrunt. Quod ut felicius aſſequamur, profeſſionis Monaſticæ notionem ob oculos ponamus. fas eſt. Porro hæc contractus dicitur utrinque oneroſus, ſolemni ritu Religionem inter, & Religioſum peractus, ſiquidem candidatus profeſſionem emittens omnia ſua, cum præſentia, tum futura, induſtriam, labores, propriamque perſonam ſub dominio conſtituit Religionis. Non pecuniam, non reditus, non poſſe, non denique velle ſibi retinet, ſed trium votorum ſolemnitate omnia Deo immolat. Religio viciſſim eodem fidelitatis, & juſtitiæ vinculo ſe ſe obſtringit ad eum, ſive ſanum, ſive infirmum, ſive induſtrium, ſive doctum, ſive ignorantem alendum, induendumque. Experientia autem notum eſt, compertumque in Religionibus deformatis promiſſionem conferendi omnia pro victu, & veſtitu infringi: ex quo neceſſitas conſequitur peculium habendi. Quis vero mentis compos mutuæ ſocietatis fœdera cum eo inibit, quem datæ fidei violatorem certo noverit? Et tu eam Religionem in ſponſam eligere decernis, quam fidem haudquaquam ſervaturam præcognoſcis? Infideli mercatori, nec terrenas merces concrederes, ſummum vero negotium, Theſaurum ſcilicet æternæ ſalutis tuæ, illuc ſervandum conferes, ubi pericula obvia occurrunt? illique Religioni cuſtodiendum te dederis, quam ſcis partes ſuas minime expleturam? hæc profecto agens, dementiæ, & cœcitatis arguendus es. Et eo es inexcuſabilior, quo patentior eſt via Sanctam, Immaculatumque Religionem ingrediendi, in qua diſciplina Regularis adamuſſim obſervatur, & Euangelicæ fervet perfectionis ſpiritus.

XXVIII. Hactenus unius præcepti tranſgrediendi graviſſimum periculum expoſuimus, aliorum modo occaſionem malorum noſtra intereſt manifeſtare.

ſtare.

ſtare. Quandoquidem præter votum paupertatis, ad quod ſartum tectum tuendum, Monachales regulæ omnes rerum Communitatem præcipiunt, alia duo vota in profeſſione Monaſtica emittuntur, caſtitatis nempe, & obedientiæ: Ad iſtorum quoque obſervantiam quæque Religio ſua præſcribit media. Abſtinentiam, jejunia, ſilentia, ſolitudinem, veſtitus aſperitatem, nocturnas vigilias, idque genus alia. Et quanquam in nulla fere Religione ſub gravi noxa hæc præcipiantur: omnium tamen tranſgreſſio gravi culpa non vacat: tum quod leges iſtæ ſimul acceptæ unum ordinem ab alio diſtinctum conſtituunt, qui in plena omnium legum tranſgreſſione penitus deletur: tum quod leges iſtæ una cum votis media ſunt, quæ ad perfectionis Euangelicæ aſſequutionem, cui ex præcepto inhiare debent Religioſi, viam quam maxime ſternunt. In Religionibus autem deformatis, a quibus exulat rerum Communitas, iſtarum quoque legum obſervantia antiquata conſpicitur. Iſthic quippe ſilentia in loquacitatem, ſeceſſus in excurſus per compita, & plateas, nocturnæ vigiliæ in longiores cubationes, jejunia in lauta convivia, pullæ, aſperæque veſtes in vanum ornatum demigraverunt. Hæc omnia graviſſima ſunt obſtacula, quæ curſum intercipiunt perfectionis, verius dixerim in abyſſum pertrahunt perditionis. En ergo quot in ſcopulos offendis, Religionem ingrediens deformatam. Igitur *ſcito quoniam in medio laqueorum ingrederis. Eccleſiaſtici* (cap. 9. & 20.)

XXIX. At inquis non quid alii; ſed quid ipſe agere debeam, mea intereſt expendere: ſint cœteri ſuæ profeſſionis violatores: an ne propterea mihi impedimento erunt, quominus valeam vota mea Deo reddere? Optime, ſane. At Iſaias Propheta populi ſui commercium metuebat. *Væ mihi, quia tacui .... Et in medio populi polluta labia habentis ego habito.* (cap. 6.) David quoque auribus tuis inſonat illud. *Cum Sancto ſanctus eris .... & cum perverſo perverteris.* (Pſalm. 17.) Tu vero in medio populi delinquentis fidelitatem jactaveris? Tu ergo inter comedentes jejunans, inter ludentes orans, inter tranſgreſſores fidelis fueris? Quid igitur præcipit Deus per Ezechielem (cap. 20.) *unuſquiſque offenſiones oculorum ſuorum objiciat?* Quid Chriſtus per Matth. (cap. 8.) *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te.* Quid denique Scripturæ Sanctæ ubique clamant. *Fugite, & ſalvate Animas veſtras.* (Jerem. 4.) *Salvabuntur, qui fugerint.* (Ezech. 7.) *Qui cavet laqueos, ſecurus erit.* (Prov. 11.) *Exite de illa Populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus.* (Apoc. 18.) An ignoras multitudinis impetum urbes ſecum abripere, ne dum homines fragiles, labileſque? Ut hunc ingreſſum, ceu innocentem propugnes, ſcripturarum oraculis, Eccleſiæ Decretis, Theologorum Placitis, Religioni, atque ipſimet ſenſui communi renuncies, opus eſt. Hucuſque occaſiones ſtatuta Monaſtica tranſgrediendi manifeſtavi. Quid ſi alia mala cujuſque generis enarrarem, quæ ex tranſgreſſione Monachalium Regularum conſequuntur?

tur? evincerem ſane, verum illud eſſe, *Tolle Communitatem, & Religio non eſt Religio. Non ſtatus perfectionis, ſed ſtatus confuſionis, & damnationis*. Sed ad alia pergamus.

XXX. Peto igitur a te, flagitoque, cur hanc Religionem collapſam præ alia reformata ingredi lubet? Statum Monachalem amplecti, ſi decreviſti, en plures Religiones, ceu pulcherrima viridaria omnigenarum virtutum odorem perſlantes, quæ aperto ſinu exceptuɾæ te expectant. Tuum eſt alterutram eligere. Cur, ſodes vineæ frugiferis conſitæ plantis, ſepe valida circumdatæ vineam deſertam, a ſingulari peculiorum fero depaſtam, veprium, ſpinarumque plenam anteponis? Rationem iſtius perverſæ electionis expoſco. Quod, inquis, Religio hæc adeo auſterum, horridumque aſpectum non præferat: quod blandior, quod indoli accommodatior, quod libertati meæ minus aliis infeſtior, quod denique amæniorem vitam in hac me ducturum prævideam. Si hæc ſunt momenta, quæ animum tuum ad Religionem alliciunt, jam ipſius finis præſtitutione ingreſſus tuus culpabilis evadit. Eo ergo ſpectant conſilia tua in ſtatus Monaſtici electione, ut concupiſcentiæ, ut carni, ut paſſionibus indulgeas? Porro iſtas eſſe in hoc negotio deliberationis tuæ rationes, & confeſſio tua, & factum ipſum evincit. Nec enim latam, & ſpecioſam eligeres viam, ſi anguſta Euangelicæ perfectionis ſemita arrideret. Criminoſus ergo eſt ingreſsus tuus, tum ob proximas peccandi occaſiones, in quas ſponte te conjicis: tum ob præpoſterum *finem*, quem tibi præſtituis. An ergo ad ſeveriorem, rigidioremque Religionem profitendam obſtrictus ero? Nodum hunc ſequenti paragrapho diſcindam.

XXXI. Reliquum modo eſt, ut de Prælatis, cœteriſque fratribus recipientibus Novitios, ac de genitoribus aſsentientibus pauca dicamus. Horum Prælatorum culpa ex his, quæ dicta ſunt, liquet. Enim vero ſi culpabilis eſt, ſicuti eſse demonſtravimus, ingreſsus, profecto qui januam aperiunt, qui ingredientem acceptant, qui conſilio juvant, qui ſuffragio aſsentiuntur, graviter peccant: atque eo gravius delinquunt, quo pleniore in luce delinquunt, quove abundantiore perfuſi ſunt lumine. An iſtos, Pontificum Bullas, Theologorum placita latere dixerimus? aut ſi latent, innocenſne eorum ignorantia? Sed quid Bullas, quid Theologorum ſenſa recordor? Ad eorum conſcientiam, intimumque ſenſum cauſsam appello. Nonne ipſi funeſta experientia agnoſcunt, manibuſque contrectant ſuis in Religionibus, in quibus peculia ſerpunt, neglectas leges, antiquata ſtatuta, vota violari? An ignorant juvenum diſsolutionem, atque in dies abuſus invaleſcere? Quid ergo, ut in iſtos laqueos innocentes juvenes offendant, calcaria admovent, ſuaſionibus permovent? Rationes iſtæ, parentes quoque peccare evincunt. Siquidem jure, tum naturali, tum divino obſtringuntur parentes partus ſuos in iis maxime inſtruere, quæ ad ſupremi finis aſsequutionem conducunt.

ab

ab electione autem ſtatus, in quo quis perpetuo vivere debet, mirum in modum ſummi negotii exitus, vel calamitoſus, vel fauſtus pendet. Iſthuc igitur conferre debent genitores & ſolertiores curas, & acrius ſtudium. Eam adhibeant ſolicitudinem, diligentiam, & vigilantiam in hoc Religionis negotio, qua utuntur in perficiendiis filiorum ſuorum Matrimoniis. Ignorantia fortaſſe juvenes excuſat a culpa, licet illos periculo pereundi non ſubducat. Nulla vero ignoratio immunes a gravi crimine reddit Prælatos cœteroſque Religioſos acceptantes in Cœnobiis collapſæ diſciplinæ juvenes ſæculares.

I V.

Tolerantia Eccleſiæ in juvenum acceptatione, nil minuit malitiæ, quod involuntaria, & permittens dumtaxat. An ignorantia quandoque excuſet, non eſt certum.

XXXII. Paucis nos ab hoc expediemus paragrapho, quem etiam omnino ſilentio obvolvere poteramus. At quoniam, non modo de trivio homines, ſed ipſorum plurimi, qui Theologi audiunt, nil frequentius, cum hoc de argumento ſermo recurrit, in ore habent, quam ejuſmodi phraſes: Eccleſia videt, Epiſcopi, Pontifices ſciunt, & tacent. Quid ergo nos improbamus? Ex iis, quæ diſſertatione IV. cap. V. §. I. hujus capitis dicta ſunt, adeo convulſum remanet objectum, ut plura ſuperfluant. Quare ſi quid prolixitatis lector hic deprehendit, in oppoſitores regerat; quoniam ad ravim uſque commentitium Eccleſiæ conſenſum, aut ſilentium repetentes, invitos nos cogunt, eandem ſæpius recoquere crambem. Videt igitur Eccleſia, unaque luget. Cognoſcit plures Monachos, & Mendicantes fratres ditiores eſſe ſub paupere Chriſto, quam fuerant ſub locuplete, & fallace Mundo, inquit Hieronymus Epiſtola ad Rufinum Aquilejenſem; *ut ſuſpiret eos Eccleſia divites, quos Mundus tenuit ante mendicos*. Haud latet Pontifices conſtitutionum ſuarum contemptio. Ergo libere tolerant? Ergo adprobant? Quid hac deductione dementius? Si omnia, quæ videt Eccleſia, eadem quoque adprobaret, nullum profecto foret ſcelus, non fornicatio, non adulterium, non furtum, non hæreſis, non idololatria, non denique perjurium, quod ratum non haberet. Enim vero hæc omnia madidis oculis videt, & horret; contemplatur, & ingemiſcit. Quare Divus Vincentius Ferrerius ſibi opponenti ab uſurariis Eccleſiam tolerare uſuras, reſpondet. *Si dicitis quod Papa, & Eccleſia ſuſtinet, dico, quod ſuſtinet, quia non poteſt remediare: & Eccleſia maxime gubernatur hodierno tempore per dominos temporales.* (Serm. 11. de avaritiæ natura in communi ſerm.) Hæc improbare ſcimus, quod jure divino vetita ſunt, nullique obnoxia præſcriptioni adverſæ. At nonne, & naturali, & divino jure debita eſt votorum ſolutio? Nonne Eccleſia ipſa,

hanc ſolutionem fieri præcipit in voto paupertatis, rerum Communitate, quæ in praxi medium neceſſarium eſt in Cœnobitis ad voti obſervantiam? Quare quemadmodum votum præſcriptioni non ſubjacet, ita neque medium eidem annexum, ut alias fuſius probatum eſt.

XXXIII. Sed quid plura congero? Nonne jam inde uſque a duobus ſæculis, ut antiquiora mittam, Eccleſia, & Decretorum ſonitu, & Canonum voce clamat, inclamatque contra ſimiles ingreſſus, eoſque ſub nullitate profeſſionis vetat? Authentica documenta dedimus locis laudatis. Prohibet Eccleſia, ne in poſterum ullus erigatur Conventus, niſi ſub exactiſſima vita Communi, neve ullus juvenis veſtiatur, niſi in Cœnobiis reformatis. Clamat, nullam ſuffragari conſuetudinem contrariam. Et tandem, ne ulli ſilentium aliquod allegare audeant, nunquam induendi juvenes poteſtatem facit, niſi, quoto biennio exhibeant atteſtationem juramento firmatam, quod in ſimilibus Cœnobiis exacta vigeat rerum Communitas, & cæterarum legum obſervantia. Quid oro te, obreſtorque, quid amplius præſtare poteſt Eccleſia? An ne omnes catenis vincire? An ne omnes in carceres detrudere? Videt utique ſua non ſervari mandata. Sed quid inde? Videt, ut diximus, & alia pejora, nec propterea rata habet. Ne multa. Deus, ut ſupremus Dominus & legislator, infinita propemodum mala libere permittit, eaque in Commune bonum dirigit. Superiores Terreni, qui in Imperio quandam Divini Regiminis imaginem exprimunt; alio modo, ideſt non libere, ſed inviti plura mala permittunt, vel quia ea impedire nequeunt, vel ut majora damna evitent. Peccant ergo, & graviter peccant, tum recipientes, tum conſulentes, quamvis Eccleſia toleret permiſſive, ut inquiunt Cajetanus, Navarrus, Barboſa, Bartholomæus a S. Fauſto, Donatus Lainenſis, cæterique Theologi omnes, qui hoc de argumento ſcripſerunt. Quare merito ait Caſſianus a S. Elia contrariam opinionem eſſe ab Eccleſia proſcriptam. Si plura cupis, conſule, quæ diximus locis laudatis. Tantum abeſt, Pontifices tolerare receptionem juvenum in Monaſteriis, in quibus non viget vita Communis, ut omni tempore reipſa ſemper reſtiterint, ut patet ex pluribus conſultationibus Sanc. Congreg. quæ interpres eſt mentis Pontificum relatis a Nicolio in ſuis floſculis *Ver. vita Communis. In una Placentina 4. Septembris 1603. in Piſana 1616. 16. Octobris, in Vercellen. in Meſſin. & Caputaquen. 18. Maji 1628. ubi non obſervatur vita Communis, non debent recipi puellæ ad habitum, neque ad educationem, licet haberent licentiam Sac. Congreg. quæ non derogat in ſpecie præcepto generali.*

XXXIV. An poſtea ignorantia quandoque excuſare valeat, incertum. In primis pro certo habendum eſt, Prælatos, cæteroſque fratres recipientes, ceu acceptantes nullam poſſe allegare ignorantiam. Leges enim ob eorum oculos verſatur. Ingredientes quoque abſolute non excuſari valde timendum eſt. Quiſque enim contractum iniens, quæ ſubſtantiam ſaltem con-

contractus tangunt, præcognoſcere debet. Rerum Communitatem, ſin minus ad eſſentialia, ad ſubſtantiam tamen vitæ regularis attinere diximus. Illius itaque ignorantia culpabilis eſt in eo, qui talem ſuſcipit ſtatum. Quilibet prudens negotiator, non ſolum ea, quæ cuilibet contractui intima ſunt, & naturalia; verum etiam ea, quæ ex poſitivis legibus imponuntur, ſcire tenetur. Quid autem de genitoribus dicam? Eo quippe eorum oſcitantia in hoc negotio ſummo culpabilior eſt, quo ſunt in ſuorum filiorum terrena fortuna ſolertiores. Enimvero, cum Matrimoniali ſtatui eos deſtinant, quot curas non impendunt? quot receſſus non pervadunt? Non modo ſponſæ a filio ducendæ indolem, & mores; ſed parentum, avorum, & proavorum, longas texunt, & ſcrutantur genealogias. Affinitates, cognationeſque perpendunt. Non ſtudio, non vigiliis, non conatibus parcunt, ut dotem augeant, ut aſſecurationis pacta multiplicent. Cur decimam ſaltem iſtius diligentiæ partem in filiorum Monachatu non adhibent? Cur prærogativas Sacræ Sponſæ filio jungendæ, ſanctitatis, caſtimoniæ, fidelitatis, in explendis propriis muneribus ad prudens non revocant examen? Cur illic tanta ſolertia? Cur iſthic tam ſupina oſcitantia? En diſcriminis rationem. In carnali filiorum Matrimonio negotium agitur temporale, cujus exitus ſi calamitoſus eſt, propriæ familiæ ruinam præformidant. In filiorum monachatu ſecurum, certumque habent temporalem proventum. Eorum ſiquidem indipiſcuntur patrimonium: ſit venuſta, ſit deformis ſpiritualis ſponſa, ſit laxa, ſit ſevera Religio, dummodo filium acceptet, dummodo filius hæreditati renunciet, hoc ſufficit, ut deliberatio adprobetur. Hæc eſt potiſſima eorum ignorantiæ origo. Culpabilis ergo ignorantia, non ſecus, ac radix ipſius. An eventus contingere valeat, in quo ignorantia hæc invincibilis ſit, nos ignorare, haud erubeſcimus confiteri.

XXXV. Ecquomodo nos, juvenes cum ſimus, & homines ſæculi negotiis impliciti Religionum diverſitatem, obſervantiam, vel relaxationem dignoſcere poſſumus? Et quod plus eſt: unquid ſeveriorem nos amplecti Religionem tenemur? Ut ab hoc ultimo auſpicemur, non ſolum ad arctiorem eligendam, te obſtrictum, non dicimus, ſed ad nullam te teneri adſerimus. Verum deliberatione facta, quod ſtatum Monaſticum amplecti velis unam ſeligere debes Religionem, in qua regularis vigeat diſciplina. Abſit, ut dicamus, vel tibi ſuadeamus electionem auſterioris Religionis, quæ ſcilicet plura jejunia, nuditatem, cilicia, cœteraſque corporis afflictiones imperat. Elige inter mitiores mitiſſimam, dummodo ſuam regulam, & conſtitutiones: dummodo omnia, quæ in ſua profeſſione ſervanda præſcribit reipſa in ſpiritu, & veritate impleantur. Ut vero alterius objecti ſolutionem facilius percipias, animadvertas oportet, quamlibet Religionem Cœnobiticam tria vota, Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ in ſua profeſſione ſolemni emittere: exactiſſimam rerum Communitatem præcipere, ſilentia ſtatutis temporibus, locíſque, ſolitudinem

Mm 2 plus,

plus, minuſve præſcribere. Quælibet peculia privata tamquàm paupertatis voto adverſa ſeveriſſime prohibere. Si ad hæc animum intendis, facillime dignoſcere vales Reformatam a deformata Religione. Ab ea itaque abſtine Religione, tamquam a graviſſimo ſalutis tuæ periculo, quæ Religioſis ſuis pecunias, cenſus annuales privatim concedit: in quorum ingreſſu munuſcula accipiunt ſuperiores; quæ fratres ſolos per compita, & plateas excurrere permittit. Contra vero eam ingredere, quæ Religioſis ſuis, ſive ſanis, ſive infirmis, ſive doctis, ſive indoctis, omnia eorum ſtatui, non modo neceſſaria, verum etiam congrua de Communi ſubminiſtrat, quæ peculia privata, tanquam paupertatis Monaſticæ peſtem abominatur, quæ Religioſos ſuos intra Clauſtra cuſtodit, quoſque egredi non ſinit, niſi aſſociatos, juſtaque de cauſſa. Hæc ſunt manifeſta argumenta, quibus ſacra ducenda ſponſa ſecerni poteſt, ſi vel mediocris adhibeatur diligentia. At diligentiam hanc, neque filii, neque parentes exercere volunt. Quoniam neque filii Monaſticum ſtatum ſpiritu Dei amplectuntur, ſed humano conſilio. Non eos divina vocatio ad jugum Chriſti portandum trahit, ſed carnalis ſenſus plures ducit, vel ad vitam commodiorem, vel ad honores ambiendos. Ex quo poſtea tot contentiones, tot rixæ, tot inimicitiæ, tot inſidiæ pro præfecturis, & gradibus oriuntur. Neque tandem parentes de æterna filiorum ſalute ſoliciti ſunt, ſed in proprium lucrum, commodumque ſua conferunt conſilia. Quare mirum haud eſſe debet, ſi tum filios, tum parentes, tum ſuperiores recipientes peccare aſſerant Theologi, & Cœnobia quædam vitiis ſcatere, quod pauci ſunt, qui ſincero corde Deum quæſituri illuc, mundo contempto, ingrediantur. Et quamquam juvenum ingreſſus in Religionem collapſæ diſciplinæ innocens ob eorumdem ignorantiam eſſet; nunquid ab omni culpa immunis erit eorum profeſſio? Nonne integro Novitiatus anno Regulam legeſque præcipuas meditantur, obſervant, exequuntur? Nonne vident alios profeſſos illa tranſgredi, vel negligere? Nonne ſciunt, ſe quoque emiſſa profeſſione minime ſervaturos fore Regulam illam quam ſervant, dum nullo aſtringuntur vinculo? Difficillimum ergo eſt, illos ſine culpa profeſſionem edere poſſe in Religione collapſa.

§. Ultimus.

Ex iis, quæ hoc in capite dicta ſunt, nonnulla conſectaria colliguntur,

XXXVI. Pontificum Decreta juvenum in Cœnobiis deformatis acceptationem vetantia nullam excipiunt interpretationem; Theologorum ſenſa apertiſſima, rationum momenta efficaciſſima adeo aſſertum, quod propoſuimus, evincunt, ut tergiverſationi nullus relinquatur locus. Nec propterea profectum aliquem ſperare licet, adeo ſpiſſæ ſunt tenebræ, quæ

ocu-

oculis offunduntur. Nec ſummopere me commovet, quod juvenes, quod eorum genitores ex tot luculentiſſimis argumentis ullatenus proficiant, quoniam eſt quidpiam, quod eorum delectat cupiditatem, quodve cæteris favet paſſionibus. Filiorum ſiquidem animos ſpes tenet intra Clauſtra meliorem degendi vitam, Genitores vero permovet familiæ exoneratio, & hæreditatis adeundæ anhelitus. Non tam cœco igitur animo iſti feruntur, cum ſuo pravo fini non incongrua ſeligant media. Verum enim vero, quod ſatis mirari non ſubit, quodque cujuſque admirationis limites prætergreditur, eſt illa Prælatorum aliorumque fratrum acceptantium illuſio. Etſi enim in cæteris tranſgreſſionibus aliquam, nullam tamen in hoc excuſationem ſibi vendicare queunt. Quoniam ſi peculia abdicare, ſi reformationem amplecti, ſi jejunia, ſi ſilentia ſervare recuſant, peccant utique; ſed peccandi fucos, & prætextus habent, titillamenta ſcilicet paſſionum, & ſenſuum; impotens pecuniarum amor, & commodioris vitæ jam a primis annis conſuetudo. At quid eſt (proh Deum immortalem!) quid eſt, quod eos impellit, ut innocentes juvenes in occaſionem violandæ profeſſionis alliciant pertrahantque? Ecquænam (iterum inclamamus) regularis diſciplinæ remiſſionem in poſteros propagandi, impellens cauſſa? Quænam vel aliorum futuræ reformationi obſiſtendi ratio?

XXXVII. Commune reſponſum illud eſt, quod ideo ſacra juvenes induunt veſte, non ut relaxationem in poſteros derivent, ſed, ut Religionem conſervent, ſuæque conſulant famæ, quæ ex interdicto acceptandi in ſuum ſodalitium juvenes, detrimentum patitur. At reſponſio iſthæc ſeipſa corruit. Siquidem verum eſt eorum neminem ad profeſſionem candidatos admittere, hac expreſſa intentione propagandi relaxationem, Quis enim tanta pravitate pollutus? Sed reipſa ſeu facto relaxationis malum in poſteros derivant, cum in Cœnobia collapſæ diſciplinæ ad profeſſionem Monaſticam Novitios admittunt. Si Ordinem ſuum conſervare, & propagare velint, ſicuti tenentur, in ſolis Provinciis, & Congregationibus, non ad ſpeciem, ſed revera reformatis, ut juvenes recipiantur, imbuanturque curent. Et, aucto profeſſorum numero, illis deformata cœnobia reformanda concedant. Hac ſola via pedetentim univerſa Religio ad primævam obſervantiam revocabitur. Sed hæc eſt via, quam ſummopere horrent non pauci, & deteſtantur. Quapropter dicimus iſtorum excuſationem nullam eſſe, atque adeo graviter illos peccare ſubdimus, eo quod, & verbis, & opere ſuæ Religionis conſervationem, & propagationem impediunt. Interim nos ex aliorum cæcitate diſcamus, mentis noſtræ oculos Divinæ luci aperire: & animo noſtro continue obverſentur Chriſti Domini oracula. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. (Matth. 22.) *Crediderunt quotquot erant præordinati*. (Act. 13.) *Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam*. (Matth. 7.) Præclarum etiam illud Auguſtini animo noſtro non excidat. *Simpliciter confiteor charitati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam. Ex quo Deo ſervire cœpi, quo-*

mo-

modo difficile ſum expertus meliores, quam qui in Monaſteriis profecerunt: Ita non ſum expertus pejores, quam qui in Monaſterio ceciderunt. Ita ut hinc arbitrer in Apocalipſi ſcriptum (21.) juſtus juſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc. Quapropter, etſi contriſtamur de aliquibus purgamentis, conſolamur tamen etiam de multis ornamentis. Nolite propter amurcam, qua oculi veſtri offenduntur, Torcularia deteſtari, unde Apothecæ Dominicæ fructu olei luminoſioris implentur.

XXXVIII. Ex quibus omnibus colligas velim neminem nobis jure poſſe, ob ea, quæ ſcripſimus, ſuccenſere. Tum quod non ſenſu noſtro, ſed Eccleſiæ, ſed Theologorum voce loquuti ſumus; tum quod nulli Religionum aliquod præjudicium intulimus: nec enim vel oblique indicavimus hanc, vel illam eſſe relaxatam. Quid plura? Fac ſententiam noſtram ſuum aſſequi finem, quod ob temporum calamitatem vix eſt ſperandum, quid, amabo te, præjudicii, quid incommodi Religionum aliqua, vel maxime relaxata, inde ſubiret? Nonne in quolibet ſacro ordine ab obſervantia regulari collapſo, plura reperiuntur Cœnobia, quæ ad regulæ, quam profitentur præſcriptum, vitam ducunt? In his Cœnobiis juvenes imbuantur, ut Conciliorum & Pontificum Decreta præcipiunt, & brevi tempore univerſa Religio priſtinum emittet ſplendorem. Eſt ne hic quidpiam quod carpere jure valeas? Tota ſiquidem diſputatio noſtra eo recidit, ut juvenes ab occaſione revocet tranſgrediendi leges & vota quæ in ordinibus collapſæ diſciplinæ paſſim violantur. Eo ſpectat, ut in ſolis Conventibus, in quibus obſervantia Monaſtica viget, Novitii recipiantur, ibique vitam ſuam ducant, ut deficientibus fratribus vitæ Conventualis, univerſa Religio reformetur. Quid iſthic cenſura dignum? Quod ſi poſt hæc omnia lucubrationem hanc noſtram laceſſere maledictis quiſpiam velit: ſi quis eam tanquam Religioni alicui incommodam, invidioſamque traducere inſiſtat, concludamus neceſſe eſt, in poſterum retegendas haud eſſe malorum radices, neque a periculo avocandos innocentes; ſed barbaro illi eſſato indulgendum. *Relinque Mundum vadere ſicuti vadit.* Quod abſit.

DIS-

DISSERTATIO SEXTA,

IN QUA PLURES SELECTÆ de paupertatis Monaſticæ materia reſolvuntur quæſtiunculæ, & laxiſſimæ quædam opiniones improbantur.

PRÆLOQUIUM.

CUm primum animum ad ſcribendum appuli, ea dumtaxat, quæ ad illuſtrandum Communis rerum vitæ argumentum peropportuna videbantur, tractare decreveram. Verum, ut cuique controverſiam aliquam ex propoſito verſanti accidere ſolet, plura in ipſo curſu offendi, quæ ſevera diſcuſsione dignisſima cenſui. Eo vel maxime, quod ſi qua ethicæ Chriſtianæ controverſia ad ſanctuarii pondus, ad Conciliorum, Patrumque tribunal expenſa in lucem erumpit, confeſtim non in paucorum incurrit reprehenſiones. Homines ſiquidem ſummiſtarum tricis, inaniumque dubiorum reſolutionibus innutriti, eam carpunt, vel ut nimium rigidam, aut nimis a circumſtantiis particularibus avulſam. Neque enim, inquiunt, Patres, & Concilia peculiares caſus reſolverunt. Utique neque in Scriptura Sancta, neque in Patribus, Conciliiſque reperire fas eſt ſimilia dubia: An ſcilicet Prælati regularium licentiam impertire licite ſubditis ſuis valeant, ut congruo ſumptu conducant meretrices, ut ſuperflua retineant; ut in vanos, turpeſque uſus pecunias expendant; ut plures aureos in ludis etiam fortuitis exponant, ut perſonati comedias frequentent: & an iſthæc omnia, quod adventitia ſunt, paupertatis voto, conſuetudinis vim obtinere queant. Similia, inquam portenta, quibus abundant non paucorum Theologorum volumina, in tota retro antiquitate haudquaquam reperiuntur. Quandoquidem in Patrum mentem venire haud potuit, a quoquam cordato in diſputationem hujuſcemodi revocari poſſe. Itaque ut nihil eorum, quæ ad exactam paupertatis Monaſticæ cognitionem neceſſaria ſunt, deſiderari patiamur; ſelectiora dubia, & conſectaria, quæ ex peculii permiſsione ad uſus neceſſarios, deducunt non pauci Summiſtæ ad uſus inanes, ſuperfluos, & turpes, pro dignitate expendemus. Jam ſiquidem in Præloquio ad ſecundam Diſſertationem animadvertimus, Theologos omnes, ipſoſque vel benigniores in aſſerendo Communitatis Præcepto convenire, non minus, ac in reprobandis peculiis, neceſſitate ſublata. Cœterum ex hac vera, ſanaque doctrina, non pauci,

con-

conditionibus omnibus ſpretis, & limites a gravioribus Theologis ſtabilitos prætergreſſi laxiſſimas derivant conſequutiones, quas ventilandas ſuſcepimus. Hos tamen cancellos nobis circumdedimus, ut de iis tantum ſermonem habeamus, quæ ad particularium Religioſorum conſcientiam imbuendam opportuna fore cenſuimus. Ea igitur omnia, quæ capacitatem produnt adeundi hereditates, acceptandi legata, & acquirendi Monaſterio, idque genus alia ſilentio præteribimus. Tria potiſsimum in hac diſſertatione diſputabimus: an videlicet aliquorum bonorum dominio polleant Religioſi privati; quarum rerum uſufrui poſsint, & qua licentia opus habeant. In iis porro dirimendis, non vigentem praxim, & abuſus, non quorumdam Caſuiſtarum Auctoritatem, ſed vota, regulas Monachales, & ſolemnem ſtatus Religioſi profeſſionem conſulemus. Alium quoque declinabimus ſcopulum, in quem impingunt frequentius chriſtianorum morum tractatores. Illorum enim non pauci, ac ſi ſupremi forent legiſlatores, & quantitatis, qualitatiſque malitiæ ſtateram tenerent; ex tripode pronunciant, hoc eſſe mortale, illud veniale, hoc crimen proprietatis, minime illud. Cum hæc liquido conſtant, ea auribus clara, & altiſona voce denunciare debemus, ut torpidos ad præcavenda excitemus. Quando vero neque ex ſcripturis, neque ex Patribus, neque ex evidenti ratione certo ſcimus tranſgreſsionem legis læthalem eſſe, citra temeritatis notam ut talem minime præfinire poſſumus, ut alias ex D. Thoma (quodl. 9. quæſt. 7. art. 2.) animadvertimus, ſed ſatis cuique ſalutis ſuæ avido eſſe debet, ſe ſcire, quod legi adverſetur, ut pro viribus eam debeat evitare. Immo ab iis maxime nobis cavendum eſt, quorum malitiæ limites impervii ſunt, & occulti. Pro iſtis enim juges preces Deo fundebat David Propheta. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* (Pſal. 18.)

CAPUT PRIMUM.

De bonis, quorum dominium habere poſſunt Regulares privati.

Votum ſolemne paupertatis, quoruncunque temporalium bonorum dominium a regularibus privatis auferre, nemo eſt, qui in diſputationem revocet. Hi tamen, qui paupertatis Monaſticæ uſum laxare ſolent, ut hanc pariter abſoluram, rigidamque dominii privationem, quoquo modo deliniant, bona quædam a genere temporalium, communi hominum exiſtimatione repugnante, abſtra-

abſtrahunt, atque in quodam eminentiori genere conſtituunt. Iſtorum porro dominium habere poſſe propugnant. Eorum ſenſa ſequentibus paragraphis aperiemus.

§. I.

An Religioſi profeſſi dominio polleant in propria Manuſcripta?

ANtequam ad id, quod caput eſt, accedo, pauca præfari neceſſe eſt. Ac in primis animadverto, nunc ſermonem haud eſſe ſolummodo de manuſcriptis omnino privatis, & occultis, in quibus Religioſi ſua cordis ſecreta exaraverint, vel quæ illis deſerviunt tanquam privatum ſcientiæ ſubſidium. Siquidem eo ipſo, quod Prælati velint, ſubditos ſuos ſcientiis operam navare, quæ eiſdem comparandis annexa ſunt, impertientur, fas eſt. Non negaverim tamen regulares, vel in ipſa ſcientiarum adquiſitione poteſtati ſubdi Prælatorum, qui non modo poſſunt, verum etiam debent ſubditos ſuos illis in artibus exercere, quas magis communi bono congruere agnoſcunt. Qua de cauſſa peccarent ſubditi, qui obſtinato animo in aliquam ſcientiam incumbere vellent, contra manifeſtam, & rationabilem Prælatorum voluntatem. Rationabilis vero eſt Prælatorum voluntas, quoties boni communis inſpectione regitur. Huic autem fini una præ alia ſcientia utilior eſſe poteſt; cujus utilitatis judex, non ſubditus, ſed Prælatus eſt. Nec loquimur de quopiam ſuperiore, qui nulla ratione ductus vellet ſubditus ſuos abs ſcientiarum acquiſitione avocare, ſed de Prælatis, qui ſubditorum ſuorum labores, ſudoreſque eo referunt, ut vineam Domini magis frugiferam, & copioſioris meſſis refertam, efficiant. Et ſi ſubditi refractarii in hoc forent, eis manuſcripta auferre poſſent Prælati, quod nequirent, Dominium ſi haberent illi, & abs ſtudio illo omnino removere. Hæc omnia nobis etſi manifeſta videntur, ſi ſecus tamen cœteris appareant, non ob id litem illis intentamus. Quoniam in præſentia non de hoc limitato manuſcriptorum genere loquimur, ſed de ampliore; nempe de manuſcriptis, ſive a ſe, ſive ab aliis confectis, ſibique donatis quæve communi commercio, publicæque utilitati deſtinata ſunt. Hujuſcemodi autem manuſcriptorum verum dominium habere Religioſos privatos, atque eadem donare, comburere, ſecum quocunque deferre, invito, & reluctante Prælato propugnant non pauci, quos inter Antonius a Spiritu Sancto, in laxandis legibus nemini ſecundus, in ſuo *Direct. Reg.* (tract. 3. diſp. 3. Sect. 3. num. 244.) quem totidem verbis exſcribunt Patres Salmanticenſes (in quo contra propriam opinionem, oſtendunt auctorum ſcripta, non propria, ſed communia eſſe debere.) In ſuo curſu Theologiæ moralis, (Tract. 12. cap. 2. punct. 12. §. 4. num. 195.) Ne illis vero imponere videamur, eorum aſſertionem propriis verbis conceptam, & ſuis muni-

tam argumentis tranſcribere lubet. „ Inquires autem primo (inquiunt
„ loco laudato) an profeſſus Religioſus habeat verum Dominium in ſua
„ manuſcripta, ita ut ſecum deferre quocumque vadat, donare, com-
„ burere poſſit, aliave circa ipſa exercere, quæ ſunt propria munia pro-
„ prietatis. Reſpondetur affirmative, ſive manuſcripta ſint propria, ſive
„ ab alio donata, ſive proprio, ſive alieno ſtudio elaborata; & ea dona-
„ re cauſſa mortis abſque Prælati licentia. Tum quia manuſcripta, utpo-
„ te ideæ mentis ſunt quid ſpirituale, tum etiam quia acceſſorium ſequi-
„ tur naturam principalis, ſed manuſcripta ſunt ſcientiæ acceſſoria, utpo-
„ te illi deſervientia, & illius partus, ac ſubſidium; ergo ſicut ſcientia
„ non cadit ſub voto paupertatis; ita nec manuſcripta, & ſic poterit il-
„ lorum Dominus conſtitui. Tum denique ex praxi, & communi uſu
„ Religionum deformatarum. Lugo (diſp. 3. num. 230.) Pelliz. (tr. 4.
„ cap. 2.) F. Antonius a Spiritu Sancto (tract. 3. diſp. 3. num. 244.)
„ Diana ſp. (tract. 6. reſol. 25.) Ex quo ſequitur peccare Prælatum,
„ qui abſque juſta cauſſa ſcripta alicujus Religioſi, vel igni mandar, vel
„ edit alieno nomine ſine licentia auctoris, juſta tamen interveniente cau-
„ ſa, ſine ſcrupulo alterutrum facere poteſt. Quemadmodum nemo pot-
„ eſt ſine cauſſa gladium alterius auferre, poterit tamen, ſi illo ſe, vel
„ alios occidere tentaverit. Sic ſcripta Religioſi comburere, vel nomine
„ alterius Religio, vel ejus Prælati edere poſſunt, ſi damnoſa Religioſo,
„ vel Religioni judicaverint. „ Hactenus Salmanticenſes laudantes in ſuæ ſententiæ patrocinium Patrem Lugo, qui nec verbum habet de hoc dominio, immo oppoſitum ex ejus doctrina eruitur. Aſſerit enim conſuetudinem obtinere, ut Religioſus de una ad aliam Religionem demigrans ſecum ſua deferat manuſcripta, tacito accedente Prælatorum conſenſu. Siquidem, ait ipſe, eo ipſo, quod abeundi poteſtatem faciant, tacite aſſentiuntur, ut ſua ſecum portet manuſcripta. Si conſenſum Prælatorum requirit Lugo, non ergo ſentit Religioſos Dominium habere. Conſulat Lector Lugo, loco laudato, & deinde colligat, quanta ſit fides habenda cenſibus ſatis prolixis, quos Caſuiſtæ texere ſolent, ut opiniones omni deſtitutas ratione, atque adeo corruentes, auctorum recentium numero fulciant. Sed ad rem propius accedamus.

§. II.

Dominium Religioſorum in propria manuſcripta, ſive a ſe ipſis, ſive ab aliis confecta repugnat virtuti juſtitiæ.

I. Et ut a manuſcriptis proprio calamo exaratis auſpicemur: fac Religioſum a chori ſequela, & a cœteris communis penſi oneribus diſpenſari, ſicut non raro contingit, ut opus quodpiam, aut philoſophicum, aut Theologicum, aut concionatorium componat. Is triennium, quinquennium,

nium, decennium plus, minuſve operi conficiendo vacat. Victum, & veſtitum, expenſaſque omnes de communi patrimonio Religio ſuppeditat. Cœterorum omnium conſodalium alii concionibus, alii lectionibus operam navant, & emolumentum, quod inde percipiunt, in commune conferunt beneficium, alii denique Chorum frequentant. Quænam vero æquitas permittit, ut iſte, cœteris ſociis in commune bonum adlaborantibus, ſibi ſoli operetur? Juſtum ne erit, ut Religio eum alat, induat, infirmum curet, & ab iis oneribus, quibus ſuccumbunt cœteri, eximat? In quem finem? Ut ſibi aret, ut ſibi occet, ut ſibi omnem meſſem colligat?

II. Quid ſi induſtriam ſuam ſcriptor iſte in ſua profeſſione Religioni locaſſet contractu utrinque oneroſo, eo ſcilicet pacto, ut Religio viciſſim ex juſtitiæ debito teneatur eum alere, & induere. Quid tum? Atqui hæc omnia in Monaſtica contingunt profeſſione. Suas ergo partes, ſi explet Religio, quænam lex a ſuo perſolvendo penſo Religioſum ſubducet? Quid ad hæc reponis? Nonne Religioſus quiſque in ſua profeſſione omnia tum præſentia, tum futura, ſive hæreditate obvenientia, ſive ſua induſtria, & labore parta, tum denique perſonam, & induſtriam omnem Religioni obligavit? Quid igitur iſtius nunc divenditæ induſtriæ partus ſibi uſurpat? Solum locaſti, pacto pretio, & ejuſdem fundi fructus tibi vendicare audes? Si hæc injuſtitia non eſt, quænam erit? Si hoc furtum non reputatur, nullum profecto furtum. Nonne Religio, & infidelitatis & injuſtitiæ argueretur, ſi potens Religioſo profeſſo ſtatui ſuo neceſſaria porrigere recuſaret? Cur ergo Religioſum delinquere pernegas, ſi quæ Religioni promiſit, non ſolvit? Omnia, inquis promiſit, ſed non manuſcripta, quoniam ſunt mentis fœtus, qui ſub alienum Dominium non cadunt. Si induſtriam omnem Religioni locavit, quidni, & manuſcripta, quæ inter Religioſorum opera primas tenent? Cur ſub alienum Dominium non cadunt, ſi nunc etiam de manuſcriptis illis ſermo eſt, quæ aliena induſtria elaborata ſibi invicem donant Religioſi? At hæc omnia in ſequenti paragrapho conſtabunt.

§. III.

Dominium Religioſorum in propria manuſcripta voto paupertatis repugnat, & univerſæ Monaſticæ diſciplinæ regimen evertit.

I. Quemadmodnm paragrapho primo animadverti, in præſentia ſermo non eſt de manuſcriptis occultis, quæ privato auctoris ſtudio ſubſidio ſunt. Sed de illis, quæ publico commercio deſerviunt, vel quæ alieno ſtudio elaborata ſunt, quæve alienari, donari etiam cauſſa mortis, poſſunt. Quæ omnia adeo, non dico improbabilia, ſed falſa, ſed futilia, videntur mentis meæ exiguitati, ut vix opus eſſe impugnatione cenſuerim.

rim. Quandoquidem non aliud inter libros typis impreſſos, & codices manu exaratos diſcrimen reperitur, niſi quod iſti majore pretio comparantur. Si illorum Dominio, omnibus fatentibus, deſtituti ſunt Regulares, cur quæſo iſtorum domini conſtituuntur? Nonne ſcientiarum avidi Provincias, & regna peragrant, Archivia tum privata, tum publica ſcrutantur, bibliothecas luſtrant, ut manuſcripta expiſcari queant, eaque cariore pretio emunt? Nonne ſtultus haberetur, qui muſſitare auderet, manuſcripta non eſſe pretio æſtimabilia, neque emptioni, & venditioni obnoxia?

II. At, inquiunt, non omnia, quæ vendi, vel exui poſſunt, inter temporalia bona paupertati contraria perſcribi debent. Reliquiæ Sanctorum, & cœtera ſacra venduntur. Quæ pretio æſtimantur, & quæ divitem hominem efficiunt. Qua de cauſſa Reliquiarum Dominium habent Religioſi? Fatemur non omne vendibile inter bona temporalia collocandum, ſed dicimus ea omnia, quæ juxta Commune hominum placitum pretio æſtimantur, & publicæ utilitati, & Communi commercio inſerviunt, inter bona temporalia, quæ paupertati repugnant, quæve hominem conſtituunt divitem, annumeranda eſſe. Res ſacræ venduntur interdum ſceleſtorum hominum iniquitate, lege vetante. Venduntur manuſcripta, univerſo hominum conſenſu eorum pretium adprobante.

III. Et quanquam in re apertiſſima longior ſermo haud eſt neceſſarius: attamen, ut via, quam ad omnem laxitatem, & paupertatis *Monaſticæ* jacturam opinio contraria aperit, manifeſtius pateat, conſectaria, quæ inde proficiſcuntur, obiter oſtendamus, fas eſt. Eo Dominio pollere aſſeritur Religioſos profeſſos in propria manuſcripta, ſive a ſe, ſive alieno ſtudio compoſita, ſive etiam dono ab aliis accepta, ut ea comburere, alienare, & cauſſa mortis donare, invito ſuperiore, nullaque petita licentia, valeant. Ergo pariter de eorum pretio teſtari. Eadem ſiquidem ratione, qua quis de fundo, etiam de fructibus diſponere poteſt. Et hic potiore ratione uſurpavi illud valet: Acceſſorium ſequitur principale: merces ſunt principale: pretium acceſſorium. Qui itaque principale donare, & teſtari poteſt, idem poterit de acceſſorio præſtare. Accedit, quod quemadmodum manuſcripta donare, & alienare valent Religioſi, ita etiam eadem typis edere, & in lucem vulgare poterunt, nulla petita licentia invitiſque Prælatis. Si contraria opinio hæc omnia improbat, Dominium quoque manuſcriptorum, ex quo hæc ſponte profluunt, removeant a Religioſis, neceſſe eſt. Dominio enim conceſſo, ea quoque, quæ ex dominio conſequuntur, quæve Monaſticæ diſciplinæ regimen pervertunt, impertiantur oportet.

IV. Hæc omnia clariora evadent, ſi huc adverſæ opinionis argumenta adferantur, quorum præcipuum eſt: Manuſcripta ſunt mentis ideæ, ergo quid ſpirituale. Summas his Theologis grates debemus, quod mentis ideas viſibiles, palpabileſque effecerint. Manuſcripta ſunt quid ſpirituale? Cur?

Quod

Quod mente concepta? At manu ſunt exarata. Alioquin quid ſpirituale erunt Domus, Templa, Arces, Naves, Civitates, omnia denique artefacta plus, minuſve. Mentis ideas ſpirituales agnoſcimus nec emptioni, aut venditioni ſubjectas, uſque dum in mente ſiſtunt. Hoc tamen nihil impedit, quominus Doctores e cathedra vocis ſonitu illas exprimant, congruumque accipiant ſtipendium. Quanto magis ergo cum eaſdem ideas ſcripto conſignatas ad perpetuam utilitatem communicant?

V. Secunda objectio hæc eſt. Acceſſorium ſequitur naturam principalis. Manuſcripta ſunt acceſſoria ſcientiæ, utpote quæ illi deſerviunt, & illius partus ſunt ac ſubſidium. Ergo ſicut ſcientia non cadit ſub voto paupertatis, ita neque manuſcripta. Hæc itaque alienari, comburi, & cauſſa mortis donari queunt, inconſultis Prælatis, nullaque petita licentia. Cur argumentatio hæc idemmet concludere nequeat de libris impreſſis nulla unquam deſignabitur ratio. Eo vel maxime, quod, ut jam indicavimus, pluris, præ iſtis, illa fiant. Ut vero hunc paralogiſmum diſſolvamus, acceſſorium dicimus naturam ſequi principalis, quando ſunt ejuſdem generis, aliiſque ſervatis circumſtantiis. Scientia ſpiritualis intra mentem ſiſtit, manuſcripta externa ſunt, & corporea. Illa venditionis incapax: hæc commercio litterario ſubjecta. Fructus ſunt quid acceſſorium fundi, Hic invendibilis, quia fideicommiſſo obnoxius, ergo invendibile acceſſorium? Non tenet; quod alia fundi; alia fructuum natura ſit. Sed quid diutius in re aperta operam ludimus?

VI. Ultimo tandem loco opponunt conſuetudinem Religionum deformatarum. Sed pudere eos deberet abuſus pro conſuetudine obtrudere. Si enim, ut ipſi inquiunt, Religiones ſunt deformatæ, non ſecundum, ſed contra regulam vivunt. Earum ergo praxis, non conſuetudo, ſed abuſus dicendus eſt. Contra nos jure univerſam omnium Religionum obſervantium conſuetudinem opponimus. Revolvantur tum recentia, tum antiqua tempora, & confeſtim inde palam fiet, Monachos notariorum, ſeu amanuenſium arti operam navaſſe & manuſcripta in commune Cœnobiorum beneficium vendidiſſe, & ſacrilegæ proprietatis pœnas dediſſent, ſi quodpiam Manuſcriptum propria authoritate diſtraxiſſent.

§. IV.

An Pictura, Sculptura, aliudve opus concinne elaboratum ſit ſub dominio Religioſi artificis, an Monaſterii?

I. Etſi ex iis, quæ ſuperiore paragrapho dicta ſunt, propoſitæ dubitationis pateat deciſio: Nihilo ſecius abs re non judicamus illam in examen vocare, tum ut non paucorum Theologorum prurigo in laxandis legibus ſemper innoteſcat infelicius, tum quod peculiares rationes, verius dixerim ſophiſmata, obtrudunt, quæ niſi enucleatius diſpellantur, fucum ali-

aliquem lectoribus facere poſsent. Auctores itaque, qui expoſitam controverſiam verſant, quoſque jam jam laudabimus, duo tamquam certa ſtatuunt. Primum, quod ſi Religioſus Artifex picturam, aliudve opus efficiat, eo animo, ut ſibimetipſi illud applicet, uſumque habeat, tum non ſub proprium, ſed ſub Monaſterii Dominium cadit. Cujus aſsetti rationem hanc aſſignant, quod, quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio. Alterum, Donatus, ſeu Converſus cum vi profeſſionis ſuæ vitæ activæ actionibus ſit addictus, non poteſt artefacta ſua in obſequium alterius applicare, ſed omnia ab ipſo facta ſunt Monaſterii, quia vota emiſit ad exercitia externa peragenda, & hac conditione eſt in Monaſterio receptus. Ergo ſicut Artifex, qua talis, eſt Monaſterii, ita & artefactum. Quare his horis, quibus tenetur pro Monaſterio laborare, non poterit abſque licentia quidpiam pro extraneis efficere. Cœterum quemadmodum ſervus, debitis obſequiis Domino perſolutis, aliis obſequia ſua impendere valet, ita & Religioſus iſte poſtquam ſtatutis horis Monaſterio inſervierit, poterit pro amicis, & extraneis adlaborare.

II. His tanquam certis poſitis, in controverſiam vocant, an Religioſi choriſtæ, & Moniales tale habeant ſuarum actionum Dominium, ut abſque licentia Prælati poſſint eas exhibere in obſequium amici, ac proinde artefacta efficere, aliaſque res curioſas animo donandi extraneis? Et affirmative reſpondent, dummodo amici, ſeu extranei dederint materiam, puta aurum, argentum, ſericum, colores, papyrum &c. In hoc enim eventu poſſunt tranſcribere, cœlare, pingere, & id ſimilia. Quoniam Religioſi Choriſtæ, non vovetunt vitam activam, nec ſunt ut artifices addicti Religioni, ſed ut Monachi. Tum quia ſicut poteſt Religioſus ab amico obſequium recipere, ita etiam illi inſervire: etiamſi ſuperioris præceptum habeat de non exercendis talibus operibus pro extraneis. Tunc enim contra obedientiæ, non paupertatis votum peccabit. Sic diſsetunt Patres Salmanticenſes (Tract. 12. cap. 2. punct. 12. §. 4. n. 197.) cum ſuo Antonio a Spiritu Sancto, (Tract. 2. diſp. 4. n. 149.) Diana, aliiſque ſimilibus.

III. Placuit hæc omnia etiam cum brevitatis diſpendio referre, ut unico conſpectu, quid improbandum ſit, lector perſpiciat. Nos itaque opinionem iſtorum auctorum, non modo ut improbabilem, ſed ut aperte falſam rejicimus. Ac in primis Hypotheſim, quam ut certam ſtatuunt, nos ut futilem improbamus. Ex quo enim Canone, aut ex qua Patriarcharum regula colligitur, quod Religioſi Converſi, obſequiis Cœnobio perſolutis poſſint, Prælato invito, extraneis inſudare? Compertum ſiquidem eſt, vi profeſſionis Monaſticæ, ſe ſuaſque actiones omnes, ita Religioni ſubjeciſse, ut nec velle, nec nolle, nedum Dominium, in propria artefacta ſibi retinuerint.

IV. Tamquam arbitrariam quoque, nulloque nixam fundamento diſtinctionem illam Choriſtarum, & Laicorum, quod ad Dominium attinet in proprias actiones, rejicimus. Quamvis enim iſti ad laborem corporalem,

illi

Digitized by Google

illi ad altiora exercitia vocentur, nihilominus, tum iſti, tum illi profeſſionem emittunt, qua, nulla præfinita limitatione, omnem induſtriam, laborem, propriaſque perſonas Dominio ſubdunt Religionis. Ita ut quiſque Religioſorum, Choriſta ſit, an ſecus, adlaborare, & exercere ſe ſe teneatur, prout melius in Religionis bonum expedire Prælato viſum fuerit: Ambæ ergo hypotheſes, quas ut certas auctores iſti ponunt, ſeipſis corruunt.

V. Ad id modo, quod in diſputationem ipſi revocant, accedamus. Propugnant itaque, ut jam indicavimus, Choriſtas profeſſos, & Moniales poſſe pingere, cælare, codices tranſcribere, aliaque opera, etiam magni valoris pro amicis, & extraneis, invito Prælato, efficere. Audito nunc potiſſimam, & unicam rationem tanti aſſerti. Quod, inquiunt, profeſſi Choriſtæ Religioni addicti ſint, *non qua Artifices*, *ſed qua Monachi*. Econtrario vero Converſi, ſeu Laici, non qua Monachi, ſed qua operarii Religionem amplexi ſunt. Idcirco iſti Religioni ſua artefacta inſudare debent, ſecus illi. Quis enim in mentem ſibi induxiſſet potuiſſe talia a viris, qui Theologi audiunt, ſomniari? Siquidem in primis diſtinctio facta, ex diſciplinæ Monaſticæ ignoratione ortum ducit. Lippis enim, & tonſoribus compertum eſt, inter præcipua Monaſticæ obſervantiæ capita, opus manuarium recenſeri. Hunc laborem omnes antiquæ Patriarcharum Regulæ Monachis ſevere præcipiunt, ut videre eſt in regulis Pachomii, Baſilii, Benedicti, & aliorum. Quare Abbas Tritemius, qui nobis proximior fuit, inquit (Homil. 7.) *Tunc vere ſunt Monachi, ſi labore manuum ſuarum vivunt, ſicut & Patres noſtri fecerunt, & Apoſtoli*. Immo non modo ſibi, verum etiam pauperibus laborum ſuorum pretio victum comparabant, & veſtitum antiqui Cœnobitæ. Nec recentes, ab hoc laboris penſo ſtatis horis reddendo, exempti ſunt. Eædem porro Regulæ Monachales, opera iſta in Commune Religionis bonum fieri imperant. *Ita ſane*, inquit Regula Auguſtini, *quod nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in unum fiant, majori ſtudio, & frequentiori alacritate, quam ſi vobis ſinguli propria faceretis*. Ratio itaque adducta univerſim ſaltem accepta, ſicuti eam auctores iſti uſurpant, falſa eſt. Accedit quod plura Decreta Sacræ Congregationis ſuper diſciplina regulári emanarunt, quæ expreſſe mandant, jubentque, ut ſanctimoniales opera ſua in Commune Monaſteriorum beneficium conferant. Ad quæ ſi animum advertiſſent, nunquam talia, ut ego quidem arbitror, præfati Auctores docuiſſent.

VI. Sed ponamus rationem hanc, eos tantum regulares comprehendere, qui vi propriæ profeſſionis operibus manuariis obnoxi non ſunt, non ob id tamen melior evadit. Quandoquidem, ut omittant, quod debito juſtitiæ in profeſſione contracto repugnat, quod Religioſus, ſive Choriſta, ſive Converſus opera ſua manualia extraneis impendat. Tam enim ſupra demonſtravimus Religioſos omnes labores, propriamque induſtriam,

nulla

nulla addita limitatione, Religioni obligaſſe. Ut inquam hæc omnia, quæ ſupra fuſius diſſerui, omittam, quo fundamento docent iſtorum operum Dominium cum voto paupertatis conſociari poſſe? An fortaſſe nihili fiunt picturarum, & Cœlaturarum ſimulacra, elegante artificio confecta? Quid in communi hominum exiſtimatione, exquiſita, formoſaque pictura pretioſius? Qua aureorum ſumma non comparantur Cœlaturæ, & ſimilia artefacta? Num iſta, mentis ideæ, ſicuti de Manuſcriptis aſſerunt?

VII. Et tamen eo proceſsere adverſæ opinionis Auctores, ut docuerint iſtorum artefactorum eſse Dominos Religioſos Artifices; & contra expreſſum Prælatorum præceptum amicis, & extraneis donare eadem poſse. Et tunc, inquiunt, in obedientiam tantum, haudquaquam in paupertatem peccabunt. Præclara ſane juriſprudentia. Cur in obedientiam peccabunt, ſi abſoluti Domini ſunt ſuorum laborum? Præceptum enim, non niſi in ſubjectum hominem vim habet, & nemo in eo, cujus Dominus eſt, alteri ſubjicitur. Itaque ſi Religioſi profeſſi verum ſuorum artefactorum Dominium habent, ut amicis, & extraneis donare queant, quoniam ſcilicet non ſunt profeſſi, qua Artifices, ſed qua Monachi, nullatenus Prælatis ſuis ad hoc quod attinet, ſubduntur. Ergo nec contra paupertatem, nec contra obedientiam delinquent. Ex quo conſequitur, Religioſos Choriſtas (excipe Converſos, utpote Artifices Religioni addictos) poſse officinas picturæ, Cælaturæ, cœterarumque artium aperire, ut poſtquam Chorum frequentaverint, aliaſque partes expleverint, valeant amicis, conſanguineis, quibuſve ſibi viſum fuerit, manibus ſuis pingere, cælare, tranſcribere, refragantibus etiam Prælatis ſuis. Hæc abſurda conſectaria neceſſario proficiſcuntur ex adverſa opinione, in quam plura alia dicenda occurrent, quæ tranſmittimus.

VIII. Unicum ſophiſma diſpellendum remanet, quod refert Paſserinus (quæſt. 186. inſp. 15. num. 408.) Inquiunt ergo, non poſse Religioſum donare picturam, vel aliud a ſe artefactum ſine licentia; ſed bene poſse donare ſuam operam, & operari ad inſtantiam ſæcularis viri, qui, materia ſubminiſtrata, artefactum ſibi acquirit. Et Religioſus in hoc peccat quidem contra obedientiam, ſi invito Prælato, operetur: minime vero contra paupertatem, ſaltem directe. Rationem aſſignant, quod actiones humanæ liberæ, dumtaxat per accidens ſunt pretio æſtimabiles, cum alioqui ex nobilitate libertatis omne pretium ſuperent. Hinc eſt, quod agere ad commodum pro mercede ſervile eſt, ſed agere ad alterius utilitatem ex libertate, & magnitudine animi, nihil ſervile habet, nec eſt quid pretio æſtimabile, ſed ſuperat omne pretium. Accidit vero liberæ actioni, quod fiat ſerviliter. Opera igitur præſtita in obſequium alterius de ſe, & per ſe non ſunt materia voti paupertatis. Igitur Religioſus ea præſtando ſine licentia Superioris, peccat quidem per inobedientiam, non vero eſt proprietarius; & ſic licet artefacta jam acquiſita Monaſterio non poſſit donare, ſicut nec poteſt donare materiam, ex qua fiunt, poteſt

ta-

tamen donando operam artis, facere, ut arrefactum acquiratur ſæculari. Hæc totidem fere verbis ex Paſſerino deſcribere placuit, ne ſi propria phraſi illa expreſſiſſem, alicujus exaggerationis ſuſpicio oriretur.

IX. Quis autem ſibi temperare valet, cum ad has inanes ſubtilitates Euangelicæ paupertatis obſervantiam revocatam audit? Poſſunt Religioſi non arrefacta, ſed artis exercitium donare? Non opus, ſed laborioſam induſtriam, qua opus efficitur? Siccine ergo Euangelica illuditur ſinceritas? Sub tali verborum involucro conſilia Jeſu Chriſti occluduntur? Poſſunt Religioſi ad voluntatem ſæcularis viri operari, pingere, celare, tranſcribere, invito ſuperiore, quin peccent contra paupertatem? At jam ſupra oſtendimus, & juſtitiam eos lædere, & ſubinde paupertatem. Si ſervus, invito Domino, extraneis operaretur, nonne juſtitiam læderet, & ad reſtitutionem, ſeu ad compenſationem damni illati teneretur? An non fortaſſis vinculo fortiori perſonalem induſtriam in Monaſtica profeſſione Religioni locarunt Regulares, quam ſervi Dominis ſuis? Quid reponis? Opera præſtita in obſequium alterius de ſe, & per ſe non ſunt materia vori paupertatis? Cur? Quia actiones humanæ liberæ, per accidens tantum ſunt pretio æſtimabiles. En lector optime, quam verum habeat, ultimam jacturam, Chriſtianam moralem paſſam eſse, ex quoad Metaphiſicas tricas revocari illam, cœptum eſt? Quid in præſentia refert, an per accidens, vel per ſe labor induſtrialis pretio dignus ſit; dummodo in communi hominum exiſtimatione in pretio habeatur? Non originem nunc, unde pretium induſtria libera hominis ſortiatur, ſed an reipſa habeat inquirimus. Et cum concedis pretio æſtimabilem eſse induſtriam liberam hominis, perperam ſubdis, quod non per ſe, ſed per accidens pretium iſtud habeat. Diviſio rerum non per ſe, ſed per accidens inducta fuit. An propterea, facta rerum partitione, a culpa furti immunis erit rei alienæ ſubreptio? Accidit actioni liberæ, quod ſerviliter fiat. Operari ex magnitudine animi, non mercedis ergo, ad commoditatem alterius, non eſt pretio æſtimabile, ſed ſuperat omne pretium? Ideſt majori pretio dignum reputatur. Opus ſervile valorem habet, opus liberum non habet? Quid hac argumentatione inſulſius? Quid nos plura congerimus in opinionem, quæ ſua imbecillitate, ne dicam, fatuitate, prolabitur?

CAPUT SECUNDUM.

De licentia Prælatorum, ſine qua Regulares profeſſi rerum uſum habere nequeunt.

IN dependentia a Superiorum poteſtate totum fere paupertatis votum ſitum aſſerunt Caſuiſtæ non pauci. Et quoniam ſub iſtius dependen-

tiæ, ſeu licentiæ pallio crimen proprietatis ſerpit, & votum peſſundatur, idcirco eam pro dignitate expendamus oportet. Quanquam enim (diſſert. 4. cap. 3.) de hac licentia fuſius diſſeruimus, attamen, quia inter præcipua hujus controverſiæ capita recenſetur, iterum ad incudem revocare lubet, quodve diſtinctis paragraphis præſtabimus, majoris claritatis gratia.

§. I.

Poteſtatis Prælatorum ſphera ſuis præfinita limitibus, exponitur.

I. Ut rem hauc paucis dilucidemus, duo tanquam certa, & inconcuſſa ponimus. Primum, Religioſos ſubditos uſum rerum habere non poſſe abſque Superiorum licentia. Alterum, paupertatis votum, utpote Divini juris, Prælatorum poteſtati obnoxium minime eſſe. Porro ſi nullis cancellis Prælatorum poteſtas circumſcriberetur in concedendis licentiis, illico in nihilum paupertatis votum occideret. Facta enim poſitione, quod amplitudo licentiæ abbatialis nullis terminis circumſepta ſit, quid prohibet, quominus ſubditi, & Prælati tacita connivencia eo conſpirent, ut ſuperiores tempore ſuæ præfecturæ omnium bonorum uſum ſubditis concedant: & viciſſim ſubditi ad præfecturas evecti idem cum aliis præſtent? Non ſum neſcius etiam, hac hypotheſi admiſſa, conſiſtere votum, aſſerere non paucos, propterea quod, nihil, inſcio Prælato, habeatur. Sed conſiſtat, per me licet, in hoc quidditas metaphiſica voti, paupertas certe Euangelica tota evaneſcit. Hæc ſiquidem in eo ſita eſt, ut in veræ paupertatis ſtatu, ſtatui divitiarum oppoſito, Religioſum conſtituat. Utique cum Theologi, tum Canoniſtæ in Dominii abdicatione votum collocant. Cur? Quod ex Dominio proficiſcitur uſus: Quod, abdicato Dominio, privatio uſus ſuccedit, & ab aliorum liberalitate expectari debet. At ſi ſemel humana calliditas ſtatuit Prælatum quoruncumque bonorum uſum impertire poſſe, Dominio ſibi retento, commentitia evadit Theologorum, & Canoniſtarum definitio, ſuoque genuino fruſtratur ſignificatu.

II. Cancellos itaque, citra quos coerceatur Prælatorum poteſtas, figamus oportet. Horum vero limitum deſignatio ex ipſius paupertatis Monaſticæ notione pendet. Hæc autem paupertas, ut dictum eſt alias, & dicendum eſt ſæpius, non modo Dominii abdicationem, ſed etiam bonorum uſum communem habet; ſive hæc communitas per ſe a voto inſpiciatur, ſive eidem ex præcepto ſit annexa, ad praxim quod attinet, perinde res ſe habet. Nullus itaque Prælatus regularium ea pollet facultate, qua ſubditis licentiam dare queat, ut hæc bona dividant inter ſe; ut illorum unus dives ſit, pauper alter. Poteſtas Prælatorum regularium eſt prudens communium bonorum adminiſtratio, & eorumdem par-

partitio, majore, vel minore Religioſorum indigentia inſpecta. Prius bona omnia permixta confuſa, & communia eſſe debent; & hoc a Prælati voluntate nullo modo pendet. Poſita vero bonorum Communione, diſtributio communis patrimonii in ſubditorum utilitatem ad Prælatos attinet. Porro, ut hæc ipſa diſtributio prudens, & juſta ſit, ſubditorum indigentia, & boni communis inſpectione regatur oportet. Neque enim ex arbitrio, ſed ex animo cum ſubditorum felicitatem, tum Religionis univerſam diſciplinam promovendi, licentiam quamlibet concedere tenentur Prælati. Alioqui non cuſtodes ſacri depoſiti a majoribus accepti, ſed proditores haberentur.

§. II.

Multiplex Prælatorum poteſtas explicatur.

Quadruplex Prælatorum licentia: videlicet expreſſa, quæ voce, vel ſcripto impertitur. Virtualis, quæ in expreſſa præcontinetur, ut, quando alicui officium demandatur, quæ ad illius exercitium neceſſaria ſunt, conceſſa intelliguntur. Tacita, quam ex circumſtantiis adeſſe prudenter credimus: ut cum Prælatus videns aliquid fieri, & facillime impedire potens, non obſiſtit. Præſumpta denique, ſeu interpretativa, cum, juſta occurrente cauſsa, colligitur, quod Prælatus ſi præſens foret, & rei ſtatum comprehenderet, aſsentiretur.

Aliqua hic animadvertenda occurrunt. Primum, tacitam, & virtualem licentiam in idem fere recidere: utraque enim actu, vel virtute in aliquo expreſso actu continetur. Præſumpta vero a tacita diſtinguitur; illa ſiquidem futura eſt, ſub conditione danda; hæc, ut actu moraliter præſens, & data cenſetur. Alterum, expreſſam licentiam neceſsariam omnino eſse, dum agitur de re gravi, nec urget neceſſitas, & facilis eſt ad ſuperiorem acceſsus: contra vero tacitam, vel etiam præſumptam ſufficere, quando de levi agitur, & neceſſitas compellit, nec ad Prælatum adeo facilis eſt acceſsus.

§. III.

An tranſgrediatur votum paupertatis Religioſus accipiens, vel diſtrahens aliquid ex licentia præſumpta ſuperioris; cum agnoſcit hunc clandeſtinum operandi modum eidem ſuperiori diſplicere.

I. Ut clarior evadat deciſio noſtra, ſtatus propoſitæ quæſtionis pleno in lumine ponendus eſt. Statuunt ergo Theologi plures minime peccare Religioſum, qui verecundia, pudore, alioque humano reſpectu actus, non

audet, immo recuſat petere licentiam a Prælato ſuo, cum alioquin commode poteſt: Accipit vero, vel diſtrahit bona ex præſumpta Prælati licentia, & cognoſcit hunc operandi modum, videlicet ex præſumpta licentia, Prælato ſuo diſplicere. Quanquam autem prævideat hunc modum diſplicere, præſumit nihilominus Prælatum conſentientem in ſubſtantiam acceptionis, vel diſtributionis. Sola hæc ſtatus quæſtionis explanatio efficax mihi videtur impugnatio opinionis aſſerentis, poſse Religioſum hunc, tali præſumpta licentia operari. Quam opinionem defendunt plures Theologi, quos refert Sanchez (lib. 7. cap. 19.) Nos autem in ipſius quæſtionis expoſitione evidentem contradictionem deprehendimus. Cum enim Religioſus cognoſcit modum ſuum operandi diſplicere Prælato; quo fundamento præſumere valet, conſenſum Prælati in ſubſtantiam acceptionis? Prælatus improbat modum operandi abſque licentia expreſsa, ergo vult ſubditum ſuum hanc licentiam poſtulare. Ergo quoties ſubditus certus eſt, hanc omiſſionem petendi licentiam expreſsam ei diſplicere, temere præſumit illius aſsenſionem in ſubſtantiam rei.

II. Sed ut parallogiſmum hunc penitus explodamus, indolem iſtius diſtinctionis; modi nempe, & ſubſtantiæ, pauliſper examinemus. Quid igitur ſignificat Prælatum aſsentiri ſubſtantiæ rei, puta acceptionis, aut alienationis? Quod Religioſus accipiat, vel diſtrahat rem illam? Quid vero diſplicentia modi præfert? Quod Prælatus nolit ſubditum ſuum abſque expreſsa licentia rem accipere. Porro quanquam in phyſica conſideratione, acceptio rei rationem ſubſtantiæ, & licentia habendi rem, notionem modi ſibi vendicare poſſint: in conſideratione tamen Theologica, ſeu in genere paupertatis Monaſticæ modus accipiendi rem notionem quandam ſubſtantiæ, & veluti ſpeciem eſsentiæ præfert. Quoniam ſublato hoc modo, nempe dependentia ſubditi a Prælato in petitione licentiæ, confeſtim in nihilum recideret paupertatis votum. Ex quo conſequitur evidens contradictio, quæ ſtatum deſtruit quæſtionis. Eruitur ſiquidem Prælatum aſsentiri, & non aſsentiri ſubſtantiæ moralis acceptionis, quoties modus habendi ſine licentia expreſsa ei diſpliceat. Verum hæc omnia ad majorem abundantiam dicta ſint. Summi momenti quæſtio in ſequenti paragrapho eſt diſcutienda.

§. IV.

Religioſus accipiens, vel donans ex præſumpta licentia, cum expreſſam facile habere poteſt, votum violat paupertatis, paucis exceptis caſibus.

I. Non negamus poſse quandoque Religioſum agere ex licentia præſumpta, ut (§. 2.) jam indicavimus; nempe cum facilis ad Prælatum acceſsus non eſt, & cum res levis, vel leviſſima ſit. Opinionem itaque

que improbamus, aſſerentem Religioſos abſolute poſſe accipere, & alienare ex præſumpta licentia, etiam quando expreſſa facile haberi poſſit. Et quanquam præſens dubium cum altero ſuperioris paragraphi confundant, & ſimul pertractent adverſæ ſententiæ auctores; Nihilominus ſejunctim duo hæc verſare volui, ut facilius veritas percipiatur, & præcipue, ut manifeſtius palam fiat, conſilia quorundam Caſuiſtarum eo ſpectare, ut in nihilum redigant obſervantiam paupertatis Monaſticæ. Hoc enim conſequi ex eorum opinione ſatis clare oſtendimus in hoc ipſo paragrapho. Et ne ipſis invidiam gratis conflare videamur, difficultatem eorum terminis conceptam proponimus. Antonius a Spiritu Sancto in Direct. Reg. (tract. 3. diſp. 4. Sect. 6. num. 337.) hæc ſcribit. " Dico primo, licentia expreſſa non omnino neceſſaria, ſed ut licite operetur, " ſufficit tacita, etiam quando expreſſa peti poteſt, ſed ob verecundiam, " vel aliam difficultatem non poſtulatur. Ita ſentiunt Suarez, Sanchez, " Bordon, Lugo, Pejerinis, & alii communiter Doctores apud Vidal. Ratio eſt, quia eadem eſt virtus taciti, & expreſſi. " Hactenus ille.

II. Duo hic animadvertas velim. Primum Doctores, quos laudat, non omnes ſuæ ſubſcribere ſententiæ, ſed plures docere peccare illum Religioſum venialiter. Si autem ab iſtis perconteris, cur peccatum interveniat veniale, minime vero tranſgreſſio voti, non aliud præbent reſponſum, niſi quod ita docent plures Theologi, ſed nunc his immorari non vacat. Alterum, quod in anteceſſum perpendas ſerio velim, eſt, quam verum ſit, id quod paulo ante innuimus, ſcilicet conſilium Caſuiſtarum plurium eo ſpectare, ut votum paupertatis ad metas metaphyſicas ſubtilitates reducant. Quandoquidem ad omnia argumenta, quæ fiunt contra nimios Monacarum ſumptus, contra vanos ornatus, contra ſuperfluam ſupellectilem, reſpondent hæc omnia ex Prælatorum licentia haberi. Iſthic pedem figunt clamantque paupertatem Monaſticam in hoc ſitam eſſe, quod nihil habeatur ſine licentia Prælatorum: quod, cum adeſt hæc licentia nullus quantumvis magnus theſaurus, paupertati opponatur. Quando poſtea de hac licentia ſermonem habent, taliter eam dividunt, in ſpecies eam multiplicant, ut tandem reipſa nullam requiri ex eorum verbis apertiſſime colligatur. Propugnant enim ſolam verecundiam, & quamlibet difficultatem ab expreſſa petitione licentiæ Religioſum liberare. Porro intima eſt humanitati noſtræ difficultas ſe ſe ſubjiciendi alterius imperio. Ipſe ad Prælatum acceſſus aliquale onus ſecum adfert. Verbo dicam, inſeparabilis eſt quæcumque, aut verecundia, aut difficultas ab hac licentiæ petitione. Nunquam ergo ad hanc petendam licentiam Religioſi tenentur, cum nunquam eam, ſine aliqua, aut verecundia, aut difficultate petere valeant. Quod evidentius oſtendi poteſt. Nam vel præſumitur hæc licentia concedenda, vel non? Si præſumitur, expreſſa petitione non eſt opus inquiunt illi. Si non præſumitur, ſtulta eſt petitio. Quis enim id poſtulabit, quod ſibi certo denegandum præcognoſcit? Verum quid plura ego congero, cum

hæc

hæc ſit aſſertio laudati Antonii a Spiritu Sancto, eamque propugnent alii apud Paſſerinum (q. 186. inſpect. 5. n. 106.) His verbis. „ Sed abſolute lo- „ quendo ſufficere licentiam tacitam, vel præſumptam, etiamſi commo- „ de poſſit haberi expreſſa, docet Communis ſententia. „ An hæc ſententia dicenda communis ſit inter plures Caſuiſtas, non eſt operæ pretium diſcutere.

III. Id ſummopere diſplicet, quod vel ipſe Divus Thomas detorqueatur in laxiſſimæ opinionis patrocinium. Docet Angelicus (2. 2. q. 32. art. 8. ad primum.) Monachum de rebus Monaſterii poſſe facere eleemoſinam ex licentia, vel expreſſa, vel præſumpta. Quoniam non ſemper expreſſa peti poteſt: & circumſtantiæ ad actum aliquem urgere eum poſſunt, quod omiſſio ſit culpabilis. Idcirco aſſerit Angelicus deficiente expreſſa licentia, poſſe ſufficere præſumptam, qua Monachus eleemoſinam impertiri poſſit. Ubi vero docet Angelicus ſufficere licentiam præſumptam abſolute, etiam quando expreſſa commode peti poteſt? Ubi vel unicum verbum, quod talia indicet? Et tamen, eo quod Angelicus reſpondens ad argumentum ſibi objectum, aſſerat, poſse Monachum impertiri eleemoſinam; vel ex diſpenſatione expreſsa Abbatis, vel ex præſumpta, prout circumſtantiarum, & eventum varietas tulerit. Quid inferunt? Inferunt Religioſos non teneri ad expreſsam licentiam petendam, etiam quando commode, & facile valent; ſed ex præſumpta poſse accipere, donare, commutare res etiam magni valoris. Inferunt poſse, eos expendere in ludos, in uſus vanos, turpes, ac denique meretricibus mercedem ſolvere, quin tranſgrediantur paupertatis votum.

IV. Ex quibus in primis liquet, opinionem hanc ad omnem laxitatem, & ad ultimam univerſæ Monaſticæ diſciplinæ jacturam, votorumque paupertatis, & obedientiæ exterminationem undiqueverſum januam reſerare. Ex ea enim quiſque Religioſus præſumet, Prælatum ſuum negotiis ſuis aſſentiri. Et ex hac præſumpta licentia, contractus inibit, accipiet, donabit, & quidquid ſibi expediens viſum fuerit peraget. Communiter enim homines ea omnia ſibi deberi præſumunt, quæ ſibi placent. Quoniam inquit alicubi Auguſtinus: *Sanctum eſt, quod volumus*. Et ſicut hanc licentiam valere ajunt in voto paupertatis, ſic quoque in voto obedientiæ valere dicendum erit. Poterunt itaque ſubditi domo egredi, commorari, itinera conficere, ex hac præſumpta licentia. Addunt, ut Religioſus præſumat, Prælatum ſuum conceſsurum fore licentiam, ſi peteret: non eſse neceſsariam moralem certitudinem, ſed ſufficere probabilem. Vix autem contingere caſus poteſt, in quo nequeas præſumere probabiliter impertiendam fore licentiam ab aliquo tuorum Prælatorum, videlicet vel ab infimo, vel a medio, vel a ſupremo, vel a mediato, ut ipſi ajunt, vel ab immediato. Quid ſi hæc doctrina cœteris legibus diſpenſationem excipientibus accommodaretur? Actum profecto de illis conclamatumque foret. Quid ni alienabimus bona Eccleſiaſtica ex præſumpta licentia, confeſſio-

nes

nes exipiemus cœteraque id genus? Sed de his ſermo redibit: Ad demonſtrandam modo aſsertionis noſtræ veritatem accedamus.

V. Manifeſta laxitas, quam contraria opinio, ut vidimus, inducit, evidentem rationem nobis ſuppeditat, qua eandem pœnitus convellamus. Enimvero dato etiam, quod licentia præſumpta abſolute accepta ſufficeret; videndum ſupereſt, quando adſit necne hæc præſumpta licentia. Nos ſiquidem pernegamus, adeſse licentiam præſumptam, cum expreſſa facile haberi poſſit. Ut enim quis præſumat, Prælatum ſuum conceſsurum fore licentiam, ſi peteretur, ſolido fundamento, & prudenti conjecturæ inniti debet. Tantum vero abeſt grave aliquod, in caſu noſtro, adeſse momentum prudentis præſumptionis, quin contra rationes omnes imprudentiæ, & temeritatis hanc revincant præſumptionem. Quis enimvero præſumere prudenter valet, Prælatum conſenſurum eſse iis, quæ diſciplinam omnem ab imis convellunt, quæ Monaſtici Regiminis cardines ſubmovent, omnemque perturbant ordinem, & armoniam? Sed libertas agendi ex præſumpta licentia, nullo præſtituto limite, hanc omnium malorum cladem invehit. Audax ergo, & temeraria præſumptio iſta foret: atque in Prælatos ipſos injuſta, & iniqua. Quid enim iniquius, quam eos, quos Deus poſuit regere Eccleſiam ſuam, judicare proprii miniſterii prævaricatores, legumque diſſipatores? Tales quippe forent, quoties vellent, ſubditos ſuos ex præſumpta licentia agere, etiam cum expreſsam commode impetrare valent.

VI. At, inquiunt, experientia didicimus hanc præſumptam licentiam adeſse. Ipſi quippe Prælati hac de re rogati teſtantur ratam habere conſuetudinem operandi ex præſumpta licentia. Si ipſimet Prælati hoc adfirmarent, ipſi proderent prævaricationem ſuam, quæ nulli foret Religioſorum conſcientiis ſubſidio. Etenim licentia ipſa expreſsa non ſuffragatur ſubditis, quoties conſentanea non eſt boni communis progreſſioni, aut ei adverſatur; quanto minus ergo ſuffragaretur hæc licentia præſumpta, quæ, ut vidimus, ad diſciplinæ regularis ruinam, vitam parat? Quemadmodum cum Prælatus irrationabiliter eſt invitus contra ſubditos, ſubditi licite agere queunt, ita, quoties Prælatus foret irrationabiliter aſsentiens manifeſto legis damno, licite operari nequirent ſubditi.

VII. In ultima tandem, plenaque luce, ut locetur aſsertio noſtra, præſcindere ab hoc puncto volumus, num ſcilicet Prælatus licite necne ſit aſsentiens: ſimulque concedere licentiam adeſse præſumptam: adhuc tamen dicimus hanc minime ſufficere. Quandoquidem Prælati licentia pro acceptione, donatione, ſeu alienatione in Religioſo non exigitur ob id dumtaxat, ut debitus diſciplinæ ordo ſervetur, ſed ad valorem actus requiritur, ut omnes fatentur Theologi, maxime vero adverſæ opinionis Patroni, qui ubique clamant, ut alias diximus, voti hujus eſsentiam in dependentia a voluntate Prælatorum conſiſtere. Porro

quan-

quando valor actus a ſuperioris licentia pendet, haud quaquam ſufficit ratihabitio de futuro, vel præſumptio conſenſus deinceps præſtandi. Sed licentiam præcedere actum neceſse eſt. Qua de cauſa non valet alienatio bonorum Eccleſiaſticorum ſub præſumptione licentiæ a Pontifice conferendæ: non valent adminiſtrationes Sacramentorum Pœnitentiæ, & Matrimonii ex præſumptione, quod licentia daretur, ſi peteretur; neque tandem vinculum legis ceſsat, eo quod Superior diſpenſaret, ſi petitio fieret.

VIII. Mirum eſt, quot inanes ſubtilitates excogitatunt, ut his manifeſtis rationibus tenebras prætenderent. Non vacat omnes referre. Communiter reſpondent apud Paſsetinum (q. 186. art. 7. n. 124.) „ quod licentia præſumpta eſt præſens, prout tacite, & virtualiter continetur in „ diſpoſitione aliqua ſuperioris de præſenti ſaltem habitualiter exiſtente, in „ qua, poſitis circumſtantiis facti, licentia præſumpta contineretur: & habet eſse determinatum taliter, quod dici poſſit, illam moraliter actu eſſe, cum Religioſus ea utitut; „ placuit propriis eorum verbis eorum referre reſponſionem, quam profecto vocibus quidquam ſignificantibus, non erubeſco confiteri, me exprimere neſciſse. Quoniam quid exprimit illa diſpoſitio habitualis Prælati, in qua præcontinetur licentia præſumpta? Quid illa periodus: ***habet eſſe determinatum taliter, quod dici poſſit actu præſens?*** Quid hæc omnia ad inſtitutum ſignificant reipſa? Non revera aliud, niſi quod licentia futura ſit licentia præſens; & quod licentia ſub conditione danda, ſit licentia abſolute conceſsa? Ad ſummam idem ſonant, ac frigidum eſt calidum: Album eſt nigrum. Ad haſne verborum ſartagines revocatur ſolemnis voti obſervantia? Hæc reſponſio adeo inepta nobis videtur, ut longior ſermo ſuperfluat.

IX. Aliud reſponſum nihil præcedenti melius exhibent. Sic, inquiunt, fert natura voti paupertatis, ut licentia probabiliter præſumpta, ſufficiat ad excludendum proprietatis vitium. Immo oppoſitum aperte exigit natura voti. Siquidem natura cujuſque rei propriam appetit conſervationem, minime vero deſtructionem. Porro conſuetudinem licentiæ præſumptæ, voti deſtructionem inducere ſupra demonſtravimus. Non itaque, ut ex licentia probabiliter præſumpta agatur, fert natura voti; ſed eodem conatu, quo ſuam avet perpetuitatem, vult quoque, ut ex licentia expreſſa, cum facile peti poteſt, Religioſi accipiant bona, vel diſtrahant; Nec minus licentiam præſumptam, quam ſui perditionem, deteſtatur.

X. Ultimo tandem opponunt. Conſenſus præſumptus Domini excuſat ſervum a furto. Ergo conſenſus præſumptus Superioris excuſat ſubditum Religioſum a voti paupertatis tranſgreſſione. Paritas hæc undequaque claudicat. In primis tanquam certus conſenſus Domini præſumptus ſtatuitur. Quæ præſumptio fundamentum quandoque habere poſset, eo quod Dominus abſolutus ſuorum bonorum Dominium habeat: atque in ejus omnino arbitrio conſtitutum eſt, ut propriæ utilitati renunciet. Prælatus vero,

ro,

ro, non Dominus, ſed purus adminiſtrator eſt bonorum Monaſterii in commune utilitatem. Quapropter paritatis diſcrimen evidens eſt. Ut ad intentum paritas hæc quidpiam evinceret, hoc pacto deberent eam præformare. Servi poſſunt licite furari, quoties ſibi viſum fuerit, ex præſumpta voluntate Domini, cui licet diſpliceat occulta ablatio, aſſentiens tamen præſumitur acceptionis ſubſtantiæ. Sed quid eſt, cur præſumatur hæc aſſenſio? Quia præcontinetur in quadam habituali diſpoſitione Domini. Quia ſic fert natura ſervitutis, ut ex voluntate præſumpta Domini poſſit ſervus furari. Deliria hæc ſi videntur, ædepol non minus delirium eſt aſſerere, Religioſum poſſe ex præſumpta licentia Prælati, nullo præfinito limite, accipere, & expendere res alienas quæ ipſius Prælati minime ſunt, ſed Monaſterii. Præter quam quod neceſſitas licentiæ in ſubdito, non ex ſolo juſtitiæ debito, ut in ſervo, ſed ex voto, quo ſe obſtrinxit ad nihil habendum ſine licentia ſuperioris, ortum ducit.

CAPUT TERTIUM.

De bonis, quorum uſum ex Superioris licentia habere poſſunt Regulares.

AD majorem eorum, quæ dicturi ſumus, lucem, doctrina Angelici Doctoris præ oculis habenda eſt, quam ex (opuſc. 19. cap. *6.)* diſſertatione ſecunda dedimus: videlicet, quod chriſtiani omnes animo renunciare bonis debeant terrenis. Regulares vero reipſa; ita ut illi ad habitualem tantum, iſti vero ad actualem paupertatem teneantur: illi in medio divitiarum ſpiritum pauperem nutrire valent: iſti, niſi auro, & argento ſpoliati ſint, pauperes eſſe nequeunt. Votum, quo obſtricti ſunt, bonorum temporalium privationem ſecum adfert. Ad ſolam hujus Angelicæ doctrinæ conſpectum in fumum abeunt omnes molliorum Theologorum cavillationes. Qua de cauſſa eandem ſæpe numero recordabor. Ad rem accedamus.

§. I.

An paupertatis voto repugnet, quod Regulares habeant inſtrumenta argentea, nempe choclearia, cultrum, furcinulam, arculam pro tabacco, horologia, idque genus ſimilia?

I. Reſpondeo hæc omnia ſolemni paupertatis voto opponi, ſtatumque Monaſticæ diſciplinæ evertere: tum quod paupertas, & pretioſitas directe opponuntur. Unam, aut alteram reſpui neceſſe eſt: cum quod om-

nes ſacrorum ordinum conſtitutiones hæc omnia Religioſis ſevere prohibeant. Sufficiat mihi inhibitionem referre, quæ habetur in conſtitutionibus ordinis Prædicatorum (diſt. 1. cap. [illegible] in gloſ. ad lit. D.) *Nullus frater, aut ſoror ordinis noſtri cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtat, uti debet choclearibus, & inſtrumentis aureis, vel argenteis, aut etiam ex lapidibus pretioſis, ſive in menſa, ſive in cingulis, ſive in cappis, cultris, vel eorum vaginis, ſive in quocunque alio genere rerum utenſilium. Qui autem tranſgreſſores reperti fuerint, iiſdem inſtrumentis omnino priventur, & illa communitati applicentur, & graviter præterea tranſgreſſores puniantur.* Innumeras alias prohibitiones, tum ex ſacrorum ordinum legibus, tum ex ſacris Canonibus petitas adferre poſſem; ſed non eſt opus authoritate, cum veritas per ſe patens ſit, & manifeſta.

II. Uſum ergo adeo communem damnare audes? Non ego, ſed Monaſtica diſciplina, ſed vota, quæ diſtinxerunt labia tua Deo, eum damnant. At regulares probi, docti, prudentes, Prælati, & ſubditi, verbo, omnes, qui argentum habent, choclearibus, cultris, furcinulis argenteis ad menſam utuntur, & ad temporis partitionem horologiis pariter argenteis. Nec ſcrupulum quempiam ſibi movent. Hanc illuſionem ab externa hominum probitate in conſpectu legis eam damnantis deſumptam, fuſius infra excutiemus. Satis ſit nunc indicaſſe Monaſticas Leges, Sacros Canones, & ipſius voti notionem hæc omnia improbare. Nobis vero ſummopere perpendendum eſt, de harum legum, & profeſſionis noſtræ obſervantia, non de aliorum geſtis reddituros eſſe rationem. Quid, quod vel ipſi de Mundo homines ditiſſimi, nonniſi argentea inſtrumenta ad manducandum adhibent? Ad quid valeret paupertas Monaſtica, ſi ea nobis permitteret, quibus vel ipſi Principes viri contenti ſunt? Pauperes, qui mendicato vivunt, argenteis inſtrumentis ſi menſam inſtruerent, quis vere pauperes eos reputaret? Et qui, humeris hippoperis impoſitis, oſtiatim panem quæritant: qui ritu ſolemni paupertatem Chriſti, qui locum non habuit in diverſorio, profitentur: qui mendicantes appellitari gloriantur: iſti, inquam, argento temporis inſtantia metiuntur? Iſti argenteis cultris panem ex eleemoſina acceptum diſcindunt? Iſti choclearibus argenteis pulmentum ſumere non erubeſcunt? Et tu iſtorum probitatem, & doctrinam objicere non verecundaris? Ut abuſum conſuetudinis larva induas, legum ſacrarum fractores in authoritatem adducis?

III. At Religioſis pluribus negotiis occupatis commodo ſunt horologia, ut temporis partitione ſingula, datis horis, peragere valeant negotia. Cœtera ergo inſtrumenta, nempe chochlearia, cultros, & forcinulas in menſa, fibulas in cappis, calceis, & cingulis, arculam pro tabacco, vel ipſe damnas? Commoda vero eſſe horologia, & nos ipſi fatemur. Sed an Euangelicæ paupertati congrua ſint, inquirimus? Commoda Cappuccinis eſſet rheda, ſed profeſſioni adverſa. Quid commoda quæris, qui commodis, ſolemni profeſſione paupertatis Euangelicæ, renunciaſti?

§. II.

§. II.

An culpam mortalem, aut venialem committant Religioſi, qui talibus argenteis inſtrumentis utuntur?

I. Voto, & ſtatui Monaſticæ paupertatis, quæ in præcedenti paragrapho enumeravimus, repugnare evidens eſt, & manifeſtum. Id quod nunc in diſputationem vocatur, eſt: num uſus illorum mortalis ſit, aut venialis? Methodus, quam nobis præſtituimus, a ſimilibus deciſionibus, quibus referta ſunt non paucorum volumina, nos avocat. Et utinam Theologi omnes in culpis diſſuadendis forent eloquentiores, quam in culparum qualitate, & quantitate metiendis ſubtiliores. Ad rem.

II. Duo nos nulli dubitationi obnoxia, ſed ut certa, & inconcuſſa ad interrogationem reponimus. Primum, omnia recenſita, voto, & paupertatis Monaſticæ ſtatui repugnare. Ergo ſunt peccata. Si peccata, ergo cavenda. Alterum: ſi peccata: ergo vel mortalia, vel venialia. Sed quemadmodum ego certe aſſerere nequeo, eſſe mortalia; ita profecto nec tu certo aſſerere jure vales, eſſe tantummodo venialia. Immo luculentum videtur, me potiori ratione, ut mortalia ea damnare poſſe, quam tu propugnare, ut venialia: maxime ob gravium ſcandalorum confectaria, quæ in innocentes, poſteroſque inde derivantur. Quid hinc conſequitur? Quod tu dum tali conſuetudini indulges, anceps ſit, an capiti tuo gladius æternæ damnationis decretus jam ſit, vel decernendus immineat. Quid plura? Tanquam certum ſtatuas velim, hæc omnia peccata venialia tantummodo fore. Peccata enim eſſe, cum voto, & ſtatu tuo pugnantia vel ipſe confiteris: Porro, cum hæc peccata, non modo forent quotidiana, ſed continua, pluſquam cibus, & potus; Neceſſario conſequitur Religioſos iſtos in continuo affectu verſari ad peccata venialia. Conferto nunc hanc habitualem affectionem ad peccata venialia, immo ſtatum hunc continue culpabilem, cum altiſſimo illo præcepto, quo obſtricti ſunt Religioſi omnes ad perfectionem comparandam. Et hinc ſtatim colliges, Religioſos iſtos in maximo æternæ ſalutis periculo verſari. Quod ſi hoc, quin commovearis, deglutis, nullus dubito, quin ad ipſa læthalia peccata deglutienda paratus ſis. Nec eſt, quod licentiam Prælatorum opponas, quoniam ad ea, quæ voto adverſantur, haudquam extenditur Prælatorum poteſtas.

§. III.

Quomodo in ciborum uſu peccare poſſint Religioſi contrà paupertatem.

I. Sobrietatem cibi, & potus omnibus neceſſariam eſſe ratio ipſa dictat; & ſanitatis conſervandæ ſtudium, eamque Chriſtus imperat. Lucæ (c. 21.) *Attendite ne graventur corda veſtra crapula, & ebrietate, aut curis ſæculi hujus*. Quod ſi univerſi fideles gulam comprimere, concupiſcentiam cohibere; ſi viam anguſtam calcare, & aſſidua pœnitentia carnem affligere tenentur: Si omnibus minatur Deus: *Væ vobis, quia ſaturati eſtis*. (Luc. 6.) Si Paulus eorum auribus inſonat: *Non eſt enim Regnum Dei eſca, & potus; ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*. (ad Rom. 14.) Quid ad hæc plures delicati Religioſi reſpondebunt, quorum, inquit Apoſtolus, *Deus venter eſt*: qui in conviviis, & compotationibus enutriunt corda, & corpora? *Hi ſunt*, ait Judas Apoſtolus, *in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ. Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones: ſidera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum*. Quandoquidem pluribus vinculis viri Deo ſacrati ad ſobrietatem, & abſtinentiam obſtricti ſunt; maxime vero, ut paupertatis, & caſtitatis vota cuſtodiant. Hinc eſt, quod Monachis carnium eſus vetitus ſit, ut colligitur ex (cap. cum ad Monaſt. de ſtatu Monach.) & Patres omnes clamant, ventris ingluviem libidinem accendere, plenumque ſtomachum in luxuriam deſpumare. Qua de re Auguſtinus (Dom. 1. quad. ſer. 2.) inquit, *ſemper enim juncta eſt ſaturitati laſcivia. Vicina ſibi ſunt venter, & genitalia; & pro membrorum ordine, ordo quoque vitiorum intelligitur*. Hæc turpis membrorum, vitiorumque confœderatio adeo indiſſolubilis eſt, ut Religioſum repertum iri vix poſſibile ſit, qui gulæ indulgeat, & caſtitatem colat.

II. Verum ad inſtitutum noſtrum minime pertinet, damna, quæ Caſtitatis voto Religioſorum lauta convivia inferunt, patefacere; ſed oppoſitionem, quam cum paupertatis voto habent, indicare. Etiam in hac materia ſubtilia, curioſaque dubia verſant Theologi. Diſputant, an Religioſi manducantes in domibus ſæcularium abſque Prælati licentia, violent paupertatis votum? Alii adfirmant, eo quod *active*; negant alii, oppoſita ducti ratione, quod ſcilicet *paſſive* ſe in conjectura habeant. Alii propugnant poſſe Religioſum, inſcio Prælato, a ſæculari accipere duas gallinas, aliaque ſaccharo condita, ut refert Sanchez (lib. 7. cap. 19. n. 53.) Si rationes expoſcis, de more reſpondent, ſic authores docere. Sed hæc nimis ridicularia ſunt, quam, ut tempus teramus in eorum impugnatione. Ea

enim

etiam omnia, ſive ad victum, ſive ad veſtitum pertineant, quæ ſunt pretio æſtimabilia nequeunt, inconſulto Prælato, recipi. His itaque miſſis, breviſſime dicimus, paupertatem Monaſticam, non minus in victu ac in cœteris rebus ſervandam eſſe. Quamobrem Religioſi, qui exquiſitis, delicatiſque epulis nutriuntur, tum contra leges abſtinentiæ, tum maxime contra paupertatem peccant. Quæ veriſſima cum ſint, quid ſi aliqui communi menſa minime contenti ſelectiora fercula proprio peculio ſibi compararent, & privata convivia inſtruerent? Peccarent quoque contra paupertatis votum, ſi quidquam de comeſtibilibus conventus abſque Superioris licentia ſibi uſurparent, ut docent Navarrus (lib. 3. de reſt. cap. 5.) Leſſius (lib. 2. de juſt. cap. 41. dub. 9. num. 79.) Sanchez (lib. 7. cap. 19. num. 53.) qui non aliud diſcrimen inter hæc comeſtibilia & alia bona agnoſcit, niſi quod in cibis facilior præſumitur licentia.

§. IV.

Paupertas Religioſorum in veſtitu ſervanda.

Monaſtica paupertas non intra ſpiritum ſiſtit, neque ſolo nutritur affectu, ſed in exteriorem conſpectum erumpit. In veſtitu autem ſummopere elucet paupertas iſta, tum, ut interioris animi demiſſionem, & humilitatem præferat, tum ut proximum ad vanitatis, & faſtus contemptionem alliciat urgeatque. Præclare hac de re D. Thomas (opuſc. 19. cap. 8.) *Humilitas non ſolum in interiori conſiſtit, ſed etiam in exterioribus. Vilitas veſtium ordinatur ad humiliandum animum, & etiam ad domandum corpus. Et hoc modo ſicut in jejunio conſiſtit Religio, ita etiam in veſtium vilitate.* Hæc Religioſi ſtatus idea, hic genuinus Monaſticæ paupertatis character. Spiritui paupertatis pauper veſtitus reſpondere debet. Sub ſplendida veſte ſpiritum pauperem de mundo homines fovere poſſunt. In Religioſo exquiſitus ornatus certiſſimum eſt elati, & ſuperbientis animi argumentum. *Nemo quippe veſtimenta præcipua niſi ad inanem gloriam quærit: videlicet, ut honorabilior cæteris eſſe videatur.* Gregorius (in Homil. ſup. homin. divit.) Non vacat in præſentia Religioſorum vanum in veſtibus ornatum deſcribere. Siquidem ipſimet per compita, & plateas diſcurrentes ornatuli, & comptuli, cucullo ſuper dorſum expanſo, nitida, ſplendidaque veſte, calceis argenteis fibulis ſubnexis, aut flavis chirotecis manibus coopertis, fortius exſibilandos propinant ſe ſe, quam quæcunque vel eloquentior oratio. Id ſolum nos lugere poſſumus cum D. Bernardo in Apologia ad Gulielmum Abbatem. *Ipſe habitus noſter qui humilitatis eſſe ſolebat inſigne, a Monachis noſtri temporis in ſignum geſtatur ſuperbiæ. Vix jam in noſtris provinciis invenimus, quo veſtiri dignemur.* Ut igitur paucis paragraphum hunc concludamus; dicimus, Religioſos, qui veſtes habent, vel numerum a lege præſcriptum ex-

excedentes, vel ſubtiliores, & pretioſiores, quam Monaſtici, & mendicantium ſtatus conditio fert, in votum peccare paupertatis. Cum vero hæc latitudinem excipiant, præciſam ſententiam non admittunt, ſed circumſtantiis inſpectis, prudentum judicio opus eſt.

CAPUT QUARTUM.

De ludis Religioſorum.

Ludis, qui in jocoſo ſermone, factiſque ludicris ſiſtunt, quive, ad ſpiritum exhilarandum, animique deſatigati levamen referuntur, Religioſos ipſos indulgere poſſe, non tam concedit, quam ſuadet, & evincit D. Thomas (2. 2. q. 168. art. 2.) *Quando anima ſupra ſenſibilia elevatur operibus rationis intenta, naſcitur exinde quædam fatigatio animalis, ſive homo intendat operibus rationis practicæ, ſive ſpeculativæ, & ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermiſſa intentione ad inſiſtendum ſtudio rationis.... & ideo circa ludos poteſt eſſe aliqua virtus, quam philoſophus eutrapeliam nominat: & dicitur aliquis eutrapelus a bona converſatione; quia ſcilicet bene convertit aliqua dicta, vel facta in ſolatium.* Divus Antoninus de his ludis ſermonem habet (2. part. tit. 7. cap. 23. §. 1.) eoſque conſtituit in exercitio, *quo quis utitur aliquibus verbis ſolatioſis ob ſolationem ſui, vel aliorum.* Nemo itaque Religioſorum animos honeſtis recreationibus relevandos eſſe, negat. Id quod in diſputationem vocatur eſt: quinam ludi honeſtæ recreationis ſinceram imaginem ſuſcipere valeant. Nam præter ludos enumeratos, qui verbis jocoſis, factiſque ludicris exercentur, alii reperiuntur, in quibus pecunia exponitur, & ludus iſte in quo lucrandi, vel perdendi periculo committitur pecunia, deſcribitur, quod ſit contractus, quo inter ſe ludentes conveniunt, ut, cui forte alea, vel teſſera contigerit, teneatur alter pecuniam dare. Utrum ludi iſti recreationis homine Religioſo dignæ ſpeciem ſubire queant, ſequentibus paragraphis reſolvemus.

§. I.

Religioſi pecuniam ludis fortuitis alearum ſeu taxillorum exponentes peccant, nulla opitulante Prælatorum licentia.

I. Graviſſimi Theologi laicis ipſis, & Clericis taxillorum, & alearum ludum ſub mortali noxa vetitum etiamnum eſſe Canonum, Patrumque ſanctorum authoritate evincunt. Vera, an falſa ſit opinio hæc, noſtra haud intereſt dirimere. Id certo ſcimus unanimi Theologos conſenſione, ipſoſque

plurimos Caſuiſtas peccati reos damnare Religioſos omnes, qui enarratis ludis dant operam; Quoniam præter Sacrorum Canonum prohibitionem, omnium regularium ordinum leges ludos iſtos Religioſis ſuis ſeveriſſime interdicunt. Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum, quemadmodum ad carceris pœnam damnant in carnis, furti, vel calumniæ flagitia prolapſos; ſic eidem pœnæ ſupponendos fore declarant eos, qui ludis fortuitis luſiſſe inventi fuerint. (Diſs. 1. cap. 18. tex. 5.) *Idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos luſiſſe*. Taxillorum nomine ludos quoſque fortuitos venire, notum, compertumque.

II. Non deſunt tamen Theologorum aliqui, qui de more ad benignitatem, verius dixerim, ad laxitatem compoſiti, Aſſertionis communis vigorem linire, fucisque veritatem obſcurare tentant, ajentes, Religioſos deformatos, ſin minus taxillis, chartis ſaltem luſoriis indulgere poſse, ſecus vero Religioſos reformatos. Quid autem eſt, cur illi, ſecus iſti, poſſint? Scandalum, inquiunt, quod minime ex illis, ſicuti ex iſtis derivatur. At quanquam damus deformatos ordines nullum communis decoris detrimentum ſubire, ex quibuſdam geſtis, quæ penes ipſos invaluere, quibuſve reformatorum ſplendor obſcuraretur; hinc tamen colligere haudquaquam licet, deformatos Religioſos particulares, privilegium habere his ludis indulgendi. Quoniam alia eſt Communis decoris, honoriſque, alia privatorum ſalutis conſideratio. Immo Religioſos privatos, quo in laxiore Religione reperiuntur, eo cautiores eſse neceſse eſt. Et cum pluribus ſcopulis ſint expoſiti, ſi portum tenere velint, majore circumſpectione incedere, indefeſſius ad propriæ ſalutis ſtudium incumbere, ſibique a Relaxationibus temperare debent. Quæ licet veriſſima ſint, fortiora tamen, atque luculentiora ad controverſiam dirimendam occurrunt. Idem nempe cum deformatorum, tum reformatorum paupertatis votum, eademque, ad hoc quod attinet, obligatio, idemque onus. Peculium, quod illis permittitur, in ſolo victu, & veſtitu expendere licite poſsunt. An ne laxioribus fratribus laxior quoque Paradiſi via, latiorque janua evaſit? An homo ex impietate ſua roborabitur, aut commodum iniquitas reportabit? Nec illi igitur, nec iſti abſque culpa vetitis ludis vacare poſsunt: quidquid ſcribant Antonius a Spiritu Sancto (tract. 3. diſp. 4. ſect. 5. num. 322.) Fagundez, Salmanticenſes ſuum Antonium exſcribentes, aliique pauci.

III. Obviam audio objectionem contrariam, videlicet Religioſorum praxim. Nonne frequentius regulares, præ ipſis ſæcularibus aleis, taxillis, cæteriſque fortuitis ludis, maxime illi, qui vulgo *Lotto di Genova* nuncupatur, pecuniam exponunt? An ne omnes tum Prælatos aſsentientes, tum ſubditos ludentes ſacrilegos votorum tranſgreſsores pronunciabimus? Si vera ſunt, quæ narraſti, ſanguineis lacrymis ſuper eorum funeſtiſſima cæcitate plorandum eſt. Enimvero ſi de ludis mere fortuitis, ut eſt ille, qui *Lotto* nuncupatur, ſermo eſt, omnes ad unum Theologi,

quin

quin vel Bordonius, vel Antonius a Spiritu Sancto diſſentiant, fatentur peccare Religioſos ſimilibus ludis vacantes. Quandoquidem in iſtis nil elucet induſtriæ, ſed ſola dominatur ſors.

IV. In ludis autem chartarum, aliquid induſtriæ interſeri ajunt caſuum arbitri; qua de cauſa ſub honeſtæ recreationis titulo illis vacare poſſe Religioſos ajunt aliqui. En quò devenimus? Hac vocabulorum, nominumque permutatione vitia virtutes evadunt. Cupiditatis, & avaritiæ exercitia ad virtutem revocant eutrapeliæ. Interveniat induſtriæ aliquid in ludis chartarum; attamen præcipuum locum, fortunam habere nemo eſt, qui neget. Si levamine Religioſi egent, eos ſeligant ludos, in quibus induſtria, & corporis exercitatio primas tenet, quoſve nec Canones, nec peculiares leges vetant.

V. Quid, quod chartarum, taxillorumque ludus, experientia teſte, infinitorum propemodum ſcelerum origo eſt, quorum inquit D. Antoninus (2. part. tit. 1. cap. 23. §. 6.) *Primum eſt amiſſio temporis, ſecundum blaſphemia, tertium contumelia, quartum diſſipatio ſubſtantiæ temporalis, quintum Eccleſiæ contemptus, ſeu inobedientia, ſextum eſt furtum, ſeptimum eſt gula, octavum homicidium, nonum invidia, decimum rerum neceſſariarum in familia penuria, undecimum jactantia, duodecimum mendacium, tertiumdecimum neglectus divinorum, quartumdecimum eſt odium, quintumdecimum participatio ſceleris . . . . . ſextumdecimum contentiones, decimumſeptimum eſt rapina, decimumoctavum eſt ſcandalum, decimumnonum eſt triſtitia, vigeſimum uſura, vigeſimumprimum eſt Chriſtianitatis vituperatio. Contra illud, quod ait Apoſtolus* (2.Corinth.6.) *non vituperetur miniſterium noſtrum, ideſt ſervitium, quo ſervimus Chriſto, ſed per ludum ſervitur Diabolo. Sicut enim Deus invenit 21. litteras primo ad componenda biblia, ubi eſt omnis ſapientia revelata. Ita invenit Diabolus taxillos, & chartas pro biblia ſua, ubi poſuit 21. puncta ad litteras ſuas nigras, ubi reperitur omnis malitia peccati; Non ergo debet dici Chriſtianus, qui deditus eſt ludo, cum vituperet nomen Chriſti.* (& §. 8.) *Quantum ad tertium facit illud vitium aſſociari dæmoniis, quod innuit cum dicitur: in circuitu. Opus Diaboli eſt: circumire . . . . Unde* (Iſaias 65.) *qui ponitis fortunæ menſam, ut bibatis ſuper eam: propterea dinumerabo vos in gladio. Ponunt menſam fortunæ, qui ludunt exponentes ſe fortunæ, ſive per taxillos ludendo, ſive per chartas, & iſti feriuntur gladio Divinæ actionis in inferno. Unde in chartis, ſive naibilis ſunt figuræ, non ſolum baculorum, denariorum, cupparum, ſed & gladiorum ad innuendum, quod ex ludo ſequuntur cupiditates, potationes uſque ad ebrietatem, verberationes, & vulnera, & demum gladius mortis æternæ.*

VI. Quid igitur obtrudunt recreationis inane velamen? Ecquinam ſunt Religioſi iſti, qui in ludis dumtaxat veritis recreari ſe ſentiunt? An deſunt innumera alia honeſtæ lætitiæ, & liciti ſolatii exercitia? Nonne Re-

ligioſi

ligioſi cum ſint; pudere eos deberet proprii animi levamen in talibus collocare? Multitudo immenſa Religioſorum, qui hilaritatem ſpiritus, qui cordis gaudium, qui mentis ſerenitatem ubique ſpirant, vel ipſum alearum nomen abominatur, & quo ſunt hilariores, eo ſunt a ludis iſtiuſmodi remotiores. At quid? Si quandoque Religioſus ne amicorum converſationi moleſtus ſit, chartis luſoriis vacat: nunquid confeſtim læthalem noxam contrahet? Culpæ, malitiæque quantitatem in præſentia haudquaquam metimur. Familiarem iſtius decempedæ uſum aliis relinquimus. Manifeſta oppoſitio, quam cum paupertatis voto, ipſoque Religioſo ſtatu ludus iſte prodit, ſatis mihi, ſatis cuique eſſe debet. An eventus contingere poſſit, in quo ſemel Religioſus pecuniam alearum ludo exponat, quin vel leviter, vel nullo modo delinquat, vix, ac ne vix quidem conceſſerim. Aut enim amici colludentes ſunt laici, vel Religioſi: ſi Religioſi: ne abuſus in eorum clauſtris radices figat, nec ſemel aditum aperire debent: Si Laici, eos potius abducere a tali ludo tenentur, quam illis exemplo præire, eo præcipue quod ludi iſti haudquaquam ibi pedem ſiſtunt; unde initium auſpicantur; ſed ultra fere ſemper progrediuntur, & in eam malorum ſentinam abripiunt, quam ſupra ex D. Antonino deſcripſimus.

VII. Ut vero ea, quæ dicta ſunt fortius urgeant, benigniorum Theologorum auctoritate eadem confirmare juvat. Igitur communiter docent ipſi in ſtatu damnationis verſari Regulares omnes, qui frequenter chartarum ludo operam dant. P. Rotarius, qui collegit omnes fere aliorum Theologorum, & Caſuiſtarum opiniones & mitioribus paſſim adhæret, (tom. 2. lib. 3. cap. 1. punct. 12. num. 13.) tametſi concedat interdum relevandi animi cauſſa poſſe regulares chartis ludere; nihilominus ſubdit. *Secus dicendum ſi ſæpe vacarent prædictis ludis, Nam tunc difficile excuſarentur a mortali, etiamſi luderent ſine ſcandalo, ut* ex communi Doctorum *teſtatur* Lezana *verbo ludus* (num. 4.) *Erit autem ludus frequens, & ludens dicitur conſuetudinarius ſi ſemel in hebdomada fiat juxta* Bordonium (reſol. 33. num. 3. . . .) *Abominabile hoc vitium eſt, ut Religioſum ſtatum, & perfectionem evertat, ſanctitatem comminuat, vota diſrumpat. Ob quam gravibus pœnis apud ſupremum Dei Tribunal obnoxii erunt, nedum Religioſi ludentes, ſed ſuperiores etiam ſcientes & corruptelam hanc non reſecantes*, inquit Roſignol. apud eumdem Rotarium ibidem. Petrus Paſſerinus (tom. 2. de ſtat. q. 187. art. 2. n. 343. & 344.) *Verum ſemper conſiderandum eſt, quod ludi chartarum maxime cupiditati, & avaritiæ deſerviunt, & quod de uno ex illis ad alium eſt facilis tranſitus . . . . Inde eſt quod nedum in Religionibus obſervantioribus, ſed in omni Religione Prælati hujuſmodi peſtes & ludos voluptuoſos, nulla conſuetudine obſtante juxta ſancita in Concil. Trident. Seſſ. 22. cap. 1. extirpare debent, & graviter peccant, ſi id non faciunt, & ſi hujuſmodi ludos permittunt, & multo amplius ſi dant licentiam eis ludendi ſuis ſubditis. Manifeſtum eſt enim, quod per uſum horum ludorum, ſub prætex-*

tu recreationis fratrum, ſternitur via ad diſſolutionem Religionum.

VIII. Ex quibus omnibus colligo minus caute ſcripſiſſe authores illos, qui ſub prætextu recreationis, ſuis inventis, animos regularibus adjiciunt ad vacandum his chartarum ludis a Sacris Canonibus, & a cujuſque Religionis legibus vetitis. Veriſſimum enim habet, quod Paſſerinus docet, nempe quod in his ludis facillimus ſit tranſitus de uno ad alium. Et licet quandoque animi recreandi cauſſa aſſumantur, in avaritiæ tamen & cupiditatis exercitium deſinunt. His itaque ludis, ipſa experientia, & ipſis authoribus fatentibus, intima eſt avaritiæ occaſio. Quando in illis pecunia exponitur reapſe non ad animi ſolamen, ſed ad cupiditatem alendam exercentur. Hinc vero ſacrorum Ordinum diſſolutio, Paupertatis euangelicæ everſio, jurgia, chori neglectus, ſacrorum contemptus, ſcandala, & innumera alia mala oriuntur, quæ S. Antoninus exponit. Si ergo ut Paſſerinus, & cœteri benignores Theologi docent, peccant Superiores hos ludos permittentes, aut pro virili non exterminantes, potiori ſane jure peccant Auctores illi, qui ſuis ſcriptis prodere audent, poſſe Regulares recreationis cauſſa alearum ludis vacare, & quanquam ſibi contradicentes ſubdant, exercitium iſtud rem eſſe plenam periculi, non propterea in tuto ſe collocant. Quandoquidem nunquam licitum eſt Religioſis viris operam navare ludis illis, qui eorumdem ſtatui repugnant, quive in praxi occaſio ſunt ruinæ Monaſticæ diſciplinæ votorumque violationem inducunt. Ne multa. Omnes Authores ajunt in peſſimo ſalutis ſtatu verſari regulares, qui frequenter ludis chartarum vacant, omnes docent ejuſmodi ludos plurimorum ſcelerum cauſſam eſſe. Ergo mirum in modum errant docentes poſſe Regulares his in ludis ſe ſe exercere ad recreandum animum.

§. II.

Religioſi cuique ludo pecuniam exponentes in votum peccant paupertatis, tum Prælati aſſentientes, cum ſubditi ludentes.

I. Contrariam ſententiam non tam propugnant recentes Theologi, quam extra diſputationem poſitam tenent. Idcirco vix quampiam rationem propriæ aſſertionis promunt; ſed veluti certiſſima poſitione habita, ajunt poſſe ſubditos præſumere de voluntate conſentiente Prælatorum, congruumque eſſe Prælatos aſſentiri, ut ſubditi ſui quandam moderatam pecuniæ ſummam ludis exponant non vetitis. Sed quid cauſſæ eſt, cur ita aſſerant? Quod Religioſi filiisfamilias, uxoribuſque æquiparentur, qui licet Dominii jure deſtituti, certam tamen nummorum quantitatem ludis exponere valent, prudenterque genitores, & mariti conſentientes præſumuntur. Idemmet de Religioſis dicendum ajunt. Quis credidiſſet talia a viris, qui Theo-

Theologi inaudiunt, ſomniari potuiſſe? Filiiſamilias, uxoreſque ludere poſſunt; ergo & Religioſi voto obſtricti paupertatis? Ubi iſthic paritatis ratio? Non aliud ergo onus, non aliam obligationem, præter illam, quæ ex juſtitia proficiſcitur, votum iſtud imponit? Nullam ſcilicet: quoniam, inquiunt, apud Sanchez (lib. 7. cap. 19. num. 83.) *Eadem ratio procedit quoque in Religioſis, & aliis alienare non potentibus*. Cur eadem ratio? Si diverſa eſt utriuſque ſtatus conditio? Si filiorumfamilias, uxorumque, ac Religioſorum diſparem eſſe rationem, vel ipſi ſilveſtres homines norunt. Fateor me non parum commoveri; cum in tractatoribus iſtis ſimilia offendo, & offendo paſſim. Quare veritatis amor, ſcandalorum multitudo, diſciplinæ Monaſticæ jactura, quæ inde derivantur, zelum vel invitum accenderent, calamumque acuerent, niſi in majorem profectum conducere judicarem, æquabili oratione lectores commoneſacere, ut hinc colligant, quanta ſit fides habenda auctoribus iſtis; quam caute legendi, quam parum deferendum ſit eorum auctoritati. Quod monitum tametſi alias dedimus, repetendum tamen eſt ſæpius: iſtæ porro laxitates omnes inde profluunt; quod votum paupertatis ad metaphyſicas abſtractiones revocant, quod in perſola quadam civili abdicatione Dominii collocent illud. Et ne gratis, me hæc aſſerere quiſquam ſuſpicetur, originem, & progreſſum iſtius Caſuiſticæ Theologiæ obiter indicare lubet. Opinio, quæ ludis pecuniariis Regularium favet, a quadam doctrina Dominici *Soto* aliquo modo, licet abſque ullo fundamento, ortum ducit. Soto (lib. 4. de juſt. & jur. ep. 5. art. 1.) hæc ſcribit. *Adnotandum hic tamen de minoribus, & pupillis, quia id ſcholaribus ſæpe uſuvenit, quod illos, quos Patres in ſtudio, vel curia ſuſtentant, credibile eſt, poſſe parvam aliquando quantitatem, reſpectu ſui ſtatus ludere, ut qui centum ducatos quot annis exponit, ſi quatuor, aut quinque ludo diſpendat, veroſimilius eſt Patrem ſuum habere ratum*. Hæc verba recitat Navarrus in Manual. (c. 20. num. 12.) & adjicit ſequentia. *Cui addo idem dicendum de Religioſo, qui ſtudet, aut negotiatur impenſis ſui Abbatis, modo honeſtæ recreationis cauſſa faciat*. Hanc Navarri doctrinam tranſcribit Jacobus Graffis (p. 1. lib. 2. cap. 21. num. 5.) Item Layman (lib. 3. tract. 4. ſect. 5. cap. 21.) Cardinalis de Lugo (diſp. 3. ſect. 7. num. 144.) Valentia (t. 3. diſp. 21. q. 12.) Doctrinam igitur *Soto* pro minoribus, & pupillis Navarrus extendit ad Religioſos extra Cœnobia degentes aut in Curia, aut in univerſitate ſtudii cauſſa. Navarrum ſequuti ſunt plures alii Theologi. Tractu temporis Collectores caſuum conſcientiæ Navarri, aliorumque Theologorum doctrinam pro Religioſis extra Clauſtra, dilatarunt ad Religioſos omnes indiſcriminatim, ſive intra, ſive extra Monaſteria degentes. Et pro hac ſua opinione citant Navarrum, alioſque Theologos loquentes dumtaxat de Religioſis commorantibus vel in Curia ad peragenda Monaſteriorum negotia, vel in univerſitate, ut ad litterarum ſtudia incumbant. Immo eo uſque progreſſi ſunt, ut non modo Navarrum, alioſque antiquio-

res Theologos ſibi patrocinantes obtrudant, verum etiam citent ipſum *Soto* pro ludis nummariis Regularium, ut videre eſt apud Rotarium (tom. 2. lib. 3. cap. 1. punct. 12. numer. 16.) & Laynenſem (tom. 4. tract. 15. q. 29. num. 5.) cum tamen nec verbum de Religioſis ibi *Soto* habeat. Summam quinque ducatorum, quam in ludis expendere poſſe filiosfamilias & Minores docuit *Soto*; & Navarrus cum aliis aſſeruit de Religioſis extra Clauſtra degentibus; Caſuiſtæ recentiores auxerunt pro omnibus indiſcriminatim Religioſis ad quinque vel ſex aureos, qui ſi ſint Hiſpani ſummam conficiunt triginta ſex circiter ducatorum: ſi ſint Ulyſipponenſes ſexaginta valent. Quin eorum aliqui hanc ſummam indefinitam relinquentes, ſtatuunt colligendam eſſe *ex conditionibus perſonarum, & cauſſa ludi, & quantitate peculii*, inquit ex Lainenſi & Paſſerino, Rotarius (loc. cit.) Næ ſublimis Theologia! Regulares ergo alii ditiores, alii pauperes? Qui peculii plus habent, plus ludo exponere poſſunt? Paupertatis evangelicæ votum non eodem vinculo eoſdem obſtringit? Dignitates quoque *Bacchalaureatus*, *Præſentaturæ* & *Magiſterii* conferunt ad ſummam augendam? Sed ne multis te morer, referam, quæ ſcribit Bordonus (tom. 2. p. 1. reſol. 33. num. 2.) *Religioſus expendens unum aureum in eodem ludo, eodem die peccat mortaliter, non ſolum in ludis chartarum, ſed etiam in ludis ex ingenio, quia hæc ſumma videtur ſatis notabilis in Religioſo, qui militat ſub voto paupertatis expendere unum aureum eodem die*. Papæ! videtur ergo, non pro comperto habetur, ſumma ſatis notabilis, quod Religioſus eodem die, in eodem ludo unum expendat aureum? Quid ſi non eodem, ſed duobus diebus? Quid ſi non in eodem, ſed pluribus ludis? Quid ſi dimidium aureum eodem die, eodemque in ludo inſumerent mendicantes Fratres? Hæc, & ſimilia colligunt lectores. Et ex ejuſmodi quæſtiunculis, diſputationibuſque adeo laxis talem ſibi effingunt conſcientiam, ut totos ludis, etiam vetitis ſe ſe dent, ut quotidiana funeſtiſſima experientia conſtat. Si Caſuiſtæ omnes eam promerent doctrinam, quam pro Monachis tradunt Patres, Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Bernardus, Thomas, Bonaventura, Antoninus, Gerſonius, Dionyſius Carthuſianus, Alvarus Pelagius, Alphonſus Rodriguez, Sangiurè, & alii ſexcenti, qui evangelicam loquuntur doctrinam, ſi inquam Recentiores ſcriptores non pauci præfatos Magiſtros imitati fuiſſent dubio procul, radices adeo altas non egiſſent in Cœnobiis ludorum abuſus, aliæque corruptelæ. At tempus jam eſt, ut propius ad rem accedamus.

II. Et ut a confutatione eorum, quæ contra afferuntur, auſpicemur: Religioſi in ſua profeſſione duo præſtant invicem indiſſolubilia. Primum, omnia ſua tum præſentia, tum futura Dominio ſubjiciunt Religionis, & viciſſim Religio ad omnia pro victu, & veſtitu porrigenda obſtringitur. In hac vero mutua promiſſione juſtitiæ contractus elucet utramque partem ligans, vi cujus Religioſus quorumcumque bonorum Dominio

minio ſpoliatur: & , ad hoc quod attinet, filiisfamilias, uxoribuſque æquiparari poſſe haud diffitemur. Alterum præcipuum, maximumque, cui primum ſubjicitur, atque in hoc tanquam in finem refertur, eſt vera, realiſque Euangelicæ paupertas, quæ, præter civilis Dominii abdicationem, conformationem ad Chriſti, Apoſtolorumque paupertatem involvit, proditque. Atque iſthuc Monaſticæ paupertatis votum omnino ſpectat, ut a ſæculi moribus nos abducat; ut denique victu ſobrio, & humili veſte per anguſtam, arctamque viam ad Civitatem Sanctam nos perducat. Hæc omnia, quæ ex ipſius voti ſincera notione liquent, ſi cum Neotericorum placitis conferantur, illico oſtendunt, quam laxæ ſint eorum aſſertiones. Quid plura? Filiiſfamilias, uxoreſque ſericis pannis induuntur, lauta convivia inſtruunt. Eandemne in veſtibus pretioſitatem, eaſdemne in cibis delicias Religioſis conceſſeris? Quod ſi in neceſſariis naturæ rebus diſſimiles efficit paupertatis votum; quanto magis in ſenſuum oblectamentis?

III. At, inquiunt, nonne & Religioſorum animos aliqua honeſta recreatione congruum eſt relevari? Defatigatum corpus, languidum ſpiritum recreari debere ultro concedimus. Sed delectatione perſonæ, & ſtatui congrua, quam Angelicus conſtituit in animæ quiete, in laboris intermiſſione, in blandis colloquiis, ludicriſque factis; tribus tamen ſervatis conditionibus. Et D. Bernardus (lib. de ord. vit. & mot. inſt.) ait: *Caveamus itaque ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quendam bonorum operum. Uſus enim cito inflectit naturam. Quam multos ſtultorum ſocietas decipit! Quid nobis cum fabulis, riſu, & joco? Nam licet interdum honeſta joca ſuavia ſint, tamen ab Eccleſiaſtica* (quanto magis a Monaſtica) *aberrant regula? Quoniam quæ in Scripturis Sanctis non reperimus, quomodo uſurpare poſſumus? Cavenda ſunt enim omnia, quæ inflectere poſſunt ſtabilitatem propoſiti noſtri, noſtræque profeſſionis. Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis vos, dicit Dominus.*

IV. Quæ in Scripturis Sanctis non reperiuntur, uſurpanda denegat D. Bernardus. In quo, quæſo, non dico, Scripturarum Sanctarum libro; ſed in quo Canone, in qua Patriarcharum regula reperitur licitum eſſe Monacho pecunia ludere? Anne unam repperturus es Religionem, quæ quouſque ſuarum legum obſervatrix fuerit, ludis pecuniariis indulſerit? Nonne hac etiam ætate omnes ſacri ordines, ſive reformati, ſive obſervantes, ludos damnant pecuniarios, ceu crimina Religioſorum ſtatui repugnantia? Et tamen Religioſi iſti honeſtis utuntur recreationibus, hilarem, tranquillamque vitam ducunt.

V. Religioſos iſtos ludis pecuniam exponentes peccare ultro fatentur & ipſi adverſarii; quod in iſtis ordinibus iſthæc non obtinet conſuetudo, quemadmodum in deformatis Cœnobiis. Verum conſuetudo, quæ diſciplinæ regularis progreſſioni adverſatur, cum in reformatis, tum in

de-

deformatis damnabilis eſt. In Religionibus relaxatis utique quædam obtinent conſuetudines (quas gratis nunc ſic vocamus, cum alioqui manifeſti ſint abuſus) quæ reſpectu ſubditorum culpabiles non ſunt, & criminoſæ forent in reformatis. Verum conſuetudines iſtæ haud ſunt omnibus liberæ, ſed neceſſariæ, quia non a particularibus, ſeu ab univerſa pendent ſocietate: puta quod veſtitus non in ſpecie, ſed in pecunia ſuppeditetur: quod abſtinentia, quod jejunia, quod communis vita, & alia id genus non ſerventur: & iſtæ conſuetudines peccati expertes reſpectu aliquorum eſſe poſſunt, quod non ſunt voluntariæ. Cæterum conſuetudines perſonales, ſi ita loqui fas eſt, quæ videlicet a cujuſque voluntate pendent, ſi profeſſioni Monaſticæ infeſtæ ſunt, æque in iſtis, ac in illis damnabiles extant. Pecuniarum porro ludos regulari obſervantiæ exitiales eſse, & modo probavimus, & jam clarius manifeſtabimus. Ab his itaque ludis omnes Religioſi abſtinere debent, & maxime dicerem deformati. Quoniam quo quis majoribus periculis, pluribuſque inſidiis obnoxius eſt, eo acrius paſſiones ſuas moderari, ſenſus, & concupiſcentiam illecebrarum privatione ſubigere, atque cura indefeſſiore ſaluti ſuæ proſpicere, tenetur.

VI. Cœterum, ut rem totam paucis conficiamus, id in memoriam reducimus, quod ſæpius innuimus, videlicet peculii uſum, eo ſolo fine deformatis licitum eſſe, ut illarum rerum proviſio comparetur, quas Religio iſta ſubminiſtraret, ſi communitas vigeret. Quænam autem Religio, ſubditis ſuis licentiam concedit, ut de communi Cœnobiorum patrimonio Religioſorum quiſque quindecim, aut viginti ſcuta quotannis ludo exponat? Ita ut ſi in Cœnobio centum ſint Religioſi, duo ſcutorum millia ſingulis annis inſumere in ludis valeant? Hæc enim, & major etiam, ſumma conſurgit juxta Recentiorum Theologiam. Volunt ſiquidem quemque Religioſorum, aureos quinque ludo exponere poſſe: alii plus, minuſve, attentis perſonæ, peculii, & gradus circumſtantiis; alii denique aſserunt, Prælatos validam, ſin minus licitam, licentiam impertire poſse ſuditis pro ampla pecuniarum ſumma ludo exponenda. An non horret animus, dum Theologos audit ajentes Chriſti patrimonium a piis fidelibus oblatum in ludis prodigi poſse?

VII. Nequeunt quippe Prælati ſubditis licentiam impertiri, ut quidquam communium bonorum ludis committant, ſed partem, inquiunt, proprii peculii, ut ludorum ſorti, aut induſtriæ exponant, aſsentiuntur. En ut a veritate aberrantes in ſermone capiuntur? Nonne peculium quodlibet, non minus, ac cœtera bona, ad Monaſterii attinet patrimonium? Ubinam nunc illæ reſonantes voces, atque inclamantes, peculium incorporatum eſse cum bonis Monaſterii, & commune eſse communitate Dominii, ſin minus communitate uſus? Quemadmodum ergo haud valent Prælati licentiam ſubditis impertiri, ut communis patri-

trimonii partem quampiam ludis impendant, ſic nec partem peculii: eadem enim utrobique ratio.

VIII. Accedit tandem, quod dum ludo pecunia exponitur, ſemper, & jacturæ timor, & lucri cupiditas accenditur. Nec pecuniarii ludi honeſtæ recreationes, ſed inhoneſtæ negotiationes ad tumultum, bellumque impetuoſiores paſſiones concitantes, jure nuncupari debent. Ludorum exercitia tametſi ſuapte natura delectationis quidquam afferre apta eſſent, nummorum appoſitio illico lætitiam, & animi tranquillitatem in violentam attentionem vertit, timorem amittendæ pecuniæ excitat, vel lucrandæ æſtuans accendit deſiderium, ſpiritumque ultra limites agit, perturbatque. Theologorum non pauci, qui vocabulorum permutatione genuinas rerum notiones de medio ſuſtulerunt, non raro dicunt bonum malum, & malum bonum, honeſtum turpe, & turpe honeſtum. Ludis pecuniariis ſpecioſa recreationis animum oppreſſum relevantis nomina affingunt; quando maniſeſtiſſima experientia conſtat, luſores, veluti mare fervens, & procelloſum motibus contrariis qua ſpei, qua timoris, qua mœſtitiæ, qua gaudii agi, commoveri, abripi. Si luſorum aliquis æquabili animo fortunæ pericula ſuſtinet, prodigio vertitur. Et quanquam ludorum initium quidpiam lætitiæ afferre videtur, ſtatim in ipſo progreſſu amaritudo ſuccedit.

IX. Nec eſt, quod Recentes Theologi aureorum quantitatem præfinitam deſignent, temporis ſpatia determinent, quidve in quolibet jactu exponere poſſint Religioſi, decernant. Nam luſiones nummatiæ ſuapte natura, ſpreta quacunque moderatione, eo progrediuntur exceſſuum, tum temporis male inſumpti, tum pecuniæ amiſſæ, ut integram crumenam frequentius evacuare cogant. Quot miſeri Religioſi propria experientia hæc omnia teſtari valent? Ludis iſtis limites præſcribere idem eſt, ac concupiſcentiæ in objecti delectatione terminum apponere. Enimvero quemadmodum ex familiari mulierum commercio remolleſcunt ſenſus, animique effeminantur; ſic ex ludis pecuniariis avaritia accenditur, deſideria inardeſcunt, omneſque fere paſſiones concitantur. Habent enim inter ſe maximam ſimilitudinem concupiſcentia carnis, & cupiditas divitiarum. An cum voto caſtitatis ludrica cum mulieribus alloquia conſociares? An paullulum ſemel accenſa ex hac recreatione concupiſcentia citra deſignatos limites brevis temporis, moderati joci ſubſiſteret? Sicut ergo ad caſtitatis cuſtodiam quæcumque mulierum familiaritas, neceſſitate excepta, a Religioſis exulare debet; ſic ad paupertatis obſervantiam, pecuniæ tractationem, victus, & veſtitus proviſione ſublata, leges prohibent.

X. An reponis pericula, & mala, quæ indicavimus, non ex moderato lucro, ſed ex abuſu ipſius profluere? Quid inde? nos enim duplici ex capite ludos iſtos vetitos Religioſis aſſerimus. Primum, quod ipſa indoles ludinummarii, etiam admiſſa conditionum, quæ præſcribuntur, obſervantia, repugnat, & voto, & ſtatui Religioſo. Secundum, ex multitudine malorum, quæ ita ex ludo profluunt, ut in praxi neceſſariæ fere

con-

conſequutiones dici queant. Quid itaque muſſitas, non ex ludo, ſed ex abuſu ludi hæc proficiſci? Utique non ex ludo in metaphyſica conſideratione accepto, ſed ex praxi iſtius ludi, cui abuſus ſunt, quaſi neceſſario, annexi, fluunt. Porro docet D. Thomas (2. 2. q. 186. art. 2. ad 4.) de medio auferendas eſſe artes illas, quæ licet per ſe licitæ ſint, frequentius tamen illis abutuntur homines. *Si tamen operibus alicujus artis, ut plures aliqui male utentur, quamvis de ſe non ſint illicitæ, ſunt tamen per officium Principis a Civitate extirpandæ ſecundum documenta Platonis.* Diſcant ergo Prælati regularium vel ex ipſo ethnico Platone nequaquam poſſe ſubditis ſuis licentiam impertiri, ut ludis pecuniariis vacent; quoniam, tametſi per ſe honeſti eſſent, in praxi tamen, experientia teſte, frequentius illis abutuntur.

§. XI. Ex his omnibus in fumum abeunt innumeræ illæ quæſtiones, quas fuſo calamo caſuum arbitri pertractant. Harum brevem ſynopſim, ut parumper a via ad diverticulum declinemus, hic exhibere lubet. Prima omnium ſchola, ſtatuunt Religioſos pecuniam ludis exponere poſſe. Deinceps licentiæ neceſſitatem enucleant, aliis expreſſam requiri, aliis tacitam ſufficere, aſſerentibus. Quantitatem poſtea pecuniæ in examen vocant. Alii citra quinque aureorum numerum coarctant, alii ad majorem ſummam protendunt, alii perſonarum dignitatem, peculii opulenriam, aliaſque conditiones recordantur. Quod vero acriter diſputanr, eſt: an plus lucrari valeant Religioſi, quam perdere? An ſæcularis lucrans Religioſo teneatur reſtituere? & econtrario Religioſus laico? Sed hæc adeo implicata ſunt, ut ſolis exemplis poſſint manifeſtari. Eſto itaque primum. Quando in ſingulis ludi jactibus expoſitam pecuniam perdere queunt Religioſi, tunc plus lucrari valent: ut ſi ludant quatuor aureis cum octo laicis, quorum quiſque, quatuor pariter exponat, totam illam ſummam lucrari poſſunt. Inſuper diſtinctis jactibus ab uno eodemque plus lucrari, quam perdere valent: ut ſi pluries repetitis jactibus quatuor illos aureos exponant, eoſque cum proventu in crumenam reducant. Maxima autem difficultas eſt: An Religioſi, qui magnam aureorum ſummam lucrati ſunt, poſſint eandem licite perdere? ne ad ſcopulum aliquem allidant, diſtinctione utuntur. In diverſo, ſeu diſtincto ludo non poſſunt eam licite perdere, quod jam pecunia illa acquiſita ſit Monaſterio; nec præſumi poſſit conſenſio Prælati in amiſſionem. In eodem vero ludo poſſunt eam licite perdere, eo quod non cenſetur plene, & perfecte pecunia in Monaſterii Dominium tranſiiſſe, donec totus ludus finitus ſit. Qua de cauſſa ſi luſores per totam noctem ludum continuare velint, Prælatus aſſentiens præſumi debet. At non leves inſurgunt difficultates ſuper ludi continuitate: quando videlicet idem, & unus ludus cenſeri debeat, quando abruptus, & diſtinctus? Quærunt enim, an ludus interrumpatur, ſi Religioſus ludens pergat vel ad exonerandum ventrem, quod in longo ludo non infrequenter contingere poteſt, vel ad alloquendum amicum? ajuntque, ſi rece-

recedat animo redeundi, ludum non interrumpi; ſecus ſi animo deſiſtendi alio divertat. Nec etiam ludi continuati obſtare inquiunt, ſi a ludo chartarum, ad ludum ſchaccorum, vel ab uno chartarum ad alium earundem chartarum fiat tranſitus; Variari vero ludum fatentur, ſi perſonæ ludentes mutentur. Tandem concludunt Religioſos plus poſſe lucrari, quam perdere. Quia, inquiunt, contractus poteſt claudicare, & eſſe invalidus reſpectu unius, validus vero reſpectu alterius. Quamobrem Religioſus lucrans magnam aureorum ſummam eam acquirit Monaſterio; nec ad reſtitutionem tenetur. Præſumitur enim Prælatum conſenſiſſe huic lucro, quia favorabilia ſunt amplianda. Si vero Religioſus perdat, & laicus lucretur, iſte ad reſtitutionem obſtringitur, quoniam præſumi haud poteſt, Prælatum conſenſiſſe, ut ſubditus ſuus tantam ſummam perderet. Odia enim ſunt reſtringenda. Hoc tamen negant alii Theologi numero haud inferiores, quos videre poteris apud Sanchez (lib. 7. cap. 19. n. *86.*) Si hæc Theologia laicis innoreſceret, haud forent adeo faciles in revolvendis cum Religioſis luſoriis chartis.

XII. Hæc omnia perpendas velim, ut inde colligas, quo pervenerit quorundam Scriptorum in tradendis morum regulis deploranda laxitas. Sub ſpecioſo recreationis fuco, pecuniariis ludis vacare poſſe Religioſos, pluribus adjectis conditionibus, edocent primo loco. Deinceps laxatis habenis, eo progrediuntnr, ut doceanr omnibus iis ludis, quibus laici dant operam, poſſe, & fratres mendicantes ſuos exponere aureos, & cum ipſiſmet ſæcularibus, ſacris Conciliis reclamantibus, luſoriam negotiationem inire. Ut diſſidia, & contentiones, quæ ex tali commercio conſequuntur, componant, ſedentque; dubia ridicularia, & minus conſona, vel ipſi Ethnicorum philoſophiæ, nedum Euangelicæ Theologiæ, proponunt; atque quæſtiones verſant inanes, quæ vel ipſis ſtoicis riſum excitanr, & ſtomachum movent. Quæ omnia idcirco recenſuimus, ut ſeipſis corruant, dignumque horrorem lector concipiat.

XIII. Ex his colliges 1. ad exactam univerſæ controverſiæ cognitionem nihil omnino pecuniæ, nec obolum quidem, licitum Regularibus eſſe ludo exponere; tum quod ludi pecuniarii non ſunt materia congrua honeſtæ recrearionis, quæ Religioſos paupertatis euangelicæ voto obſtrictos deceat. Tum quod ejuſmodi ludi ſuapte natura cupiditatem pecuniarum accendunt, & viam aperiunt ad quamlibet nummorum ſummam prodigendam, ut experientia conſtat. Peccabunt ergo ſi vel obolum ludo committent? utique. Sed ſi materia levis ſit, levis quoque culpa erit, ut in furto, aliiſque peccatis.

XIV. Colliges 2. Superiores Regularium nullam prorſus poteſtatem habere impertiendi ſubditis licentiam, aut vacandi ludis fortuitis, aut exponendi cuicumque ludo etiam induſtriæ nixo pecuniam: atque adeo peccare iſtos ſemper fere mortaliter dum in ejuſmodi ludos conſentiunt, aut pro viribus non impediunt; Quoniam Prælati peccant mortaliter, dum

abuſum introduci ſinunt, tametſi ſub initium non excederet culpam venialem. Prælati tenentur bonum commune promovere, & ea omnia propulſare, quæ huic bono repugnant.

XV. Colliges 3. teneri ad reſtitutionem, tum Religioſos, qui ſæcularibus, tum ſæculares, qui Religioſis lucrantur. Nec enim Prælati conſentire licite valent, ut per media illicita Religioſi lucrentur. Sæculares quoque retinere nequeunt pecunias eorum, qui dominio eaſdem alienandi deſtituti ſunt.

XVI. Colliges 4. Regulares omnes utriuſque ſexus, qui ludendi conſuetudinem habent ludis pecuniariis, eſſe in ſtatu damnationis, & in continuo peccato mortali, ſecundum omnes, vel benigniores Theologos, vel ipſum Bordonum (reſol. 33. n. 3.) & cum ipſo Rotarium (tom. 2. lib. 3. cap. 1. p. 12. n. 13. pag. 246.) ubi hæc habet. *Ludens dicitur conſuetudinarius, ſi ſemel in hebdomada fiat juxta Bordonum . . . Abominabile hoc vitium eſt, ut Religioſum ſtatum, & perfectionem evertat, ſanctitatem comminuat, vota diſrumpat. Ob quam gravibus pœnis apud Dei Tribunal obnoxii erunt, nedum Religioſi ludentes, ſed Superiores etiam ſcientes, & corruptelam hanc non reſecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, ſed etiam Religionis everſionem.* Si qui ſemel in hebdomada ludunt ſunt in ſtatu peccati mortalis, quid dicendum de illis, qui quotidie ludo vacant?

XVII. Colliges 5. Regulares utriuſque ſexus, qui pecunias ludo fortuito vulgo nuncupato *Loto* exponunt plura crimina perpetrare. Tum quod ludus fortuitus quilibet vetitus eſt maxime Religioſis, tum quod pecuniam repugnante voto paupertatis, tali ludo exponunt: tum quod ſcandalum maximum pariunt, ſæcularibus animos adjicientes ad ludendum: Atque adeo, qui frequenter ludunt ſunt in ſtatu damnationis: ſunt enim in continuo peccato mortali. Si quotidie celebrant, quotidie ſacrilegiis polluuntur: ſi confeſſiones fidelium excipiunt, malitiam augent. Hæc omnia vera, certaque ſunt ſecundum omnes ad unum Theologos.

XVIII. Colliges 6. Quam aberrent a vero quidam ſive nimium meticuloſi, ſive nimium humanæ prudentiæ adoratores, ſeu ut ſibi aliquid ſapere videantur, dum in ſimilia effata erumpunt. Non audeo aſſerere hoc eſſe crimen. Quoniam ſi id verum eſſet, major immo maxima pars Regularium damnaretur. Dic ſodes. Nonne Regulares utriuſque ſexus diſciplinæ collapſæ ludo nuncupato *Loto* publice in omnium oculis, non ſecus ac ſæculares, pecunias exponunt? Nonne iſti omnes ſunt in continuo ſtatu peccati mortalis, nemine Caſuiſtarum diſſentiente? Si iſti delicta etiam gravia, ut aquam ſorbent, & ingurgitant: Quid tu legem ſicut pellem extendis, & laceras, ut eoſdem peccatis ſubducere inaniter coneris? Quid innocentibus laqueos patas, eoſque præcipites agis tuis laxis opinionibus, ut obſtinatis in malo conſulas, tibique damnationem conſciſcas?

XIX. Colliges 7. Mortaliter peccare eos quoque Regulares, qui præ-

ſato

fato *Loto* ludunt, vel nomine aliorum, quia dant operam rei illicitæ, maxime ſibi: vel, ut lucrentur pecunias in Dei cultum impendendas: Quoniam Deus ab iſtis Holocauſtum requirit paupertatis, non victimas ludo vetito comparatas. Et hoc extra diſputationem eſt.

CAPUT QUINTUM.

Religioſi, qui lauream Theologalem in propria Religione, ſive quemcunque gradum, aut officium recipientes, pecuniam, vel aliarum rerum tributa Prælatis ſuis eorundem ſociis, & examinatoribus offerrent, votum tranſgrederentur paupertatis. Peccarent vero tum contra votum, tum contra Juſtitiam Prælati, eorumque ſocii munera accipientes, funeſtum perpetrarent ſcandalum.

I. PRiuſquam id, quod controverſiæ iſtius caput eſt, aggredior, mihimetipſi proſpiciendum eſt, ne in multorum reprehenſorum cenſuras incurram. Vereor ſiquidem, ne delicati puncti tractatio, & faſtidiis, & diſplicentiæ plurimum aliquibus ſit allatura, propterea quod veritas parere odium adſoleat. Verum, ut cujuſque invidiæ periculo me ſubducam, id primum omnium præfari juvat, me haudquaquam aſſerere abuſum hunc exitialem aliqua in Religione ſerpere; ſed ne unquam pedem inferat, aditum præcludere. Quam ſane Provinciam nemo jure carpere auſit, niſi maximæ utilitatis, & neceſſitatis leges, idcirco tranſmittere debeamus, quod malis viris inviſas, peroſaſque fore, pertimeſcimus. Verum rametſi invidentium linguarum jaculis me obnoxium fore præſentirem, non ob id tamen Dei veritatem in corde meo abſconderem. Majus eſt enim negotium, quo de agimus, quam ut garritus avarorum hominum a ſancto propoſito avocare nos valeant. Neque levioris, ſed ſummi, ſed maximi momenti cauſſam præ manibus habemus, ad quam orandam, perorandamque caritas Chriſti urget nos. Quandoquidem nulla deteſtabilior peſtis, nulla dirior calamitas, ſive in Rempublicam, ſive in Religionem quamque invadere, eamque labefactare poteſt, quam officiorum, graduum, ac dignitatum putida venalitas, ſordidaque mercatura. Ubi ſemel teterrima lues iſta Principatum aliquem, nedum Religionem invaſerit, continuo optimi Regiminis forma, diſtribuentis juſtitiæ, cœterarumque virtutum officia, atque Imperium ipſum corruant, & in nihilum occidant, neceſſe eſt. Aurea Ciceronis verba albo ſignanda lapillo huc tranſcribenda ſunt ex (lib. 2. de off. cap. 16.) *Caput autem eſt in omni procuratione, negotii, & muneris Publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Utinam inquit C. Pontius Samnis ad illa tempora fortuna me ſervaſſet, &*

tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent: non eſſem paſſus diutius eos imperare: Næ illi quidem ſæcula expectanda fuerunt: modo enim hoc malum in hanc Rempublicam invaſit. Itaque facile patior, tunc potius Pontium fuiſſe . . . nullum igitur vitium tetrius . . . quam avaritia, præſertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus; habere enim quæſtui Rempublicam, non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium.

II. Alexander ab Alexandro (lib. 3. dier. gen. c. 17.) horrorem, & deteſtationem repræſentat, cur venalitaris vitium vel ipſis Romanæ Reipublicæ ethnicis moderatoribus ſemper fuerit. Leges refert, quas plebis Tribuni tulerunt contra ambitum illorum, qui emendicatis ſuffragiis, magiſtratus appeterent. „ Petilius Tribunus Plebis (inquit) legem tulit ad „ populum, qua largitiones illorum, qui pecunia honores mercarentur, „ gravi damno, & pœna mulctavit: fuitque ſeveriſſima diſciplina, & ſub „ gravi cenſura lex ſervata, qua ambitioni, & cupiditati obviam ſæpe „ itum eſt; ita ut inter exempla relatum ſit Q. Coponium, quod vini „ amphoram ei, cujus ſuffragio magiſtratum petebat, dono dederat, am„ bitus condemnatum pœnas luiſſe. „ Lucius Calphurnius, Cœlius, Cajus Servilius, & Cajus Gracchus, & Marcus Linius, Cornelius Sylla, Pompejus, & Quatinius Conſules, Dictatores, & Tribuni variis temporibus, & ætatibus plures, diverſaſque leges contra hoc delictum condiderunt, uſque dum tandem facta eſt Lex Julia. Inſuper ad pœnitus ejuſmodi vitium exterminandum præter laudatas leges, varia remedia addiderunt Imperatores. Antoninus Pius nuncupatus ob morum, & juſtitiæ integritatem præſcripſit, ut priuſquam officiorum poſſeſſionem tenerent candidati, inventarium per magiſtratus ſuarum omnium poſſeſſionum fieret, ut officiis expletis, divitiæ ante habitæ cum divitiis poſterioribus conferrentur, ut ex lucro in Magiſtratibus facto, juſtitia, vel injuſtitia eorum deprehenderetur. Sed alii Imperatores conſpicientes, neque minis, neque legibus judices, ſuperioreſque ab hoc crimine arceri poſſe, ſtatuerunt tanti ſceleris reos publice cremandos fore, ut ex lege *Judices* conſtat. Infinitus eſsem ſi omnia contra hoc delictum Ethnicorum ſtatuta recenſere vellem.

III. Principes Chriſtiani, quo, præ ipſis Ethnicis, clariore lumine perfuſi fuerunt in juſtitiæ, cœterarumque virtutum cognitione, eo quoque ſalubriores leges ediderunt, quibus earundem integritatem ſartam tectam tuerentur. Conſtantinus Magnus graduum venalitatem pluribus coercuit ſanctionibus, quæ extant in codice Theodoſiano (lib. 1. cod. Theod. de Curionib.) Et ejus filius Conſtantius (lib. 2. cod. Theod. de honorariis codicillis.) Julianus Imperator conſtitutionem rogavit, quæ refertur (in lib. 1. cod. Theod.) *Si certum petatur de ſuffragiis*. In hanc officiorum venalitatem ſeveriſſime animadverterunt Onorius (in l. penultima cod.) *Si certum petatur*. Arcadius (lib. 1. cod. Theod. ad legem Jul. de ambitu.)

Et

Et ut plures omittam, Juſtinianus *Novella VII.* ut infinitis propemodum malis, quæ ex graduum mercatura proficiſcuntur, remedium afferret, præter leges, ſeveraſque pœnas latas in tranſgreſſores, ſtatuit, ut omnes gradum aliquem accepturi jurejurando ſponderent nil pœnitus ſe daturos. In conſtitutionis præfatione, inquit Pius Imperator, omnibus Imperii ſui malis occurſum iri, ſi Provinciarum Præſides *Puris manibus* juſtitiam adminiſtraverint. Ejuſdem juramenti formulam oculis ſubjicere lubet. *Juro quod nulli penitus neque dedi, neque dabo, occaſione dati mihi cinguli (Bireti) neque occaſione patrocinii; neque promiſi, neque profeſſum de Provincia mittere, neque mittam, neque occaſione dominici ſuffragii, neque famoſiſſimis Præfectis adminiſtrationem habentibus, neque iis, qui circa eos ſunt, neque alii hominum ulli, ſed ſicut ſine ſuffragio percepi cingulum, ſic etiam pure me exhibebo circa ſubjectos piiſſimorum noſtrorum Dominorum, contentus iis, quæ ſtatutæ ſunt mihi de fiſco annonis.* Hæc Principes tum ethnici, tum Chriſtiani contra ambitus vitium. Si quæſtui habere Rempublicam turpe eſt, inquit Cicero, atque nefarium, quid ſi venalia in ipſis Cœnobiis officia forent? Ne unquam id contingat, expoſitam aſſertionem in duos ſequentes paragraphos explicandam tribuo.

§. I.

Peccarent contra votum paupertatis Regulares, qui in gradibus, ac officiis recipiendis Prælatis ſuis eorumque ſociis quidquam donarent.

I. Concluſio iſthæc per ſe explorata eſt, atque comperta. Sola quippe neceſſitas victus, & veſtitus peculii uſum, in Religioſis excuſare valet. Porro laurea ſive magiſterii, ſive Bacchalaureatus inter neceſſaria ad ſtatum Religioſum recenſeri minime poteſt. Solutio itaque, ſive donarium pecuniæ pro illius conſecutione voto repugnat paupertatis. Peccarent autem donatores, tum quod ipſi votum violarent paupertatis, tum quod avaritiæ Prælatorum pecuniam recipientium fontes evaderent.

II. Si quis autem opponeret in ſui defenſionem, abuſum iſtum, jam alicubi inveteraviſſe, ſeque eidem obſiſtere haud poſſe; quin deridendum ſe propinaret, & gradu quoque dejectus remaneret, ſi repugnare auderet: Excuſatio hæc inanis eſſet. Quoniam aliæ corruptelæ, etiam pejores in Religionibus graſſari queunt, propterea ne indulgere eiſdem liceret? Hic excuſare utique ſemetipſum poſſet, quod tanti non eſſet, ut abuſum jam obtinentem de medio auferre poſſet, aut impedimentum opponere, ne ultra progrederetur. At ſi recepturus gradum pecunias daret, nulla poſſet ſe excuſatione defendere. Eſſet enim, & violatæ paupertatis, & omnium, quæ inde proficiſcuntur, malorum particeps. Commiſeratione utique

que digni forent, Candidati illi, qui Superiorum avaritia preſſi, aquam pecuniarum ſitientibus porrigerent, ut eos obtinerent gradus, ſine quibus, Religionis inſpecta conſuetudine, aut deſpicatui haberentur, aut emolumentis non parvis carerent. Et ad hæc contemnenda virtute & ſanctitate haud vulgari opus foret. Verum neque ob has difficultates a gravi culpa immunes evaderent.

§. II.

Prælati Regulares, eorumque aſſiſtentes, qui in collatione graduum ſive cujuſque officii, pecunias, aliave tributa etiam ſponte oblata reciperent, in votum peccarent, juſtitiam violarent, Caritatem contemnerent, atque univerſi ordinis perditores ſe proderent.

I. Officiorum, graduumque turpem negotiationem adeo diſciplinæ regulari infeſtam cenſuerunt ſacrorum Ordinum Conditores, ut ſub depoſitionis pœna ſuperioribus omnibus quidquam recipere etiam ſponte oblatum vetent. Non vacat iſthuc leges omnes afferre. Brevitatis gratia unicum textum dabo ex conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum (diſtinct. 2. cap. 4. tex. 7.) *Statuimus autem quod nec Magiſter Ordinis, nec aliquis Prior Provincialis, aut quovis modo præſidens in noſtro Ordine aliquid accipiat directe, vel indirecte, etiam SPONTE OBLATUM a quacumque perſona, ſive Prælata, ſive ſubdita, prætextu litterarum, ſigilli, regiſtri, licentiæ, confirmationis, & univerſaliter cujuſcunque gratiæ, aut juſtitiæ conceſſæ, aut concedendæ; ſed quilibet ſit communibus contributionibus, & viſitationibus contentus. Priores autem Provinciales, & alii inferiores contrafacientes in pœnam a ſuis officiis abſolvantur indiſpenſabiliter. Magiſter vero Ordinis ſi in hoc exceſſerit, a diffinitoribus Generalis Capituli corrigatur, & ſi obſtinate reſtiterit, deponatur.* Innumeras Summorum Pontificum, præcipue Pii V. & Clementis VIII. addere poſſem prohibitiones, verum ad evitandam prolixitatem prætereo, & rationum momenta evidentiſſima breviter perſtringam.

II. Prælati regulares omnes, maxime vero Generales graviſſimo præcepto tenentur Monaſticæ paupertatis obſervantiam, ſeu exactam rerum Communitatem pro viribus invehere in ſuum Ordinem. Quod adeo verum eſt, ut non modo Patres, ſed vel ipſi miſericordiores Theologi, adfirment in malo ſtatu, ſeu in graviſſimo æternæ damnationis periculo verſari Prælatos omnes, ſed ſummopere Generales, qui huic altiſſimo debito procurandi communem rerum vitam non ſatisfaciunt. Atqui ſi Generales a ſuis ſubditis in adminiſtratione juſtitiæ diſtribuentis pecuniam acciperent, non modo peccarent, quod proprio muneri implendo deeſſent, verum etiam peccarent, quod ipſi aditum introducendæ communitati præcluderent: peccarent, quod ſubditos ſuos ad conquirendam pecuniam re-

ℰe, ſi poſſunt, ſi non, quocunque modo, ut dicitur, compellerent. Peccarent, quod eos, vel nolentes ad voti violationem adurgerent, ſuaque avaritia cogerent.

III. Accedit, quod præter voti paupertatis violationem, ipſam diſtribuentem juſtitiam violarent, omneſque leges conculcarent. Siquidem aut Candidatus juxta Religionis ſuæ ſtatuta dignus eſt gradu, quem petit, aut ſecus? Si indignus, rejiciendus. Si dignus, jure ei debetur; ergo tributum, ſeu ſolutio accipi jure nequiret. Quodnam majus gravamen ſubdito imponere ſuperior poſſet, quam ſi poſt tot exantlatos labores, ſi poſt tot annorum vigilias, ſudores, & moleſtias, dum mercedem, ad ſuarum legum præſcriptum, petiturus accedit, ad emendam, ſoluto pretio, illum compelleret?

IV. Nec valeret reſponſio, neminem cogi, nihil a quoquam peti; ſponte tantum oblata accipi. Ecquænam vel Laicorum, vel Ethnicorum curia in exercitio diſtribuentis juſtitiæ, gradus, dignitateſque accipientes ad ſolvenda tributa cogit? Vel penes ipſos Ethnicos horridum nimis hoc ſemper fuit. Ut Curia quælibet venalis habeatur: ut optimi Regiminis ordo auferatur, & harmonia: ut Reſpublica univerſa labefactetur, ſatis eſt, quod Principes, quod Miniſtri manus apertas habeant ad accipiendum. Satis eſt, quod offerentes non repellant. Summa, fateor, admiratione afficerer ſi tam inani clypeo ſe ſe obtegere contenderent. Quod expreſſo pacto, vinculiſque adjectis non cogerent laureatos ad erogandos aureos; idcircone innocentes ſe ſe crederent? Quod dignos dumtaxat ad lauream admitterent, indignoſque repellerent, propterea ne oblatum tributum accipere poſſent? Caſuiſtæ aſſerunt utique, quod judex non tenetur reſtituere pretium acceptum ob ſententiam abs ſe injuſte latam. Cœterum ſi ob ſententiam juſtam quidquam accipiat, ad reſtitutionem eum obligant. Quod ergo dignis lauream conferrent, non ob id, ab injuſtitiæ labe liberarentur, ſi pecuniam acciperent.

V. Quid ſi hæc, quæ jactatur, ſpontanea oblatio, reipſa violenta eſſet, & coacta ſolutio? Quid ſi oſtentata graduatorum ſapientia, tota quanta in ſplendore auri emicaret, & argenti? Quid ſi tributum illud, miſeri ſubditi propterea ſolverent, ut ſuis futuris progreſſibus conſulerent; ut ne nigro lapillo obſignarentur; ut denique ignominiam vitarent, & probra, quibus obnoxii forent, ſi cœteris ſolventibus, ipſi ſoli refragarentur? Enim vero ſimulatque abuſus communis effectus eſt, quandam imponit neceſſitatis legem. Quid ſi legiſlator, ſi Superior ſupremus abuſum hunc ſua praxi foveret, & promoveret, violentiam ſane induceret, & coactionem non levem?

VI. Quid plura? Ecquomodo præſumi prudenter poſſet quemque libere ſolvere pro eo, quod ſibi jure debetur? Quis eſt, qui ſponte donet omni deſtitutus lucri fiducia? Et eo eſt minor præſumendi ratio, quo pauperior eſt illius, qui donat, conditio. Sponte ne offerrent pauperes Religioſi

ligioſi, qui facta ſupputatione ſumptuum, quos in acceſſu, commoratione, & receſſu a curia, & inſuper in tributo, præter propter, triginta ſcutorum conferentibus lauream ſolvendo, facere cogerentur, ſummam conficere deberent centum, plus, minuſve ſcutorum? Porro, ut tanto ſumptui parem crumenam inſtruere poſſent, & implere, quibus non premerentur anguſtiis? Alii cenſum, ut vocant perſonalem, in annos plures divendere deberent. Sed quid, qui cenſum non haberent, vel ſi haberent, vix in dies occurrentibus ſufficeret impenſis? Alii Conventuum Prioratus, aliaſque præfectutas, ſeu officia velis remiſque procurarent, ut hac via lucrari valerent. Alii Cathedras, & lectiones abrumperent, ut concionibus, aliiſque miniſteriis lucrum præbentibus, navarent operam. Quot hinc damna, quot etiam ſcandala? Scholarum certe detrimentum, rerum ſacrarum non raro contemptio, & dedecus ordinis. Quoniam non ideo ſacris exercitiis vacarent, quod zelus ad id impelleret; ſed quia pecuniarum indigentia, & parandi pro laureæ receptione offerendum tributum neceſſitas urgeret. Iſtæ ne ſpontaneæ, iſtæ ne liberæ oblationes forent?

VII. Hinc colligere licet quot malorum authores forent Prælati illi, qui in graduum collatione pecuniarum tributa acciperent. Votum paupertatis, ac ipſam diſtribuentem juſtitiam violarent; primas optimi regiminis regulas perverterent, ſubditos ad infinita propemodum crimina perpetranda acquirendarum pecuniarum cauſſa impellerent; atque ſemetipſos indignos, & ineptos ad impetandum conſtituerent. Ecquo nempe animo obſervantiam promovere, perfectionis ſtudium, & rerum terrenarum contemptionem ſuadere: qua fortitudine & efficacia ſubditorum aberrationes corrigere, diſſolutionemque coercere poſſent; ſi præcipuarum legum ipſorumque votorum tranſgreſſores ſe ſe oſtenderent ipſimet, primoſque diſciplinæ cardines ſubmoverent?

VIII. Si quis objiceret, Prælatos amplos ſumptus ferre non poſſe: ſocios epiſtolarum impenſis quotidianis ſubjectos eſſe, variiſque penſionibus obnoxios, reſponſio in promptu foret: videlicet, ſi Religioni inſerviunt congruum eſſe, ut a Religione neceſſaria accipiant. Si reditus, quos ſingulæ Religiones proprio Generali ejuſque Aſſiſtentibus ſolvunt, pares expenſis non ſunt, augeantur. Hoc porro incrementum præſtare ad privatos ſubditos minime pertinet, ſed ad totam Religionem. Si univerſo Ordini invigilant, ſi pro communi utilitate laborant, an ne aliqui dumtaxat laureati ſubſidium afferre debent? Publici Miniſtri, publicis ſtipendiis aluntur. Si Generales redditus impenſas æquantes non habent, contributiones augeant Provinciarum, ut ab injuſto particularium ſubditorum gravamine abſtinere ſemper valeant.

IX. Verum hunc objicere prætextum nequirent Prælati illi, ejuſque ſocii, qui non modo annualia tributa ſumptibus paria ab univerſo Ordine accipiunt, ſed quæ aliis quoque non levibus impenſis ſatis ſunt. At mea

non

non intereſt preſſius rem hanc diſcutere. Qui plura cupit legat Dionyſium Carthuſianum, Gerſonium, Fabrum, & Maſtrium (Theolog. Moral. diſp. 14. art. 5. num. 47.) ubi ſcribit nonnullos Prælatos *pecuniæ inhiare & munere accipere a Religioſis dignitates, & officia ambientibus quantumvis indignis, & dignioribus prætermiſſis. Et hoc quotidiana experientia demonſtrat in quibuſdam Religionibus. Miniſtri enim Generales terminato eorum officio ditiores facti dignitates Eccleſiaſticas extra Religionem quærunt, vel ſi in Religione perſiſtunt omnes cumulatas opes ad ſuos Conventus deferunt, in quibus nec etiam vitam communem obſervari procurant.*

X. Nec ad rem foret opponere id, quod penes eumdem Maſtrium quidam objiciebant: nempe viros cum probitate, tum ſapientia ornatos munera in graduum collatione accepiſſe. Quoniam privata hominum geſta, etiamſi vera eſſent, nullius ſunt contra legem momenti. Fuerint prudentes, moribus integris inſtructi cœteris in rebus, in hoc tamen ſancti non fuerunt. Sed qui piorum hominum geſta omnia opponunt, audiant Auguſtinum, qui (lib. 2. de lib. arb. cap. 23.) hæc ſcribit. *Non modo quærimus utrum ſit factum, ſed utrum ſit faciendum. Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt.* Sed ad intentum noſtrum magis quadrat id, quod ſcribit (lib. contr. Maced. cap. 9.). *Non omnia*, inquit, *quæ a ſanctis, vel viris juſtis legimus facta, transferre debemus in mores.* Plura iſthic congerere poſſem, ſed plurima ſilentio præterire expedit. Pauca dumtaxat adjiciam ex D. Bernardo, & Petro Alliacenſi. Porro Sanctus Bernardus hæc ſcribit (Epiſtola 129.) *Verum ego juxta illud poetæ (ut verum fatear) ſemper timui dona, & dona ferentes. Si quis forte in vobis (quod Deus avertat) rem tam fœdam committere reprehendatur, extendere videlicet manum ad turpe lucrum, hunc protinus notate, & indicate hoſtem nominis veſtri, civium proditorem, ac venditorem communis honoris, & honeſtatis.* Jure, ac merito D. Bernardus Superiores illos, qui gradus, & præmia vi juſtitiæ diſtribuentis ſubditis debita, haudquaquam tribuunt, niſi pecuniarum acceptis tributis: boni nominis hoſtes, communis famæ, & honoris venditores nuncupat. Enimvero quot in dies ad publica Tribunalia, maximo Laicorum ſcandalo querelæ non deferuntur, quot lites, quot clamores, quot etiam libellos typis editos iſtorum Prælatorum avaras exactiones enarrantes in publicum non vidimus emiſſos? Detrahunt ne ſubditi iſti, qui ad Tribunalia domeſtica crimina deferunt? At quanto magis univerſæ Religionis proditores dicendi ſunt Prælati illi, qui in ſacrilego abuſu, ſordidaque avaritia perſiſtunt, quive occaſionem oppreſſis ſubditis, ordinem infamandi exhibent, & non raro, ut propriam redimant vexationem, violentiam imponunt? Dicamus itaque cum Propheta Iſaia (cap. 33.) *Qui ambulat in injuſtitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere . . . iſte in excelſis habitabit. Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus.* Ideo

(inquit Bernardus ſermone 61. de modo bene vivendi) *Te rogo, ut accipias conſilium hujus Sancti Prophetæ, & excutias manus tuas ab omni munere. Iterum moneo te per Gratiam Dei, ut ſtudeas imitari illum, qui ait: Ego cum juſtitia apparebo in conſpectu tuo, & ſatiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Finis Primæ Partis.

Digitized by Google

DISCIPLINA
APOSTOLICO-MONASTICA
DISSERTATIONIBUS THEOLOGICIS
illuſtrata,

PARS SECUNDA,

IN QUA DE NECESSARIA EJUSDEM
MONASTICÆ DISCIPLINÆ, ubi collapſa eſt,
reformatione diſſeritur.

Digitized by Google

DISCIPLINA
APOSTOLICO-MONASTICA.
PARS SECUNDA.
DISSERTATIO PRIMA.
PRÆFATIO.

I. VOtum Monaſticæ paupertatis communi vita circumſcriptum primam eſſe Regularis diſciplinæ baſim ſuperiore parte demonſtratum eſt. Quo præjacto fundamento, munitoque, ad cœtera ejuſdem diſciplinæ præcipua capita diſcutienda, reformationiſque neceſſitatem evincendam gradum facio; quod duabus Diſſertationibus perficiam. In prima reformationis notionem, Religionum, quæ obſervantes, ſeu reformatæ nuncupantur, a deformatis, relaxatiſque diſcrimen; atque damnationis æternæ extremum periculum Regularium omnium, qui deliberato animo in relaxatione conſtant, ediſſeram. Hinc debitum graviſſimum, quo obſtringuuntur ad promovendum reformationis ſaluberrimum opus, tum ſubditi, non reſiſtendo, ſed opem, prout eorum conditio fert, conferendo, cum Superiores omnes, & maxime Provinciales, Generaleſque, evidentiſſime colligam. Graviſſimam reformationis arduitatem, impedimenta, & præjudicatas opiniones, quæ ejuſdem exequutionem remorantur, plena in luce collocabo. Ad eadem auferenda, reformationemque invehendam in propria regna, & ditiones, devinctos eſſe Magiſtratus, Reſpublicas, Principes legeſque omnes commonſtrabo: Atque, ut ad tantum facinus aggrediendum efficacius permoveam, urgeamque, innumera bona cum tem-

temporalia, tum ſpiritualia, quæ, ex reformatione Monaſticæ diſciplinæ, in eorum ſubditos derivantur; & contra infinita propemodum mala, quæ ex Religionibus relaxatis neceſſario proficiſcuntur, ob oculos ponam: Ne multa: ea omnia argumenta verſabo, quæ cauſſæ meæ profutura cognovero. Invidiam, quam ſanctæ reformationi, ejuſque auctoribus affingunt nonnulli, prout res tulerit, diſpellam. Non quod ora loquentium mendacia obſtruere animum ſubeat; quoniam, quam ſit difficillimum, me non latet, ſed ut evincam, quam fuerit ſemper virtutis, ac pietatis ſtudium malis inviſum, atque infeſtum. Siquidem jam tunc, cum ſervator noſter Divinus univerſum Mundum reformaturus advenit, malorum hominum calumniis obnoxius fuit. Quapropter mirum haud eſſe debet, ſi deinceps invidentium linguarum jacula declinare minime potuerint Sancti Patriarchæ, qui in Sacrorum Ordinum Inſtitutione, non alio labores, induſtriam, conatuſque ſuos collinearunt, quam eo, ut ad euangelicæ perfectionis normam homines reformarent. Non ob id tamen haſtam projecerunt, ſed iniquorum calumniis ſpretis, quin ex eorum perſequutionibus fortiores effecti, altius aſſurgebant, & penes omnes virtutis cultores Sancti audiebant. Divum Patriarcham Dominicum jam inde uſque a primis annis hoc elogio inſignitum ferunt. *En Reformator Eccleſiæ?* Quod ſi Catholica Chriſti Eccleſia ſuis in membris reformationem admittit, & Sanctos reformatores ultro ſuſcipit, & veneratur: quis perferre valet quorundam, audaciam dixerim, an dementiam, qui partim reformationis notionem ignorantes, partim, quod propriis paſſionibus inimicam experiuntur, ubique diſſeminant, eorum ordinem reformatione non egere, neque eandem excipere. Quod ſane evidens eſt argumentum, ejuſmodi Ariſtarchos in fæce relaxationis volutari. Quoniam *impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* (Prov. 18.)

II. Porro, ut commentarium hunc noſtrum carpendi, vel ſeverioribus cenſoribus omnem, quoad fieri poteſt, eripiamus anſam, duo ſunt nobis devitanda extrema. Primum illorum, qui ſevero ſupercilio, & phariſaica jactatione aliorum ordinum ſplendori tenebras offundunt. Suam ipſorum auſteram vitam, ſapientiam, & conſilia ſic extollunt, ut cœterorum Cathedras, focos, & aras ſuffodiant. Haudquaquam proprio nomini ſatis conſultum exiſtimant, niſi alienæ detrahant famæ. Duodecimo currente ſæculo Ciſtercienſium quidam proprii inſtituti jejunia, vigilias, abſtinentiam, veſtiumque aſperitatem uſque eo exaltabant, ut Cluniacenſium mitiorem vivendi diſciplinam publice traducerent, damnarentque. Eos ſevere increpat Divus Bernardus: oſtendit, exteriores corporis pœnas nihil prodeſſe ad vitam cœleſtem, ſi animus

mus ſuperbia tumeat, & maledicendi livore lingua ſit inquinata. Cilicia, jejunia, & aliæ ſenſuum conflictationes viam dumtaxat ſternunt ad humilitatem, modeſtiam, caritatem, cœteraſque virtutes, quæ animam ornant, æternumque aſſequuntur præmium. Lubet iIthuc Divi Bernardi transferre verba (Apolog. ad Guil. c. 5.) *Unde nunc mihi conveniendi ſunt quidam de ordine noſtro, qui contra illam ſententiam* (2. Corinth. 4. 5.) Nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: *Aliis ordinibus derogare dicuntur, & ſuam juſtitiam ſolam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti: quos profectò (ſi qui tamen hujuſcemodi ſunt) nec noſtri, nec cujuſpiam eſſe ordinis verius dixerim: quippe etſi ordinate viventes, ſuperbe tamen loquentes, cives ſe faciunt Babylonis, ideſt confuſionis; immò filios tenebrarum, ipſiuſque gehennæ, ubi nullus ordo inhabitat.* Et paulo infra (cap. 6.) *At inquiunt quomodò regulam tenent, qui pelliciis induuntur, ſani carnibus, ſeu carnium pinguedine veſcuntur, tria, vel quatuor pulmentaria, quod regula prohibet, admittunt .... De corporalibus itaque fratribus calumniam ſtruitis; & quæ majora ſunt regulæ, ſpiritualia ſcilicet inſtituta, relinquitis, camelumque glutientes, culicem liquatis. Magna abuſio ... Tunicati, & elati abhorremus pellicias. Tanquam non melior ſit pellibus involuta humilitas, quam tunicata ſuperbia ..... Repleti denique ventrem ſaba, mentem ſuperbia, cibis damnamus ſaginatos. Quaſi non melius ſit exiguo ſagmine ad uſum veſci, quam ventoſo legumine uſque ad ructum exſaturari: præcipue cum & Eſau non de carne, ſed de lente ſit reprehenſus; & de ligno Adam non de carne damnatus, & Jonathas ex guſtu mellis, non carnis, morti adjudicatur: Econtra vero Elias innoxie carnem comederit, Abraham gratiſſime carnibus Angelos paverit, & de ipſis ſua fieri ſacrificia Deus præceperit.* Ne autem hac phariſaicæ auſteritatis deteſtatione abuti unquam poſſent Monaſticæ diſciplinæ oſores: vel ut inde laxitatibus patrocinium quærerent, vel diſciplinæ ſeveritatem nihili facerent, ſtatim hæc ſibi objicit Doctor Sanctus. (cap. 7.) *Quid ergo inquis? Siccine illa ſpiritualia perſuades, ut etiam hæc, quæ ex regula habemus, corporalia damnes? Nequaquam. Sed illa oportet agere, & iſta non omittere .... Neque hoc dico, quia hæc exteriora negligenda ſint: aut, qui ſe in illis non exercuerit; mox ideo ſpiritualis efficitur: cum potius, quanquam meliora, niſi per iſta, aut vix, aut nullatenus vel acquirantur, vel obtineantur.*

III. Poſtquam vero quorundam Ciſtercienſium, de quibus conqueſtus fuerat Abbas Cluniacenſis, detrahendi licentiam corripuit, ad eoſdem Cluniacenſes ſermonem convertit. Veretur ſiquidem, acrius, quam par fuerat, ſuos redarguiſſe, nimiumque aliorum laxitatibus morem geſsiſſe. Idcirco ne Cluniacenſes ſibi blandirentur

Ber-

Bernardum ſuis favere moribus confeſtim hæc addit. *Jam vero epiſtola, ut epiſtola remaneat, finienda erat; Quandoquidem, & noſtros, de quibus Pater conqueſtus es, quod ordini veſtrò detraherent, ſatis quantum potui ſtylo corripui, & me quoque ab hujuſmodi falſa ſuſpicione purgavi, ut debuit. Sed quoniam dum noſtris minime parco, nonnullis de veſtris, nimium, in quibus non decet, videor aſſentire, pauca quæ & vobis diſplicere cognovi, & omnibus bonis vitanda eſſe cognovi non dubito, neceſſarium reor ſubjungere.* Non vacat exſcribere, quæ ibidem pluribus capitibus acri, & prolixa oratione adverſus Cluniacenſes ſcribere pergit Bernardus. Eorumdem intemperantiam, crapulam, commeſſationeſque ſummopere exaggerat, & inſectatur. Prælatorum luxum, prodigalitatem, equorum, & famulorum multitudinem improbat. Illud vero acerbius perſtringit, quod vitiis ipſis virtutis ſpeciem prætendant, & vitia virtutes compellant. *Miror etenim unde inter Monachos tanta intemperantia in commeſſationibus, & potationibus, in veſtimentis, & lectiſterniis, & equitaturis, & de conſtruendis ædificiis inſoleſcere potuit: quatenus ubi hæc ſtudioſius, voluptuoſius, atque effuſius fuerint; ibi Ordo melius teneri dicatur; ibi major putetur Religio. Ecce enim parcitas putatur avaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia reputatur. Econtra remiſſio diſcretio dicitur; effuſio liberalitas: Loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollities veſtimentorum, & equorum faſtus, honeſtas: Lectorum ſuperfluus cultus munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus, caritas appellatur.*

IV. Hæc ex Divo Bernardo referre congruum exiſtimavi, ut & maledictorum ora obſtruerem, & vitioſorum audaciam coercerem, qui, quemadmodum Bernardus ait, laxitatibus blandiri, caritatem appellant. Ab utroque ego, pro viribus, declinavi extremo. Et ad primum, quod attinet, illud reipſa, me evitaſſe certiſſimum mihi perhibet teſtimonium conſcientiæ meæ intimus ſenſus. Nec enim, aut cuiquam detrahendi prurigine, aut ſuperbiæ æſtu, aut invidendi genio abreptus, manum huic operi adjeci. In hunc cenſum illos perſcribit D. Bernardus, qui per ſummam ſuperbiam Phariſæorum more ſeipſos beatos prædicant, qui ſuorum operum ſanctitatem commendant; quique, abſque nulla profectus fiducia, proximi delicta in vulgus ſpargunt. Quod quam ſit euangelicæ legi infeſtum, nemo non videt. Quare haud eſt difficile viro honeſto, nedum chriſtianæ perfectioni inhianti, ſe a tam manifeſto vitio continere. Illud eſt per quam difficillimum, ne ob ſtudium evitandi charybdim, incidamus in ſcyllam: ne ſcilicet amore occultandi publica ſcandala, ſub caritatis fuco innocentum ruinæ viam aperiamus latiſſimam; atque virtutem, & veritatem ipſam ultimum ſubire diſcrimen ſinamus. Plurimi enim

ſunt,

ſunt, qui vellent, vel manifeſtiſſima ſcandala ſilentio obvolvi. Nec advertunt, quod, dum vulnus liberius ſerpere permittitur, in dies altiores agit radices, & brevi, ſublata cujuſque ſalutis fiducia, totum inficit corpus. Certe ſi commune bonum magni facerent, haudquàquam illorum blandiendum auribus ducerent, qui illud, nulla adhibita moderatione, deſtruunt. Quid? Vereris ne proprii Ordinis ſplendor obnubiletur, ſi quis, ut tenebras excutiat, crimina auferenda de medio inclamat, & ſuppliciter obſecrat? Prudentiæ regulas, caritatis jura graviter lædi conquereris, ſi diſciplinæ regularis perditores, etiam ſuppreſſo nomine, redarguantur? Quid eſt, amabo te, ab omni lege tum naturali, tum Divina, tùm humana magis alienum? Quandoquidem, ut cœtera ſileam, Divus Bernardus, ſicut jam indicatum eſt, non ſolum in Monachorum laxitates abſolute calamum ſtringit, ſed eoſdem deſignat, & ordinem, cujus a recta diſciplina defectionem improbat, ſuo nomine appellat. Nec enim ſontibus, cum evidenti maximoque innocentum periculo, parcendum eſt. Quoties tamen neceſſitas non urget, ſuppreſſis nominibus, vitiorum ſcopuli, ut evitentur, patefaciendi ſunt. Huic ego, majore, qua potui diligentia, viæ inſtiti. Nullum ſacrorum Ordinum vel oblique indigitavi. Regularis tantum diſciplinæ prolapſionem, ſoloſque Regulares, qui in relaxata, vel in ipſis primariis legibus, diſciplina, vivere ſtudent, ipſamque relaxationem defendere conantur, ad Monaſticæ obſervantiæ præſcriptum revocare in votis mihi fuit. Omnes enim ordines, nullo excepto, ut ſanctos colo, omnes magnifacio, & ordinum quorundam vitia dumtaxat in membris reprehendo quibuſdam. Utinam hac diligentia, & moderatione vitioſorum jacula, & maledicorum invidiam evaſerim. At id ſperare temporum calamitas minime concedit. Quid quod nec ipſe Bernardus id aſſequi potuit. En illius verba quibus laudatæ ſuæ Apologiæ finem imponit. *Utinam hæc pauca ſcripſerim ſine ſcandalo. Enimvero vitia carpens, ſcio, me offendere vitioſos . . . Quæ in veſtris laudabilia ſunt, laudo; & prædico. Si quæ reprehendenda ſunt, ut emendentur, vobis & aliis amicis meis ſuadere ſoleo. Hoc non eſt detractio, ſed attractio.*

CAPUT PRIMUM.

Variarum reformationum notiones explicantur.

I. SÆpius mecum reputavi, quid cauſſæ ſit, cur vel ipſum reformationis nomen odii tantum, & invidiæ ſubeat; & illud tandem in mentem venit, ortum id ducere ex ejuſdem veri ſignificatus ignoratione, idcirco ſincera illius notio patefacienda. Reformatio itaque reparationem collapſæ diſciplinæ exprimit. Quare deformationem reformationi præire neceſſe eſt, nec reformari id valet, quod deformatum prius non fuerit. Ipſum enim verbum reformo, ſi diſcutiatur, idem ſonat, ac in priorem formam redigo. Is ergo aliquid reformare dicitur, qui illud ipſum in priſtinam formam, & dignitatem reſtituere contendit, cujus rei exemplum ſuppeditat vel ipſe Ovidius metamorphoſeon libro undecimo. *Dum quod fuit ante, reformet*. Hinc reformatio regularis ſic definitur, eſt reſtitutio Religionis per inobſervantiam Regularis diſciplinæ collapſæ ad primævam obſervantiam. Ita eam deſcribit B. Raymundus de Vineis, vulgo de Capua Ordinis Prædicatorum primus collapſæ diſciplinæ in pluribus Provinciis inſtaurator, in tractatu de reformatione. *Sane cum reformationis vocabulum proprie dicat formæ reaſſumptionem; nullam viam invenio meliorem ipſum ordinem reformandi, quam ſi oculis mentis reſpiciamus ad Petram, unde præciſi ſumus.*

II. Hæc eſt notio, quam reformatio per ſe prodit, quanquam aliquæ peculiares reformationes præter antiquam regulam, nova etiam ſtatuta ſuperaddant, quæ inſtaurationes recentibus ſtatutis, & conſtitutionibus roboratæ diviſionem quandam invehunt in ipſam Religionem. Hinc factiones, ſchiſmata, & civile bellum. Aliqui tamen Regularium Ordines, ſimilem reformationem, quæ diviſionem parit, & diverſitatem, reſpuunt: potiſſimum Ordo Prædicatorum, qui, ut cœteræ antiquæ Religiones, peſtis, bellorumque calamitatibus labefactatus, in ſui reparatione diviſionis malum non ſentit. Avitas leges, & priſcas conſtitutiones, omni, ſive veſtitus, ſive aliarum rerum mutatione ſublata, puras ſervarunt prudentiſſimi inſtauratores: tum quod per ſe ſatis ſunt ad perfectionis metam aſſequendam, tum quod perenni Ordinis unitati magis congruere viſum fuit. Eam itaque reformationis imaginem reſpuit Religio hæc, quæ, recentium cæremoniarum, ſive conſtitutionum ſuperadditione, ordinem, quem reformat, dividit: Illam vero reformationem, quæ, cujuſque diviſionis umbra pulſa, capitis ſupremi, legumque unitatem adamuſſim ſervans, collapſam diſciplinam ad priſtinum ſplendorem inſtauret, non modo amplectitur, verum etiam omni conatu eam promovet. Hæc omnia declaravit Capitulum Generale Mediolanenſe anni 1622. his verbis.

III. Ne

III. *Ne hoc reformationis nomen, quo ſæpius in his ordinationibus occaſione reparandæ regularis obſervantiæ, jam fere temporum injuria iu nonnullis Provinciis collapſæ, utimur, aliquod forte præjudicium Ordinis noſtri unitati (invidiæ, & ambitionis ignem excitante diabolo) progreſſu temporis generare poſſit, animadvertant omnes Ordinis noſtri Fratres, nihil aliud per idem reformationis vocabulum intelligi debere, quam regularis vitæ obſervantiam juxta noſtras ſacras conſtitutiones, & acta noſtrorum Capitulorum Generalium, non mutato habitu, nulliſque novitatibus, aut cæremoniis inductis, præter uſque modo communiter receptas, & approbatas. Quam quidem obſervantiam omnes Ordinis noſtri Provincias, quatenus opus eſt, ac prout Reverendiſſimus Magiſter Ordinis ſua ſollicitudine, & zelo diſpoſuerit, amplecti cupimus. Cæterum cautos omnes eſſe volumus, quod (ut in declaratione prologi noſtrarum conſtitutionum habetur) ideo ſub unius profeſſionis voto vivere dicimur, quia ſub unius Generalis Capituli, & ſub unius Generalis Magiſtri obedientia regimur, & gubernamur. Sicut enim unitas Eccleſiæ ex unitate capitis dependet; ita & unitas Ordinis noſtri ex unitate unius Generalis Capituli, & unius Generalis Magiſtri, cui ſecundum unam regulam, & ſecundum eaſdem conſtitutiones ex voto noſtræ profeſſionis tenemur obedire, abſque dubio dependere dignoſcitur.* Duo itaque extrema evitanda ſunt. Primum, ne unitatis diſpendio, aut damno aliquo opus reformationis procuretur. Prævalet enim Divinum unitatis bonum cuique privatæ fœlicitati. Alterum, ne prætextu unitatis reformationis progreſſus intercipiatur. Facilius in hoc, quam in illud, impingi ſolet extremum. Pauci ſiquidem, qui anguſtam, multi vero, qui latam viam percurrunt. In hujus capitis calce admonere lectorem juvat, remiſſionem diſciplinæ in cauſſa fuiſse, cur Regulares ejuſdem etiam Ordinis, & Inſtituti variis nominibus appellati fuerint. Qui ad priſtinam ſe diſciplinam reſtituerunt *Reformati*: qui in remiſsa conſuetudine perſiſtebant, *Relaxati* vocabantur. Hæc vocabula, quæ contrariam morum diverſitatem prodebant, pluribus odii & invidiæ plena viſa fuerunt, tametſi vera rerum ſenſa efferrent. Alii nomen *Reformationis* Ordinis diviſionem inducere timebant: alii *Relaxationis* vocem tanquam ignominioſam reſpuebant. Verum ſiquidem habet, quod vel ipſe Cato, apud Salluſtium animadvertit, vera rerum vocabula diſplicere plutibus, atque adeo obſoleſcere. Hinc duabus præfatis dictionibus miſſis, Regulares collapſæ diſciplinæ *Fratres Conventuales, ſeu de vita Communi*, Reformati vero *Fratres vitæ Regularis* denominabantur. Quæ voces, licet minus ſignificantes, diu obtinuerunt, quod modeſtiores exiſtimatæ fuerint. Quare & ego eiſdem, interdum, neceſſitate cogente, uſus ſum. Denique alii *ſeverioris*, alii *mitioris* diſciplinæ inſcribi voluere. Ab his duabus dictionibus abſtinui, quod falſos omnino ſignificatus prodant. Quippe quando regula eſt eadem, illius exacta obſervantia nequit dici

ſeverior diſciplina, ita ut in lucis conſpectu Regulæ tranſgreſſio, ſive neglectus, dicatur diſciplina mitior. Conſule quæ dicta ſunt (1. p. Diſsert. 5. cap. 12. num. 3.)

CAPUT SECUNDUM.

Diſcrimen, quod Religionem collapſam inter, & obſervantem intercedit, atque ejuſdem diſcriminis effectus, manifeſtantur.

I. QUanquam invidioſa prima fronte propoſitæ difficultatis inveſtigatio videatur, ſi tamen penitius introſpiciatur, nil eſt, quod æqui rerum æſtimatores carpere valeant. Nec enim aliquam Religionem ceu relaxatam notamus, nec aliam ut obſervantem extollimus; ſed utriuſque genericas notiones, & characteres prodimus. Et quoniam iſtius diſcriminis non paucos ignoratio tenet, de eo in primis, in quo non differunt, diſſerere lubet. Non pauci ſiquidem in ea verſantur opinione, quod non aliud intercedat diſcrimen non reformatos inter, & reformatos, ſeu obſervantes; niſi quod iſti pullas, aſperas, ſordidaſque veſtes: illi vero ſubtiliores, nitidioreſque deferant. Licet vero in hac veſtitus diverſitate ad irriſionem potius, quam ad veritatem, diſcriminis rationem collocent, non eſt tamen, unde vel de hoc ſibi quidpiam plaudere valeant. Enimvero, quamvis tunica Monachum nec conſtituat, nec diſtinguat; ut nec diadema regem, nec corona Imperatorem, niſi alia accedant; attamen quemadmodum hæc ornamenta iſtarum ſunt inſignia dignitatum: ſic aſpera, & hirſuta veſtis religioſæ humilitatis & paupertatis indicium eſt. Quamobrem contemptioni, & ſibilis ſe ſe propinant, cum veſtium nitorem vanumque ornatum jactant, qui nimius ſane ornatus, non humilitatis, & pœnitentiæ, ſed ambitionis, ac ſuperbientis animi argumentum eſt.

II. Nec inſuper per id differunt, quod una Religio diſpenſationibus, minime vero altera utatur; vel quod in illa, & non in hac legum tranſgreſſiones, & defectus ſerpant, utrobique enim ſauciatæ naturæ lapſus reperiri queunt. Propria autem diſcriminis ratio in hoc elucet, quod Religioſi diſciplinæ collapſæ paſſim regulam, conſtitutiones, cæremoniaſque tranſgrediuntur impune. Reformati vero, ad Regulæ, & Conſtitutionum præſcriptum vitam inſtituunt. Quod ſi fragilitate impellente, vel malitia obcæcante interdum leges violant, præfinitas a lege pœnas perſolvunt. Hanc differentiam aſſignat Joannes Excuria (in tract. de refor. art. 2.) *Et iſte, modus vivendi, qui eſt obſervantia, eſt conformis, & Regulis, & Inſtitutis Patrum, quaſi exemplaribus, ſecundum quæ profitentur informare mores ſuos. Ideo obſervantia vocatur vita regularis, ſive formata. Modus autem, in quo raro, immo quaſi nunquam mores conforman-*

tur

tur hujuſmodi Regulis tanquam formis exemplaribus, vocatur irregularis, & deformatus, ſive irregularitas, & deformatio. Et quia non ſtat firmiter, ſed cadit ab inſtitutis, ideo vocatur ruina. Ex quo patet, quod cum obſervantia ſit impletio regulæ, & ſtatutorum: & diſpenſare, ſeu uti diſpenſatione ſit de conſtitutis, & ordinationibus: ſequitur quod uti diſpenſationibus, ſeu dare diſpenſationes eſt de pertinentibus ad obſervantiam. Et proinde clarum eſt, & manifeſtum, quod differentia inter obſervantes, & non obſervantes non conſiſtit in hoc, quod eſt uti diſpenſatione, & non uti; ſed non obſervantes dici debent, qui paſſim, & indifferenter tranſgrediuntur ſtatuta, & cæremonias ſuæ Religionis, nec pœnas portant pro tranſgreſſionibus taxatas. Obſervantes autem illi, qui regulariter, & ordinarie illas obſervant, quamvis interdum pro loco, & tempore, ſeu cauſſa, vel caſu urgente diſpenſationibus utantur. Aut forte, ut contingere poteſt, ex fragilitate ſine diſpenſatione tranſgrediantur; dummodo ſe intendant emendare, & non paſſim frangere, ſed pœnis ſe ſubmittere.

III. Ex hac porro diverſitate id conſequitur, quod Religioſi remiſſæ diſciplinæ latiſſimam perditionis, reformati vero anguſtam ſaluris viam percurrant; quantum ex vi, & natura utriuſque contrariæ diſciplinæ colligere fas eſt. Cœterum nemo prudens negaverit, vel in ipſo deformato Ordine Religioſos ſanctitatem ſibi comparare poſſe, quemadmodum, & in Ordine reformato damnationis pœnam ſubire. Verum, ut hic non adeo facile patet æternæ ruinæ aditus; ita illic difficillime ſalutis portus occurrit. Eo auſus meos minime efferrem, niſi Theologi, Patres omnes viam aperuiſſent. Laudatus Joannes Excuria (art. 3.) *Modus ille vivendi*, inquit, *quorundam Religioſorum, in quo regula & Patrum ſtatuta, ſeu conſtitutiones raro, vel nunquam ſervantur, ſed paſſim, & quaſi ſemper tranſgrediuntur, quantum eſt ex ſe, judicandus eſt damnabilis, quia ſuos amatores, & defenſores, ſi ſic moriantur, inevitabiliter damnat . . . Modus ille vivendi tam effuſus, & laxatus eſt, ut in eo paſſim, & notorie in oculis vulgi videatur indifferens uſus peculii, perſonalis, & propria ſollicitudo ſui. In cibo autem, & in omni victu, veſtitu quoque, & ſtatu, ac cæteris cæremoniis, quæ regularitatem continent, nihil auſteritatis, vel aſperitatis in hujuſmodi Religioſis conſpicitur, magis quam in Laicis. Proinde modus ille quantum in ſe eſt, in tantum eſt ab omni ſtrictura regularitatis ſolutus, ut non Religio, ſed diſſolutio, non forma vel norma; ſed enormis deformatio, quantum apparet exterius, videatur. Quod viri docti honeſtatis fama præclari, doctrina, & exemplari vita fulgentes, in eodem interdum inveniantur: eſt ad ſolas gratias perſonales omnimode referendum, & ſoli Deo penitus tribuendum. Non autem quod modus ille vivendi quippiam ſalubritatis ſuis afferat cultoribus, nec privilegium paucorum trabendum eſt ad conſequentiam multitudinis.*

IV. Facile mihi eſſet longum texere catalogum Patrum, & Theologorum,

rum, etiam recentium calculos ſuos aſſertioni noſtræ addentium, verum ut brevitati morem geram, unum referre ſufficiat Dionyſium Carthuſianum, qui de reformatione Clauſtralium (art. 6.) hæc ſcribit. *Religioſi deformati, in quibus parva, aut nulla eſt rigoris aut diſciplinæ obſervantia, qui carnaliter vivunt, & mundanis vanitatibus pleni ſunt, otioſitati, & loquacitati vacantes, in innumerabilia prorſus incidunt vitia non venialia ſolum, ſed, & mortalia quoque. Immo tota vita eorum, eſt quaſi quoddam peccare continuum.*

CAPUT TERTIUM.

Reſolvitur objectio contra ea, quæ capite ſuperiore dicta ſunt. Conſtitutiones plurium Ordinum, demptis votis, & præceptis, ad culpam non obligant: injuſte ergo tranſgreſſoribus damnationis periculum minamur, & obſervatores inaniter ſpe ſalutis lactamus.

I. PLurium ſacrorum Ordinum Conſtitutiones ad ſolius pœnæ, minime vero culpæ malum damnare violatores neminem latet. Qua facta poſitione, hoc abutuntur ipſi ratiocinio. Quoties vota, & præcepta regulæ ſervamus, vitamque honeſtis moribus imbutam ducimus, in tuto eſt ſalus noſtra, etiam ſublata aliarum conſtitutionum obſervantia: quippe manifeſtum eſt Leges iſtas ad culpam non obligare. Quid eſt ergo, cur jugo opprimi debeamus, quod Patres noſtri non impoſuere?

II. Ut illuſionem hanc nimium exitialem plenius diſpellamus, perſpicue vim, & indolem iſtam conſtitutionum palam facere neceſſe eſt, deinde quid, omnibus circumſtantiis inſpectis, dicendum ſit, declarabimus. Et ut a primo auſpicemur, utique plurium Ordinum Conſtitutiones, maxime Ordinis Prædicatorum, ſolam pœnam violatoribus præſcribunt, dummodo abſit contemptio, qua accedente, tranſgreſſio culpabilis evadit. Totum hoc expreſſe habetur in prologo Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum (text. 4.) *Ut igitur unitati, & paci totius Ordinis provideamus, volumus, & declaramus, ut Regula noſtra, & conſtitutiones noſtræ non obligent nos ad culpam, ſed ad pœnam, niſi propter præceptum, vel contemptum.*

III. Iſtarum Conſtitutionum prudentiſſimi conditores hac miti, & ſuavi moderatione eas temperarunt, ut conſcientiarum perplexitates, & angores abigerent, ut animorum tranquillitati conſulerent: uno verbo, ut optimis ſubditis ſolamen afferrent; minime vero, ut tranſgreſſionibus viam ſternerent. Quod ergo leges iſtæ ad culpam non obligent, non inde præſidium aliquod ſibi aſciſcere poſſunt violatores, ſed potius malitiæ ſuæ metue-

tuere ſummopere debent, quod tanta benignitate, & clementia adeo impudenter abutantur, ut animadvertit laudatus Joannes Excuria (tract. de ref. art. 2.) *Conſtitutiones illæ non obligant ipſos fratres ad culpam, ſed ad pœnam tantum: Ex qua volunt quidam inferre tranſgreſſionem earum non eſſe formidabilem. Sed hujuſmodi conſtitutio licet magnum ſolamen afferat timoratis obſervantibus, qui interdum ſcrupuloſis perplexitatibus agitantur, nihil tamen remedii confert renuentibus obſervare.*

IV. In controverſiam non pauci doctiſſimi viri revocant, utrum tranſgreſſores iſtarum conſtitutionum prætaxatas pœnas ſubire omittentes culpam perpetrent? Affirmant inſignis Cardinalis Joannes Dominici de Bianchinis, in ſuo de ſtatu Ordinis Prædicatorum tractatu, cujus ſynopſim alibi dedimus, D. Antoninus (*3. p. tit. 16. §. 13.*) quibus favere videntur Silveſter (verb. Relig.) Navar. (ſum. cap. 23.) Hac vero ducuntur ratione, quod legislator expreſſe aſſerat, violatores conſtitutionum ſe ad pœnam, tametſi non ad culpam, obligare velle. Ubi autem obligatio eſt, ibi præceptum eſſe neceſſe eſt. Porro præcepti, & obligationis omiſſio culpa non vacat. Hanc opinionem improbat Cajetanus (in 2. 2. q. 186. art. 9.) cujus ratio rem conficere videtur. Quandoquidem Conſtitutionum, & Regularum conditor aperte ſuam prodit voluntatem, nullam videlicet ſuarum legum ad culpam obligare. Nulla itaque ratione aſſerere poſſumus, pœnitentiæ taxatæ omiſſionem criminoſam eſſe. Si quis ſilentium violans cujuſque malitiæ expers eſt, cur quæſo peccabit, ſi violati ſilentii pœnas perferre recuſat? Alioqui quoties obligatio ſubeundi pœnam ſub aliqua culpa foret, jam tum regularum conditor ſibimetipſi contradiceret. Quoniam ex una parte teſtatur, ſe per nullam ſuarum legum velle ad culpam obligare, ſed ad pœnam tantum. Hocce porro debitum perferendi pœnam ex conſtitutione eſt. Ergo facta ſemel poſitione, quod debitum iſtud culpam annexam habeat, jam conſtitutio aliqua culpæ reum efficeret tranſgreſſorem, quod a veritate abludit. Nec contraria ratio quidpiam faceſſit negotii. Siquidem obligatio ad ſuſtinendam pœnam a conſtitutione præfinitam, ejuſdem generis eſt, ac obligatio ad obſervandam legem, videlicet late, & amplo in ſenſu accepta. Si tamen Prælato jubente, pœnamque præſcribente eam ſubire reſpueres, dubio procul peccares contra obedientiæ votum, & optimam regiminis regulam.

V. Tametſi vero Conſtitutiones iſtæ vi, & natura ſua ad nullam, ſive gravem, ſive levem culpam obligent, earum tamen in praxi tranſgreſſio vix eſt a culpa immunis, ut enim quis noxam contrahat, ſatis eſt, quod cauſſa quapiam minus honeſta ductus legem violet, ut docet Divus Thomas (*2. 2. q. 186. art. 9. ad 1.*) *In aliqua tamen Religione, ſcilicet Ordinis Fratrum Prædicatorum tranſgreſſio talis vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem; ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam: quia per hunc modum ad talia obſervanda obli-*

obligantur : qui tamen poſſent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, ſeu contemptu.

VI. Cajetanus in Commentariis ad hunc articulum commonefacit, ſummopere animadvertendam eſſe phraſim Angelici Doctoris aſſerentis, tranſgreſſiones iſtarum conſtitutionum ex genere ſuo culpam excludere, cœterum continuo ſubdentis ex parte operantis facillime peccatum occurrere poſſe. *Oportet diligenter notare verbum auctoris in litera hæc dicentis, quod hujuſmodi tranſgreſſiones non ſunt culpæ ex ſuo genere, ita quod ſenſus legis obligantis ad pœnam, & non ad culpam, eſt, quod ſtatuit actum illum eſſe extra genus culpæ, non qualitercunque, ſed ex ſuo genere, hoc eſt non ex parte operantis, ſed ſecundum ſuam naturam, & propterea trifariam poteſt ex parte operantis ingredi genus culpæ actus, qui ſecundum ſe extra genus culpæ a lege poſitus eſt.* Ut paucis rem hanc concludamus, quoties Religioſus honeſta, atque rationabili cauſſa ductus contra conſtitutionem agit, nullo modo delinquit. At raro contingit, legis tranſgreſſionem juſta niti cauſſa; atque adeo, omnibus circumſtantiis inſpectis, cujuſque culpæ expertem eſſe. Quamobrem unanimi conſenſione Doctores adfirmant, violatores talium legum vix, ac ne vix quidem in praxi evadere poſſe culpam ſaltem venialem. Triplicem peccandi viam in harum conſtitutionum violatione perhibet Angelicus loco laudato. Prima eſt negligentia, cum quis ex ſolo animi torpore, & ſegnitie legem tranſgreditur. Secunda eſt libido, videlicet nimia animi cupiditas, & impotens æſtus erga aliquid, ob cujus amorem minus rectum, legis obſervantiam omittit. Tertia eſt contemptus, qui regulæ tranſgreſſionem, non utcumque, ſed mortaliter culpabilem conſtituit. Et quoniam res eſt ſummi momenti; idcirco ſequenti capite perſpicue enucleandam operæ pretium exiſtimavimus.

CAPUT QUARTUM.

Quomodo contemptus regulæ non obligantis ad culpam, culpam inducat.

I. Contemptio regulæ eſt illius deteſtatio, & abominatio. Ille dicitur ex contemptu regulam, ſeu conſtitutiones violare, qui ex animi ſententia regulæ ſe ſe ſubjicere refragatur. In quo duo occurrunt, nempe tranſgreſſio regulæ, & cauſſa in eandem tranſgreſſionem impellens: quæ cauſſa non eſt aliqua effrænis paſſio, ſed actus voluntatis ſubjectionem legi, & legiſlatori deteſtantis. Ita docet Angelicus Doctor (2. 2. q. 186. art. 9.) *Ad tertium dicendum; quod tunc committit aliquis vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis vel regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam.*

Quan-

Quando autem econverſo propter aliquam particularem cauſſam, puta concupiſcentiam vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis vel regulæ, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſſa, etiam ſi frequenter ex eadem cauſſa, vel alia, ſimile peccatum iteret. Frequentiam tamen tranſgreſſionis ad contemptum diſponere, ſtatim ſubdit ut jam jam dicemus.

II. Duo hic in controverſiam vocant Theologi. Primum, an peccatum contemptus per ſe ſit mortale, an indifferens ad mortale, & veniale? Divus Antoninus (3. p. tit. 16. §. 9.) peccatum mortale ſuapte natura eſſe teſtatur his verbis: *Nam quod contemptus ſit mortale patet* (Num. 15.) *ubi contemnens mandatur morte puniri.* Caſuiſtæ non pauci ſuſtinent contemptum pro materiæ ſeu legis diverſitate graviter, aut leviter obligantis, culpam eſſe vel mortalem, vel venialem. Cajetanus (2. 2. q. 186. art. 2. & q. 104. art. 2.) cui plures ſubſcribunt, diſtinguit contemptum in formalem, & materialem, aitque illum eſſe peccatum mortale, ſecus iſtum. Sed contemptus materialis, Cajetano fatente, eſt dumtaxat refutatio executionis regulæ, in qua notio veri contemptus haudquaquam elucet: idcirco ſententia Cajetani eadem eſt, ac ſententia communis, nempe verum legis contemptum ſuapte natura peccatum eſſe mortale.

III. Alterum, quod in diſputationem adducunt, eſt, utrum contemptio regulæ, & conſtitutionum, quæ ex genere ſuo ad nullam culpam, ſive gravem, ſive levem obligant, ſit peccatum mortale? P. Franciſcus Suarez fuſo calamo hanc verſat difficultatem (de Relig. tom. 4. lib. 1. c. 4.) quam non ſine fundamento maximi reputat momenti. Quandoquidem, ut ipſe ait, nil facilius, quam in aliquod extremum impingere, vel nimiæ auſteritatis laqueum Religioſis injiciendo, ſi eis periculum peccandi, ubi revera non ſit, imponatur: vel magnæ laxitatis, ſi peccandi occaſio aperiatur. Hæc duo extrema effugere ſibi blanditur perdoctus vir, a communi ſententia ſi recedat. Defendit quippe non modo unius, ſed neque omnium ſimul conſtitutionum contemptum peccatum eſſe mortale, dummodo ipſæ conſtitutiones ad nullam obligent culpam. Malitiam ſiquidem contemptionis malitia tranſgreſſionis legis contemptæ ipſe metitur. Oppoſita ſententia, quam communem appellat Suarez, eamque a D. Thoma propugnari fatetur, vel unius conſtitutionis contemptum peccatum mortale eſſe affirmat. Expreſſius cæteris id aſſerit Cajetanus (in 2. 2. q. 104. art. 2.) *Qui enim frangeret ſilentium hac intentione, ut faceret contra voluntatem indicentis illud, hic vere contemneret, & peccaret mortaliter.* Non vacat utriuſque ſententiæ rationes expendere, tum quod plures ſubtilitates, quæ ad inſtitutum noſtrum nihil conducunt, excutiendæ forent, tum quod res potius facti ſit, quam juris. Enimvero ſi leges ipſæ, quæ ad culpam ſe non obligare aperte clamant, contemptum excipiant, jam difficultas quæque ſublata eſt. Porro Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum, quæ nullam omnino ſive levem, ſive gravem culpam

tranſgreſsores perpetrare declarant, manifeſte ſubdunt, cujuſque vel minimi ſtatuti contemptorem noxam contrahere mortalem. *Declaramus quod ſicut tranſgreſſio præcepti in regula vel conſtitutione poſiti, ſive a Prælato facti, obligat ad culpam: ita tranſgreſſio Conſtitutionis quantumcumque minimæ ex contemptu facta obligat ad culpam mortalem, quia ut dicit S. Bernardus. Neglectus ſemper culpabilis eſt, contemptus vero damnabilis.* (Gloſs. ad tex. 4. Prol. ad lit. N.) Deinde referunt Doctrinam D. Thomæ, quæ contemptus naturam exprimit, & tandem ex auctoritate, tum Divi Auguſtini libro de natura, & gratia (cap. 29.) tum ipſius Divi Thomæ concludunt frequentiam tranſgreſſionis ad contemptum inducere his verbis. *Quod non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ, frequentia tamen peccati diſpoſitive inducit ad contemptum. Secundum illud Proverbiorum 18. impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Et quoniam pauci ſunt, qui manifeſta contemptione jugum legis excutiant, ſeu qui expreſſi contemtus peccatum perpetrent; multi vero, & plurimi, qui frequenter ſtatuta ſua violent: idcirco non parum prodeſſe judicamus, ſi viam, per quam conſuetudo violandi legem, legis contemptum invehat, pateſecerimus.

CAPUT QUINTUM.

Quomodo frequentia violandi Regulam, & Conſtitutiones ad contemptum diſponat, & inducat, manifeſtatur.

I. Rigida utique, & aſpera nimis prima facie videtur ſententia, quæ aſſerit, contemptum cujuſque minimæ Regulæ, aut Conſtitutionis, culpam eſſe mortalem. Verum, præterquam quod lex ipſa ſic præſcribit, rem ſi penitius introſpiciamus, non rigorem, non ſeveritatem, ſed conſummatam Legiſlatoris providentiam comperiemus. Quandoquidem Legiſlator una ex parte Regulam ſuam, conſtitutioneſque condidit, non ut ſtrepitum ederet; ſed ut executioni demandarentur: Ex altera parte ad fragilitatem humanæ naturæ reſpiciens, facileſque lapſus prævidens, ne jugo nimis gravi ſubditorum conſcientias opprimeret, a culpæ reatu tranſgreſſiones ex naturæ imbecillitate proficiſcentes exemit. Sed ne deſidiæ, aut effronti malitiæ fomentum præberet, addidit contemptum legis eſſe mortalem: Privilegium itaque exemptionis a culpa piis, probatiſque viris maximum adfert ſolamen. Timor ex frequenti tranſgreſſione in contemptionis peccatum prolabendi calcar eſt ad obſervantiam excitans, frænumque tranſgreſſorum audaciam coercens. Lex talibus temperata ſtatutis ab utroque tum ſeveritatis, tum laxitatis recedit extremo. Ad difficultatem, quam propoſuimus enodandam, tempus jam eſt, ut accedamus.

II. Frequentia tranſgrediendi Regulam, & conſtitutiones etiamſi aſſidua, & reiterata, nunquam per ſe contemptum conſtituit, quoniam rerum eſsentiæ ſuos limites præfinitos habent, qua de cauſsa nec frequens peccatorum venialium commiſſio unum efficere poteſt mortale crimen. Verum ut levium culparum reiteratio ad gravem culpam diſponit & inducit; ſic repetita, & continuata propriarum conſtitutionum violatio viam ſternit ad contemptum, ut aſserit Divus Thomas (2. 2. q. 186. art. 9. ad 3.) *Frequentia tamen peccati diſpoſitive inducit ad contemptum*. Et Cardinalis Cajetanus in Commentationibus ad hunc articulum, quamvis aſserit centies, & millies repetitam tranſgreſſionem, contemptum in rigido ſenſu, acceptum, non eſse, ſubdit tamen illico hæc verba. *Caveat tamen ne frequentia peccandi diſponat ipſum paulatim, & tandem deducat ad contemptum non ſubjiciendi ſe Regulæ. Quoniam, ut in littera dicitur, frequentia peccati diſpoſitive inducit ad contemptum; ſicut conſuetum veniale non correptum diſpoſitive inducit ad mortale.*

III. Non tantum ergo frequentia tranſgreſſionis diſponit, ſed diſponendo inducit ad contemptum. Quod ut hanc, non levis momenti, veritatem clarius perſpicias, animadvertas velim, D. Thomam, alioſque Doctores hac cautiſſima phraſi uti, ſcholæ methodo morem gerentes, ſeu ne rerum eſsentias, & notiones confundant, & unius in aliam tranſmigrationem quodammodo permittere videantur; ſed ut unaquæque res citra proprios limites conſiſtat. Cœterum ut ex eorum verbis etiam colligitur, qui continue legem tranſgreditur reipſa legem contemnere præſumitur, ſeu continuata tranſgreſſio contemptionis luculentiſſimum eſt argumentum. Sic ſentit Joannes Dominicus in ſæpius laudato codice de ſtatu Ordinis Prædicatorum. *Puto*, inquit, *conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum dici contemptum, voluntariam ſine cauſſa continuatam aliquandiu tranſgreſſionem, puta cum quis habet capas regales, lineis utitur, repletur pecuniis, etiam ad prodigalitatem ſequendam, & cum ſanus ſit, propter guloſitatem tantum vult fere continue carnibus veſci; & cum jejunare valeat, ſaltem aliquoties in hebdomada, nec ſextis feriis a cœna vult abſtinere; nulla inſuper petita licentia vel obtenta, & ſimilia facit, quæ conſtitutiones vetant, in hiſque perſeverare intendit, non video quomodo a damnabili contemptu talis valeat excuſari*. Et pag. 7. ejuſdem codicis hæc habet. *Si quis in Ordine Prædicatorum rite profeſſus tacite, vel expreſſe ex deliberato animo principalia Ordinis ſtatuta non ſervat, cum intentione tranſgreſſionem talem continuandi, quod apud Deum non eſt minus cenſendus Apoſtata, quam qui temerarie habitum ſui Ordinis deponit, cum propoſito non reſumendi*. Huic doctrinæ ſubſcribit D. Antoninus (3. p. cap. 1. §. 9.) Eadem docet Silveſter (verbo Relig. 1. q. 12.) ubi continuatam tranſgreſſionem contemptum appellat interpretativum. *Secundo ſumitur pro contemptu interpretativo, quia ſumitur ſecundum Archiepiſcopum poſt Beatum Joannem Dominicum pro voluntaria, ſine*

cauſſa continua aliquandiu tranſgreſſione ſtatutorum principalium, ideſt pro intentione deliberata non ſervandi ſtatuta principalia, ſed continuandi eorum tranſgreſſionem, quod eſt mortale, & apoſtatare apud Deum. Quod verum limita, quando eſt voluntas tranſgrediendi omnia principalia ſtatuta, quibus venitur ad perfectionem: quæ videntur eſſe ea, quæ pertinent ad humilitatem, ut vilitas habitus; & auſteritatem, ut aſperitas veſtium lanearum, vigiliæ nocturnæ, jejunia, & abſtinentia, puta a carnibus, quia iſte eſt contemptus perfectionis. Secus ſi quis ex infirmitate non ſervaret multa.

IV. Eadem habet Humbertus Magiſter Generalis Ord. Prædicatorum in commentariis ad prologum conſtitutionum apud Joannem Excutia (art. 4.) *Conſtitutiones illæ non obligant fratres ad culpam, ſed ad pœnam tantum . . . . Nihil tamen remedii confert renuentibus obſervare, dicente præfato Magiſtro Humberto exponendo ipſam eandem conſtitutionem, quod ſi aliquis ſuper occaſione illius conſtitutionis minus ſervare vellet Ordinem, non evaderet culpam contemptus.*

V. Paulus Nazarius opuſculo ſecundo de ſtatu & obligatione Religioſorum dubitatione tertia (Conc. 6.) ubi Cajetani, & Ledeſmæ ſubtilitates rejicit. *Sed hæc tam ſubtiliter a Cajetano, & Ledeſma propoſita, non videntur mihi ſimpliciter admittenda. Quod ſic oſtendo. Secundum Doctores duplex eſt contemptus; alter formalis, qui tunc eſt in Religioſo, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra Legem, vel Regulam, ut ait Sanctus Doctor* (in 2. 2. q. 186. art. 9. ad 5.) *quam doctrinam ſequuntur omnes Theologi. Alter contemptus eſt interpretativus, quem Sanctus Antoninus* (in 3. part. tit. 16. cap. 1. §. 9.) *explicans ait, Dominus Joannes Dominicus &c. . . . . . Quam Doctrinam ad verbum ſequitur Sylveſter verbo Religio* (1. quæſt. 12. §. 4.) *Tabienſis eodem* (tit. q. 4.) *& ante eos Carthuſianus de Reformatione Clauſtralium* (lib. 1.) *Valentia* (in 2. 2. diſp. 10. quæſt. 4. punct. 5.) *Sanchez* (lib. 6. cap. 4. num. 18.) *Sed ad continuatam & intentam illam Regulæ & Conſtitutionum prævaricationem, præſertim, quo ad eorum præcipua capita redeundo, probo eam eſſe contemptum implicitum lethali culpa deformatum. Nam ſubjectio ad Regulam in actu primo, intentionem claudit habitualem ſervandi Regulam, ſicut ſubjectio ad eandem Regulam in actu ſecundo claudit intentionem actualem ſervandi illam. Igitur impoſſibile eſt Religioſum in actu primo ſubjici regulæ, & habere intentionem in habitu, ſeu in actu primo continuandi in tranſgreſſione Regulæ . . . . . . Secundo probatur idem. Quia pravus habitus acquiſitus in Religioſo ex frequentatis, & multo tempore continuatis actibus prævaricationis Regulæ, & ſuarum Conſtitutionum intrinſece claudit inclinationem voluntatis ad ſimiles actus; hæc autem inclinatio repugnat voluntariæ ſubjectioni ad Regulam, & Conſtitutiones; ac proinde contemptum etiam habet interpretativum cum lethalis*

lis

lis culpæ gravitate, quam ex aliis etiam capitibus ſecum trahit frequens illa & continuata tranſgreſſio: Hæc vero ſunt: ſcandalum, quod cæteris præbet exemplo ſuo prævaricator . . . . Secundum eſt perturbatio magna Religionis neceſſario ſequens ex Religioſo ſæcularem vitam in clauſtris agente. Denique talis prævaricator a fine deficit Religionis primario, cum intentionem non habeat in Chriſtiana, & Religioſa perfectione proficiendi, ſed magis continuo deficiendi: atque ideo eſt in STATU DAMNATIONIS ÆTERNÆ.

VI. Hæc omnia adeo manifeſta ſunt, ut nulla quantumvis ſagaci, callidaque tergiverſatione eludi queant. Enimvero, qui continue regulam, & conſtitutiones ſuas frangit, quid aliud, niſi deſpicientiam, & contemptionem juxta communem exiſtimationem prodit? Quid? an naturæ imbecillitate, an paſſionis impetu excuſari valet continuata tranſgreſſio? An concupiſcentiæ æſtus, an iræ ignis ſemper ardet? An caro ſemper ſpiritui prævalet? Minime gentium. Sed ſpiritus, carnem, & appetitus ſibi ſubigit, licet interdum ſuccumbat. Quamobrem, qui ex fragilitate labitur, cito reſurgit, qui paſſione impellente corruit, paſſione extincta, reſipiſcit. Continuata itaque tranſgreſſio, cum neque imbecillitatis naturæ, neque æſtuantis paſſionis fœtus ſit, reſtat, quod ſit abortus abſtinatæ voluntatis regulam deteſtantis, & contemnentis. Quid plura? Ipſa experientia id evincit. Nam, qui pravis conſuetudinibus aſſueſcunt, monita omnia tanquam vel inania commenta, vel pharisaicæ auſteritatis inventa, vel infirmarum mentium excogitata rejiciunt, contemnunt? Ut enim conſcientiæ legis violationem continuam improperantis aculeos quoquomodo retundant, legis jugum excutere conantur. Omnes ſiquidem cum in profundum venerint peccatorum, contemnunt. Noli ergo temetipſum ſeducere, & ex cauta, prudentique Doctorum loquendi methodo, anſam tranſgrediendi regulam arripere; ſed promiſſionis tuæ memor, ut fidelis inveniaris, perficito.

CAPUT SEXTUM.

Utrum frequentia violandi Regulam & Conſtitutiones conſuetudinem inducere poſſit, quæ ab Regulæ obſervantia eximat: & an reipſa in aliqua Religione conſuetudo iſthæc obtineat?

I. DUo non levioris momenti, unum juris, alterum facti, diſcutienda ſuſcipimus hoc in capite. Et quoniam nil familiarius in ore habent, nilque frequentius jactant, tum Theologi benigniores hac de re ſcribentes, cum ipſius regulæ, & conſtitutionum violatores in ſui

de-

defenſionem, quam conſuetudinis patrocinium; idcirco perſpicue conſuetudinis notionem, vim, & effectus manifeſtare oportet. Facillime ſiquidem quiſque decipitur, dum paſſim auribus ſuis ſibi hæc inſonare audit: Conſtitutiones Religionum leges ſunt humanæ, quæ rationabili conſuetudine abrogari valent. In Religionibus relaxatis adverſa obtinet conſuetudo. Non tenentur illi ad exactam regulæ obſervantiam, quia contraria conſuetudo legitime præſcripta prævalet; ubique fere reponunt rationabilem conſuetudinem, & nunquam explicant, quando in praxi rationabilis ſit, & quid requiratur ad veram conſuetudinem conſtituendam, & quibus in circumſtantiis Lex conſuetudine contraria abrogari poſſit. Quæ omnia, ut ſuo in lumine collocemus, quædam in memoriam revocanda ſunt ex iis, quæ diſſertatione quarta, capite quarto, innuimus ex Divo Thoma. Quorum primum eſt, Legem omnem bonum commune per ſe reſpicere. *Unde oportet, quod cum lex maxime dicatur ſecundum Ordinem ad bonum commune, quodcumque aliud præceptum de particulari opere non habet rationem legis, niſi ſecundum ordinem ad bonum commune. Et ideo omnis lex ad bonum commune ordinatur.* (1. 2. q. 90. art. 2.) Alterum eſt, conſuetudinem, quæ modo legem ipſam interpretatur, modo eam abrogat, modo illius loco ſuccedit, vimque legis obtinet, eandem boni communis rationem ſpectare. Et quia humanæ leges non omnes eventus, rerumque viciſſitudines prævidere poſſunt, idcirco omnes fatentur, Leges humanas mutationi obnoxias eſse, & conſuetudine contraria abrogari poſſe. Ad hoc tamen neceſſum eſt, ut lex amplius communi felicitati non congruat, vel ratione circumſtantiarum ſit obſervatu impoſſibilis, & quod conſuetudo contraria, omnibus expenſis, conformior evaſerit bono communi. Ex quo conſequitur, id omne, quod huic ſupremo bono adverſatur, vel publicam fœlicitatem turbat, abuſum eſse, & corruptelam, nulloque temporis curſu jus conſuetudinis ſibi uſurpare poſſe, nec ipſius legislatoris voluntate. Quoniam nec ille, adverſus commune reipublicæ bonum quidquam poteſt. Hæc omnia docet Angelicus (1. 2. q. 97. art. 2.) *Lex humana in tantum recte mutatur; in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. . . . Ideo nunquam debet mutari lex humana, niſi ex aliqua parte tantum recompenſetur communi ſaluti, quantum ex iſta parte derogatur.*

II. Regulæ omnium ordinum præcipiunt, ſtatutis horis, ſilentii obſervantiam, licentiæ petitionem a Prælato pro egreſsu e domo: ut contra prohibent alearum, ſortuitoſque, & pecuniarios ludos, in alterius cubiculum ingreſsum, & id genus ſimilia. Sunt hæ leges humanæ ad communem Religionis utilitatem, pacem, harmoniam, famam, & decorem latæ. An fieri unquam poteſt, illarum abolitionem publicæ Religionis felicitati proficuam fore? An continua ſilentii violatio, an liber e Monaſterio egreſsus, an omiſſio petitionis licentiæ, an ludi alearum,

rum, nummorumque, quandoque communi Ordinis bono proficiunt? an non hoſtiliter adverſantur? An decorem Domus Dei non obnubilant? an publicam famam non deturpant? Quid ergo conſuetudinis ſpectrum in abuſum, & corruptelarum protectionem inaniſſime obtrudunt? Hinc ſatis conſtat, eos omnes & Legis, & conſuetudinis naturam ignorare, qui conſuetudinis larvam affingere præſumunt illis corruptelis, quæ univerſæ Religionis felicitati inſidias ſtruunt, atque ultimam illius cladem, & ruinam inducunt? Talibus ne moribus lex conſuetudinis aptari jure poteſt? Quæ ergo communi bono manifeſte repugnant, nunquam vim legis, aut conſuetudinis obtinere queunt.

III. Ex quibus conſequitur nulla in Religione reipſa conſuetudinem rationabilem reperiri, quæ ab obſervatione præcipuarum conſtitutionum eximat, quæ eſt ſecunda propoſitæ aſſertionis pars. Enimvero ſi neque ipſius Superioris conſenſio, ut diximus, ſatis eſt ad inducendam conſuetudinem Religionis felicitati infeſtam; quid, ſi ipſe legiſlator diſſentiat, reſiſtat, & refragetur? Porro quænam eſt Religio, quæ Novitios ſuos præcipuas leges non edoceat? Quænam eſt, quæ in ſuis Capitulis, cum Generalibus, tum Provincialibus, atque in ſermonibus, quos cujuſque Domus prælati pluries in anno ad ſuos Religioſos habent, Regulæ, & Conſtitutionum præcipuarum obſervantiam non recordetur, non ſuadeat, non præcipiat? Niſi nimia obſtaret prolixitas, præſtò mihi foret cujuſque Religionis ſtatuta in medium adducere; ſed brevitatis gratia miſſa facio.

IV. Non negamus tamen, aliquas auſteritates, ſtatuta cœremonialia, & alia, quæ politiam, & ornatum ſpectant, poſse, ut jam indicavimus, tolli & immutari. Siquidem hæc mutatio ſæpius fieri poteſt, quin bonum commune quidquam detrimenti patiatur, immo quandoque cum illius progreſsu, & incremento. Nec abſque ratione dixi, præcipuas alicujus Religionis Conſtitutiones vix, ac ne vix quidem contraria conſuetudine auferri poſse; quia vix occurrere poteſt cauſsa rationabilis ſimilem introducendi conſuetudinem, quæ præ ipſa lege, congruentior ſit communi felicitati. Quod ſi id eveniret, ultro concedimus, quamcumque humanam legem poſse contraria abrogari conſuetudine.

C A-

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

Quamvis una, vel altera tranſgreſſio omni culpa caret: continuata tamen tranſgreſſio, ſeu conſuetudo tranſgrediendi Conſtitutiones, & Regulas ad nullam culpam obligantes, mortale peccatum eſt.

I. QUæſtio propoſita magni momenti eſt, & ſuapte natura facilis; eam tamen difficultatibus impeditam reddiderunt Theologi non pauci. Hi ſiquidem metaphyſicis ſubtilitatibus aſſueti, duplici in ſenſu eam verſant. Primum continuatæ tranſgreſſionis conſtitutionum, quæ ad culpam non obligant, notionem abſolute conſiderant. Deinde effectus, qui eandem tranſgreſſionem, omnibus circumſtantiis inſpectis, conſequuntur, expendunt. Salmanticenſes (tract. 15. cap. 1. punct. 2.) quæſtionem inſtituunt ſuper debito, quo devinciuntur Religioſi ad incumbendum in ſtudium perfectionis, aſſeruntque ſub culpa mortali, eos teneri ad procurandam ſui ſtatus perfectionem. Viam perveniendi ad hanc perfectionem, ajunt, eſſe obſervantiam votorum, Regulæ, & Conſtitutionum. *Hic* vero aliam proponunt controverſiam, num ſcilicet peccaret lethaliter Religioſus, qui haberet propoſitum firmum ſervandi vota, & omnia præcepta, quæ ſub mortali obligant, nollet vero conſtitutiones, & Regulas, quæ ad culpam non obligant, ſervare. Primo loco referunt ſententiam, quam ſatis probabilem vocant, quæve ſtatuit, Religioſum hunc graviter peccare. Ipſi vero revocant quæſtionem ad principia abſtracta, decernuntque vi iſtius obligationis præciſe procurandi perfectionem, non peccare mortaliter; licet poſtea reipſa graviter peccare concedant, ut paulo infra oſtenſuri ſumus. Ratio iſthæc revocandi morum regulas ad principia, & capita, quæ a praxi, & circumſtantiis ſejuncta ſunt, tantorum eſt origo malorum, ut nullo modo reparari valeant, tametſi Auctores in conſectariis addicere medicamina adnitantur. Et eo malum gravius eſt, quo illuc nervos omnes intendunt, ut concluſionem illam, in qua, de abſtractis rerum notionibus, ſermo eſt, omni argumentorum genere, evincere ſtudeant. Iſthic omnes ingenii, & acuminis vires exerunt. Concluſiones vero, quæ praxim ſpectant, obiter admodum ſubindicant. Hinc Lectores minus periti, vel amore proprii commodi præventi, dum legunt continuatam tranſgreſſionem *per ſe* non eſſe mortalem, hanc ſententiam alta mente reponunt: Corollarium autem, in quo præfati auctores ſtatuunt conſuetudinem tranſgrediendi proprias Regulas, & conſtitutiones *per accidens* id eſt ex aliis capitibus, eſſe lethalem, aut non legunt, vel ſi legunt, mente jam præjudiciis ex priori lectione occupata, decernunt in id atten-

dendum eſſe animum, quod *per ſe*, non quod *per accidens*, occurrit. Putant enim quod *To per accidens* idem ſignificet, ac quod raro contingit, qui ſignificatus falſiſſimus eſt, & ab ipſorum Auctorum mente prorſus alienus. *Per accidens* ſiquidem dicitur, quatenus eſt extra rei naturam abſolute conſideratam; ſed hoc *per accidens* in metaphyſica conſideratione acceptum, in morali ſcientia tranſit in *per ſe*, ſeu in id, quod reipſa, & communiter evenit. His ergo tricis ſummopere morum diſciplinæ noxiis, & infeſtis, neglectis, ſequentem expono ſententiam.

II. *Conſuetudo tranſgrediendi præcipuas conſtitutiones proprii ordinis, quæ vel ad levem, aut ad nullam culpam obligant, reipſa omnibus circumſtantiis inſpectis peccatum mortale eſt; & tranſgreſſores, qui perſiſtunt in tali propoſito, ſunt in malo ſtatu.* Hanc ſententiam, non modo graviores Theologi, ſed communiter omnes vel benigniores defendunt. Et nemo unus eam jure ſub aliquo probabilitatis fuco improbare audebit. Ne autem hoc gratis aſſerere videar, rationes primum explicabo, tum auctoritates Theologorum tranſcribam.

III. Atque, ut perſpicue rem hanc demonſtrem, illud in memoriam revocemus, oportet, ſola ſcilicet Regula, & Conſtitutionibus, ſacros Regularium Ordines, invicem diſtingui. Tria enim ſolemnia vota omnibus communia ſunt. Sublata itaque Regulæ, & conſtitutionum obſervantia, ordo ipſe, prout ab alio diſtinctus, evaneſcat, ac in nihilum occidat, neceſſe eſt. Porro quis negaverit graviſſimum perpetrare peccatum, illum Religioſum, qui quantum in ſe eſt, ſua continuata tranſgreſſione Ordinis ſui ruinam inducit? Ad hæc : ſcandalum ſuis ſodalibus maximum ingerit. Suo enim exemplo illos in eamdem tranſgreſſionis conſuetudinem pertrahit, ſocietatem perturbat: Ad vota violanda latiſſimam aperit viam, & ad manifeſtum contemptum ſe ſe diſponit. Hæc omnia manifeſta experientia comperta ſunt. Videmus ſiquidem vota minime ſervari, ubi regulæ, & Conſtitutiones, quæ eorumdem votorum propugnacula ſunt, paſſim calcantur. Videmus eaſdem conſtitutiones derideri, & contemni, earumque obſervatores tanquam hypocritas traduci. Cum econtrario omnes ii, qui alicujus Ordinis veſtem præferunt, & ejuſdem Ordinis profeſſores ſe ſe jactant; ſtatuta vero, Regulam, & Conſtitutiones præcipuas obſervare negligunt, veri ſunt hypocritæ ementientes profeſſionem, quam non ſervant. *Quid enim* (inquit Venerabilis Humbertus Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum) *prodeſt nomen, vel habitus Religionis, ubi deſunt opera Religionis? . . . . Unde Dominus dicit Judæis,* Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. *Eadem ratione ſi filii Auguſtini, Benedicti, Dominici, Franciſci eſtis, opera eorum, quæ fecerunt, & facienda tradiderunt, facite* (cap. 182. in Reg. D. Aug.) Quis itaque inficias iverit, violatores hujuſmodi viam percurrere damnationis, niſi ſe corrigant, niſi ſcandala ſua removeant, niſi damnum illud ſummum, quod Matri propriæ intulerunt, & in dies inſe-

inferunt, exactæ obſervantiæ ſalubri exemplo compenſare ſtudeant? Nonne, ſi e Religione expulſi forent, ita reformare mores ſuos deberent, ut in eamdem denuo recipi mererentur? Quanto magis ergo ad Regulæ præſcriptum vitam inſtituere obſtricti ſunt, ne expellantur, ne aliis offendiculo ſint, ne propriæ Religionis imaginem deleant? Enimvero quandiu in tranſgreſſionibus perſiſtunt, Religioni expedit, eos tanquam incorrigibiles a ſancta Societate expelli, ne contagione peſtifera plurimos perdant.

IV. Nec eſt, quod hinc animum ſuſpicandi arripias, me nimis grave Religionis jugum efficere, laqueiſque Religioſorum animas irretire. Utinam anguſtam, & arctam viam ſpinis, & tribulis conſitam, floribus reſpergere datum eſſet. Utinam rigorem omnem delinire, & omnem ſeveritatis umbram in nihilum amandare poſſem. Hocque de me, & de quopiam alio ſibi facillime perſuadebit prudens lector, quoties animadverterit, non minus peccare Theologum, ſi ad extremum nimiæ ſeveritatis, quam ſi ad aliud laxitatis, in explicandis morum Regulis, declinet. Accedit, quod minime auſtera videbuntur, quæ diximus, ſi D. Thomæ doctrina, cui omnes accedunt Theologi, in memoriam revocetur. Docet porro Angelicus (2. 2. q. 184. a. 1. & 2.) ſtatum Religioſorum, ſtatum eſſe pœnitentiæ, & diſciplinam perveniendi ad perfectionem. Huic perfectioni ex præcepto inhiare tenentur Religioſi omnes. Et quia ad hanc tenendam metam, viæ plures ducunt, concludit, Religioſum quemque ſui Ordinis conſtitutionum, & Regulæ obſervantia, ſuam perfectionem aſſequi debere; ita ut obſervantia Regulæ & conſtitutionum, quas Religio quælibet profitetur, via unica ſit perveniendi ad perfectionem. *Non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, ſed ad illa, quæ determinate ſunt ei taxata ſecundum Regulam, quam profeſſus eſt.* Hinc eſt, quod omnes Religioſi, ſin minus vovent Regulæ obſervantiam, vovent ſaltem vitam ſuam ad regulæ præſcriptum inſtituere, & conformare. An ne qui paſſim, & ex animi ſententia Regulam, & ſtatuta tranſgrediuntur, vitam ſuam ad Regulam conformant? An viam perfectionis currunt illi, qui non modo in via ex imbecillitate claudicant, unam vel alteram conſtitutionem violantes; ſed qui præcipua & Regulæ & Conſtitutionum ſtatuta aſſidue tranſgrediuntur?

V. Reſponſum, quod exhibere ſolent, eſt, quod quiſque Religioſus aſpirare tenetur ad perfectionem, votorum, & Regulæ, atque Conſtitutionum obſervantiam. Sed cum hoc diſcrimine, quod ſub mortali obſtrigitur, votorum obſervantia perfectioni inhiare; quia vota ſub mortali obligant. Si vero Regulæ, & Conſtitutiones obligant ſolum, aut ſub culpa veniali, aut ſub pœna tantum, & non ſub culpa; tunc Religioſus, aut ſub culpa veniali, aut ſub nulla culpa tenetur Regulæ, & Conſtitutionum obſervantia perfectionem pro viribus aſſequi. Quin poteſt abſolute proponere ſe nolle, vel unam Conſtitutionem obſervare, ſed velle om-

nia

nia violare, quin mortaliter peccet contra præceptum aſpirandi ad perfectionem.

VI. Adnimadvertas tamen velim, Salmanticenſes alioſque Theologos hanc proferre reſponſionem, non ut oſtendant Religioſum hujuſmodi nullo modo graviter peccare. Concedunt enim, illum peccare mortaliter *per accidens*, ideſt ex aliis capitibus; ſed, ut oſtendant, illum non peccare *per ſe*, ſeu vi præcepti aſpirandi ad perfectionem; uno verbo fatentur Religioſum hunc reipſa peccare, quod ſatis eſt. Cæterum, ut ab erroris periculo lectorem ſubducamus, datæ reſponſionis falſitatem patefacere lubet. Verum eſt, Religioſum ſub mortali non obligari ad procurandam perfectionem hac, vel illa determinata Conſtitutione. Quoniam Sancti Ordinum inſtitutores, tranquillitati conſcientiarum conſulere voluerunt, dum ſancitum reliquerunt, nullam peculiarem Conſtitutionem ſub culpa obſtringere. At quid inde? licitum ne propterea erit omnes ſine gravi culpa violare leges? Quis quæſo id aſſeruerit? Nonne quiſque Religioſus ſub mortali adſtringitur procurare perfectionem, non quamcumque, ſed perfectionem ſui Ordinis? Puta Franciſcanus, Carmelita, Jeſuita, Dominicanus, aliorumque Ordinum Religioſi, tenentur ea via ad perfectionem aſpirare, quam eorum reſpective Religiones præſcribunt. Hæc autem via alia non eſt, præter Regulæ & Conſtitutionum obſervantiam. Nam via votorum omnibus ordinibus communis eſt. Qui ergo omnes, vel præcipuas ſui Ordinis Conſtitutiones violaret, nullo modo ad peculiarem ſui Ordinis perfectionem contenderet. Præter quam quod, nonne Auctores omnes concedunt, Religioſum aſſidue tranſgredientem Regulas, & Conſtitutiones, peccare mortaliter *per accidens*, ratione ſcandali, relaxationis, aliorumque malorum, quæ continuata violatio parit? Peccant ergo mortaliter, quia ſuæ profeſſionis munia non implent, & conſequenter, quia Religioſæ perfectionis ſtudio ſedulam non navant operam. Sed quam inanis ſit data reſponſio, illud perpendas velim, quod conſtitutiones, & Regulæ præſcriptæ ſunt tanquam votorum munimenta, & propugnacula. Quæro an ſi quis tempore obſidionis alicujus Arcis exteriora propugnacula, aggeres, aliaque munimenta animo deliberato demoliretur, ſuffoderetque: omnes vero internos parietes ſervaret; Quæro inquam an hic civis, ſeu miles revera aſſerere auderet, ſe pro virili parte Arcis defenſioni vacare? Nonne ut ſtultus derideretur, hanc defenſionem ſi jactaret? Cur non idem dicendum de milite Religioſo, qui ſui Ordinis propugnacula, reipſa ſuffodit, & per ſummam illuſionem, votorum, qui ſunt veluti intimi Arcis parietes, obſervantiam oſtentat? Quin non modo ejuſmodi Religioſi a via comparandæ perfectionis deflectunt, ſed eam undiqueverſum ſibi occludunt. Perfectio, & imperfectio mutuo pugnant. An ergo qui deliberato animo in fœce imperfectionis volutatur, & ſordeſcit, ad perfectionis ſtudium incumbit? An reſponſurus es, imperfectionem ſubſtantialem, & accidentalem invicem non pugnare? At hæc inepta diſtin-

 ctiun-

ctiuncula locum non habet, cum perfectio accidentalis via eſt ad ſubſtantialem. Ad hæc: perfectio peculiaris proprii Ordinis, quæ in obſervantia Regulæ, & Conſtitutionum elucet, quæve characterem habet diſtinguentem hunc ordinem ab alio, ſubſtantialis, non accidentalis dicenda eſt. An qui media ad finem neceſſaria ſpernunt, aſſequendi finis zelo flagrant? Nonne communis eſt Theologorum opinio tranſgreſſionem legis eſſe mortalem, quoties finis præcipuus ejuſdem legis impeditur? An non impedit Religionis finem, an non contemnit, qui ſuis tranſgreſſionibus, & laxitatibus Religionis famam lædit, ſplendorem obtenebrat, illiuſque exitium parat?

VII. Quid effugia quæritas? Nullius particularis ſtatuti tranſgreſſio ad culpam obligat, ergo neque tota tranſgreſſionum collectio. Ineptiſſima eſt hæc, in morum philoſophia, argumentationis ratio. Quod Regula tua ad culpam non obliget, an propterea aſſiduæ tranſgreſſionis tibi licentiam facit? Ideo ne Regulas tuas Patriarchæ Sancti Divina luce perfuſi, tam ſuavi moderatione temperarunt; ut tu hinc continuæ tranſgreſſionis occaſionem acciperes? Quid tanta Legiſlatoris clementia abuteris? An quia Legiſlator tuus bonus es, tu idcirco malus eſſe vis? Noli quæſo anſam peccandi captare: Noli temetipſum decipere, ſed recordare profeſſionem tuam, datamque Deo fidem. Recordare altiſſimum illud debitum, quo obſtrictus es conſervandi Religionem tuam, ejuſque ſplendorem, & pulchritudinem promovendi. Igitur: *tene diſciplinam & ne dimittas eam, cuſtodi eam, quia ipſa eſt vita tua.* (Prov. 4.) Audi B. Humbertum Generalem Ordinis Prædicatorum ſuper illa verba D. Auguſtini. *Hæc igitur ſunt, quæ ut obſervetis præcipimus.* Ubi capite 10. hæc ſcribit. *Licet non intendat omnia ponere ſub præcepto, tamen ſuæ intentionis eſt, quod multum vult omnia ſervari. Ad expreſſionem ergo ſuæ voluntatis utitur verbo præceptorio, potius, quam alio verbo ſimplici, ne daretur, ex tenui modo loquendi, pigritiæ humanæ occaſio minus curandi de mandatis Regulæ.*

VIII. Ut autem preſſius objectioni occurramus, dicimus, nullam ex conſtitutionibus obligare ad culpam, quia tranſgreſſio unius, vel alterius conſtitutionis ex imbecillitate proficiſcens, non infert notabile nocumentum Religioni. Ex alia parte Legiſlatores ſubditorum tranquillitati proſpicere volentes, ſtatuerunt nullam culpam contrahi ex cujuſque ſtatuti violatione. Hac enim via & Religionis, & Religioſorum bono conſuluerunt. At ſi omnes leges arbitrio ſubditorum reliquiſſent, ita ut pro libito poſſent omnia tranſgredi, tunc nec Religionis conſervationi, & incremento proſpexiſſent, nec Religioſis media peculiaria ſuppeditaſſent, quibus tenerentur comparare proprii ſtatus perfectionem; ſed occaſionem humanæ pigritiæ, ut ait laudatus Humbertus, aliquo modo aperuiſſent, præfata media negligendi. Collectio plurium peccatorum venialium non efficit unum peccatum mortale abſolute, & in ſe; at ſi talis collectio gra-

viſſi-

viſſimum nocumentum inferret, peccatum mortale induceret. Nullum parvum furtum peccatum eſt mortale: At quando plura furta apta ſunt ad inferendum grave damnum proximo, peccatum lethale conſtituunt. Collectio autem tranſgreſſionum, ſeu continuata tranſgreſſio, innumera gravia damna Religioni infert.

IX. Rationibus explicatis, reliquum nunc eſt, ut Theologorum auctoritates excribam. Paulus Layman (lib. 4. tract. 5. cap. 9. num. 8.) hanc inſtituit quæſtionem: *Utrum nullum omnino peccatum ſit, tranſgredi Regulam Ordinis Prædicatorum, vel Societatis Jeſu, cujus ſtatuta non obligant ſub culpa? Dico. 1. Si quis Regulam aliquam tranſgrediatur bono fine . . . non peccat . . . Dico 2. Si quis Regulam tranſgrediatur ex animi torpore, vel negligentia, venialiter peccat; quia non eſt rationi conſentaneum ad agendum vel omittendum deliberate moveri abſque rationabili aliqua cauſa. Dico 3. Si quis Regulam tranſgrediatur propter libidinem, ſeu inordinatum affectum erga rem aliquam, conſtat culpam committi, ſaltem venialem.*

Dico 4. Si quis Regulas Ordinis frequenter, & per conſuetudinem violet, eaque ratione vel graviter perturbet Religioſam diſciplinam, vel in eo ſtatu ſe conſtituat, ut tanquam incorrigibilis expellendus ſit, talis mortaliter peccat. pag. mihi 113.

X. Tamburinus de jure Abbatis (tom. 3. diſput. 3. qu. 6. num. 7. pag. mihi 22.) *Monachus tenetur ſub pœna lethali ſic vivere, ut non ſit pernicioſus ſuæ Religioni inducendo alios exemplo ſuo pravo ad relaxationem Monaſticæ vitæ; ex quo ſequeretur perturbatio totius Monaſterii, & Congregationis, dum nollet verbi gratia obſervare ſtatutum ſilentii, præceptum orationis, legem jejunii, & alias obligationes regulares. Unde non ſunt audiendi aliqui Doctores qui affirmant Monachum non eſſe in ſtatu damnationis, ſi tantum vellet obſervare unum præcipuum ſtatutum ſuæ Regulæ, alia vero nequaquam, quia obſervantia illius ſtatuti quantumvis principalis, & inobſervantia aliorum, inducerent ruinam illius Monachi, & ſcandalum in re gravi inter regulares.*

Ferdinandus de Caſtro Palao (tract. 16. punct. 3. num. 7.) *Dixi per ſe non committere peccatum mortale Religioſum ſic paſſim Regulas violantem; at per accidens credo ſæpe peccatum mortale committere, niſi efficaciter proponat, & procuret illius pravæ conſuetudinis correctionem. Contingit autem hoc peccatum, cum Religioſus advertit ex ſuo licentioſo, & irregulari modo operandi, grave detrimentum, & ſibi, & Religioni fieri. Religioni tum in regulari obſervantia, eo quod inde plures occaſionem ſumant Regulas paſſim violandi: tum in utilitate, & fructu, quem ex illo Religioſo ſperabat percipere, qui ſuis pravis moribus ſe inutilem reddit. Sibi vero cum credit ſe probabili periculo exponi formalis contemptus regularum, tranſgreſſionis votorum, aut præceptorum, quod apertum eſt.* (pag. 274.) Auctor iſte Scholaſtico, valdeque abſtracto ratiocinio inſiſtens,

ſtens, evincere contendit, tranſgreſsionem Regulæ, quæ ad culpam non obligat, fieri nunquam poſſe *per ſe* mortalem ex continuata violatione ejuſdem Regulæ. Natura quippe alicujus culpæ non mutatur propter ejuſdem continuationem. Cum itaque tranſgreſſio Regulæ, ſuapte natura levis ſit, fieri lethalis nequit quacumque data continuatione. Ut ut de hac argumentatione ſit, ſatis eſt, Religioſum præfatum reipſa mortaliter delinquere, dum continenter Regulam ſuam violat.

XI. Hanc Caſtropalai Doctrinam adoptarunt Salmanticenſes, qui licet loco citato doceant, non teneri Religioſum ſub mortali ad perfectionem aſpirare media obſervanria conſtitutionum; quæ ad gravem culpam non obligant; nihilominus (num. 28.) eiſdem fere verbis, ac Caſtropalaus, ſubdunt, continuatam tranſgreſſionem *per accidens* modo explicato, peccatum eſſe mortale. En illorum verba. *Sed quia diximus in aſſertione, Religioſum pravam conſuetudinem dictam, vel propoſitum habentem, ex vi hujus capitis, ſeu contra hanc obligationem tendendi ad perfectionem graviter non peccare. Advertendum eſt, ex aliis capitibus ipſum peccatum mortale committere poſſe, niſi illius malæ conſuetudinis correctionem efficaciter procuret, quando nimirum, vel ſibi, vel Religioni ex ſuo licentioſo, & irregulari modo vivendi grave nocumentum fieri advertit: quia ſcilicet Religioni officit in diſciplina regulari, aliis occaſionem ſuo pravo exemplo dans Regulas paſſim violandi, & illam privans fructu, & utilitate, quam ex illo Religioſo ſperabat percipere, qui ſuis pravis & relaxatis moribus, ſe inutilem Religioni reddit; & ſibi valde nocivum, tum quia ſe exponit periculo probabili tranſgreſſionis votorum, aut præceptorum, ut frequenter contingit, & etiam deveniendi ad formalem contemptum*. Deinde allegant Divi Thomæ auctoritatem, ut hanc aſſertionem confirment. In concluſione præcedenti (ſub n. 24.) laudant eumdem Angelicum in favorem opinionis, qua decernunt *per ſe* non eſſe peccatum mortale conſuetudinem tranſgrediendi Regulam; ſed nec verbum habet S. Doctor id indicans. Aperte vero docet Doctrinam, quam nunc tranſcripſimus ex Salmanticenſibus. Siquidem hæc ſcribit (2. 2. qu. 186. art. 9. ad 3.) *Frequentia enim peccandi diſpoſitive inducit ad contemptum ſecundum illud* (Prov. 18.) „ Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. „ Noſtram ergo opinionem docent Salmanticenſes licet in quadam metaphyſica diſputatione diſſideant. Hoc autem diſſidium nullum eſt, ſi praxim ſpectemus. Quod idcirco ſæpius repeto, quia quandoque lectores decipiuntur, dum legunt primam illam concluſionem, in qua poſt Sanchez communiter poſteriores Theologi, diſtinguunt quæſtionem in duo membra; unum quod vocant *per ſe*, alterum *per accidens*.

XII. Hac eadem diſtinctione uſus eſt perdoctus Petrus Paſſerinus (t. 1. de ſtat. q. 186. art. 9. num. 105. pag. 749.) *Per accidens tamen* (ideſt reipſa) *multiplici ex cauſſa, conſuetudo, & multo magis, ſi ſit firmata*

pro-

propoſito, eſt peccatum mortale ratione notabilis relaxationis Religionis, ad quam præbet occaſionem, & ſcandalum; ſecundo ratione inquietudinis gravis aliorum Religioſorum, quam cauſat. Tertio, ratione indignitatis manendi in Religione, & meriti expulſionis juſtæ a Religione, ratione incorrigibilitatis. Quarto, ratione diſpoſitionis ad abſolutum, & formalem contemptum Regulæ, ad quam talis conſuetudo per ſe diſponit. Hujuſmodi enim neceſſario moraliter ſunt connexa propoſito non ſervandi Regulam, ubi non obligat ad culpam. Et ſunt etiam connexa conſuetudini non ſervandi Regulam, quantum ad principalia in Regula contenta, vel quantum etiam ad alia, ex quibus alii Religioſi inquietudinem notabilem accipere poſſint, & Religio poſſit inobedientem, ut incorrigibilem ejicere. Ita Sanchez &c.

XIII. Thomas Sanchez (lib. 6. cap. 4. num. 18.) *Secundo deducitur, qualiter verum ſit, quod tradunt aliqui Doctores, nimirum conſuetudinem tranſgrediendi Regulas eſſe lethalem; quamvis una vel altera tranſgreſſio talis non ſit . . . Quia Religioſus tenetur ſub mortali taliter vivere, ut non ſit graviter Religioni ſuæ perniciosus inducendo alios Religioſos ſuo pravo exemplo ad nimis relaxatam Regulam, & præterea perturbando ſuam Religionem, adeo ut valde expediat ſuæ Religioni eum expellere . . Et confirmatur, qui ſi Religioſus nollet unquam ſervare ſilentium, nec orare, nec modeſte incedere, & ingrederetur omnium Religioſorum cubicula, & ſimilia Religionis ſtatuta tranſgrederetur, eo quod ſingula per ſe ad culpam non obligant, abſque dubio perturbaret graviter totam Religionem, & ſe in eo ſtatu conſtitueret, ut oporteret eum tanquam incorrigibilem expellere: ergo tenetur ſub mortali eum animum deponere.*

XIV. Ex iſtorum Theologorum textibus evidenter conſtat, quod conſuetudo violandi Regulam & conſtitutiones licet per ſe non ſit culpa mortalis, quia quælibet tranſgreſſio ad ſummum eſt venialis, tranſgreſſio autem venialis etiam centies millies requiſita per ſe non evadit mortalis, quoniam ut ſupra probatum eſt, repetitio actus illius naturam non mutat. Nihilominus quia in praxi conſuetudo violandi Conſtitutiones, neceſſario, ut inquit etiam Paſſerinus, connexa eſt cum gravi Religionis damno, cum ſcandalo Religioſorum, & præjudicio tranſgreſſoris; idcirco ſemper in praxi hæc conſuetudo eſt peccatum mortale. Dixi *ſemper*, quia in praxi *ſemper* ejuſmodi damna præfatam conſuetudinem conſequuntur, ſuntque cum ea neceſſarie, inquit Paſſerinus, connexa. Hocque advertit Thomas Sanchez loco ſupra citato his verbis. " Quare ſi poſſibile eſſet, *id quod moraliter impoſſibile eſt*, nullam ſequi Religionis ruinam, nec periculum tranſgreſſionis votorum, nec contemptum, ex univerſali Decreto non ſervandi ſtatuta Religionis, ad mortale non obligantia, tale Decretum non eſſet mortale. " Id ipſum adfirmo & ego. Quapropter definivi hanc conſuetudinem reipſa, ſeu omnibus circumſtantiis inſpectis, & in morali conſideratione, eſſe peccatum lethale: quia moraliter impoſſi-

poſſibile eſt, damna Religionis non conſequi ex aſsidua tranſgreſsione Regularum, & Conſtitutionum.

XV. Ex his omnibus colligere fas eſt ſententiam meam communem eſſe penes; non ſolum antiquos Theologos D. Antoninum, Cajetanum, Sylveſtrum, Sotum, Banc ſium, verum etiam Recentiores Laymanum, Tamburinum, Caſtropalaum, Lezanam, Salmanticenſes, alioſque omnes, qui hoc argumentum, non obiter, ſed ex profeſſo tractarunt. Idcirco iſtorum textus tranſcripſi, ne *rigoriſmi* notam obtrudere de more aliqui audeant. Porrò ne antiquitatem omnino negligam, Dionyſii Carthuſiani hac de re ſententiam ob oculos ponam. Hæc enim ſcribit (de Reform. Clauſtr. art. 6.) *Quamvis autem multi contineantur in Regulis, aut ſtatutis Religioſorum, ad quæ non teneantur de neceſſitate præcepti; ita quod ſtatim mortaliter peccent, quando in aliquo illorum fuerint negligentes, ut eſt obſervatio ſilentii, ſurgere ad matutinas, otioſitates vitare, inutiliter hinc inde diſcurrere, atque ſimilia. Verumtamen conſuetudo excedendi, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare, nec emendare, non poteſt a mortali excuſari peccato. Propterea Religioſi deformati, in quibus parva, aut nulla eſt rigoris, aut diſciplinæ obſervantia, qui carnaliter vivunt, & mundanis vanitatibus pleni ſunt, otioſitati, & loquacitati vacantes in innumerabilia prorſus incidunt vitia, non venialia ſolum, ſed, & mortalia quoque. Immo tota vita eorum eſt quaſi quoddam PECCARE CONTINUUM: præſertim, quia & hæc ipſa bona, quæ agere videntur, tam negligenter, irreverenter, & tepide, tam inordinate, atque indebite agunt, ut magis ſit offenſivum Dei, quam honorativum, & reconciliativum ipſius. Tales enim qui in fæcibus ſuis jugiter manent, qualiter confitentur, qualiter celebrant, qui ſe in nullo emendant; immo de multis quæ mortalia ſunt, nullam ſibi conſcientiam facere comprobantur?*

XVI. Prolixius fortaſſe, quam par erat, diſputatum eſt. At in re ſummi momenti prolixitatis vitio facillime venia ab omnibus impertiri ſolet, maxime ſi veritas implicata ſit, cujuſmodi eſt hæc, de qua diſputavimus. Ut omnia, quæ dicta ſunt clarius, & facilius percipiantur ſubdo tunc tranſgreſsionem Regulæ, & Conſtitutionum eſſe lethalem, quando præcipua ſtatuta paſsim violantur; puta cum quis aſsidue violaret ſilentium, cubicula ingrederetur aliorum, lineis uteretur ad carnem, jejunia frangeret, & ſimilia. Ineptiſsimi ergo ſibi illudunt non pauci autumantes in tuto collocare proprias conſcientias, dum unam, aut alteram conſtitutionem ſervant, licet præcipuas tranſgrediantur. Contra quos invehit B. Humbertus (cap. 183. in Reg. D. Aug.) *Notandum ſecundo, quod ſunt aliqui, qui non integre ſervant Ordinem ſuum, ſed aliquam partem ſervant profeſſionis ſuæ, aliquam non. Iſti ſunt, ſicut Samaritani, qui partim colebant Deum, partim idola. Iſti ſunt, qui ſequuntur Dominum claudicando, contra quos dicit Elias* (1. Reg. 18.) *Uſquequo claudicatis in*

duas

duas partes; ſunt iterum ſicut adultera, quæ licet a viro non recedit omnino; tamen juxta eum recipit alterum. Sunt iterum ſicut pica, quæ partim eſt alba; partim nigra. Et iſti ſunt partim mali, partim boni. Quod obſtupeſcens Dominus dicit Hieremiæ 12. Nunquid avis diſcolor hæreditas mea mihi? Sciendum eſt autem quod ex hujuſmodi partiali Ordinis tranſgreſſione ſequuntur multa mala. Tales enim ſunt, ſicut vas perforatum, & bona alia, quæ faciunt per partem Religionis, quam frangunt, amittunt. (Eccl. 9.) *& qui in uno peccaverit, multa bona amittet. Exemplum in vitis Patrum de quodam, qui eſt viſus haurire aquam de puteo, & ponere in lapide perforato, & inde tota exibat. Exemplum. Quidam miles invenit quendam ſtultum Monachum, qui amore uxoris ſuæ fecerat veſtem quandam, quæ partim erat religioſa, partim ſæcularis, & apprehendens eum dixit: Domine Monache ex parte iſta, quæ eſt Religioſa, non audeo vos tangere, ne eſſem excommunicatus: ſed ex parte iſta ſæculari bene poſſum vos tangere; & ex illa parte tantum verberavit eum quod mortuus eſt; ita ac ſi per totum corpus verberaſſet eum. Non eſt autem dubium, quin ſimiliter homines Deus hujuſmodi condemnabit, ac ſi totam profeſſionem tranſgrederentur.*

CAPUT OCTAVUM.

Neceſſitas reformationis tum ex iis, quæ dicta ſunt, cum ex aliis pluribus colligitur.

I. FRequentem propriæ Regulæ, & Conſtitutionum tranſgreſſionem culpabilem eſſe, iter perfectionis intercipere, & ab eodem avocare, ad contemptionem damnabilem viam aperire, atque in æternæ damnationis abyſſum detrudere, ſatis ſuperque probatum eſt. Quæ omnia idcirco enucleatius demonſtravimus, ut hinc palam fieret, non minorem eſſe renovandi diſciplinam regularem neceſſitatem, quam ſit debitum evadendi viam, quæ ducit ad perditionem. Enimvero, quamvis aliquibus ſaltem, impoſſibile non ſit, vel in ipſis deformatis Religionibus propriam ſalutem aſſequi, difficillimum tamen id eſt. Eo vel maxime, quod nemo ſincera voluntate valet ſalutis ſuæ negotium peragere, niſi ſimul reformationem obſervantiæ regularis promoveat, niſi abuſus, & corruptelas, quæ Monaſticæ perfectioni, maximo ſunt impedimento, evellere totis viribus conetur. Quapropter Patres ſancti miſeram relaxatæ diſciplinæ Monachorum ſortem lachrymantur. Divus Ephrem Syrus (Serm. de vita Relig.) *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut deplorem indeſinenter diu noctuque magnam relaxationem inſtituti noſtri Monaſtici, hac noſtra ætate, proh dolor! nimis invaleſcentem.*

II. Deformatorum vitia Monachorum acrius carpit Divus Bernardus

(ſerm. 15. in Cœn. Dom.) *Sunt quidam in Monaſterio morbo phrenetico laborantes ad iram prompti, ad odium feſtini; qui pruriginem cordis per ſcalpedinem linguæ trahunt ad ſcabiem cutis, mente corrupti, vagi, & inſtabiles, ſuſſurrones, gyroſi, murmuroſi, invidi, tumidi, elati, Deo de bonis collatis ingrati, Adæ prævaricantis pellicea veſtiti, illius veſtimento ſalutis nudati, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis: ipſi pelliculam veterem retinent, & fronte polita aſtutam rabido portant ſub pectore vulpem . . . . Adhuc te alloquor, o Monache, o homo velox es ad menſam, tardus ad Eccleſiam, potens ad potandum, ſed æger ad cantandum, pervigil ad fabulas, ſomnolentus ad vigilias, procax ad loquendum, ſed mutus ad pſallendum, promptus ad iram, & detractionem, tardus ad orationem, invidiæ amator, Chriſti perſequutor, feſtucam reſpiciens, trabem non conſiderans; cæteros reprehendis, te ipſum non corripis. Malitiæ inventor, diſciplinæ deſtructor, amicus vitiorum, inimicus virtutum.*

III. Illud quoque ad aggrediendum præclarum reformationis facinus perurgere deberet, quod Religiones relaxatæ factæ ſunt in parabolam, & in opprobrium non modo omnibus, qui ſunt in circuitu, verum etiam exteris, remotiſque nationibus. Unde quæſo evenit, venerabile illud nomen *Fratris*, quod olim gloriam, & venerationem reſonabat, hodiedum ludibrii & ignominiæ loco haberi? Unde, niſi ex relaxata diſciplina, corruptiſque moribus? Quod adeo verum eſt, ut probatione non egeat, inquit Ricardus Hallus (in lib. de propriet. Monach.) *Inde factum eſt, ut ab iis, a quibus nos coli oportebat, tanquam importuna turba deſpiciamur, & vicinis, atque obviis hominibus in foro mixti ludibrio ſimus, ut qui nulla re cæteris, ut æqum erat, præſtemus, nec eximia vivendi ratione, ſed tantum habitu differamus, & tamen eam gloriam furioſe appetamus, quæ debetur virtuti; cum labores, quibus virtus excolitur, negligamus, & veritatis perſonam dumtaxat, tanquam in ſcena geramus?*

IV. Nec mirum, quemadmodum enim virtutem honor, & ſplendor comitantur; ſic vitiis, & ſceleribus ignominia, infamia, & deſpectio inhærent. Quouſque Religioſi morum integritate, & diſciplinæ ſeveritate efful ſerunt, univerſum mundum obſequentem, & veneratorem habuerunt. Simul vero, atque illi contemptis Monaſticæ diſciplinæ legibus, paſſionibus habenas laxarunt, & clauſtris egreſſi vitiorum putorem in populum Chriſtianum efflarunt, confeſtim obſequium in contemptum, veneratio in deſpectionem, honor in ludibrium tranſierunt: Adeo ut vel ipſius Monachi nomen dedecori jam ſit, & vituperio. Hunc Regularium deformatum ſtatum, miſerrimamque ſortem amariſſimis lachrymis deplorat Joannes Lanſpergius Carthuſianus, author graviſſimus in ſermone tertio. *Periit Religio, periit regularis honor, parumque abeſt hodie apud nonnullos, ut Monachum non recenſeant inter Chriſtianos. Non minor eſt hodie Monaſtici nominis ignominia & perſequutio, quam fuit olim gloria. Contemnuntur,*

Digitized by Google

tur, illuduntur, ſpoliantur, & quaſi Sacrificium in hoc fiat Deo, modis omnibus perſequutio illis infertur. Verum tanta hæc calamitas Patres colendiſſimi unde in nos, unde tanta venit deſpectio? Non aliunde profecto, ut reor, quam a Deo. Quam multi enim a primo noſtro fervore excidimus. Quam multi a prima charitate lapſi ſumus. Certum eſt quam ubique deſloruerit labefactaque ſit Religio: apud nonnullos extincta penitus . . . Non abſque gemitu loquendum eſt, ac veſtra, ac bonorum omnium pace. Tanta erat apud Religioſos, & hodie apud pleroſque tanta eſt tepiditas, tanta diſſolutio. tanta diſcordia, tanta ut ita dicam partialitas, tanta denique in eis rigebat paſſionum malarum, ac vitiorum immortificatio, & proprius amor, ut bonorum etiam quorumvis nomen offuſcarit. Deinde ſi eorum vitam omnem ſpectaveris, præter externa quædam in veſtibus religionis ſigna, nihil offendi, nihil poterat audiri, quo mundanis hominibus præſtarent. Quid igitur mirum, ſi Dominus pariter non omnes det in ſibilum, in ſtuporem, in opprobrium, &, quod non ſemel minatus eſt, in direptionem cunctis gentibus? Quid inquam mirum ſi profanis hominibus & honore, & nomine nos inferiores habeat? Quandoquidem mundanis hominibus Deo devotis, quotus eſt Monachorum qui devotione, pietate, ac moribus præſtet?

V. Sterilitas tandem, quam deformata Religioſorum vita parit, a laxitatis ſopore excitare eos deberet. Quænam ſiquidem Civitas, qui populus relaxatos fratres ad colendam vineam Domini evocarit? Quis unquam illis aliquod ædificavit Cœnobium? Immo quot Cœnobia non fuerunt illis ablata, & in commendam redacta, & alienis collata? Ne multa: quo olim, dum pie, ſanctęque vivebant, majore in pretio & exiſtimatione habebantur, atque a Civitatibus, qua precibus, qua lachrymis invitabantur; eo nunc, poſtquam deformate vivere cœperunt, deſpectiores, contemptibilioreſque Civitatibus, populis, ac univerſæ Eccleſiæ evaſerunt; quemadmodum Deus ipſe Dionyſio Carthuſiano pro Eccleſiæ exaltatione deprecanti revelavit, & ex perſona Eccleſiæ hæc ejus auribus inſonuit, quæ habentur in illius vita ad finem libri quarti ſententiarum. *Audi fili mi voces, & gemitus matris tuæ. Perpende ſingultus, & lamentationes doloroſiſſimæ, fideliſſimæ, & affectuoſiſſimæ matris. Pungunt, & penetrant me intolerabiles, amariſſimique dolores, ipſis quoque inferni doloribus quodammodo graviores. Qualiter putas me excruciari, affligi, immo doloribus abſorberi, dum recolo, qualis fuerim olim, quam glorioſa, potens, & inclyta, omnibus divinorum chariſmatum affluentiis decorata, toto orbe terrarum longe, ac late diffuſa, ſanctis Prælatis undique fulgens, ſtrenuiſſimis, ac virtuoſiſſimis Principibus gaudens, & per eos de adverſariis meis præclare triumphans, innumerabilibus turmis Religioſorum utriuſque ſexus coruſcans, collegiis quoque innumeris, & conſtitutis perſonis in Sacris Ordinibus, in timore Dei, & obſervantia Regulari converſantibus perornata? Inſuper in quatuor mendicantium Ordi-*

nibus gloriabar, in quibus abundavi perſonis litteratis, ac fervidis regulariter, exemplariterque viventibus, per quæ ſaluberrime fructificavi ad converſionem, profectum ac beatitudinem plurimorum. Sed heu, heu, heu jam omnia ſunt everſa, deformata, & lapſa. Obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus. Et ego ipſa olim tam gratioſa, & pulchra, tam potens, ac ſplendida, deformis effecta ſum, exanguis, & hiſpida, egena, infirma, & conculcata, atque ad angulum occidentis redacta, & coarctata.

VI. Hinc conſequitur, ſæculares ab ingreſſu in Religionem retrahi, eo quod publica ſcandala, & communia vitia conſpiciant. Et quemadmodum Scriptura Sancta de impiis ſceleratiſque filiis Heli teſtatur: *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a Sacrificio Domini*. (1. Reg. 2.) Sic de Religioſis relaxatæ diſciplinæ affirmare licet, peccata nempe eorum per quam valde enormia eſſe; maxime quod ob eorum ſcandala ſæculares ab honeſtæ vitæ tramite deflectunt, Religioſumque ſtatum amplecti dedignantur, prout aſſerit Petrus Damianus. (l. 6. p. 32.) *Quanti ſanguinis reus eſt, qui ſub ſacri habitus ſchemate, talem ſe per ſuſceptæ profeſſionis incuriam exhibet, ut quærentes accedere perverſe vivendo diſturbet. Euangelica illi nimirum ſententia congruit, qua dicitur. Qui ſcandalizaverit unum ex his puſillis, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus; & demergatur in profundum maris. Tolerabilius enim fuerat, ut ſolus in ejus, quem reliquit, mundi vertigine rotaretur, quam multos nunc, a ſalutiferæ ſtationis revocaret acceſſu*. Occaſionem hæc ſcribendi ſuppeditavit Damiano eventus, quem ipſe ibidem ad Monachos ſcribens narrat hiſce verbis. *Vir quidam a Mediolanenſi urbe progrediens, dum me quæreret, per vos tranſitum habuit: ſed & habitare vobiſcum, ut ipſe profeſſus eſt, ſub eo nomine concupivit. Qui dum laſſus itinere, moram veluti quieſcendo protraheret, neſcio quos veſtrum, aniles nugas, & otioſa deliramenta, perpendit, profundere, & cum laicis ſcurriles jocos, & ludibria vidit, ut vana miſcere. Unde factum eſt, ut non modo, nos, noſtrorumque propter vos, contubernium omne contemneret; ſed & ipſum converſionis animum, quantum potuit funditus dimiſit.*

VII. Porro quid cauſæ fuit, cur hæretici tot convitia, & ſcommata in ſtatum Monachalem evomuerint, cur Cœnobia *lupanaria*, appellent, vota Monaſtica, *retia ſatanæ*, & Monachos ipſos modo *ſophiſtas cucullatos*, modo *hominum monſtra*, *inimicos humanæ ſocietatis & contra totam ſecundam tabulam delinquentes*. Opera vero Monachorum, *obſervationes fatuas*, *hypocriticas ſimulationes*, *traditiones Phariſaicas*, *atque Mahumeticas*? Eorum impietatem, & effrontem audaciam primam excitiſſe cauſam nemo inficiatur; ſed occaſionem non parvam exhibuiſſe, calcariaque currentibus adjeciſſe diſſolutam plurium Religioſorum vitam, eorumque vitia, & publica ſcandala, non tam verum, quam quod veriſſimum

mum eſt. Quare, ut maledicendi anſam improbis auferant deformati Regulares, tenentur antiquam regularis diſciplinæ obſervantiam in ſua Cœnobia revocare. Ad quod etiam urgere eos debet propriæ ſinceritatis zelus. Siquidem Religioſi, qui ab obſervantia Monaſtica deflectunt, qui Regulam, & Conſtitutiones paſſim violant, ſimulationis doloſæ, & perverſæ hypochriſis rei habentur. Quoniam, id quod non ſunt, externa veſte, & profeſſione repræſentant. Iſtorum hypochritarum nequitiam graphice ſub apologis ſtruthionis, & avium, talpæ, & muris, muli, & equæ declaravit S. Cyrillus in opere, cujus titulus eſt: *Apologi morales* (lib. 2. cap. 22.) *Struthio poſitus inter aves, gloriæ cupidus, ſed exiſtentiæ vacuus, oſtentationis vero mox alarum altioribus ſparſis velis, majores ſe pennas habere gloriabatur. Cui aves dixerunt; vanus quidem apparentiæ cortex, quem ſubſtantiæ medulla intus non implet; & propter hoc ſi alarum ſublimium pennoſa jactantia ſurſum corde levaris, earundem potentia ventilatus, jam corpore nos præcede majori. Quo dicto, illis avolantibus, cum ipſe terreſtriori mole prægravatus in terra retineretur, ſubridens pompoſum deſuper corvus clamavit, & dixit: Struthio frater ubi eſt pennarum ſuperbia? At ille reſpondit: Nimirum pedum gravitas impedit, cum volandi vis adſit. Cui corvus, etſi aſininus pes ponderat, cur tamen tantilli capitis levitas, & colli gracilitas non te levant? Siquidem apparentia, & non ſubſtantia eſt in cauſa. Quare ſic ergo gloriaris de ſarcina? Ala enim ſine volatu eſt barda, & ſicut ſextus digitus manum fœdat, ſic ala te onerat. Igitur fœda res, & vanitas oneroſa eſt pompa. Nimirum nunc rides te imitari naturam ſtellarum micantium, & earum nutu, aut ſimilitudine formari, quæ cum apparent in Cœlo, deſinunt. Tota nanque ſtructura ad oſtentationem ſpectat. Verum non audiſti, quid mus reſponderet talpæ de oculis glorianti, ſcilicet habere oculum, & non viſum, non minus eſſe quam monſtrum? Unde apparere, & non eſſe, monſtruoſa cæcitas eſt. Nam cum in oculis adſit pompa, tenebris tamen ipſa perfunditur, & viſione privatur. Similiter ſuperbientem exceſſu mulum taliter equa confundit. Apparentiæ quidem ſexum babes, ſed cares exiſtentiæ fructu, adulterina conjunctione plaſmatus. Sic orbata fructu pompoſitas cernitur, quia eſt ſuperbiæ perverſæ nequam bardus. Neſcis, quod ſpeculum, cum ex una parte lucidum apparet, ex altera inimica luci opacitate abſcuretur? Apparentia certe ſine exiſtentia mendax eſt. Quibus auditis ſtruthio obmutuit.* Sub hoc Apologo faceto utique, ac lepido, ſed non minus ſolido ob orationis elegantiam, ſententiarum gravitatem, & dogmatum ſapientiam, vivis coloribus depingit Sanctus Pater Cyrillus quoſdam Religioſos, qui, ſuo etiam tempore, fortaſſe veluti ſtruthiones longas explicabant alas, cucullas nimirum, capucioſque mirificæ magnitudinis; Tunicas, & Cappas peramplas, quarum ſuperba jactantia volatum ad perfectionis euangelicæ montem remoratur; fœda enim, & oneroſa vanitas pompa eſt. Non vacat

omnia

omnia in adducto Apologo contento præſenti argumento accommodare. Sufficiat animadvertere, Religioſos morum integritate deſtitutos, chriſtiano populo illudere, piorum fidelium oblata patrimonia in pravum finem detorquere, & univerſæ Eccleſiæ tenebras offundere. Itaque ſalutis æternæ æſtuans deſiderium, propriæ gloriæ, & famæ amor, evadendæ tremendæ ſterilitatis, & damnationis zelus, ſcandala, & maledicendi anſam, occaſionemque auferendi debitum, doloſæ hypocriſis, & ſimulationis abigendæ ſtudium, graviſſimum denique præceptum, votaque Deo nuncupata, quibus obſtricti ſunt Religioſi ad ſanctitatem comparandam, & infinitæ propemodum aliæ rationes, neceſſitatem reformandi collapſam regularem diſciplinam, evincunt.

CAPUT NONUM.

Bona, quæ ex Religione bene inſtituta profluunt, neceſſitatem oſtendunt reformandi collapſam diſciplinam Monaſticam.

I. BRevi manu capite præcedenti mala, quæ ex deformata Religione proficiſcuntur, indicata ſunt, atque reformationis neceſſitatem inde collegimus. In præſentia contrariam inimus viam; quoniam ex bonorum multitudine, quæ obſervantiam regularem conſequuntur, ſanctum reformationis opus aggrediendum, promovendumque declarabimus. Integrum volumen haudquaquam ſufficeret, ſi bona omnia tum temporalia, cum ſpiritualia, quæ vel in hac mortali vita Monaſticæ diſciplinæ cultoribus Deus impertit, enumerare vellem. Pauca itaque delibato. Ac ut a temporalibus initium ſumam in iſtis Chriſti promiſſio mirum in modum impleri quotidie conſpicitur. *Quærite ergo primum Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* (Matth. 6.) Nulla ſiquidem iſthic egeſtas, nulla penuria, & eo eſt abundantior temporalium copia bonorum, quo major eſt eorundem deſpectio, & contemptus. Quandoquidem Divina Providentia, cui unice fidunt, infinitus eſt eorum theſaurus, qui nunquam exhauritur. Quapropter nulla hic in craſtinum ſollicitudo, æmulatio divitias coacervandi nulla. Præciſa ſiquidem cupiditatis radice exactiſſimæ paupertatis gladio, omnis exulat proprietas. Communia ſunt omnia, nemo ſibi quidpiam peculiariter vindicat, nemo propria induſtria ſibi providet; ſed omnes ſibi invicem ſincero affectu inſerviunt; nullus ibi Dominus, nullus ſervus, ſed ſub uno Patre non poteſtate dominante, ſed caritate ſerviente tanquam felices filiis vitam degunt. Uni ægrotanti cæteri inſerviunt, & ſinceræ compaſſionis, & benevolentiæ argumentis infirmitatis dolores ſummopere deliniunt. Huic felicitati quodnam bonum comparari poteſt? Quis Principum tantam jactare valet opulentiam, quæ nihil

nihil habet, & omnia poſſidet? Quid, ſi horum bonorum copiæ, quam diſciplina Monaſtica optime inſtituta parit, malorum immenſitatem deformatæ Religionis comparemus? Quis recenſere poteſt jurgia, diſſidia, anxietates, perturbationes, quæ illic continue fervent? Ibi quiſque de craſtino ſollicitus, quiſque, quæ ſua ſunt, quærit. Alter dives, alter pauper, unus ſitiens, & unus ebrius. Verum his prætermiſſis, in rem noſtram fore exiſtimo, ſi bonorum ſpiritualium reformatæ Religionis imaginem quandam adumbraverim. Etenim hic rerum communio terrenarum cordium unitatem fovet, & cœleſtis caritatis ignem accendit. Nulla inter eos contentio, & ſi aliquando imbecillitate naturæ plus juſto exaſperantur animi, ſol non occidit ſuper iracundiam eorum. Fervens ibi ſanctorum chariſmatum æmulatio, & ad perfectionis viam percurrendam, metamque, quoad fieri poteſt, tenendam, mutuo manus ſibi porrigunt. Verum ne gratis hæc a me oſtentari dicatur, (ægris ſiquidem oculis odioſa lux, & animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt) Patres ipſos ſanctiſſimos in medium adducam, qui bona reformatæ, & mala relaxatæ Religionis enucleatius, ob oculos ponunt. Ex multis unum aut alterum ſeligam brevitatis gratia.

II. Magnus Baſilius Religionis obſervantis ſeu reformatæ bona connumerans hæc ſcribit (in Conſt. exer. cap. 18.) *Ibi contentio ac lites abſunt. Communia vero univerſa ſunt, animæ ſententiæ, corpora, & ea, quibus corpora nutriuntur, ac curantur. Communis Deus, commune pietatis negotium, communis ſalus, communia certamina, communes labores, orationes, corona. Multi unus, & unus non ſolus, ſed in pluribus. Quid huic vitæ comparandum? Homines ex diverſis generibus, ac regionibus nati ad tantam identitatis ſinceritatem coaptati ſunt, ut una anima in multis corporibus conſpiciatur, & multa corpora unius animæ, ac ſententiæ inſtrumenta oſtendantur. Qui infirmus eſt corpore, multos habet affectu ægrotantes: qui anima ægrotat, multos habet ſanantes. Inter ſe mutuo æqualiter ſervi, æqualiter Domini. Tales ab initio Deus eſſe voluit, & ad hæc creavit. Hi vetus revocant bonum, primi parentis Adæ peccatum occultantes. Imitantur Chriſtum cum Apoſtolis, imitantur Angelos, apud quos lis non eſt. Quid enim cum hoc bono comparari poteſt? Ubi Pater quidem unus imitans ſupernum parentem: Filii vero multi benevolentia circa præſidem vincere ſe mutuo ſtudentes. Revera ad talem phalangem etiam ipſe Diabolus deſperat, non ſufficiens ad tot certatores, adeo compoſite, ac per unum plauſum congregatos, & ita teſtudine tectos, ut ictibus non pateant. Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum.*

III. Hæc ſunt bona obſervantiæ Monaſticæ a Divo Baſilio recenſita, quæ pretioſiora evadunt comparatione malorum, deformatarum Religionum, quæ lugens deſcribit Divus Laurentius Juſtinianus (lib. de obed. c. 19.) *Sunt multa Cœnobia, & utinam non numeroſior pars, quæ non Sancto-*

rum

rum habitacula, ſed latronum ſunt dicendæ ſpeluncæ, ſpectacula dæmonum, & officinæ vitiorum. Ubi enim quiſque privata quærit commoda, pecunias cumulare non deſinit, nec curat, utrum quis fratrum ſuorum patiatur famem, frigore crucietur, infirmitate langueſcat. Ibi procul dubio Religionis deſtructus eſt cultus. Ubi, inquam, riget impietas, & negligitur fraterna dilectio, ubi impellente cupiditate fiunt ſacra venalia, rapinæ clam exercentur, diſſeminantur rixæ, jurgia frequentantur, concipiuntur æmulationes, detractiones, obloqutiones, & mendacia proferuntur. Ibi prorſus deeſt timor Dei, zelus animarum, caritatis bonum, proficiendi deſiderium, contemptus ſui, orationis guſtus, Religionis delectatio, dulcedo virtutum, conſcientiæ pax, æternorum ſpes, & futuri judicii metus.

IV. Lubet capiti huic finem imponere verbis Dionyſii Carthuſiani, qui recenſione bonorum etiam temporalium quæ ex reformata diſciplina proficiſcuntur moniales relaxatas, ad reformationem ſuſcipiendam adhortatur, opuſculo de reformatione Monialium (art. 9.) *Si malæ fœminæ iſtæ videlicet moniales proprietariæ, & irregulariter converſantes ſcirent, aut credere vellent, quam quietam, dulcem, pacificam, & jucundam habeant vitam Moniales vere devotæ, regulariterque viventes, nequaquam diutius in ſua irregulari, & periculoſiſſima vita manerent, neque quieſcerent, quouſque exiſterent reformatæ. Quid enim jucundius, ſuaviuſque pace pectoris, tranquillitate mentis in Deo, ſecuritate conſcientiæ bonæ, omni ſollicitudine temporalium rerum carere, abſque propria occupatione ſufficientiam victus, & veſtitus habere, caritative, atque pacifice converſari, & a ſponſo cæleſti deſuper viſitari, illuminari, accendi, & conſolari? . . . . Hæc autem Monialibus ſacris vere devotis in communi obedienter & caſte viventibus inſunt, & competunt, quæ etiam in refectoriis ſuis melius habent, quam aliæ, & clauſtra earum in temporalibus ac ſpiritualibus proſperantur, dum univerſæ, & ſingulæ quærunt bonum commune, & ea quæ Jeſu Chriſti ſunt, non commodum proprium, & privatum. Porro Moniales proprietariæ, & irregulariter converſantes habent varias tentationes, inquietudines, curas, ſuſpiciones, contentiones, murmurationes contra ſe invicem, & contra ſuos Superiores, & moleſtum eſt eis durare in clauſtro, ſurgere ad matutinas, occupari in divinis officiis . . . . Hæc omnia experientia docet æque in Monachis, & fratribus, ac in Monialibus.*

C A-

CAPUT DECIMUM.

Religionis relaxatæ reformatio opus arduum, difficillimumque. Cauſſæ, & radices iſtius difficultatis manifeſtantur.

I. COmmunis eſt omnium Sanctorum, Theologorumque ſententia, quæve experientia ipſa firmatur, longe difficilius eſſe Religionem relaxatam ad exactam ſuæ Regulæ obſervantiam revocare, quam Religionem omnino inſtituere novam. Quemadmodum magis arduum eſt ex figurato, quam ex nudo lapide, ſtatuam eruere, quod in illo & veterem formam delere, & aliam efformare neceſſe eſt, ſecus in iſto. Hæc porro ſumma operis arduitas, non inde dumtaxat ortum ducit, quod arcta, & anguſta via pœnitentiæ, mortificationis, & euangelicæ perfectionis appetitionibus, ſenſibuſque noſtris diſpliceat. Siquidem præter communem hanc difficultatem, quam in noſtrarum rebellium paſſionum victoria, & appetitibus perdomandis experimur; alia fortaſſe non minor occurrit, quæ in evellendis ſita eſt erroneis perceptionibus, contra ipſam reformationem conceptis, & Religioſorum nimis remiſſe viventium mentibus infixis. E re noſtra fore exiſtimamus, præjudicia hæc contra reformationem regularis diſciplinæ recenſere, quibus recenſitis, & convulſis, operis difficultas auferatur.

II. Primum præjudicium inde oritur, quod Religioſi deformati collapſæ diſciplinæ renovationem, minime reſpiciant, tanquam medium apprime neceſſarium ad damnationem æternam evadendam, ſalutemque aſſequendam; ſed veluti quiddam ſupererogationis, & majoris cujuſdam perfectionis redolens per ſummam ignorantiam non pauci eam ſibi effingunt. Immo vix, vel hocce concedunt, ſed eo prorumpunt, ut aſſerere non erubeſcant, reformatos in hoc ſolum præire relaxatis, quod illi ruſticitati litantes, aſperiores veſtes induant, iſti utpote urbanitatis, & honeſtatis amatores nitidas, candidioreſque. Illi induſia lanea ſpurcities gignendæ accomoda deferunt, iſti ad politiæ cultum lineis mollioribus utuntur. Illi crudeli ſeveritate, carnium cibum recuſant, & jejuniis & abſtinentiis vires extenuant, ſenſuſque ſuos crucifigunt. Iſti ſilentia ſolvunt, e clauſtris frequenter exeunt ad animum exhilarandum, & lautis ferculis ad ſanitatem tuendam veſcuntur. Preſſius hæc omnia deſcribit D. Bernardus in apologia ad Guillelmum Abbatem. *Ecce enim parcitas putatur avaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia reputatur. Econtra remiſſio diſcretio dicitur, effuſio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinatio jucunditas, mollities veſtimentorum, & equorum faſtus, honeſtas, lectorum ſuperfluus cultus, munditia.*

III. Secundum præjudicium ex animo adverſo in reformationem, ipſoſque reformatores ortum ducit, ſiquidem collapſæ diſciplinæ Religioſi quamvis reformationem abſolute inſpectam improbare non audent, quoties tamen executioni demandandam præſentiunt, adeo tetris coloribus eam depingunt, ut deſpiciendam objiciant. Quod præjudicium eo eſt operi pio infeſtius, quo repugnantia major, unde originem trahit, & incrementum. Et cum hæ anticipationes maximo ſint reformationis impedimento, non abs re erit altius illarum cauſſam repetere. In qualibet itaque Religione, una, vel altera excepta plures reformationes peractæ ſunt incredibili contradicentium, quorum ſemper major eſt numerus, mœrore, & diſplicentia. Quandoquidem cum Principes, tum maxime Pontifices ſummi cujuſque Religionis reformationem privilegiis, favoribus, gratiiſque plurimis ornarunt, foverunt, amplificarunt. Contra vero Religiones collapſas, ut tandem aliquando ad cor redirent, nunc adhortationibus, nunc minis vexarunt, eiſque ſeveriſſimam ſterilitatis pœnam inflixerunt, ne videlicet in poſterum juvenes ſacra veſte induerent, prohibentes. Quod opprobrium reciſæ ſucceſſionis, ut excuterent, cœnobia ſuæ ad regulæ amuſſim redacta, exhibito juramento, repræſentarunt, & acceptandi Novitios privilegium extorſerunt. Novis candidatis in tyrocinium receptis, plura narrant de reformatione odii invidiæque plena, quæ animorum alienationem magnopere concitare ſolent. Siquidem hypochriſis, ambitionis, ignorantiæ, aliorumque vitiorum coloribus depingunt viros illos, qui inſtaurandæ diſciplinæ opus moliti ſunt, ut vel piorum, cordatorumque hominum animos in illos incendant. Quid itaque mirum, ſi in tanta opinionum pravitate educati, talibuſque erroribus infecti, non pauci inteſtinam repugnantiam, una cum Religionis lacte ſugant, nutriantque contra reformationem, & reformatores, quos veluti prædones, perturbatoreſque reſpiciunt? Quid mirum, ſi ipſi poſtea ætate provecti, quæ a ſuis majoribus audiunt, ſucceſſoribus narrent; & his narrationibus, ita odii, iræque igniculos accendant, foveantque, ut diſcordiarum incendium nulla temporis diuturnitate reſtinguatur? Quid denique mirum, ſi tantæ multitudinis authoritate roborati, ſacrificium ſe ſe præſtare Deo arbitrentur, quoties reformationem, & reformatores inſectantur? Quoniam præjudicia, quæ ſemel in Religionis materia imbibuntur, ita mentem occupant; ut vix permittant, vel ad punctum temporis quempiam ſe recipere, quo recogitationem prudentis hominis in veritatis inquiſitione ſuſcipiat. Quod iſthic ſummopere elucet. Enimvero quid facilius eſſet, quam putidiſſimarum portenta calumniarum, quæ contra tum reformationem, tum reformatores opponuntur, deprehendere? Nonne omnes fere reformatores, aut inter divos adſcripti adorantur, vel in cujuſque Ordinis chronicis eorum acta imitanda proponuntur? Nonne diſciplina Religionis vere, exacte ad Regulæ ſuæ præſcriptum reformatæ, ædificationis, caritatis,

& ſan-

& ſanctitatis radios undiqueverſum emittit? An non facilius eſt in meridiana luce cœcutire, quam hæc omnia ignorare? Verum tantum præjudicatæ opiniones a teneris annis cum lacte hauſtæ valent, tantaque caligine mentem obducunt, ut veritatem in cujuſque oculos ſe ſe ingerentem videre non permittant.

IV. Ex quibus colliges, quam verum ſit id, quod docet ſanctiſſima Mater Thereſia, videlicet, non minus fere alienos eſſe quoſdam Religioſos a diſciplinæ reformatione, quam ſint averſi a Catholicis Hæretici. Elicies facilius peccatores ad pœnitentiam reduci, quam Religioſos ad reformationem, ſicuti aſſerit Bernardus. *Quanta audivimus, & cognovimus ea, & fratres noſtri uterque Gaufridus annuntiaverunt nobis, quemadmodum noviter recaluiſtis, igne Dei convaluiſtis de infirmitate, refloruiſtis in novitate ſancta. Digitus Dei eſt iſte ſubtiliter operans, ſuaviter renovans, ſalubriter mutans, non quidem de malis bonos, ſed de bonis faciens meliores. Quis dabit mihi ut tranſeam & videam viſionem hanc magnam? Nec enim minus mira, minuſve jucunda iſta promotio, quam illa mutatio; niſi quod multo facilius reperies multos ſæculares converti ad bonum, quam unumquempiam de Religioſis tranſire ad melius. Rariſſima avis in terris eſt, qui de gradu, quem forte in Religione ſemel attigerit, vel parum aſcendat.* (Epiſt. 96.) Et Auguſtinus teſtatur, ſe pejores expertum non eſſe, quam qui in Monaſterii relaxate vivunt. *Simpliciter fateor caritati veſtræ coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam; ex quo Deo ſervire cœpi, quomodo difficile ſum expertus meliores, quam qui in Monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus pejores, quam qui in Monaſteriis ceciderunt.* (Epiſt. 137.) Hinc eſt, quod Cardinalis Bellarminus aſſerit in libro de gemitu columbæ, regulares ſimiles eſſe ficubus Hieremiæ, inter quas, quæ bonæ erant, erant valde bonæ, & quæ malæ, malæ valde. Ea propter cum Hieremia amariſſimis lachrymis deplorat Joannes Nyder deformatæ Religionis plagam veluti inſanabilem, quæ & medicaminis beneficium ſpernit, & medicos ipſos tanquam immanes occiſores perſequitur, inſectatur. Hæc namque ſcribit in opuſculo de reformatione. *Sed heu Religionis forma decentiſſima pene jam in multis perdita eſt Religionibus. Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum. Filii ſion inclyti, & amicti auro primo; quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea? & quamvis plus ſilere liberet, & flere, quam aliquid dicere: tamen cum* (Iſaia cap. 1.) *zelo Domus Dei cogor clamare omne caput languidum, & omne cor mœrens a planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas. Derelicta eſt filia Sion, ſicut umbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, ſicut civitas, quæ vaſtatur. Vides enim ſi deformatum intras Monaſterium, in quibuſdam ſicut in Cain fraternam invidiam, in aliis Lamech incontinentiam, in aliis filiorum Cain avaritiam; in aliis cum Cham pa-*

paternam irridere inſufficientiam : quoſdam cum Nembroth primatum appetere : alios corrixari cum paſtoribus Loth , alios Iſmaelis ſimiles Iſaac domeſticum contemnere : alios cum Eſau guloſo Jacob irridere propter paternam obedientiam. Et quod deterius eſt, quoſdam, qui Joſeph imitari ſtudent innocentiam, accuſari per invidos apud Patrem de crimine peſſimo. At ſi exterioris hominis in Monacho vis deformitatem aſpicere, reperies inter cœnobii ſuppoſita in capitis vertice tonſuram indebitam, in riſu petulantiam, in lingua effrænem, in ore guloſum, in manu inſtabilem, ſæcularem veſtitu, mimum riſu, ac inceſſu velut militem, & ut verbis utar Hugonis Venerabilis : in deformato Monaſterio omnia reperies, per quæ Religionis forma corrumpitur. Quia ibi Prælatus negligens, diſcipulus inobediens, juvenis otioſus, ſenex obſtinatus, Monachus curialis, Religioſus cauſidicus, habitus pretioſus, cibus exquiſitus, rumor in clauſtro, lis in capitulo, diſſolutio in choro, & circa altaria irreverentia. Si vero aliquis formam Religionis antiquæ inter perverſos renovare geſtiat, per bonorum operum exercitia, vix credi poteſt, quanta talis ſuſtinere habet opprobria a malevolis.

V. Plures aliæ cauſſæ, quæ reformationis opus remorantur, manifeſtandæ forent, quaſve veluti extraneas appellare poſſumus. Plures inter, unicam indicare nunc ſufficiat, alias infra oſtenſurus. Ea porro eſt inopia operariorum, qui ad tantum facinus aggrediendum ſapientia, zelo, fortitudine, dexteritate prædití ſint. Si enim ad ſacros Ordines inſtituendos, peculiaribus & maximis gratiarum donis Deus ſanctos fundatores ornavit : quibus auxiliis, qua prudentia, quo zelo, qua caritate, qua denique virtutum copia inſtructus ſit, oportet, qui arduum reformationis opus tentare, atque perficere anhelat? Nemo profecto huic operi, ipſa Religionis fundatione quodammodo difficiliori, validam, efficacemque manum admovere poteſt, niſi, qui zelo ſolius Dei gloriæ fervet, & qui pectoris robore, & dexteritate plurimum valet. Qua de cauſſa infirmitatis meæ conſcius pavido calamo hæc ſcribo, quoniam cœleſti rore deſtitutus; quo, ſi caret oratio mea, ad nihilum valet. Auribus ſiquidem meis ſæpius inſonat illud Divi Iſidori. *Non debes aliena vitia corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus ſervis. Improbum eſt enim, quenquam arguere in alio, quod adhuc deprehendis in temetipſo.*

C A P U T XI.

Prælati Regulares, ſi relaxatam ſuam Religionem ad obſervantiam Regulæ, & Conſtitutionum pro viribus revocare non conantur, in continuo ſtatu verſantur peccati mortalis. Idque maxime verum habet de Generalibus, & Provincialibus; immo quilibet Prælatus mortaliter peccat, ſi vel unam Conſtitutionem, aut alteram ad nullam culpam obligantem in deſuetudinem abire libere ſinit.

I. INtegra diſſertatione tertia obligationem illam graviſſimam, qua devinciuntur Prælati ad invehendam in ſua Cœnobia rerum communitatem, quæ totius reformationis baſis eſt, & fundamentum, demonſtravimus. Quare, ne acta retractemus, quæ ibi dicta ſunt, quæve iſthuc adſerri poſſent, miſſa facimus. Quemadmodum innumera prætermittimus eorum, quæ extremum Prælatorum periculum evincunt, ob id dumtaxat, quod curam animarum habent, & tandem ſilentio præteribimus ſummorum Pontificum Bullas, Conciliorum, cum Generalium, tum Provincialium Decreta, quæ Regularibus omnibus reformationem præcipiunt. Solum Tridentini Concilii Decretum oculis ſubjiciam (ex Seſſ. 25. c. 1.) deſumptum. *Quoniam non ignorat ſancta Synodus, quantum ex Monaſteriis pie inſtitutis, & recte adminiſtratis in Eccleſia Dei ſplendoris, atque utilitatis oriatur, neceſſarium eſſe cenſuit, quo facilius, ac maturius, ubi collapſa eſt, vetus, & regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantius ubi conſervata eſt, perſeveret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit, ut omnes regulares tam viri, quam mulieres, ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant, & componant; atque in primis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum reſpective eſſentiam; nec non ad communem vitam, victum, & veſtitum conſervanda, pertinentia, fideliter obſervent. Omniſque cura, & diligentia a Superioribus adhibeatur, tam in capitulis generalibus, & provincialibus, quam in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur; cum compertum ſit ab eis non poſſe, ea, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ baſes ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.*

II. Superiorum præcipue vigilantiam, & zelum excitat Sacra Synodus. Prælati ſiquidem Paſtores ſunt, & Paſtoris partes explere debent, pabu-

lum videlicet præbentes gregi ſuo, illum a mortis periculo liberantes. Peccat enim Paſtor, ſi commiſſi ſibi gregis bonum non promovet, & perfidia reus eſt, ſi ſciens, & potens a luporum faucibus non ſubducit. Patris inſuper perſonam gerunt Prælati, qui ſpirituales filios in diſciplina regulari educare tenentur, nec minor eſt eorum, quam carnalium patrum obligatio. Ac tandem medicorum officio defunguntur, qui congruam, & opportunam medicinam Religioſis ſuis ſpirituali morbo laborantibus ſubminiſtrare debent. Homicidii reus habetur Medicus, qui ſecundum artis præcepta ægrotorum morbos abigere reſpuit. Quibus de cauſſis Prælatos, qui hæc munera Paſtoris, Patris, & Medici implere negligunt, ceu homicidii, rapinæ, furti, perfidiæ, omniumque criminum, quæ a ſubditis patrantur, ſontes damnant Patres, & Theologi omnes. Unum, vel alterum laudare ſufficiat. Divus Laurentius Juſtinianus (de inſtitut. & reg. Præl. cap. 4.) *Curam quicumque, prout decet, adminiſtrare neglexerit, malus eſt, & pene innumerabilium criminum eſſe cenſendus eſt reus. Quoniam pretioſum Domini Theſaurum, nedum multiplicare deſpexit; verum etiam illum diſperſit, atque furibus, homicidis, & ipſius Domini inimicis quantum in ipſo fuit, dirripiendum expoſuit. Accepit, inquam, vineam, ut vepres ex eadem evelleret, infructuoſas arbores eradicaret, illam coleret, ſepibus propter ſpiritualium incurſus ferarum circumdaret, in illa plantaret vineas fructuoſas, insereret arbores, & ſemen Verbi Dei ſpargeret, ut produceret ſpirituale germen delectabile Domino. Sed proh dolor: Ex ipſius incuria, delictorum ſentes profert, inculta manens, & latronibus diripientibus patet.*

III. Dionyſius Carthuſianus (opuſc. de reg. Arch. cap. 11.) *Si, ut Dionyſius faſſus eſt, omnium Divinorum diviniſſimum eſt Deo cooperari in reductione animarum ad ipſum: Nonne omnium diabolicorum diaboliciſſimum eſt cooperari Diabolo in averſione animarum a proprio Creatore, in perditione earum æterna, in continuatione converſationis praviſſimæ? Certumque eſt, quod ſicut illud faciunt virtuoſi ac diligentes Prælati; ſic iſtud negligentes Prælati, ac vitioſi, qui multipliciter hoc ipſum peragere a Sanctis Patribus aſſeruntur; videlicet inexemplariter, ac ſcandaloſe vivendo, aut non debite reſiſtendo, non arguendo, non corrigendo: itemque tacendo, palpando, conſentiendo, hortando, fovendo. A talibus præſidentibus Chriſtus, ut Sanctus ait Berhardus, graviorem perſequutionem patitur, quam a Judæis ipſum crucifigentibus eſt perpeſſus . . . . . Quantæ infidelitatis, impietatis, negligentiæ ac damnabilitatis conſiſtunt, quibus Chriſtus animas ſuo ſanguine liberatas commiſit; & nihilominus eas perire permittunt? . . . . Si crudeliſſimus, ac infideliſſimus Medicus cenſeretur, qui ægros ſuæ curæ commiſſos, eos præſertim, pro quorum medela largum haberet ſalarium, pro poſſe corporaliter non ſanaret. Si item negligentiſſimus, immiſericordiſſimuſque Paſtor judicaretur, qui oves Domini ſui abſque reſiſtentia a lupis permitteret devorari, nec raptas pro*

poſſe

poſſe erueret : Nonne incomparabiliter coram Judice ſummo crudelior, infidelior, negligentior, & immiſericordior eſt Prælatus, qui animas, quas ſuſcepit regendas, tuendas, curandas, ſalvandas, pro quo etiam peragendo officio liberaliter ſuſtentatur, copioſeque procuratur, a morte peccati, ab interitu ſempiterno, ab infernalium ore luporum, a perpetuis extremæ damnationis ſuppliciis ſupergraviſſimis curare, eruere, præſervare non ſtudet, non totis viribus enititur, non indeſinenter laborat? Quale judicium; quanta damnatio imminet talibus? . . . . Qualiter implent quod per nobiliſſimum atque ſanctiſſimum ſtirpis Regiæ Eſaiam jubet omni Prælato Omnipotens. Clama ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo peccata eorum? (cap. 8.) *Quod item per Apoſtolum præcepit Spiritus Sanctus* (2. Timoth. 4.) *Prædica verbum, inſta opportune, argue, obſecra, increpa in omni patientia. Tu vero vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple.*

IV. Joannes Tritemius in libro penthico de ruina ſtatus Monaſtici, capite quinto, ſic alloquitur Prælatos. *Ad vos nunc, o Abbates, meus dirigitur ſermo, qui Monachorum veſtrorum mala ſtudia non corrigitis?.. O Abba Paſtor, & idolum, qui ex ovibus lupos, ex Monachis ſæculares facis. Quid reſpondebis ſummo Paſtori, cum rationem villicationis tuæ reddere compulſus fueris? . . . . Redde quod debes. Hoc eſt redde Monachos, quos tuæ fidei commiſi, redde Cœnobium, quod gubernandum accepiſti, redde fidem, redde meritum, redde honorem, redde quod debes. Ego te Paſtorem ovium mearum conſtitui, ut eas in ſancta Religione conſervares, doceres, inſtitueres, emendares, corrigeres delinquentes. Tu autem odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Voluptatibus carnis intentus oves meas non cuſtodiſti. Idcirco redde quod debes . . . Ego Monachos tibi commiſi, quos in ſancto propoſito debueras conſervare, jacentes erigere, infirmos curare, deficientes inſtaurare, torpentes caritate accendere, negligentes excutere, peccantes arguere, inobedientes corripere, diſſolutos reſtringere, perverſos a malis ſtudiis eorum coercere. Sed nihil eorum, quæ tuo incumbebant officio, curaſti, avaritiæ, luxuriæ, ingluviæque deditus, Monachos non ſolum ad ſæculum redire permiſiſti, ſed etiam curæ paſtoralis penitus oblitus, dux, & conſors apoſtaſiæ eorum factus es. Jam itaque redde quod debes, reſtitue, quod fidei tuæ, ne dicam perfidiæ, commiſi: ſed quia reddere non poteris, in carcerem tenebroſum, & apertum mortis caligine projicieris, inde non exiturus, donec reddas debitum, quod nunquam redditurus es. Ibi non ſolum pro tuis factis pœnam recipies, ſed etiam pro omnium peccatis, quos tuo regimini commiſſos corrigere neglexiſti.*

V. Ne vero quis ſibi, & aliis illudens reponat, Doctores laudatos, declamatorum more ad terrorem incutiendum, Prælatorum pericula nimium exaggeraſſe, vel quæ produximus, votorum obſervantiam renovan-

vandi debitum evincere, minime vero Regulæ, & Conſtitutionum reformationem introducendi: lubet preſſius id, quod propoſuimus, enucleare. Et in primis quod de ſola votorum renovatione aſſeritur, inane eſt, & futile. Siquidem Tridentina Synodus reformationem ad Regulæ, & Conſtitutionum cujuſque Ordinis præſcriptum fieri præcipit: nec enim in praxi poſſibilis eſt diuturna votorum obſervantia, niſi ſtatuta, quæ in Regula, & Conſtitutionibus, præſcripta ſunt, tanquam media ad id apprime neceſſaria, exequtioni demandentur. Præterquam quod Prælati omnes bonum commune Religionis non modo ab interitu, & decremento ſervare, ſed promovere, & pro viribus augere obſtringuuntur. Violatio autem Regulæ, & Conſtitutionum, maximum infert communi Religionis bono nocumentum, & ſi frequens eſt, & continuata, Religionem ipſam funditus evertit, deſtruit, exterminat. Porro ſermo nunc, cum ſit, de reformatione, non tantum unius, aut alterius Cœnobii; ſed vel de univerſo ordine, vel de aliqua illius parte, iſtius reformationis debitum Generales præcipue, & Provinciales, ut infra dicetur, afficit; qui, quo majore pollent poteſtate, eo efficacius reformationis opus exequi valent.

VI. Non eſt tamen, quod Prælati inferiores ab onere reformandi ſubditos ſuos liberi ſint. Immo communis eſt Theologorum ſententia, Prælatum quemlibet peccare mortaliter, ſi vel unius, aut alterius Conſtitutionis obſervantiam renovare negligat, cum poſſit, licet Conſtitutiones illæ per ſe ad nullam obligent culpam. Quod non de iis Conſtitutionibus intelligendum eſt, quæ ad ſolam politiam, & ornatum pertinent, ut in Ordine Præd. illa eſt, quæ ambabus manibus poculum tenere jubet, & capite cooperto bibere. Sed de iis Conſtitutionibus loquimur, quæ, vel in qualibet Religione bene inſtituta maximi habentur: ut eſt lex vetans ingreſſum in aliena cubicula, ſeu Cellas, & lex præcipiens ſtatis temporibus ſilentium, aliæque ſimiles: vel ad præcipuam alicujus Religionis obſervantiam ſpectant, ut eſt in Ordine Prædicatorum abſtinentia a carnibus, ſeptem menſium jejunia, ſtudium litterarum. Quare ſi Prælatus iſtarum Conſtitutionum, quæ ad nullam culpam ex genere ſuo obligant, obſervantiam negligeret, aut collapſam inſtaurare potens omitteret, culpam gravem non evaderet. Quoniam ex ejus ignavia maximum detrimentum, ad cujus reparationem ex juſtitia tenetur, Religio perfert. Et hæc eſt communis Theologorum ſententia. Inſigniores aliquos iſthic indicabo. Dominicus Soto (de ratione tegendi, & detegendi ſecretum, membr. 2. quæſt. 2. concl. 3.) *Nam Prælatis ex officio incumbit cura boni publici, & ideo tenentur notabile damnum publicum ſub reatu mortali purgare, ſi poſſunt: & peccata venialia, quamvis in ſingulis perſonis non ſint notabile malum: tamen quando ſunt frequentia in republica, magni momenti eſt illa extirpare: & confirmatur. Nam ſi in Religione noſtra caderent obſervationes noſtræ: utputa Fratres paſſim uterentur lineis, veſce-*

ſcerentur carnibus, & ſilentia rumperent, quamvis hæc apud nos nulla ſint peccata: tamen prælatus, qui hujuſmodi damna reſarcire poſſet, & ad Regulam revocare, teneretur certe ſub reatu mortali id ſatagere. Aſcanius Tamburinus de jure Abbatis (tom. 3. diſp. 3. q. 6. nu. 10. pag. 22.) *Advertant tamen Abbates & Prælati, ſi in ſuis Monaſteriis tales transgreſſiones ſunt frequentes, tenentur ſub mortali transgreſſores illos corrigere, quia peccata venialia quamvis in ſingulis Monachis non ſint damnum notabile, tamen quando in Monaſterio ita ſæpe frequentantur, ſunt magni momenti ad deſtruendam Regularem obſervantiam, niſi a Prælatis corrigantur.*

VII. Lugo de juſtitia (diſp. 9. ſect. 2. num. 21.) *Ex alio etiam capite oriri poteſt, quod peccet graviter aliquis dando cauſſam peccatorum venialium in aliis. Exemplum autem commune eſſe ſolet in Prælato regulari, qui aliquando poteſt graviter peccare negligendo culpas veniales in ſubditis, immo, & inobſervantiam circa Regulas, quæ tamen ex ſe non obligant ſubditos ad peccatum etiam veniale, quia in ipſa negligentia Prælatus defuit obligationi, qua ex munere ſuo tenetur conſulere, potiſſimum bono ſpirituali ſubditorum, & obſervantiæ regulari, quæ per hujuſmodi defectus maxime labefactatur. Multo enim magis, & gravius obligatur ex munere ſuo Prælatus regularis ad promovenda bona ſpiritualia, quam temporalia ſui Ordinis, vel Conventus. Quare ſi ob ejus culpam communitas patitur grave detrimentum in ſpiritualibus, non poterit ipſe a peccato gravi excuſari per ſe loquendo, & poterit contingere, quod ſubditi ſolum venialiter peccent, & Prælatus peccet graviter in iis defectibus permittendis.* Hactenus Lugo, qui hanc doctrinam amplificat in fractione ſilentii, & in ingreſſu in alterius cellam. Sic loquuntur illi; qui nimium benigni a quibuſdam vocantur, quanquam iſthic fortaſſe rigoris cenſuram non evadent, quod ad eorum aures non loquuntur. In aliena enim domo rigorem, in propria diſſolutionem, nedum ſuavitatem amant non pauci.

VIII. Dominicus Banez (in 2. 2. q. 33. art. 3. dub. 3.) *Prælati in Ordinibus Mendicantibus, potiſſime in Ordine Prædicatorum tenentur ſub præcepto habere ſpecialem curam, ut Religioſi ſe exerceant in his operibus miſericordiæ ſpiritualibus, in doctrina, prædicatione, confeſſione, & conſiliis ſpiritualibus. Hæc concluſio probatur. Quia ipſi Prælati ſunt cuſtodes legum, & obſervantiarum regularium, ſed ſpecialis obſervantia ea eſt, quæ ſpectat ad finem proprium uniuſcujuſque Religionis. Ergo ſi finis eſt ſalus animarum, tenentur ad media ex profeſſione ſua. Confirmatur, quoniam ſententia eſt communis, quod ſi Prælatus negligat cæremonias, quæ alias non obligant ſub mortali, ipſe peccat mortaliter; ergo magis peccabit, ſi ſit negligens circa opera, quæ ſpectant ad finem.*

IX. Ex iſtius Auctoris doctrina duo colligito. Primum, communem eſſe ſententiam aſſerentem Prælatum mortaliter peccare, ſi negligat obſer-

vantiam promovere, vel earum Conſtitutionum, quæ ad culpam non obligant. Secundo, ex præcepto in Ordine Prædicatorum Prælatos obſtringi ad ſedulam adhibendam curam, ut ſubditi in operibus miſericordiæ exerceantur, videlicet in prædicatione, confeſſione, conſiliiſque ſpiritualibus porrigendis. Proprio inſtituto igitur minime ſatisfaciunt illi Religioſi iſtius Ordinis, qui in ea litterarum ſtudia incumbunt, ad quæ curioſitate inani feruntur. Earum ſtudia ſcientiarum præcipit Ordo iſte, quæ ad animarum ſalutem, ſin minus recta, oblique ſaltem conducant. Quæ ab hoc fine recedunt, non præmium acquirent, ſed pœnas dabunt. Verum de hoc alias. Audiamus duos obſervantiæ regularis celeberrimos inſtauratores. Primus eſt Joannes Excuria Ordinis Prædicatorum, qui in tractatu de reformatione, Duci Burgundiæ nuncupato hæc ſcribit (art. 2.) *Omnes Prælati tam majores, quam minores ſinguli videlicet reſpective pro ſui dignitate, officio, commiſſione, aut facultate de debito juſtitiæ tenentur ſubditos ſuos Religioſos non obſervantialiter ſeu deformate viventes ad vitæ regularis obſervantiam reformare. De ipſorum enim manibus ſanguis ſubditorum percuntium requiritur.* Secundus eſt Servatius de Lairvelz Ordinis Præmonſtratenſis vigilantiſſimus reformator; qui in ſua optica regularium, ſpeculo duodecimo hæc ſtatuit. *Certum mihi eſt, eſſe in continuo peccato mortali eos Prælatos, qui, quantum poſſunt, ſua Monaſteria non reformant; quique ad vitam communem Religioſos ſuos, quantum poſſunt, non reducunt.*

CAPUT XII.

Summi Pontifices, utpote ſuprema Religionum capita, & Congregatio ſuper diſciplinâ regulari pluribus, & efficacisſimis rationibus ad reformationem promovendam Regularium tenentur.

I. SUmmi Pontifices Romani, quorum eſt regularium Ordinum Regulas, & Conſtitutiones approbare, ſunt Religionum omnium ſupremi Superiores, & Prælati. Quo proinde titulo inferiorum Prælatorum ſinguli renovandæ collapſæ diſciplinæ adlaborare obſtricti ſunt, eodem illi devinciuntur, & eo fortius, quo ſunt majore præditi poteſtate. Immo non modo, qua Religionum ſuperiores, ſed qua univerſæ Catholicæ Eccleſiæ ſupremi Paſtores invehendæ reformationi manum adjicere tenentur. Enimvero quemadmodum in iſtius Eccleſiæ commune bonum, progreſſum, & augumentum omnem conatum, & induſtriam conferre debent, ſic in Regularium reformationem animum intendere coguntur, quod hæc ſit ad tanti finis aſſequutionem medium apprime neceſſarium.

II. Ac-

II. Accedit, quod ex relaxata Religioſorum diſciplina, & mores depravati, & maxima proficiſcuntur ſcandala, quæ odium averſionemque populorum concitant; ſtatum, tum Monachalem, cum Eccleſiaſticum, in deſpectionem, contemptum, & deriſionem adducunt; atque ab affectu, & obſequio erga ſanctiſſimam Sedem Chriſtianos avocant, & abſtrahunt. Hæreticos in contumaci rebellione obfirmant. Hinc tanquam ex infectis ſeminibus vitioſæ fruges, tot Regnorum revolutiones, tot ſchiſmata, tot ab Eccleſia Romana defectiones. Econtrario autem quantum univerſæ Chriſti Eccleſiæ ſplendoris, & ornamenti ex diſciplina Monaſtica optime inſtituta accedat, ſatis exprimi nequaquam poteſt. Ex Religioſorum ſiquidem virtute, vitæque ſanctitate ædificati fideles obſequio, & veneratione afficiuntur erga Eccleſiam, & ſupremum ipſius caput Romanum Pontificem.

III. Nihil inſuper ad Chriſtianæ fidei propagationem efficacius valet, quam Monachorum ſanctitas, & Doctrina, ut pluribus evincere poſſem. Quæ eloquentia explicare valet labores, vigilias, pericula, martyria, quæ pertulerunt Monachi in Catholicæ Religionis amplificatione, hæreticorumque converſione? Quot infideles, quot ethnicos, quot ſchiſmaticos, qua voce, qua ſcriptis, qua miraculorum ſplendore, qua ſanguinis effuſione ad euangelicum ovile non reduxerunt? Si ab Oriente ad Occaſum, ſi ab Aquilone ad Meridiem oculos revolvimus, vix aliqua occurrit regio, in qua, fugatis errorum tenebris, lux euangelica Monachorum ſtudio, non effulſerit. In Galliis Clodoveum primum Regem anno 350. ſacris undis lavit Remigius Monachus. In Anglia Crucis vexillum explicuit Auguſtinus cum aliis Monachis a B. Gregorio, anno 540. miſſis. Arianæ hæreſis ignem in Svetia extinxit Martinus Monachus. Quis Hollandiæ, & Saxoniæ, & Flandriæ ſolum Euangelico aratro ſubactum, ac cœleſti meſſe fœcundum vineæ Domini Sabaoth aggregavit, niſi VVilfridus, aliique Monachi? Quis Germanorum Apoſtolus, niſi Bonifacius? Quis Gottiam, Grottolandiam, Ruſſos, Polonoſque Romanæ Eccleſiæ conſociavit, niſi Monachi? Quid ſi vaſtiſſima Orientis Regna percurrerem? Quot Religionis inſignia Monumenta a Monachis erecta occurrerent?

IV. Remiſſum in Monachis zelum ob diſciplinæ relaxationem, in Mendicantibus Ordinibus infinita ſua clementia Deus inſtauravit. Iſti, præſtituto ſibi euangelicæ prædicationis fine, vix creditu poſſibile eſt, quot profligaverint hæreſes, quot contriverint idola, quot uni Deo templa ædificaverint. Illi Albigenſium, Catharorum, VValdenſium, Manichæorum, exterminarunt monſtra, & ex his cineribus renaſcentibus VVicleſiſtis, Lutheranis, & Calviniſtis implacabile bellum indixerunt. Hi non modo Europam, Aſiam, Africamque, verum etiam remotiſſimas novi orbis regiones Divini luminis ſplendore illuſtrarunt.

V. Hæc, & his longe majora præſtiterunt cum Monachi, tum Mendican-

dicantes illi, qui ad propriæ Regulæ præſcriptum vitam ſuam inſtituerunt. Relaxatæ vero diſciplinæ Religioſi, quemadmodum propriam, ſic & aliorum ſalutem prodigunt, & univerſæ Eccleſiæ maculas, & vulnera infligunt. Quare mirari ſatis non ſubit, illos, qui in laxitate ſeſe volutantes propriæ Religionis antiqua trophæa jactant, & merita, ac ſi ex antiquorum Patrum ſanctitate ſuis relaxationibus patrocinium nanciſci poſſent. Si majoribus ſuis indulta privilegia ſibi quoque imperriti cupiunt, illorum pœnitentiam, humilitatem, zelum, & vitæ perfectionem imitentur, æmulenturque.

VI. Ex quibus omnibus hoc profluit conſectarium: videlicet Pontifices ſummos collapſam diſciplinam Monaſticam reformare debere, tum quod Religionum ſupremi Superiores, tum quod univerſæ Eccleſiæ Paſtores. Hanc inſuper Regularium reformationem expoſcit efflagitatque Romanæ Sedis decus, fidei Chriſtianæ amplificatio, ſcandalorum, ex deformata diſciplina profluentium, ſuppreſſio, hæreſum profligatio, fidelium ſanctificatio. Verbo dicam, non modo ſupremæ dignitatis altiſſimum, graviſſimumque debitum, ſed immenſa cum ſpiritualia, tum temporalia emolumenta; atque ex adverſo infinita mala, quæ Eccleſiæ ex deformatione diſciplinæ Regularium imminent, Romanorum Pontificum zelum accendere mirum in modum debent ad Monaſticam obſervantiam inſtaurandam, maxime in quatuor Mendicantium Ordinibus. Siquidem *iſti* ex inſtituto primario ad colendam vineam euangelicam vocati ſunt; propterea ut eorum diſciplinæ ſanctitas medio in Mundo expoſita copioſam meſſem colligit: ita eorundem deformatio extremam cladem infert Religioni.

VII. Quæ hucuſque brevi calamo delibavimus, apprime agnoverunt Pontifices ſummi, qui nulla interrupta temporum ſerie, ut regulares reformarent, nihil intentatum reliquerunt. Neminem ſiquidem eorum latebat, reformationem regularium reformationi tum Cleri ſæcularis, tum populi chriſtiani viam aperire. Innocentium XI. ſanctitate inſignem erga Prædicatorum Ordinem ſummopere affectum dicere ſolitum fuiſſe ferunt, ſe brevi univerſam Eccleſiam reformaturum confidere, ſi iſtius Ordinis collapſam diſciplinam inſtaurare poſſet. Quod Sanctum Concilium, ut executioni demandaret, in præcipuo Religionis cœnobio Bononienſi obſervantiam regularem, accitis undique ſeverioris diſciplinæ viris, renovavit. Innocentius XII. zelo reformationis nulli ſecundus, plures edidit ſaluberrimas conſtitutiones pro reformatione regularium inſtauranda, relaxatis Ordinibus induendi juvenes reipſa facultatem ademit, & Congregationem ſpecialem inſtituit, cujus munus eſt, vocem ſuam extollere, & clamare contra regularium diſſolutiones, & reformationis negotium promovere. Huic capiti finem imponit Joannes Excuria, tertia parte, articulo ſecundo. *Advertendum eſt, quod in Summo Pontifice eſt prima, & Superior poteſtas ordinaria reformandi quoſcumque ſtatus inferiores defor-*

ma-

matos in Eccleſia, cujuſcunque conditionis ſint ſub ſe manentes, ſive ſub ordinariis, cui Summo Pontifici omnes Religioſi tenentur obedire, nedum in communibus ut alii, ſed & in his, quæ ſpectant ad ſtatum ſuæ Religionis, ut dicit S. Thomas. Secunda conſideratio præambula. Super quo ulterius eſt advertendum, quod Papa poteſt Conventum cujuſcumque Religionis, ſeu quencumque Religioſum ad ſui obedientiam immediatam reducere, ipſum ſubtrahendo ab omni obedientia cujuſcunque Prælati inferioris, quia profeſſio Religionis probatæ per Eccleſiam intelligitur fieri ad Papam propter duas rationes. Prima eſt, quia profeſſio, ſive ſubjectio eo jure, quo eſt ad aliquem, eſt ad eum, quem ſuo loco ponit, ſicut eſt Papa reſpectu Dei; ideo in primo loco profeſſionis Religioſorum ponitur Deus. Secundo, quia virtus & facultas recipiendi aliquem ad Profeſſionem derivatur a Summo Pontifice. Ubi bene eſt advertendum, quod Prælati Religionum aliter ſubduntur Papæ, quam Epiſcopi, aut quam temporales ſuis majoribus, ſive ſupremis Principibus, Religioſi enim in ſuis perſonis nullius facultatis, aut rerum, immo nec propriæ voluntatis ſunt Domini. Quod de temporalibus Dominis aut Epiſcopis non eſt verum. Ex qua Doctrina nulli dubitationi obnoxia ſponte fluit id, quod alias non ſemel diximus, regulares reſiſtentes Bullis & Conſtitutionibus Summorum Pontificum præcipientium reformationem, & maxime vitæ communis obſervantiam, pulſis peculiis, peccare tum contra votum obedientiæ, quo obedire tenentur Summis Pontificibus, cum contra votum paupertatis, quod peculia retinent, ſupremo Superiore refragante, & contradicente.

CAPUT XIII.

Reges, Principes, Reſpublicæ, & Magiſtratus omnes debito tum juſtitiæ, tum caritatis opem ferre tenentur, ut collapſa in ſuis Regnis, & ditionibus regularis diſciplina inſtauretur.

I. ROmani Pontifices, ut dictum eſt, Concilia Oecumenica, & Sacrorum Ordinum Generales, cæterique inferiores Prælati, ii ſunt, quorum intereſt ex officio primum, & directe Religioſorum reformationem promovere, utpote qui a Deo conſtituti ſunt, ut ſpiritualem ſuam ſponſam regant, cuſtodiant, defendantque. Quoniam vero plurima, & maxima ſunt iſtius reformationis impedimenta, quæ ſpiritualis poteſtas auferre vix poteſt; idcirco Tridentina Synodus, ut alias plures prætermittam, hortatur Reges, Principes, Reſpublicas, & Magiſtratus, ut Prælatis Reformatoribus opem, auxilium, protectionemque in collapſæ Monaſticæ diſciplinæ reparationem impendere velint (Seſſ. 25. cap. 22.) *Hor-*

ta-

tatur etiam Sancta Synodus omnes Reges, Principes, Reſpublicas, & Magiſtratus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, ut velint prædictis Epiſcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & cæteris præfectis in ſuperius contentæ reformationis executionem ſuum auxilium, & auctoritatem interponere, quoties fuerint requiſiti, ut ſine ullo impedimento præmiſſa recte exequantur ad laudem Dei omnipotentis.

II. Antequam rationum momenta, quæ Reges & Principes impellere debent ad reformationem Religioſorum, maxime mendicantium procurandam, propono, altius rem hanc paullulum repetere lubet. Primum itaque cujuſque imperii, & regiminis fundamentum Religio eſt, quæ quemadmodum ſupremo Numini homines ſubmittit, ita eos proprio Principi ſubjicit. Hinc eſt, quod Reges omnes, qui aut amplificandæ ditionis, aut augendæ majeſtatis deſiderio flagrarunt, ab Religionis cultu promovendo exorſi ſunt: & eo majore pacis, bellique gloria effulſerunt, quo fuerunt in Numinis Religione ferventiores. Religio namque eſt, quæ potiſſimum militarem ardorem accendit, quæ pacis fœdera obſignat, quæ fidelitatis Sacramenta firmat, quæ denique homines in mutuum commercium conſociat; eoſque ad vectigalia, tributaque Principibus ſolvenda adigit, atque in eorum obſequium ad ſanguinem effundendum inducit.

III. Porro, ut Religionis jura ſarta tecta conſiſtant, perſonæ ſeliguntur, quæ ejuſdem munia obeant, quæ Deum inter, & populum mediatorum officia peragant. quod in una vera ſancta Chriſti Eccleſia potiſſimum locum habet. In hac enim magna Miniſtrorum multitudo Religioni inſervientium reperitur in duplicem tributa Clerum, ſæcularem, ut vocant, & regularem. Hic ſubinde varias in Religiones partitus eſt, quarum aliæ ab hominum commercio prorſus avulſæ uni Divinorum contemplationi vacant, jugeſque preces pro ſe, populoque, Deo offerunt. Aliæ, quæ utramque vitam & meditativam, & operatricem complectuntur. Etenim hæ non modo hoſtiis, & Sacrificiis Divinæ juſtitiæ furorem populi ſceleribus ſuccenſum placant; verum etiam Divina referant arcana, fidei myſteria populo impervia explanant, Divini verbi prædicatione fidelitatem Deo, & Principibus maxime ſervandam inclamant.

IV. Quod ſane inventum Divinum eſt. Siquidem populus innumeris diſtentus curis, & negotiis, minus idoneus eſt ad Divinarum rerum cognitionem aſſequendam. Inſuper mundanæ felicitatis illecebris pellectus, vel adverſantis fortunæ vulneribus perculſus, a virtute, a Religione facillime declinaret; niſi Religioſi viri, Dei, hominumque conciliatores, qua precibus, qua conſiliorum auxilio, qua exemplorum efficacia, qua æternæ felicitatis manifeſtatione ſuppetias ferrent.

V. Quibus poſitis, rationes illæ, & numero multæ, & robore validiſſimæ, quæ urgere Principes debent, & Reges ad Monaſticæ diſciplinæ reformationem procurandam ſecundum Tridentinæ Synodi adhortationem per ſe liquent. Et, ut a ſupremo, divinoque bono auſpicemur, æterna

fa-

ſalus cum propria ipſorum Principum, tum ſubditorum ad tam præclarum facinus aggrediendum adducere eos debet. Quamvis enim civilis poteſtatis, & politici regiminis proximus finis eſt honeſta ſubditorum ſocietas, & pacifica converſatio: Cæleſtis tamen, & Divina beatitudo ſuprema, & ultima mera eſt, in quam & Principum, & omnium Chriſti fidelium vota, & ſtudia ſpectare neceſſe eſt. Ad hunc vero finem comparandum, medium magnopere neceſſarium eſt ſanctitas Religioſorum maxime mendicantium; quandoquidem iſti, utpote cooperatores ad laborandum in vinea Domini Sabaoth ex inſtituto vocati ſunt, ut populo cæleſtis verbi pabulum ſuppeditent, ut infirmos pœnitentiæ medicamine ad priſtinam reſtituant ſanitatem. Si ſemel iſti a Lege Dei, & a propriæ profeſſionis obſervantia aberrant, jam non paſtores vel paſtorum adjutores, ſed Lupi gregem euangelicum ſcandalorum morſibus devorantes evadunt. Si iſti vitiorum lue infecti ſunt, non Medici, ſed peremptores ſpiritualium ægrotorum efficiuntur. Illò ergo vinculo, & juſtitiæ, & caritatis, quo devinciuntur Principes, Regeſque ad ſubditorum Divinam felicitatem procurandam; eodem quoque tenentur ad Religioſorum reformationem promovendam, utpote ad id ſummopere conducentem.

VI. Ac, ut multa in pauca contrahamus, ad diſciplinæ Monaſticæ reparationem compellere Principes debet zelus Divini honoris, & Chriſtianæ Religionis decus. Quoniam nihil [illegible] Deum contemnit, religionemque profanat, quam religioſoru[illegible]. Compellere eos debet eorundem religioſorum converſio, & [illegible] ſalus: atque incomparabilis profectus; qui ex eorum reformatione in univerſam ditionem promanat. Quoniam ſicut Sacerdos, ſic & populus, & Sacerdotum ſanctitas populorum vitia convellit. Illi enim ſpeculum ſunt, & exemplar, ad quod populi reſpiciunt, ſuoſque mores conformant. Compellere eos debet gladius ſupremæ poteſtatis in eum finem maxime a Deo illis collatus, ut in Religionis defenſionem, & Fidei Chriſtianæ propagationem adhibeant. Compellere eos debet peculiaris cæleſtium auxiliorum neceſſitas. Quandoquidem illi ob indefeſſam in externo, & politico regimine occupationem, ob negotiorum multitudinem, divinis rebus, propriæque ſaluti vacare, uti decet, vix poſſunt; Idcirco optimis Religioſis indigent, qui operum ſanctitate, qui precum efficacia apud Deum illis ſuccurrant, eorumque vices ſuppleant. Compellere tandem eos debet ardens deſiderium evitandi Divinæ juſtitiæ flagella, quæ præcipue ob Religioſorum ſacrilegia, & publica ſcandala immittit Deus, qui Civitates evertit, regna transfert, & imperia exterminat. Quemadmodum contra ob paucorum Religioſorum ſanctitatem ab univerſo populo, regno, & natione fulmina iræ ſuæ Deus avertit, uti teſtatus eſt Abraham (Gen. 18.) *Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta juſtos in medio Civitatis, dimittam omni loco propter eos... Quid ſi inventi fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti... Quid ſi inventi fuerint ibi decem? Et dixit: non delebo propter decem*

VII. Ni-

VII. Nihil frequentius in Patribus, & Theologis occurrit, quam Religioſorum peccata ruinam, & deſolationem Regnorum invehere; quibus malis, ut obſiſtant Principes, Religioſorum mores ut reformentur curare debent. Qua de re hæc ſcribit Sanctus Bernardinus Senenſis (ſerm. 16. de euang. æter.) *Secundum officium juſtitiæ amoroſæ in fideli Principe eſt augmentare devota. Et hoc eſt ſecundum Joannem in Apocalypſi metiri altare. Tunc vero Princeps altare metitur, quando cum prudenti diſcretione, devotioni diverſarum perſonarum ſanctarum Religionum multipliciter favet, vel quod in patria ſua de novo regulares Conventus ſervorum Dei ædificentur, vel quod ædificati jam diu in regulari obſervantia conſerventur, aut quod denique relaxati ad diſciplinam regulæ reformentur. Sunt enim tales Patriarum oculi, verbo, & exemplo. Ex ipſis enim pravi corriguntur, atque virtuoſi inſeruntur. Orationes, atque ſupplicationes pro Principe & populo porriguntur ad Deum. Impetratur per illos miſericordia, placatur juſtitia, amoventur flagella, fida & luminoſa dantur conſilia, & ab infernali baratro multipliciter animæ liberantur. In hoc vero mari magno hujus ſæculi nequam, in quo reptilia, quorum non eſt numerus, ubi peregrinantium multitudo periclitatur, plurimi in ſtatu Religionis, quaſi in Portu ſalutis a naufragio præſervantur. Ibi enim ſecundum Bernardum amplius [illegible] procelloſo mundo vivit homo purius, cadit rarius [illegible] dit tutius, quieſcit ſecurius, irroratur [illegible] confidentius, & in fine a Domino copioſius [illegible] prædictorum fructuum bonorum fidelis, & devot[illegible] per hunc modum metitur altare, & tandem [illegible] reperitur, poſt Deum efficaciſſima cauſſa dici poteſt, ac per hoc cumulatiſſimam multitudinem meritorum conſequitur. Diſcant in hoc fideles noſtri Principes exemplar imitari magnorum devotorum virorum. Proſpiciant, ac legant, quot & quantas Abbatias, & religioſiſſima Monaſteria ædificarunt, & reverentiſſime foverunt, ut fuit fideliſſimus Imperator Carolus Magnus, Rex quoque Francorum Sanctiſſimus Ludovicus, & famoſiſſimus Rex Robertus, cæterique nobiles Principes, quos cauſſa brevitatis omitto.*

VIII. Divus Thomas de Villa Nova pluribus in locis hanc verſat materiam, & in ſermone de ſancto Michaele, inquit: *Væ Religioſis diſcolis, quorum exemplo vivificandi erant ſimplices. Unde hodie in Eccleſia tanta tepiditas, & iniquitas? Niſi quia in majoribus, & proceribus illius, unde fulgere deberet ſanctitas, viget iniquitas.*

IX. Dionyſius Carthuſianus multis evincit argumentis teneri Principem ad reformationem Religioſorum (lib. 3. de reg. Princip. cap. 28.) *Quemadmodum in principio penultimi articuli probatum eſt, quod Principem ſæcularem decet totis viribus pro communi utilitate, ſalute, & pace ſui populi laborare ex Divina caritate . . . Ita nunc ex eadem cauſſa poteſt oſtendi, quod debeat ad reformationem ſpiritualis ſtatus, præſertim in ſuo domi-*

dominio laborare ... ſecundo moveri debet ex ſpirituali dilectione .... Tertio moveatur ad hoc ex conſideratione ſummi, & incomparabilis fructus, qui ex ſpiritualis ſtatus reformatione conſequitur, ex ipſa nempe reformatione non ſolum Eccleſiaſticarum perſonarum oritur ſalus, ſed & tota communitas maxime emendatur ..... Octavo moveatur ad hoc, quia ut dictum eſt tam ipſe Princeps, & domus ipſius, quam tota communitas, precibus, ac meritis ſpiritualium hominum veraciter devotorum, atque clauſtralium vere religioſam vitam ducentium maxime adjuvantur, & cuſtodiuntur a Deo: Ideo Princeps, ut multos habeat idoneos Oratores pro ſe, & ſua uxore, ac ſobole, cognatis, amicis, familia, totoque populo ſuo orantes, ſatagere debet pro ſpiritualis ſtatus reformatione, ut in omni dominio ſuo Sacerdotes, Paſtores, Canonici, Religioſi, ac Moniales, & maxime hi, qui aliis ubique ac publice prædicant, ut ſunt fratres quatuor Ordinum, reformentur, & virtuoſe de cætero, ac exemplariter converſentur. Nono moveatur ad hoc intuitu inæſtimabilis felicitatis & gloriæ, quam pro hujuſcemodi labore, ac reformatione a Deo æternaliter conſequetur: atque pro omni opere bono, quod ex reformatione ſuo labore peracta evenerit, coronam cæleſtem, ac præmium ſortietur .... Præterea quanto major eſt Princeps, tanto plus decet eum pro reformatione hac laborare. Unde Imperatorem iſtud potius decet, deinde Reges, ac Duces, & Comites. Quod ſi totum, quod reformandum occurrit, reformare nequiverint, non tamen deſiſtant, ſed agant, quod potuerint auxiliante eis Spiritu Sancto, cujus opem, & gratiam, imprimis ubique, & ſemper invocare, & quærere debent.

CAPUT XIV.

Innumera temporalia commoda, quæ ex reformatione, & maxima detrimenta, quæ ex regularium relaxatione profluunt in Regna, & Civitates, accendere debent Reges, Principes, & Magiſtratus ad procurandam, prout eorum fert conditio, reformationem.

I. QUanquam Sacerdotium, & imperium duo ſunt ſtatus diverſi, ita tamen in regiminis exercitio conſociantur, ut, Religione ſublata, conſiſtere imperium diu nequeat. Porro, ſicut jam indicavimus, nihil efficacius Religionis everſionem, excidiumque inducit, quam Religioſorum minus morata conſuetudo vivendi. Quod, ut clarius pateat, fac plebem intueri (quod Deus avertat) Religioſos caſtitatem profitentes libidine ſordeſcere: paupertatis voto obſtrictos, divitias captare, deliciis indulgere, oppipare convivari: humilitatis ſtatum veſtium aſperitate, & pœ-

pœnitentiæ proſpectu jactantes, gradus, & dignitates ambire. Hæc portenta puſilli, ſeu populi ſi viderent, talia invicem ſermocinarentur. Si Religioſi iſti, qui propriæ profeſſionis vi, ſeveriori penitentiæ, ac euangelicæ perfectioni operam dare coguntur, ſuas explent appetitiones, ſi ſenſui, ſi cupiditatibus, ſi voluptaribus indulgentes, ſacris operantur, ad altaria quotidie accedunt, Sacramenta tractant, miniſtrantque: quid auribus noſtris terrorem incutiunt? Quid ſupplicia æterna nobis minantur? Idcirco fortaſſe hæc exaggerant, ut nos ſimplices in ordine contineant: cœterum ipſi, docti cum ſint, dum talia perpetrant, ſuſpicandi rationes exhibent, eos minime credere, quæ nobis credenda proponunt: aut conjectare licet, non adeo ſeveram, ut ipſi obtendunt, legem eſſe; neque æterna deberi ſupplicia vitiis illis, a quibus homines difficillime abſtinere queunt. En in quas ſuſpiciones Religioſorum ſcandala inducunt vulgares homines; qui veluti a torrente quodam abrepti a ſuſpicionibus in dubitationes, & a dubitationibus in manifeſtæ infidelitatis crimen prolabuntur.

II. Porro ut Religionis fundamenta vacillant, ſic Regiminis Thronus nutat, tremitque: & quo gradu, a ſupremi numinis cultu homines abſunt, eodem, ab Regum, Principumque obſequio, ſubjectione, & fidelitate deſciſcunt, in cujus rei confirmationem innumeras Regnorum revolutiones, Regum, Principum, Imperatorum occiſiones quæ ex Religionis viciſſitudinibus conſequuntur enarrare poſſem; ſed hæc omnia per ſe patent. Itaque ſi Principes, ſi Reges temporalem Throni perpetuitatem amant, ſi imperii fundamenta firma conſiſtere avent, ut ad meliorem frugem redigantur adlaborare debent Religionis divinæ adminiſtratores, ſacrorumque profanatores. Prava ſiquidem Sacerdotum exempla populorum Religionem vacillantem conſtituunt, eorumque fidem in apertum, maximumque adducunt diſcrimen.

III. Quanquam hæc mala, remota cum ſint, neque adeo frequenter Regnorum everſionem inducant, ſed ſenſim ſine ſenſu ſerpant: idcirco minus efficacia ſunt ad manifeſtandam Principibus, & Regibus reformandæ Monaſticæ diſciplinæ neceſſitatem. Ad ea ergo & detrimenta temporalia, quæ ex relaxatione Religioſorum, & commoda itidem temporalia, quæ ex eorundem reformatione promanant in Regna, & Civitates, recenſenda, noſtra pergat oratio.

IV. Primum regularis diſciplinæ relaxatio hoc graviſſimum incommodum infert civibus, qui, ut unicum filium in aliquo deformato Conventu collocent, graves, & importabiles ſumptus impendere coguntur. Quanquam enim & Sacra Concilia, & ſummorum Pontificum Bullæ ſeveriſſime vetent, ne quidquam vel ſponte oblatum pro Religionis ingreſſu recipiatur; nihilominus tot inaniſſimos prætextus, totque commenta excogitata ſunt, ut jam omnium legum, & canonum vis elevari videatur. Nam primis centum, vel ducenta ſcuta, ſolvenda conventui

exi-

exigi ſolent, & ut pretii ſuſpicio amoveatur, larva eleemoſinæ illi pecuniæ affingitur, & *Sacriſtiæ* nomine accipitur, quæ tamen ſi novitius abiret reſtitui deberet; quod infortunium ut vitetur, periculum eſt ne minus ſevere novitii imbuantur. Deinde Præſuli congruum dignitati tributum offerri neceſſe eſt. Cœteris vero Magiſtris, & Conſultoribus, ſeu examinatoribus non parva munuſcula, ita ut ſubductis calculis, ſumma haud parva conficitur. Et tandem præter hæc omnia cenſus vitalitius Novitio aſſignandus eſt. Cœnobia autem reformata, excepta alimentorum pro ſolo Novitiatus anno ſolutione, nec oboli valorem recipiunt & oblata reſpuunt.

V. Secundum lapſum regularis obſervantiæ temporalis Conventuum ruina conſequitur. Quoniam Conventualium quiſque proprio augendo peculio plerumque dat operam, ad communis vero patrimonii conſervationem pauci ſunt, qui ſerio animum intendant. Ex qua infideli adminiſtratione, & Teſtatorum piæ voluntates defraudantur, & Civitates ipſæ tum ſpirituale, tum temporale præjudicium ſubeunt.

VI. Tertio hinc graviſſimum illud malum Civitatibus evenit, quod, quemadmodum familiæ, cujus ſinguli domeſtici ſuum habent peculiare marſupium, cito concidunt; ſic Conventus illi, quorum Religioſi propriæ crumenæ implendæ ſtudent, ſtatim non modo in ſpiritualibus, ſed in temporalibus deficere gradatim incipiunt, & non infrequenter Cœnobia hæc vel ſupprimuntur, vel in commendam rediguntur, ut infelici experientia conſtat. Quod periculum locum minime habet in Religionibus obſervantibus. Ex innumeris ſiquidem Cœnobiis, aut ſuppreſſis, aut in commendam redactis, nec unum ex reformatis huic infortunio unquam obnoxium fuit. Quis porro explicare valet damna, quæ Civitates ex hac Conventuum ſuppreſſione, vel in commendam erectione perferunt?

VII. Quarto inæqualitas illa, quæ in vitæ Conventualis cœnobiis ſerpit, graviſſima parit incommoda religioſorum parentibus. Siquidem dum pauci oppipare, lauteque vivunt, plures alii ſame laborant, nuditate premuntur, & infirmitate gravati coguntur a parentibus, vel amicis neceſſaria quærere. Heu quot mala ex hac indigentia, non raro derivantur.

VIII. Quinto Pauperes Civitatis ex relaxatione diſciplinæ Monaſticæ grave ſubeunt damnum, eleemoſinarum videlicet diminutionem. Cum enim commune Monaſteriorum patrimonium non recte adminiſtretur, ut evenire ſolet, ubi quiſque, quæ ſua ſunt, quærit: parum ſupereſt pauperibus erogandum. Immo, quod ſupereſt officiales in propriæ mercedis ſolutionem ſibi uſurpant. In Conventualibus ſiquidem Cœnobiis non gratis adminiſtrationis officia peraguntur, ſed ſtipendia exhibentur. Tenues vero iſtæ eleemoſinæ mirum in modum augerentur, Reformatione diſciplinæ introducta.

IX. Sexto inter Civitatum bona non infimum locum tenet juventutis educatio. Ab hac ſiquidem Civium tranquillitas, & felicitas tum ſpiritua-

lis tum temporalis mirum in modum pendet. Porrò an Religioſi vitæ Conventualis reipſa & morum exemplo, & litterarum cultu juvenum mentes imbuant, cœteri judicent. Reformati vero Religioſi, qui proximorum commodis ex inſtituto operam navant, ſcholas omnibus indiſcriminatim, & gratis aperiunt: & ſeverioris diſciplinæ exemplo, & morum honeſtate juvenum animos ad virtutis amorem excitant, & provocant, menteſque ſanioris doctrinæ pabulo reficiunt. Hæc omnia experientia manifeſta comperta ſunt.

X. Septimo. Ex Monaſtica obſervantia Civitates maximum illud habent beneficium, & ſpirituale, & temporale, quod in hujus mundanæ vitæ conflictationibus ad Cœnobia vitæ Regularis, veluti ex procelloſo mari ad portum confugiunt. Iſthic viros Dei inveniunt, qui eorum fluctuantes mentes prudentum conſiliorum lumine illuſtrant, qui piarum exhortationum efficacia animos recreant, & exhilarant, qui vacillantes confirmant, qui puſillanimes confortant, & per vitiorum prærupta aberrantes in ſemitam revocant ſalutis æternæ. Quorum beneficiorum vix ullum percipere valent ex Religioſis vitæ Conventualis.

XI. Octavo, Viſitationes infirmorum, frequens, & opportuna Sacramentorum adminiſtratio, Eccleſiarum cultus, Miſſarum ad populi commodum ordinata celebratio, & id genus plura, quæ regularis diſciplinæ fructus ſunt, non parvam utilitatem etiam temporalem, (ſpiritualis enim nimis patet) civitatibus afferunt.

XII. Nono, cum Principatus confinia dilatari contingunt, aut bellorum proſpero eventu, aut alio titulo, & nationes ſive barbaræ, ſive infideles ſub Chriſtianorum Principum imperio conſtituuntur: nonne ex ſolis reformatæ, aut obſervantis diſciplinæ Cœnobiis Religioſorum coloniæ deducuntur, qui novo ſolo euangelico ſemine ſubigendo inſudent, qui populos vitæ ſanctitate, & cœleſtis Doctrinæ prædicatione in Religionis cultu, & Principum obedientia contineant? Exempla cum vetera, tum recentia præſto adeſſent, ſi ea recenſere vellem. Collapſæ vero diſciplinæ amatores domeſticas commoditates, & delicias relinquere minime volunt: perferendis euangelicæ miſſionis laboribus, delicati cum ſint, inepti reperiuntur, & tandem, cum ſeipſos reformare recuſent, poteruntne alios reformare? Si ipſimet ſuis ſuperioribus ad meliorem frugem eos reducere conantibus obedire detrectant, nunquid obedientiam Principibus præſtandam populis ſuadere efficaciter poterunt?

XIII. Decimo collapſa diſciplina Monaſtica ſacra teſtamentorum jura violantur. Quis enim dixerit fideles reditus donaſſe iis Regularibus qui Regulam non ſervant? Ædificarunt illi Monaſteria, ut Dei cauſſam pertractarent, ut Religionis cultum promoverent, ut Civibus ſuis ſacra aſyla, quo, nuncium mundo remittere volentes, ſe ſe recipere poſſent Deo inſervituri, ut denique univerſo populo Paſtores, & Magiſtros darent, qui ſpiritualibus alimentis eum nutrirent. Sed an fruſtratæ ſint piæ vo-

lun-

Digitized by Google

luntates aliquorum & hæreditas ſancta converſa ſit in finem alium, judicet qui recte ſapit.

XIV. Ex quibus omnibus, ut ab hoc ultimo auſpicemur, Principibus, regibuſque incumbit pro viribus curam omnem adhibere, ut ſubditorum ſuorum legata juxta teſtatorum voluntates executioni fideliter demandentur. *Spectat ad Principem ordinare, providere, ſeu publicare, & ratificare quomodo bona immobilia, atque mobilia morientium debeant ad poſteros, aut propinquos devolvi in ſuo dominio*, inquit Dionyſius Carthuſianus (lib. 3. de Reg. Princip. cap. 4.) Ad Principes, Regeſque attinet, injuſtos poſſeſſores alienis bonis ſpoliare, atque pro ſuo modulo perficere ut juxta rectam ſanctamque dominorum conſtitutam legem applicentur. Porro an collapſæ diſciplinæ Religioſi jure poſſideant bona a piis fidelibus legata, ejuſdem diſciplinæ reparatæ cultoribus, audiamus Dionyſium Carthuſianum, qui hæc ſcribit (de ref. Mon. art. 6.) *Doctores Catholici fideliter probant, & dicunt: religioſæ perſonæ Regulam non ſervantes, ſed vitioſe viventes nihil juris habent in bonis Cœnobii, quæ deputata ſunt obſervantibus Regulam, & vitam vere religioſam ducentibus, non tranſgreſſoribus Regulæ. Ideo quidquid . . . . . . conſumunt, & in ſuos uſus convertunt de bonis clauſtri, hoc totum eſt furtum, ac ſacrilegium, ac rapina, & ad reſtitutionem tenentur.* Et quamvis ad reſtitutionem, quod attinet, diſſident Theologi, omnes tamen adfirmant, Principes, Reges, & Magiſtratus teneri operam ſuam præſtare, ſeu Pontificibus, Epiſcopis, & Prælatis Regularibus auxilium ferre, ut Cœnobia illa reformentur, ut ſubditorum ſuorum teſtamenta, & legata juxta piam, juſtam, legitimamque eorum intentionem, & voluntatem executioni demandentur. Præter quam quod obſtringuuntur Principes, & Reges ex proprii officii, ſeu ſupremæ præfecturæ debito ſubditorum felicitatem curare, & promovere. Relaxatio autem diſciplinæ Monaſticæ ſummopere hanc felicitatem perturbat & minuit; Civitatibus & Regnis ipſis graviſſima detrimenta infert: contra vero reformatio bonorum tum ſpiritualium, tum temporalium fœcunda eſt, ſcandala aufert, juvenes, & ſenes ædificat, Portus ſecurus eſt omnibus, qui ex mundi hujus tempeſtate conflictari illuc confugere volunt. Ergo lapidem omnem movere debent Principes, Reges, & Magiſtratus, ut hanc ſanctam regularis diſciplinæ reformationem in proprias Civitates, & Regna introducant.

Huic capiti finem imponunt tres celeberrimi Theologi Joannes Excuria, Magiſter Andreas, & Magiſter Paganus, in ſuo tractatu de reformatione ad Ducem Burgundiæ (3. p. art. 2.) *Principes præterea, & Domini temporales ſuccedunt fundatoribus Monaſteriorum tanquam Patroni, qui fundatores ſi reſurgerent, nulli dubium, conquererentur; ſuis in fundationibus non illius modi vivendi viris reditus aſſignaſſe: quibus fundatoribus, qui ſuccedunt in bonis nedum temporalibus; ſed in devotione, & ſancto propoſito tam Religioſo, ut Monaſteria talia, & tanta fundarent, & do-*

& dotarent, ſi reformationi, quoad mores hominum in eis viventium operam dederunt efficacem, ut noſtra quidem fert opinio, non minoris meriti ſunt apud Deum, quam fundatores ipſi, quibus ſuccedunt. In primis quidem bona facta laudantur. In ſecundis autem iſtud nedum, ſed mala cum hoc extirpata, propter quod præmia non parva merentur.

CAPUT XV.

Relaxatio diſciplinæ regularis eſt, & fuit occaſio interdum cænobia, & Religiones multiplicandi. Sola ejuſdem diſciplinæ reformatio hanc multiplicitatem ſi qua eſt impedire poteſt. In id ergo Principes, & Reges operam dare debent, ut hæc reformatio, cujus neceſſitatem omnes inclamant, invehatur in ſuas ditiones.

I. MEa haudquaquam intereſt judicium ferre, an Religiones nimium ſint multiplicatæ; immo, ut viam mihi ad veritatem abſque invidia manifeſtandam, aperiam, id in primis aſſero, quod Religiones propriam profeſſionem, & Regulam ſi obſervarent, ſi virtutis exemplo populis forent, non modo non ſuperfluerent, ſed cupienda magnopere foret earum propagatio, & multiplicatio. Quoniam, ut vidimus, non incommoda, & damna Civitatibus & Regnis, ſed maxima bona cum divina, tum terrena pariunt Religiones, quæ viam euangelicæ perfectionis vere percurrunt. Eorum itaque Religioſorum ſuperfluam multiplicitatem Civitatibus, & Regnis incommodam judicaremus qui a proprii inſtituti ſanctitate aberrantes; vitiis, otio, & mundi illecebris vacarent. Ac ut ad inſtitutum meum propius accedam, facile quiſque ſibi perſuadebit relaxationem Monaſticæ diſciplinæ occaſionem interdum fuiſſe Religiones multiplicandi, qui vel tantillum hiſtoriam monaſticam delibaverit. Relaxata ſiquidem primorum Religione Chriſtianorum, orta eſt diſciplina Monaſtica, defervente in Monachis caritatis fervore, in lucem prodiit diſciplina fratrum Mendicantium, & diſciplinæ mendicantium collapſæ ſucceſſit diſciplina Clericorum Regularium, & ſi iſtorum quoque prolaberetur, aliæ in dies prodirent Congregationes, niſi ad priſtinam diſciplinam revocentur Religiones illæ, quæ jam inſtitutæ ſunt.

II. Quæ omnia, ut evidentius pateant, lubet rem ab ovo repetitam perſtringere. Sublimem illam vitæ perfectionem, quam Chriſtus ipſe in Apoſtolico Collegio inſtituit, uſque ad ſæculorum conſummationem ſervare decrevit: non quidem ſemper vel in eadem hominum ſocietate, vel in eiſdem regionibus, ſed modo in una, modo in altera juxta ſuæ ſupremæ providentiæ Decreta. Ut enim ſuorum myſteriorum fidem, quam, pri-

primum promulgavit in Oriente, deinde in Occidente, poſtea a pluribus Chriſtianorum Regnis ablatam ad barbaras, diſſitaſque gentes duxit tremenda diſpoſitione transferendam: ita quoque euangelicæ perfectionis ſuæ diſciplinam, modo in hac, modo in illa Religioſorum Congregatione vigere diſpoſuit. Evolutis itaque duobus primis redemptionis noſtræ ſæculis, languente in chriſtiana ſocietate caritatis fervore, ii pauci, in quibus adhuc ſuccenſus erat, ne penitus extingueretur, ad ſpeluncas & deſerta confugerunt, ibique a mundi periculis, & tumultu avulſi domicilia fixerunt, & præcedentium malorum experientia edocti ad ſecuriorem ſanctitatis perennitatem, votorum ſolemni nuncupatione, aliarumque legum præſidiis eam munierunt, & roborarunt. En primam monaſticæ ſin inſtitutionis, certe propagationis occaſionem. In hac porro Monachorum ſocietate mirum in modum longo temporis ſpatio ſanctitas euangelica effulſit, non tamen ſemper eodem loci; ſed cum in uno Cœnobio ejus ſplendor remiſſionis umbra obducebatur, confeſtim in altero, veluti ſol renaſcens, clariores effundebat radios, & cum in una occidebat Provincia, in altera oriebatur. Ex quo poſtea tot Monachorum Congregationes, reformationes, diviſiones, & multiplicationes.

III. Poſtquam vero uſque ad ſæculum circiter duodecimum euangelicæ perfectionis imago in Monachorum cœtibus potiſſimum refulſit, iterum medium in mundum, unde prius abſceſſerat, Religioſorum mendicantium opera, regreditur. Et quia in apertis inimicorum caſtris expoſita validioribus armis opus habebat, reipſa ſeveriore paupertatis, pœnitentiæ, & humilitatis diſciplina circumſepta fuit: Immo adeo aſperum, unaque ſanctum vitæ genus aggreſſi ſunt recentes Chriſti commilitones, ut populi in admirationem acti, beatos reputarent ſe ſe, quoties, illis Cœnobia ſuis in Civitatibus ædificare poterant. Quis autem hic enarrare valet in quot remotiſſimis orbis Regionibus vexillum chriſtianæ crucis ſacri iſti Ordines explicuerint? Quot hæreſes profligaverint, quot fana diruerint, quot idola contriverint, quot ſchiſmata ſedaverint? quot triumphis, victoriis, palmiſque Jeſu Chriſti ſponſam ornaverint? Verum ut Medici non raro infirmorum, quos curant, contagio inficiuntur; ſic temporis tractu Religioſi mendicantes proximorum ſceleribus eluendis operam dantes, eorundem luem ipſimet omnes non evaſerunt, ſed ſenſim ſine ſenſu mundi contagium in aliqua eorum clauſtra invaſit. Verum Regularium diſciplina ultimam jacturam ſubiit circiter medietatem quartidecimi ſæculi, funeſtiſſima peſte univerſam devaſtante Europam, aliiſque ſchiſmatis, bellorumque concurrentibus cauſſis. Hinc inter ipſos Mendicantes reformationum varietas, & ejuſdem Religionis in alias Religiones multiplicatio, Hinc diviſiones, partitiones, factiones, & reformationum reformationes.

IV. Potiſſima autem occaſio multiplicandi tot alicubi cœnobia, fuit ſumma illa difficultas Conventuales Religioſos ad priſtinam reducendi formam. Qua de cauſſa pauci illi, qui avitæ ſanctitatis hæredes erant, e relaxa-

laxatis clauſtris pedem referre, & alio confugere coacti ſunt, ibique nova conſtruere cœnobia, in quibus priſtinæ diſciplinæ obſervantiam excolerent. Renaſcentis ſanctitatis ſplendore perſtricti quodammodo populorum oculi, nova Cœnobia ædificarunt; minime animadvertentes, quod potuiſſent collapſæ diſciplinæ clauſtra iſtis inhabitanda concedere, tedactis conventualis vitæ ſequacibus in pauca Cœnobia. Itaque ſi Civitates timent Religioſorum nimiam multitudinem, remedium præſto adeſt, nempe reformatio illorum Conventuum, qui jam erecti, & reditibus donati ſunt. Curent, ut Religioſi collapſæ diſciplinæ qui reformari nolunt in paucos Conventus redigantur, & vacua Cœnobia Religioſi ejuſdem Ordinis, ſi fieri poteſt, qui Regulam ſervant, vitamque profitentur revera regularem, impleant, & inhabitent. In his reformatis Cœnobiis dumtaxat juvenes recipiantur, & educentur, & brevi tempore erit unum ovile, & quaque diviſione ſublata, unus Paſtor. Hæc eſt ſola, & unica via, ut inquit Fagnanus, & manifeſta experientia conſtat, inſtaurandi integros Ordines. Hac invecta reformatione plures cenſus, qui juvenes ingredientes clauſtra, comitantur, in ſæculo remanebunt. Civitates miniſtris abundabunt, ſanctitate, zelo, & doctrina fulgentibus; qui Sacramenta adminiſtrent, qui infirmos viſitent, qui juvenes imbuant, qui peccantium corda emolliant, qui pro Principum, Regum, populorumque omnium ſalute juges fundant preces, Deoque ſacta faciant. Reputent ſecum, quaque anticipatione poſita, æqui æſtimatores rerum, quid commodi, aut ſpiritualis, aut temporalis Civitatibus adferrent Religioſi illi, qui, neglecta diſciplina Regulari, ſolutiorem ducerent vitam. Si qui tales forent, dubio procul reformandi eſſent, & ad ſuæ profeſſionis obſervantiam inducendi a Principibus Eccleſiaſticis & ſecularibus, ut optime explicat Joannes Excuria cum duobus aliis Magiſtris Andrea, & Pagano laudato, tractatu de reformatione (3. p. art. 2.) *Licet Religioſi non ſint a temporali poteſtate, ſeu a Diœceſanis, a quibus ſunt exempti, ordinarie judicabiles, tamen Domini temporales, & præcipue Principes, ſeu diœceſani Religioſos in Terris, & Dominiis ſuis ſecundum apparentiam exteriorem, notorie, & manifeſte Religionem ſuam non ſervantes, & præſertim, ſi ſubditos eorum laicos, nedum non ædificent ſancta converſatione, ſed, quod abſit, perverſis moribus ſcandalizent: Ex caritatis debito, prout cæteri cuncti, & magis propter connexionem temporalis poteſtatis ad Eccleſiaſticam indirecte ſaltem tenentur, propter bonum populi ſibi ſubjecti, reformationem eorum pro ſuo intereſſe diligenter, & efficaciter intendere. Eſt enim Principis, & maxime Catholici virtuoſos Cives facere, &, ne mali fiant impedire.*

C A-

CAPUT XVI.

Regum & Principum tum veteris, cum novi Teſtamenti qui Eccleſiaſticorum reformationem ardenti zelo promoverunt in ſuis Regnis, exempla promuntur.

I. EXempla, ut tritum fert proverbium, fortius, quam verba, movent. Idcirco poſt argumentorum explanationem, quæ apta ſunt Principes, Regeſque compellere ad reformationis opus aggrediendum, in rem meam fore cenſui, ſi ex innumeris exemplis, quæ inſtitutum noſtrum ſpectant, pauca perſtringerem. Quod, ut præſtem, a veteris teſtamenti ſanctiſſimis Regibus initium ſumam. David Rex Sanctus nihil antiquius habuit, quam ea omnia, quæ ad cultum divinum attinebant, recte diſponere, & Sacerdotali dignitate viros doctrina, & morum integritate ornatos inſignire, qui dies, noctesque in domo, ubi arcam locavit, juges preces Deo funderent. Ille primus fuit, qui in Dei domo duos pſallentium choros inſtituit, quem ſacrum ritum in diem hunc ſequitur ſancta Mater Eccleſia. Quæ pro Religionis reformatione, & amplificatione peregit, in ſecundo libro Regum, & in primo Paralipomenon ſcripta ſunt. Aſa Rex Juda David veſtigia preſſit, qui zelo cultus veri Dei ſuccenſus, fana, & idola contrivit, ac univerſo populo præcepit, ut uni Deo Iſrael tota mente, & corde obſequeretur, ut tertio Regum legitur. Joſaphat Aſæ filius Patris exempla ſequutus Levitas, & Sacerdotes in Lege verſatiſſimos per univerſas Regni ſui urbes miſit, ut Divinum cultum inſtaurarent, ſicuti videre licet in ſecundo libro Paralipomenon. Ezechias Rex Juda, ut Religionem a Patris ſui impietate Idolorum ſuperſtitione deformatam ad unius veri Dei cultum reſtitueret, a Sacerdorum reformatione auſpicatus eſt.

II. Veteris teſtamenti Sanctiſſimorum Regum præclara facinora Chriſtiani Principes ſanctitate inſignes æmulari ſunt. Poſſem iſthuc adferre Conſtantinos, Theodoſios, Juſtinianos, Carolum Magnum alioſque plurimos, qui Monachorum reformationem mirum in modum promovere. Verum hos omnes prætermittere lubet, ut propius ad tempora nobis viciniora accedam. Quoniam efficacius recentia, quam vetera geſta permovent. Relaxatis itaque mendicantibus, infauſta experientia didicerunt Civitates, Principes, Regeſque, atque periclitati ſunt bonorum jacturam, malorumque iliadem, quæ in eorum ditiones & Regna invaluere. Quæ mala, ut propulſarent, eoſdem regulares ad avitam obſervantiam ardenti zelo revocari curarunt. Tempus me deficeret, ſi omnium Principum, Regumque præclaros conatus in Mendicantium Ordinum reformationem ſigillatim enumerare vellem, Non abs re judico iſthuc tranſcribere, quæ nar-

narrant ſæpius laudatus Joannes Excuria in ſuo de reformatione tractatu (3. p. art. 2.)

III. *Hoc autem reſpectu tam per proviſionem Sedis Apoſtolicæ, quam per procurationem Principum, & Dominorum temporalium una cum voluntariis Religioſis in diverſis, & pene univerſis Chriſtianitatis finibus, omnes Religiones reformari cœperunt, puta in Dominiis Venetorum pene ubique, & per omnem Italiam. In Alamaniis, in quibus Abbatiæ uſque ad 60. ſe ſociarunt ſub eodem capitulo, ut ſibi mutuo in hac reformatione ſuccurrerent. Similiter Regulares B. Auguſtini jam ſe uſque ad 80. domos ſuas in Alamania ſub eodem capite reformarunt. Ordinis quoque noſtri in Provinciis Romaniæ, Lombardiæ, Hiſpaniæ, Aragoniæ, Theutoniæ, & Saxoniæ 200. vel circiter Conventus ſunt jam donante Domino reformati. Et reformatio quæ jam in terris veſtris Hollandiæ, & Flandriæ firmata eſt uſque ad Civitatem Magdeburgenſem, & Rooſterſem, & parte una in Alamania, & uſque ad Nantas in Britannia dilatata eſt. Si ergo ad omnes de quibus dictum eſt pertinet Religioſorum reformatio, maxime certe, & proximius obligantur Prælati eorundem Ordinum profeſſores, quibus expreſſe a Deo, & Eccleſia dictum eſt: Curam illius habe, & iterum: Anima tua pro anima illius erit.*

IV. Ad omnes igitur ex caritate: *Ad quoſcunque Prælatos deformatorum Religioſorum ex debito juſtitiæ de directo, & indirecte ſaltem ad omnem Dominum temporalem, ſive etiam ad Prælatos, quorum Diœceſes incolunt Religioſi non reformati pertinet hujuſmodi reformatio.*

V. Ex innumeris Principibus, Regibuſque Catholicis, qui reformandæ Monaſticæ Regularium diſciplinæ ſedulam navarunt operam, aliquos tantum obiter indicabo. In prima ſcriptione documenta, & ordines eorumdem Principum ſtudio, & protectione reformatos ſigillatim deſcripſeram. Sed quia ea eſt temporum infelicitas, ut vel ipſum reformationis nomen odioſum ſit, idcirco ſecundis curis ea, quæ ſcripſeram, recognoſcens, expediens duxi, & diplomata, quibus Principes reformationem modo impetrarunt a Pontificibus ſummis, modo ipſimet imperarunt, & ordines ipſos reformatos ſilentio prætetire, ut quaque invidia me liberarem. Principum nomina, & tempora, quibus reformatio peracta fuit, ſignabo, ut ſi quis plura hac de re ſcire velit, facile votorum compos fieri valeat.

VI. Itaque anno 1449. Franciſcus Foſcarus Venetæ Reipublicæ Dux una cum Civibus Veronenſibus ſupplicem libellum dedit Nicolao V. ut, pulſis deformatis Fratribus Cœnobii Veronenſis, fratres reformati ejuſdem Ordinis vacuum Cœnobium inhabitarent.

VII. Anno 1462. Caſimirus III. Poloniæ Rex nihil non egit, ut mendicantium Fratrum diſciplina in Conventibus, ubi collapſa erat, inſtauraretur. Anno 1470. Carolus Burgundiæ Dux in univerſum ſuum Principatum Regularium reformationem invexit.

VIII. Anno 1478. Auguſtiſſimus Imperator Fredericus III. aliique Principes

cipes ad ſacrorum Ordinum Generales litteras dederunt, ut collapſam in pluribus Provinciis Monaſticam diſciplinam ad priſtinam formam revocarent.

IX. Anno 1485. Antonius Campo (lib. 3. pag. 134.) hæc de civium Cremonenſium zelo pro reparatione diſciplinæ Regularis ſcribit: *Fratres Conventuales N. hoc tempore Cremona pulſi fuere eorumque Conventus Fratribus ejuſdem Ordinis de obſervantia datus fuit, quem in hunc diem poſſident.*

X. Anno 1491. Ferdinandus Siciliæ Rex Alexandrum VI. Pontificem Maximum rogavit, ut Fratres ſcientia, & ſanctitate inſigniores Neapolim mitteret ad renovandam Monaſticam diſciplinam in ſuo Regno collapſam. Piiſſimi Regis votis annuit Pontifex ſummus, illucque non parvam Religioſorum coloniam deſtinavit. Fauſtus reſpondit eventus Pontificis, & Regis conatibus. Quandoquidem confeſtim in plurimis Regni Cœnobiis refloruit obſervantia Regularis.

XI. Anno 1497. Carolus VIII. Francorum Rex ejuſdemque Regina Anna ab eodem Summo Pontifice Alexandro VI. Regularium Reformationem enixe petierunt, atque ſacrorum Ordinum Generales ſuis litteris incitarunt, ut ſubditorum Fratrum reformationi ſedulam navarent operam. Anno 1510. Franciſcus I. Galliarum Rex Senatui Mediolanenſi præcepit, ut ejuſdem Civitatis inſignis Cœnobii Reformationem incœptam ad finem perducere curaret. Anno 1557. aut circiter Coſimus Mediceus Magnus Hetruriæ Dux Paulum IV. Pontificem ſummum per ſuum Oratorem Romæ degentem ſollicitavit, ut auxilium impenderet in Fratrum Regularium reformationem, quam in ſuo ſtatu jam promovere incæperat.

XII. Anno 1568. Philippus II. Hiſpaniarum Monarcha, ut Mendicantium Ordinem potiſſimum reformaret a Sanctiſſimo Pontifice Pio V. opportuna remedia porrigi impetravit. Supplicatione vix accepta, Pontifex ſummus confeſtim Viſitatores, & Commiſſarios Apoſtolica auctoritate munitos illuc deſtinavit.

XIII. Ac tandem ut ad recentiora tempora noſtra dilabatur oratio, Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. Pontifici ſummo ſupplicem libellum dedit, ut Regularibus relaxatis omnibus in Galliarum Regno facultate acceptandi Novitios ad Religionem interdiceret, ſoliſque reformatis privilegium iſtud impertiretur. Hoc teſtatur Proſper Fagnanus (in 2. p. 3. Decr. cap. cum Virum. n. 50.) *Memini etiam Regem Chriſtianiſſimum ſuperioribus annis ſupplicaſſe S. D. N. ut in Regno Galliæ de cætero non veſtirentur Novitii. niſi in Religionibus in quibus vere ſervatur regularis diſciplina juxta primævum inſtitutum.*

XIV. Innumera alia Principum, Regum, & Imperatorum referre poſſem exempla, quibus pro regularium reformatione eorum zelum evincerem, & ſedulam vigilantiam: ſed quæ indicavimus ſufficiunt, tum ne præſtitutos brevitatis limites tranſgrediamur; tum vel maxime, quod Prin-

cipes, Regeſque, quorum præclaros in Regularis diſciplinæ reformationem conatus delibavimus, ſapientia ſingulari, & invicta fortitudine effulſerunt. Quin etiam principia politicæ ſcientiæ, ejuſque penitiora arcana, & regulas, ſi qui unquam alii, perquam optime caluerunt. Ex eorum itaque geſtis ediſcant Principes, Reſpublicæ, Regeſque omnes, nihil validius, nihil efficacius ad amplificandum Imperium, ad Throni majeſtatem augendam, ad ſubditorum felicitatem ſervandam, eorumque erga ſeipſos fidelitatem, obſequium, & obedientiam fovendam, atque ad propriam tum temporalem, tum æternam ſalutem comparandam; conducere, quam Religionis tuendæ, & promovendæ ſtudium, & ſollicitudo. Porro Religionis cultum promovere haudquaquam poſſunt, ſi Sacerdotes, ſi Religioſos illos tolerarent qui altaria ſceleribus contaminarent, qui vitæ diſſolutione ſancta profanarent, qui ſcandalis ſuis populorum pietatem, fidemque in ultimum diſcrimen adducerent. Ad Principes igitur, Regeſque etiam attinet, diſciplinam Monaſticam reformare, & Sacerdotes omnes ut per ſuos Prælatos in ſemitam revocentur ſuppetias ferre; eo quod iſti ſunt præcipui ſancti Dei Verbi Prædicatores, qui Religionis miniſteria obeunt, quorumve ſcandala majorem pariunt ruinam.

C A P U T XVII.

Sophiſmata, quibus fucum facere Principibus enituntur, non pauci ut eos a reformationis opere promovendo abducant.

I. Nullus dubito, quin Principes omnes nullum non moverent lapidem, ut regularium reformationem in Civitates ſibi ſubditas inveherent, ſi duo perſpecta ob oculos haberent: videlicet utilitatem ſummam cum temporalem, tum ſpiritualem, ac ſubinde debitum, quo ad id peragendum obſtringuuntur, & ſophiſmata, quibus, ut a tam præclaro facinore aggrediendo illos avocent, abutuntur nonnulli. Primum hactenus palam fecimus. Alterum nunc præſtabimus. Itaque in præſentia, paralogiſmos, quos Principum auribus, ad creandam reformationi invidiam, ingerunt non pauci homines diſpellemus. Ut autem omnia clarius enucleentur, ad diſtinctas propoſitiones revocabimus, ne quidpiam involutum, & implexum relinquamus; ad rem ergo.

SOPHISMA PRIMUM.

II. Reformatio novitas eſt, quæ publicam perturbat tranquillitatem. Reformatores vero homines ſunt, qui zelo, non ſecundum ſcientiam, ab-

abrepti, & æſtu ambitionis perciti ſus deque omnia miſcent, comprimendi itaque ſunt, & reformationis novitati obſiſtendum.

RESPONSUM.

III. Nihil hoc ſophiſmate frequentius, cum de reformatione ſermo recurrit: ſed nihil imbecillius objici poteſt; quippe ſi novitas omnis explodenda foret, nullum amplius Decretum, nulla lex, nulla deliberatio, nullum negotium, ne multa, nihil prorſus ullo in genere fieri poſſet. Ne autem quidpiam per exaggerationem a nobis dici autumetur, genuina reformationis notio animo reſolvenda eſt. Reformatio porro, de qua nunc, non aliud eſt, quam reſtitutio collapſæ obſervantiæ regularis ad priſtinam formam, quam regula præſcribit: ſeu, ut ad inſtitutum noſtrum clarius loquamur, reformare regulares, eſt eos reducere ad obſervanda vota, & regulas, quarum exequutionem Deo ſolemni ritu promiſerunt. Hæccene novitas appellanda? *Novitas* ergo erit, datæ fidei violatores ad promiſſa, & pacta ſervanda ſi adigantur? *Novitas* ergo erit a via veritatis aberrantes in ſemitas virtutis, ſi revocentur? *Novitas* ergo erit peccatorum ſanctificatio, infidelium converſio? Eo ergo delapſi ſumus, ut laxitatum abolitionem, *Novitatem* appellemus?

IV. Verum ne amplius his amphibologiis aliorum aures inficere quis valeat, omnis æquivocatio, quæ ſub hac *novitatis* voce latere poteſt, auferenda eſt. *Novitas* itaque alia bona, alia mala. Hæc legi, vel laudabili conſuetudini adverſatur: majorum ſtatuta elevat, ſanctioneſque optimas laceſſit, & ſubmovet. Contra, illa antiquarum Legum obſervantiam inſtaurat, Patrum regulas conculcatas ad primævum ſplendorem reſtituit, a vitiis ad honeſtatem revocat. Hanc autem *novitatem* Deus ipſe præcipit. *Serviamus in novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ*, inquit Apoſtolus (ad Roman. 7.) *Novitatem* converſationis, quam per reformationem in cœnobia relaxata invehere conamur, præſcribit Apoſtolus idem (1. ad Cor. 5.) *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio*. Novitatem quoque nominis inducit reformatio, & famæ, quam *Novitatem* promittit Deus (Iſai. 42.) *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit*. Denique eam vitæ *Novitatem* inducit reformatio, ad quam hortatur Paulus (ad Hebr. 10.) *Habentes itaque fiduciam in ſanguine ejus, qui initiavit vobis vitam novam*. Hæc eſt *Novitas*, quam reformatio parit.

V. Quoniam vero nihil eſt tam immaculatum, quod humana malitia in pravum ſenſum detorquere nequeat; hinc eſt, quod ut ſanctæ reformationi odium confletur, tetra ei nota affingitur illius *novitatis*, quæ antiqua jura convellere, & optimas præſcriptiones abolere machinatur: Ne multa. Reformatio, ſeu renovatio collapſæ diſciplinæ regularis

laris apud Magiſtratus, & Principes traduci ſolet ceu quædam nova ſecta; & Reformatores tanquam novatores, & publicæ tranquillitatis interturbatores deridentur. Ne autem illudi amplius ſibi patiantur homines callida *Novitatis* æquivocatione, Reformationis æmulos interrogent: An pecunias abjicere, an jejunia ſervare, an modeſte, & conſociari incedere, an ſilentia, & ſolitudinem colere quidpiam *Novitatis* redoleat, quod Patriarcharum Sanctorum Regulis, quod Monaſticæ perfectioni, quod votis illis, quæ labia eorum diſtinxerunt Deo, repugnet, adverſeturque? Placet iſthuc tranſcribere ſententiam Joannis Nyder Theologi celeberrimi, & Eugenii Papæ IV. ad Concilium Baſileenſe Legati, qui (tract. de reform. prim. part. cap. 5.) hæc habet. *Sciant tamen reformationis æmuli quod* Novitas, *cum a ſanctis Doctoribus vituperatur, importat aliquid, quod nec a ſacris approbatum eſt Scripturis, nec ab Eccleſiæ ſanctæ uſibus. Certum autem eſt, quod reformare mores ſecundum regulam, & ſtatuta per Eccleſiam approbata diutine, nihil mali, ſed majorem vivendi perfectionem importare dignoſcitur. Non ergo* Novum *eſt quod a ducentis annis ab his traditum eſt, & practicatum Patribus, quos tota ubique in vita, & Doctrina colit univerſalis Eccleſia. De ſingularitate pari modo ſe pandunt eſſe aut malevolos, aut ignorantiſſimos.*

SOPHISMA SECUNDUM.

VI. Reformatio non eſt opus ad ſalutem neceſſarium, ſed majoris dumtaxat perfectionis. Adeo auſteram vivendi methodum in noſtra Profeſſione minime Deo ſpopondimus. Quid ergo jugum, quod neque nos, neque Patres noſtri portaverunt, imponi nobis contenditur?

RESPONSUM.

VII. Fuſius hoc ſophiſma alias expoſuimus & iterum diſſertatione ultima ad incudem revocabimus, paucis nunc nos expediemus, & ea tantum delibabimus, quæ ad diſpellendum ſufficiant fucum omnem, quem cavillatio propoſita facere poſſet. Itaque de ea nobis in præſentia, reformatione, ſermo eſt, quæ eo unice ſpectat, ut proprietatis crimen, ut peculia voto paupertatis repugnantia aboleat, ut votorum, & Regulæ obſervantiam inſtauret. Sciant porro omnes, & firmiter teneant, Regulares huicce reformationi, quam legitimi Superiores imperant, reſiſtentes, non modo peccare mortaliter, non modo uno ictu duo vota paupertatis, & obedientiæ violare, ſed eſſe in ſtatu damnationis; quantum ex hujuſmodi reluctationis vi colligere fas eſt. Sciant hanc aſſertionem omnium Theologorum, authoritate, nemine uno diſcrepante, comprobari, quodque (Diſſertationibus 3. & 4.) oſtenſum eſt.

SO-

SOPHISMA TERTIUM.

Nemo propria domo invitus pelli debet. Qui ergo ſunt filii hujus; aut illius Cœnobii, nunquid alio abire debent?

RESPONSUM.

Cum aliquod Cœnobium reformandum eſt, primum omnium ſumma caritate illis Religioſis providendum eſt, qui in eodem commorantur. Si & ipſi Regulæ obſervantiam ſuſcipere velint, fraterno amore complectendi ſunt, illiſque animos adjicere debent, qui reformationem promovent, ut pium opus aggrediantur. Si econtrario Regulæ & legum obſervantiæ ſe ſubjicere nolint, tunc in aliis ejuſdem Religionis Conventibus aſſignandi ſunt, & ſi opus fuerit, penſionibus ex reditibus relicti Cœnobii decerpendis donandi erunt. In ſumma, tanta caritate tractandi ſunt, ut nullus illis locus pateat, quicquam jure, vel ad ſpeciem, adverſum reformationem opponendi. Quæ methodus ſi ſemper ſervata fuiſſet, feliciorem alicubi reformatio eventum habuiſſet. Affiliationes, quas vocant, inſtitutæ ſunt, ut certus Religioſorum numerus pro quolibet Conventu habeatur, & ne ultra vires Cœnobia multitudine graventur: Religioſus jus habet, ut in aliquo Conventu aſſignetur, nullum vero jus habet in hoc, aut illo commorandi. Quinimmo ex obedientiæ voto ibi tenetur domicilium figere, ubi Prælato ſuo expediens in Domino viſum fuerit. Alioquin nullum foret obedientiæ votum. Quod ſi omnibus caritatis officiis perſolutis reperirentur, qui opus ſanctum impedire tentarent, tunc exequendum eſſet quod ſcribit Doctiſſimus juxtaque piiſſimus *Paulus Nazarius* (opuſc. de reform. dub. 8. concl. 2.) *Ne igitur deformati, aut infatuati Prædicatores, Doctores, & Religioſi vitæ corruptæ pravitate cæteros perdant, expedit Eccleſiæ Dei, ut Summi Pontificis authoritate, cæteris Prælatis, ac ſæculi Principibus adjuvantibus, per ſingulos Ordinum Generales, Provinciales, Abbates, Priores, aut Guardianos, vel Rectores, aut Viſitatores, ad veram, legitimamque ſuarum Conſtitutionum obſervantiam revocentur, aut a Civitatibus, locis, Provinciis, & Regnis, ſi reformari noluerint, expellantur, ut in Regnis Hiſpaniæ temporibus noſtris juſſu prudentiſſimi, ac piiſſimi Regis Philippi ſecundi cum ſumma omnium bonorum laude factum eſt.*

Digitized by Google

DISSERTATIO SECUNDA,

DE METHODO SERVANDA in Reformationis executione.

PRÆLOQUIUM.

IN hac ſecunda, & ultima diſſertatione, invehendæ reformationis collapſæ diſciplinæ viam aperiam planiſſimam. Monaſticæ inſtitutionis reparatio altero ſub aſpectu difficultatem præfert graviſſimam, & animos deſpondendi momenta prodit. Verum altera ex parte, & ſpem ſecundi eventus excitat, & ad ſuſcipiendum facinus vires adjicit. Ne itaque præjudicatæ opiniones ab opere manum, animumque a conſilio revocent, hac diſſertatione eas indicabo regulas, quæ ſi executioni demandentur, haud eſt ambigendum, quin Diſciplina Monaſtica, ubi collapſa fuerit, reflorere debeat. Quæ hactenus dicta ſunt, ſuſcepti argumenti tractationi abſolute ſufficerent. Verum ſi executio rei ſpectetur, haudquaquam ſuperflua videbuntur, quæ explicaturi breviter ſumus. Quocumque tamen res evaſura ſit, de nimia malo prolixitate accuſari, quam in re ſummi momenti, quicquam eorum omittere, quæ ſternere quoquo modo viam poſſunt ad præſtitutum finem.

CAPUT PRIMUM.

Sub reformationis initium ſeverior, non mitior Regulæ, & Conſtitutionum obſervantia invehenda eſt.

I. QUiſque ſibi pro ingenio quamdam ſuæ profeſſionis obſervantiam fingit, ille rigorem, benignitatem iſte extollit. Exacta Regulæ, aliarumque conſtitutionum obſervantia, rigor, & ſeveritas nimia appellari ſolet, earumdem vero aut neglectus, aut frequens tranſgreſſio, benignitatis colore fucantur. Quapropter dicere & nos poſſumus, quod M. Porcius Cato aſſerit apud Salluſtium (de bell. Catil. c. 55.) *Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus; quia, bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia fortitudo vocatur.* Miſſis ergo variis hominum placitis cum aliquod Cœnobium reformandum ſuſcipitur, omnimoda Regulæ obſervantia introdu-

cen-

cenda eſt. Sic docet Nyder (tract. de ref. p. 2. cap. 15.) *An melius ſit reformationem laxe, vel rigide incipere? Quid reſpondendum ſit dubito. Quia ſi lente incipitur, & integra regula non obſervetur in reformationis exordio, experientia docente didicimus, vix poſſe poſtea unquam perfectam reformationem induci. Tam boni, quam mali, in quadam aſſueſiunt vivendi inertia, quam poſtea tollere eſt difficilius, quam graves in ſæculo convertere peccatores. Qui enim parva negligit, paulatim decidit, ſemperque poſtea ſic arguunt. In reformationis principio, & hactenus fuerunt patres litterati, ac Sancti, qui ad rigida hæc nos non arctaverunt. Cur ego jugum imponitis nobis, quod nec nos, nec Patres noſtri portare potuerunt? Et ſic modo auctoritatem talium, modo per præſcriptam conſuetudinem, modo naturæ fragilitatem, & multa alia objiciunt ſuperioribus, & diviſiones ſeminant. Sciunt hoc, qui abſtinentiam eſus carnium prohibitam in ſuo ordine, nunquam potuerunt obtinere in Monaſteriis alias reformatis, ubi in exordio reformationis hæc non fuerat introducta.*

II. *Si vero dixerimus rigide fore procedendum ab initio cum deformatis fratribus, opponerent multa argumenta ſupra poſita primo tractatu, & ſe coram Eccleſiaſticis, & ſæcularibus multum apparenter excuſare poterunt.* Hactenus Nyder, qui plurimis exemplis relatis a ſevera regulæ obſervantia reformationis initium ducendum eſſe contendit. Enimvero hanc methodum Deus ipſe ſervavit tum in lege naturæ primis parentibus data, tum in Lege ſcripta, ac in Lege Euangelica. Patriarchæ primi ſummo obſequio præceptis, quæ eorum cordibus Deus impreſſerat, paruerunt ſub initium, at temporis tractu, vix leve obedientiæ veſtigium apparuit. Legis Moſaicæ primordia, Religione pura, ac unius veri Dei cultu floruerunt. Sed progreſſus, & finis ſuperſtitione, ſacrilegiis, cæteriſque ſceleribus fœdatus fuit. Quid Euangelicæ legis initio ſanctius, quid purius, quid perfectius? Religionum quoque omnium aurora ſanctitatis radiis reſplenduit, ſed longiore intervallo ſol obſcuratus eſt, & vitiis permiſtæ virtutes ſunt. Quarum omnium viciſſitudinum, & mutationum fons eſt, & origo humanæ naturæ imbecillitas. Quid ſi vel ipſa ſeverior diſciplina temporis diuturnitate remiſſa, & poſtea laxa evadit? Quid ſi principio languida in lucem erumpat? Nonne quam citiſſime occidet? Experientia itaque, & ratio evincere videntur ut Monaſticæ reformationis initia ab exactiſſima Regulæ, & omnium legum obſervantia ducenda ſint.

CAPUT SECUNDUM.

A communis vitæ renovatione capere ſuum debet initium, Monaſticæ diſciplinæ reformatio.

I. UT ex capite ſuperiore colligere fas eſt, varia ſunt hominum placita in præfinienda Monaſticæ obſervantiæ forma, quam regularis diſciplinæ reformatores præſcribere debent in ipſo reformationis exordio. Verum, ut equidem arbitror, re mature expenſa, difficile admodum non erit, quid amplectendum ſit, decernere. Enimvero in cujuſque collabentis ædificii reparatione nulla ſecurior arripi via poteſt, quam ſi fundamenta, quibus eſt excitatum, reficiantur. Igitur Monaſticæ diſciplinæ baſes perſpiciendæ ſunt, & ſi læſæ fuerint, reparandæ, Primum autem, &, pene dixerim, unicum iſtius diſciplinæ fundamentum illud eſt, quod poſuit ipſe Chriſtus, voluntaria nempe paupertas. *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, & da pauperibus.* (Matt. 19.) Quæ paupertas in bonorum temporalium communione elucet, ut alias dictum eſt, & quo exactior eſt hæc bonorum permixtio, eo eſt Monaſtica paupertas perfectior. Porro iſta omnia evidentius patebunt, ſi finem in quem univerſa diſciplina Monaſtica refertur, ob oculos paululum reducamus. Is autem eſt perfectio caritatis, cujus ſuaviſſimis vinculis, ſinguli Religioſi invicem, & omnes Deo devinciuntur. Hanc vero Cœleſtem, divinamque cordium agglutinationem terrenarum rerum communio fovet, alit, & cumulate perficit. Firmamentum quippe caritatis, inquit Auguſtinus, eſt, diminutio cupiditatis, & voluntaria divitiarum abdicatio convellit, nedum abſcindit cupiditatis radicem. Igitur ut ſublime reformationis ædificium conſiſtere, & altius aſſurgere poſſit, ejus fundamenta inſtauranda, & inconcuſſa firmitate roboranda ſunt.

II. Non eſt ergo, quod anceps hæreat, unde exordium reformationis ducere debeat regularis diſciplinæ inſtaurator. Imitetur agricolas, qui in vinearum repaſtinatione huic maxime dant operam, ut plantarum radices irrigentur, & dilatentur, quibus virentibus, minime dubitant, quin arbores, & folia expanſuræ ſint, & fructus edituræ ſuaves. Altius itaque in Cœnobitico agro communitatis apoſtolicæ radicem defigant reformatores, hanc toto ſtudio irrigent, hanc excolant, hanc dilatare conentur, & de proſpero ſucceſſu, ac de ubere reformationis proventu haudquaquam diffidant. Non ergo in primo iſtius perardui negotii aggreſſu ſolliciti ſint, aut de veſtium aſperitate, aut de ciborum abſtinentia, aut de jejuniorum ſeveritate. Quoniam hoc eſſet mentem torquere in ornamentis domus captandis, cum diruta fundamenta ruinam minantur. Exteriores auſteritates paululum remittendæ ſunt, ut intima, & totius

ope-

operis baſes firmius ſtabiliri valeant. Ob oculos enim habendum eſt Salomonis monitum. *Qui nimis emungit, exprimit ſanguinem* (Prov. 30.) Eo vel maxime, quod quamvis exacta foret harum omnium auſteritatum obſervantia, communitate ſublata, diſciplina Monaſtica, ceu vitis frondoſa abſque ulmo humi reperet, & brevi penitus areſceret. Quare mirari ſatis non ſubit plurium lacrymabilem conditionem, qui corporis nuditatem perferunt, & veſtium hirſutam duritiem, ſimul tamen pecuniarum crumenam lateri hærentem habent. Quid enim proſunt exteriores iſtæ corporis conflictationes: cum rerum communitate ablata, & peculiorum abuſu graſſante, Religio non eſt Religio, non ſchola Euangelicæ perfectionis, ſed malorum ſentina, & damnationis occaſio? Contra vero, communitate bonorum florente, Cœnobia ſunt pulcherrima viridaria ſuaviſſimum honeſtatis, & puritatis odorem perſlantia, ſunt omnigenarum virtutum ſeminaria, ſunt limpidiſſimi, perenneſque fontes aquas effundentes ſalubertimas in vitam æternam ſalientes.

III. Hinc eſt, quod Concilium Tridentinum methodum reformationis regularium præſcribens votorum obſervantiam, maxime vero communis vitæ renovandam ſummopere jubet (Seſſ. 25. cap. 1.) *Præcipit ut omnes regulares, tam viri, quam mulieres ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant, & componant, atque in primis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam, necnon ad communem vitam, victum, & veſtitum conſervanda, pertinentia, fideliter obſervent.* Idipſum præcipiunt Pontifices ſummi, & omnes cum ſacrorum Ordinum inſtitutores, tum diſciplinæ collapſæ reformatores qui omnium primum bonorum communitatem invexerunt. In corporum auſteritatibus definiendis alii ſeveriores, alii blandiores extiterunt. Verum ad communem vitam quod attinet, ſummum rigoris apicem æmulati ſunt omnes Religionum fundatores optime præcognoſcentes, quod hac firmiſſima baſi præjacta, quod ſupereſt, ædificium, faciliime aſſurgeret. Paupertatem ſiquidem caſtitas conſequitur, & caſtitatem obedientia. Votorum autem obſervantia, ceu arbor fœcunda ſuapte natura cæteros parit regularis diſciplinæ fructus, & difficillimam efficit Regulæ, & Conſtitutionum violationem. Quid? An in nimio, vanoque veſtium ornatu peccabunt Religioſi, quibus de communi veſtiario omnia ſuppeditantur? Quomodo lineis uti poterunt, ſi lanea porriguntur? Quare ſibi vertere debent ſuperiores illi, qui lamentantur, Religioſos ſuos lineis ad carnes uti, & nimiæ ſubtilitatis veſtes induere, cum illi in cauſſa ſint, quoniam, ſi pecuniæ loco, quam contra Regulam, contra vota, ſubditis conferunt, veſtes, ut tenentur, ſubminiſtrarent, lamentationis ratio evaneſceret. Sed de hoc alias. Ad noſtra regrediamur, proprietate, ſeu ut ajunt, pecuniæ appropriatione pulſa, omnis relaxationis radix amputata eſt. Stet igitur refor-

matorum cuique firma ſententia, a rerum exactiſſima communitate, cujuſque vel minimi peculii vacua reformationis facinus aggrediendum eſſe. Hanc ipſam viam inimus, cum devios ab euangelica ſemita ad meliorem frugem revocare ſtudemus. Primum ſcelerum ſordes abſtergimus, præceptorumque obſervantiam inculcamus: deinde cœterarum virtutum exercitia ſuademus. Hæc eſt omnium Theologorum concors ſententia. Brevitatis gratia hic duntaxat ſubjiciam, quæ ſcribit Joannes Nyder (de ref. tract. 2. cap. 21.) *Secundum eſt, ut per ea, quæ cadunt ſub profeſſione principaliter inchoetur, videlicet per eradicationem vitiorum mortalium, & per fundationem trium votorum Religionis principalium, obedientiam, caſtitatem, & paupertatem voluntariam potiſſime. Nam ubi rerum pura communitas non ſervatur, vix ſpes de profectu reformationis ſperari poteſt. Qua communitate rerum adepta omnes pene aditus vitiorum præcludi valent. Proprietate vero, vel ut inquiunt appropriatis, & perſonalibus rerum relictis, ſtatim omnes fere vitiorum aditus obſtrui poſſunt. Non enim, quis ſuperbia veſtium laſcivire poteſt, cum a veſtiario ſolum veſtis miniſtratur regularis. Avaritia tunc habere locum vix poteſt, cui fomentum pecuniæ ſubtractum eſt. Ad fœminas nec tantus acceſſus, nec carnis lapſus habetur, quando eis nullum æris datur pretium. Commeſſationes, & ebrietatis materiam cibus ſubtrahit refectorii, cum nulla aliunde reſtat via procurandi lautiora. Diſcurſus etiam extra Monaſterium, ex quibus multa poſſunt ſequi mala, faciliter reſtringuntur. Quia ille nihil poteſt allegare rationabiliter petendo licentiam exitus, cui omnia in Monaſterio largiuntur. Permiſſis autem propriis, & appropriatis, e diverſo vix aliquid obſervantiæ nutriri poteſt, niſi ſpecie tenus. Hunc modum principalia eradicandi vitia in reformationis exordio ſemper habuiſſe leguntur olim Patriarchæ, Judices, & Prophetæ.*

IV. Accedit, quod nemo valeat hanc reformationem, quæ in communis vitæ renovatione ſita eſt, cujuſquam auſteritatis accuſare, cum nihil commodius ſit humanæ naturæ, quam alterius induſtria, & ſervitute victum, & veſtitum præſto habere, & quacunque terrenarum rerum cura poſita, omnia poſſidere: Nec auſint eam reſpuere, velut quippiam majoris perfectionis, & decentiæ: quoniam manifeſtum, exploratumque eſt communitatem bonorum, vel ad eſſentiam, vel ad ſubſtantiam voti paupertatis Monaſticæ pertinere: ita ut in omnium Theologorum ſententia illius obſervantia neceſſaria ſit ad æternam ſalutem aſſequendam, impedimento naturalis neceſſitatis ſublato, vitæ ſuſtentandæ: quando videlicet de communi neceſſaria non ſubminiſtrantur.

C A-

CAPUT TERTIUM.

Religio collapſa tota ſimul reformari minime valet. A particularibus Cœnobiis incipiendum, & de uno in aliud ſeria progreſſione dilatanda eſt reformatio.

I. CHriſtus univerſum Mundum renovaturus de Cœlis in terram deſcendit, & a paucis hominibus exorſus eſt, ac in uno Judææ Regno Legem ſuam prædicare incæpit, in omnes mundi oras poſtea per ſuos Apoſtolos promulgandam. Patriarchæ ſacrorum Ordinum inſtitutores, non omnia Cœnobia ſimul, ſed longo temporis tractu ea ædificarunt: quem progreſſum natura ipſa ſervat, quæ in rerum generatione a parvis ad magna gradum facit, & eo eſt tardior, & circumſpectior, quo majus eſt opus, quod molitur. Reparatio autem ipſa generatione difficilior cum ſit, majorem quoque providentiam, majuſque ſtudium, & conſilium expoſcit.

II. Extremam difficultatem, & pene dixerim impoſſibilitatem Religionem aliquam totam ſimul reformandi, duo, cœteris prætermiſſis, maxime evincunt. Primum eſt operariorum penuria. Quanquam enim meſſis abundans foret, operarii tamen pauciſſimi ſunt. Cœterum nunc temporis, & meſſorum, & ſegetis ad meſſem albæ inopia laboramus. Et ad primum quod attinet, tam ſummæ arduitatis eſt regularis diſciplinæ reformatio, ut niſi per viros exquiſita prudentia, dexteritate, ſapientia, & ſanctitate præditos fieri nullo modo poſſit: Revolvantur omnis retro antiquitatis monumenta, & nulla, vel inſtituta, aut reformata Religio occurret, niſi ſanctorum virorum opera. Iſtorum vero uſque adeo exiguus hodie numerus eſt, ut illud impletum eſſe videatur. *Clauſi quoque defecerunt, reſiduique conſumpti ſunt* (Deut. 32.) Et aliud Prophetæ Regis. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum* (Pſalm. 13.) Quod non eo intelligi velim, quaſi omnes viri ſancti defecerint de domibus noſtris, ſed paucitas duntaxat indicatur. Singulis porro Cœnobiis reformandis Prælati, & Miniſtri præfici debent, qui ſanctitatis exemplo aliis præire, eoſque prudentiæ, & auctoritatis fræno moderari valeant. Itaque cum in quaque Religione collapſæ diſciplinæ plurimi ſint Conventus reformandi, & reformatores idonei pauciſſimi reperiantur, plane conficitur totam Religionem ſimul reformari minime poſſe. Alterum quoque accedit impedimentum, illudque præcipuum, quod difficillimum ſit invenire Religioſos, qui reformationem libere, & ſponte ſuſcipere velint. Licet enim jure cogi poſſint, ut promiſſis ſtent, vota, regulamque, quarum obſervantiam Deo ſpoponderunt,

reipſa exequantur; Id tamen expediens nunquam viſum fuit, cum, quod nil violentum diuturnum, tum, quod coactas victimas Deus ipſe dedignatur. Cogi poſſunt, & debent, quod reformationem reſpuentes Cœnobia evacuent, alioque ſe conferant, ut locus pateat aliis, qui ſpiritu Dei acti reformari cupiunt. Sed eos cogere, quod inviti viam virtutis, & regularis obſervantiæ ineant, eſt operam ludere, & latera lavare. Auſim dicere, quod nec ipſi Religionum Sanctiſſimi Patriarchæ in vitam hanc mortalem ſi revocarentur, valerent ſuos reformare omnes Religioſos ſemel ab obſervantia regulari collapſos. Communis eſt Patrum, Theologorumque ſententia, faciliorem eſſe, & infidelium ad fidem & peccatorum ad pœnitentiam tranſitum, quam regularium vitæ Conventualis ad Monaſticam obſervantiam. Audire non pigeat Joannem Caſſianum (collatione quarta cap. 19.) *Nam qui ſemel, ut diximus, tepido exorſus initio Monachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen humilitate, ac fervore, quo debuit iter hujus profeſſionis arripuit, infectus ſemel hac miſerabili lue, & in ea quodam modo reſolutus, nec ex ſe ulterius perfecta ſapere, nec ab aliis poterit Monachis erudiri. Dicit enim in corde ſuo ſecundum illam Domini ſententiam. Quia dives ſum, & locuples, & nullius egeo. Cui illud quoque, quod ſubſequitur, & conſequenter aptabitur. Tu autem es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. In eo etiam factus ſæculari deterior, quod nec miſerum ſe, nec cæcum, aut nudum, aut emendatione dignum, vel egere monitis alicujus aut inſtitutione cognoſcit, & ob hoc nec exhortationem quidem ullam verbi ſalutaris admittit, non intelligens ipſo Monachi ſe nomine prægravari, ac deprimi opinione cunctorum, qua dum creditur ab omnibus ſanctus, & velut Dei famulus colitur, neceſſe eſt, ut in futuro vehementiori judicio, pœnæque ſubdatur. Poſtremo quid diutius immoramur in his, quæ nobis experimento comperta ſunt, ac probata? Frequenter enim vidimus de frigidis, atque carnalibus, ideſt ſæcularibus, ac paganis ad ſpiritualem perveniſſe fervorem, de tepidis, atque animalibus omnino non vidimus. Quos etiam per Prophetam ita legimus Dominum deteſtari, ut ſpiritualibus viris, atque Doctoribus præcipiatur, ut ab eis monendis, docendiſque diſcedant, & nequaquam velut in ſterili, atque infructuoſa terra noxiiſque ſenſibus occupata, ſemen verbi ſalutaris expendant. Sed ut contemnentes eam, novam potius excolant terram, ideſt: ergà paganos, ac ſæculares omnem doctrinæ culturam, ac verbi transferant ſalutaris inſtantiam, quod ita legitur. Hæc dicit Dominus viro Juda, & habitatoribus Hieruſalem. Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* (Hier. 4.)

CA-

CAPUT QUARTUM.

Regularis diſciplinæ reformatio promoveri debet in Capitulis Generalibus, quæ Superiores ſtatutis temporibus celebrare tenentur.

I. IN quolibet regimine, ſive civili, ſive Eccleſiaſtico frequentia ſeniorum comitia pro communi Reipublicæ bono convocari præcipiuntur. Ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſartam tectam tuendam Concilia Generalia, Provincialia & Diœceſana ſunt inſtituta, quæ ad noſtram diſputationem, cum non attineant, prætermittimus; & ad debitum diſcutiendum, quo ordines Generales obſtringuuntur ad Capitula Generalia celebranda, noſtra pergit oratio. Porro omnes ad unum Sacrorum Ordinum inſtitutores hæc comitia fieri præcipiunt: id duntaxat diſcriminis eſt, quod Religionum aliquæ quotannis, ut infra dicemus, aliæ communiter ſingulis trienniis ex inſtituto ad eadem convocanda tenentur. Hujuſmodi autem Capitula adeo utilia, adeo neceſſaria ſunt, ut iiſdem ceu ſuis firmis cardinibus volvatur Monaſtica diſciplina, iiſque ſubmotis, corruat, & in præceps ruat, neceſſe eſt. Sunt enim ſacra comitia validiſſima antidota adverſus mortifera zizaniorum ſemina, quæ ex agro Monaſtico, niſi evellantur, vepres, ſenteſque pariunt, omne triticum ſuffocantes. Sunt inſtrumenta aptiſſima ad convellendas abuſiones in dies gliſcentes, quæ tractu temporis in ſcandalum, extremamque perniciem deſinunt, niſi, data opportunitate, radicitus averruncentur. Sunt Divina pharmaca ægris, & bene valentibus conſentanea. Hi ſunt, aliique uberrimi fructus, qui ex Generalibus Capitulis proficiſcuntur, quæ, quoniam univerſæ Religionis majeſtatem, & auctoritatem præferunt, ſumma pollent efficacia, cum ad promovendam florentem, tum ad revocandam collapſam Monaſticam diſciplinam.

II. Accedit præterea altera, & potiſſima cauſſa, ob quam hæc præſcribuntur Capitula: inquiſitio videlicet in mores, & Generalium, & Provincialium. In his duntaxat comitiis Sacrorum Ordinum Hierarchæ proprii regiminis, & adminiſtrationis cum ſpiritualis, tum temporalis rationem reddunt, & eorundem ſociorum geſta, ac univerſæ curiæ mores in examen vocantur. Quæ omnia quantum ad optimam Religionis gubernationem, quantum ad ejuſdem felicitatis progreſſionem, & incrementum conducant, nemo non videt: quemadmodum econtrario extrema mala, quæ iis neglectis conſequuntur, nimis pervia ſunt, & explorata. Hinc ſponte fluit poſitionis noſtræ conſectarium, graviſſime nempe peccare Generales, qui hæc comitia celebrare, ſtatutis a lege temporibus, omittunt. Quandoquidem ſi graviter delinquunt, ipſis benignioribus

Theo-

Digitized by Google

Theologis adfirmantibus, Prælati Regulares, qui vel minimam conſtitutionem in deſuetudinem abire permittunt: Cujus criminis rei evaderent, ſi graviſſimam celebrandorum legem comitiorum ipſi palam transgrederentur? Peccarent profectò, graviſſimeque peccarent, tum in Commune Religionis bonum, quod maximum ſubiret detrimentum, tum contra proprii officii debitum. Peccarent, quod prævaricatores ſui miniſterii efficerentur, quod ſacrarum legum depoſitum ſibi concreditum non cuſtodirent. Graviſſimum denique perpetrarent ſcandalum. Siquidem Religioſi ſuos intuentes Generales primos diſciplinæ regularis cardines evertentes, quive præcipuas leges flocci facerent, qui ſua ubique commoda quærerent, anſam inde arriperent, & ipſi cæteras violandi leges, & ſuperiori imperanti obſervantiam reſpondendi: *Medice cura te ipſum*. Peccarent etiam, quod præceptum violarent Conciliorum, quorum duo duntaxat brevitatis gratiam referam.

III. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum hoc edidit Decretum quod habetur (in 3. Dec. cap. in ſingulis de ſtat. Monach.) *Fiat de triennio in triennium . . . Commune Capitulum abbatum, atque priorum abbates proprios non habentium, qui non conſueverunt tale capitulum celebrare, ad quod univerſi conveniant, præpeditionem canonicam non habentes . . . Hujuſmodi vero capitulum aliquot certis diebus continue juxta morem Ciſtercienſis Ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis, & obſervantia regulari.*

IV. Iſtius Concilii menti adhærens Synodus Tridentina, (Seſſ. 25. c. 1. de ref. regul.) hæc ſtatuit: *Omniſque cura, & diligentia a ſuperioribus adhibeatur tam in capitulis generalibus, & Provincialibus, quam in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur: cum compertum ſit, ab eis non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ baſes ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium, neceſſe eſt.*

V. Plura alia Conciliorum Decreta referre poſſem, ſi opus eſſet, ſed nolo veritatem manifeſtam prolixiore diſputatione in diſcrimen adducere contentionis. Præterquam quòd non modo Conciliorum Decreta, non modo rationum momenta, quæ dedimus, evincunt Sacrorum Ordinum Generales uno ictu jus naturale, Divinum, & Canonicum tranſgredi, cum Religionis ſibi concreditæ bono proſpicere negligerent, & opportuna Capitulorum remedia ingruentibus malis apponere crudeliter recuſarent; verum etiam auctoritas omnium Theologorum, qui hac de re ſcripſere, idipſum confirmat, mortaliter ſcilicet illos peccare. Ex pluribus unum allegare ſufficiat Rodericum (tom. 3. q. 47. art. 2.) *Capitula Generalia*, inquit, *ſunt præcipue congreganda, ut de reformatione Religionis agatur, & obſervantiarum regularium omni modo cura habeatur, & de correctione morum, necnon de controverſiarum deciſione, & determinatione . . .*

Hæc

Hæc enim facere negligentes, in præfatis Capitulis, ego non poſſum a peccato mortali liberare.

VI. Confirmat hæc omnia venerabilis Humbertus de Romans quintus Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis non minus ſapientia, quam pietate præſtantiſſimus. (Iſ. tract. 2. de mod. prompt. cud. ſer. cap. 5.) qui tractatus inſertus habetur (tom. 25. Biblioth. PP.) amaris lachrymis deflet oſcitantiam earum Religionum, quæ hanc comitiorum convocationem prætermittunt, vel minus digne eadem celebrant. In rem eſſe cenſeo integrum ejus ſermonem, paucis omiſſis, iſthuc tranſcribere.

VII. *Noto, quod ſunt quidam Religioſi, qui licet habeant plura membra, tamen nunquam faciunt aliquam congregationem ad tractandum de bono communi contra quod dicitur* (1. Machab. 8.) *Romani quotidie conſulebant trecentos viginti, concilium agentes ſemper de multitudine, ut quæ digna ſunt, gerant. O mira fatuitas! Romani tractant quotidie per ſapientes congregatos de bono communi, & hoc idem obſervant Italici. Sed iſti Religioſi ſemel in anno, vel duobus, vel pluribus annis, non congregant aliquos ad tractandum de bono ſtatus ſui. Alii ſunt, qui etſi quandoque congregantur ad capitulum, tamen ibi nihil faciunt, niſi comedere, & bibere lautius, & invicem ſolatiari, ut feſtum aliquod ſolemniter celebrantes, de qua Congregatione dicitur* (Job 15.) Congregatio Hypocritæ ſterilis eſt. *Religio enim Hypocritarum eſt ſterilis, quæ nihil habet, niſi habitum, & apparentiam quandam exteriorem. Sic iſti in ſuis Congregationibus nihil faciunt boni, & ideo bene dicitur ſterilis. Alii ſunt qui in eiſdem Congregationibus aliquid boni faciunt, quo ad utilitatem temporalium exigendo rationem de debitis prioratuum, & hujuſmodi: tamen de ſpiritualibus parum, aut nihil curant. Si perit aliqua poſſeſſiuncula, tractatur diligenter, quomodo conſervetur, ſed ſi perit Religio, non curatur. Si Tyrannus diripit bona Eccleſiæ, ſtatim excogitatur conſilium contra eum, ſed Diabolus diripit animas fratrum per loca diverſa, & non opponitur aliquod remedium.*

Item interdum accidit, quod in hujuſmodi Congregationibus fiunt multi exceſſus in cibis, in potibus, in lectiſterniis, & in multis levitatibus, & in inceſſu, in ſtatu, in habitu, & in aliis motibus, ultra quam deceat ſanctitatem talium virorum. Unde multi magni viri, qui ibi conveniunt cauſſa ædificationis, offenduntur, & ſcandalizantur, & ſtatus hujuſmodi Religioſorum vituperantur contra quod (2. Corinth. 6.) Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur Miniſterium noſtrum, ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros. *Item contingit, quod aliqui non ambulantes ſecundum caritatem intendunt aliqua procurare in hujuſmodi capitulis in confuſionem, & vindictam aliorum, vel aliquid aliud minus bene facere. Præterea contingit interdum quod illi, qui ſunt de corpore capituli, ſunt minus idonei propter defectum diſcretionis, vel zeli, vel auctoritatis & hujuſmodi, quod eſt valde indecens, cum ad*

eos pertineat majora negotia pertractare, contra quod (2. ad Timoth. 2.) Quæ audiſti a me commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt. *Item aliquando ſunt inter ipſos diſcoli, & alios perturbantes, quod debet eſſe longe a Congregationibus.* (1. Corinth. 11.) Si quis videtur contentioſus: non talem conſuetudinem nos habemus, nec Eccleſia Dei, quæ eſt congregatio bonorum. *Item aliquando ſunt inter ipſos aliqui, qui neglectis aliorum commodis, ſolum ſuis, vel ſuorum negotiis procurandis dant operam, & ideo in electionibus, & in aliis hujuſmodi declinant ad illos, quos favorabiles ſibi forte reputant, contra quod* (1. Corinth. 10.) Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius... *Item interdum ſtatuta, & ordinationes alias contra futura mala minus directe faciunt; facientes hujuſmodi quandoque in nimia multitudine, quandoque in nimia paucitate, quandoque ex cauſſis minus rationabilibus, & hujuſmodi. Et hoc quia nimis audacter, & ſine diligentia hoc faciunt. Contra quod* (2. Par. 19.) *dicitur judicibus.* Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. *Item quandoque in petitionibus ſibi factis, ſive ab intrinſecis, ſive ab extrinſecis minus ſe exhibent favorabiles, in his quæ commode fieri poſſent multos repellentes, & ſcandalizantes: contra quod* (Luc. 6.) Omni petenti te tribue.... *Et nota quod in illis Religioſis, qui nunquam congregantur pro Capitulo vel qui congregantur, & non accipiunt aliquod conſilium, vel qui non accipiunt de ſpiritualibus, non invenitur materia laudandi Deum.*

CAPUT QUINTUM.

Ad Reformationis progreſſum, & diuturnam ſtabilitatem neceſſaria omnino eſt reformatorum a non reformatis ſeparatio.

I. INtegram Religionem, aut Provinciam aliquam ab obſervantia regulari collapſam, ſimul, eodemque tempore reformari, citra miraculum, vix ſperari fas eſt, ut ſupra vidimus, ubi difficultatis momenta dedimus. Ab uno itaque, vel altero Cœnobio auſpicandum eſt. Et ne dum reformatores ædificant, alii deſtruant, ſtatim ſeparatio fieri debet. Reformati a Provincialium collapſæ diſciplinæ juriſdictione eximendi ſunt, atque nullo intercedente medio Generalis Poteſtati ſubjiciendi. Si enim modicum fermentum totam, cui injicitur, maſſam corrumpit, quid, ſi univerſa maſſa relaxationis fermento infecta jam ſit, timendum non erit? Separationem hanc multis vellicant argutationibus non pauci, eamque traducunt veluti Ordinis unitati infeſtam. Quod inane commentum infra profligabimus. In præſentia enim paucis oſtendemus iſtius ſeparationis neceſſitatem, quæ alioquin ex ſe ſatis ſuperque liquet, eo quod natura ipſa vitioſum a ſano ſecernit. Qui enim exacte Regulam ſervare ſtudent, in cibo.

bo, veſte, inceſſu, ſermone diſſimiles omnino ſunt ab illis qui a regulari obſervantia deflectunt. Porro Prælati vi propriæ dignitatis obſtricti ſunt verbo & exemplo ſubditis ſuis Regulæ, & Conſtitutionum obſervantiam ſuadere, atque inculcare. Quomodo autem id præſtare poſſent, qui Regulam & Conſtitutiones reipſa negligerent? An paupertatis, ſilentii, pœnitentiæ, & ſolitudinis cultum feliciter promovere apti eſſent illi, qui contrariam vivendi conſuetudinem profiterentur? Optandum ſummopere eſſet, ut abſque ullo mutuæ ſeparationis veſtigio univerſa collapſa diſciplina ad priſtinum ſplendorem revocari poſſet; verum ſi tota inſtaurari nequit, proptereane ab inceptis omnino deſiſtendum erit? Qui regiminis unitatem amant, morum quoque congruentiam, & ſimilitudinem vigere curent. Nec enim ſpes ulla affulget, ut ex unione ii, qui remiſſioris ſunt diſciplinæ aſſueti, ſeveriorem amplectantur vivendi formam, ſed contrario facilius accideret.

II. Hinc eſt, quod nil frequentius Scriptura Sancta inculcet, quam illorum fugam, qui violandæ legis aliis occaſionem injiciunt. ***Per hanc enim occaſionem avertent filii veſtri filios veſtros a timore Domini.*** (Joſue cap. 22.) Quamobrem Iſaias clamat (cap. 52.) ***Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus.*** Et Jeremias ſubdit (cap. 8.) ***Fugite, & ſalvate animas veſtras.*** Quam in rem optime Hieronymus (Epiſt. 47.) ***Quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habeas quotidie aut perire, aut vincere?*** In hac periculorum fuga paſſionum noſtrarum victoriam collocat Auguſtinus. ***In occaſione peccandi apprehende fugam, ſi vis invenire victoriam.*** Rationem exhibet Seneca (epiſt. 7.) Neceſſe eſt, aut imiteris, aut oderis: utrumque vitandum eſt, ne vel ſimilis malis fias, quia multi ſunt, neve inimicus multis quia diſſimiles ſunt.

III. Concludamus igitur in reformationis negotio eam tenendam eſſe metodum, quam ſemper omnes ſacrorum Ordinum reformatores obſervarunt. Sic docet Joannes Excuria in ſuo de reformatione tractatu (3. par. art. 2.) " Licet enim Provinciales poſſint, immo jure ſui officii obligentur, ut ſuos reforment ſubditos, & cæteris paribus in integritate obſervantiæ, ac Religionis ordinatius foret reformationes fieri ſub eiſdem Provincialibus, quam per illum modum, quo uti ſolent Generales Magiſtri Ordinis, ſcilicet per exemptionem eorum, quos reformant a Provincialibus. Currentibus tamen rebus cunctis ut tunc, conſultius, & fructuoſius agitur, ſi donec numerus reformatorum in tantum excreverit, quod ſaltem æquaverit multitudinem non reformatorum, Magiſter Ordinis faciat reformationes regi, ut ſolet, per ſuum Vicarium, & a Provincialibus eximat. Nec eſt hoc ordinem dividere, ſtatum Ordinis mutare, aut ejus hierarchiam, ut quorundam verbis utamur, confundere, vel deſtruere, ut latius declarabitur, cum ſolutiones dabuntur ad objectiones." Deinde pluribus adductis exemplis evincit perennem fuiſſe

Eee 2 in

in Ordine Prædic. conſuetudinem ſeparandi reformatos a relaxatis, in cujus facti veritatem plura infra dabimus. Lubet nunc auctoritatem perdocti unaque piiſſimi Magiſtri Pauli Nazarii ſubjicere, qui opuſculo de reformatione hæc habet (dub. 10. concluſ. 3.)

„ IV. Dico tertio, ad Religionis, aut Provinciæ, vel Conventus reformationem efficiendam, & conſervandam ſex eſſe maxime neceſſaria. „ Primum eſt conſpiratio, ſeu concurſus unanimis Præſidis Generalis Ordinis reformandi cum Principe, ſeu Domino, vel Dominis locorum, „ ubi ſita ſunt Monaſteria reformanda, & utriuſque cum Summo Pontifice. Sic enim facile præciduntur recurſus deformatorum, non ſolum „ ad aliquem ex his tribus, cui ad hoc pietatis opus concurrere non placeret; ſed etiam ad cognatos, affines, & amicos, qui terriri potentia, & auctoritate Pontificis, ac Principis temporalis, reformationi a „ tribus prædictis per Vicarium Generalis, aut etiam Pontificis inchoatæ „ reſiſtere non audebunt, & ad eorum nutum etiam a loco recedent. Et „ hoc modo dicit prædictus Excuria Vicarius reformationis Ollandiæ, ſuo „ tempore reformatas fuiſſe multas Provincias in Ordine noſtro ſub Generali Magiſtro Fratre Martiali Auribello, prout etiam narrant hiſtoriæ „ noſtræ Religionis.

„ Secundum eſt ſeparatio eorum Religioſorum, qui reformari deſiderant, aut reformationi conſentiunt, ab iis, qui reformationi repugnant, „ eximendo etiam illos ab obedientia Provincialis. Hac enim ſeparatione, & exemptione plurima tolluntur intentæ reformationis impedimenta; nec ſeparatio; & exemptio, ut ait prædictus author, tollenda „ eſt, donec numerus reformatorum exceſſerit numerum eorum, qui reformari noluerunt. Melius tamen eſſet, ſi commode fieri poſſet ut nunquam permiſcerentur. Sic enim integra, & illæſa reformatio ſervaretur, & occaſiones omnes diſſenſionis, & rixæ, ac omnis ſcandali tollerentur. Hunc reformationis modum, quo uſus eſt prædictus Ordinis „ noſtri Magiſter Generalis, approbarunt, ſuaque auctoritate confirmarunt Capitula Generalia, quæ recenſet præfatus Excuria: in archiviis „ Conventus noſtri Bononienſis multa ſunt diverſorum Summorum Pontificum privilegia pro conſervanda reformatione facta per Patres Congregationis Provinciæ utriuſque Lombardiæ. Et in moderna reformatione „ Gallicana multa Patribus illis Religioſiſſimis a Summis Pontificibus, & „ Generalibus Ordinis circa ſeparationem, & exemptionem a Provincialibus privilegia fuere conceſſa. Nec humano modo, ſive moraliter loquendo poſſibile videtur Religioſos deformatos ad priſtinam regularis „ obſervantiæ formam, abſque dicta ſeparatione, & exemptione reducere.

V. Contra ea, quæ hoc in capite dicta ſunt plura congerit, atque objicit P. Magiſter Ludovicus Meſplede, quæ ſuo loco confutabo, ſi tamen confutatione digna ſunt, quæ ſua manifeſta falſitate corruunt.

C A-

CAPUT SEXTUM.

Facillima eſt Regularis diſciplinæ reformatio, ſi Romani Pontifices, aut Sacrorum Ordinum Generales omnibus Provinciis, ſive Congregationibus, in quibus collapſa eſt obſervantia Monaſtica, privilegium acceptandi educandique Novitios penitus adimant, ſoliſque reformatis, ſeu obſervantibus illud impertiantur. Hæc eſt unica, expedita, & tutiſſima via univerſam Monaſticam diſciplinam inſtaurandi, omnia alia remedia minus valida ſunt.

I. UT anſam quamlibet noſtram carpendi ſententiam penitus eripiamus, ejuſdem germanum ſenſum promamus oportet. Itaque non illuc ſermo noſter ſpectat, ut vel oblique ſacris Ordinibus quidquam damni inferat; ſed eorumdem inſtaurationem, amplificationem, & ſplendorem inducere ſtudet, dum ſolis reformatis Cœnobiis poteſtatem educandi, imbuendique juvenes concedendam conſtituit. Quoniam hac via mirum in modum excreſceret reformatorum multitudo, & cæteri decreſcerent: atque pedetentim iſtorum Conventus occuparent illi. Sed hoc ſcilicet eſt, quod plures verentur. Et hoc repono ego validiſſimum argumentum eſt, eorum æternæ jacturæ; quod non modo ſeipſos, ſed poſteros quoque vanis prætextibus reformari impediunt, quique ſuos Conventus furto ſibi ſurripi ajunt, cum ejuſdem Ordinis reformati Fratres inhabitandos accipiunt. Duo præter propter abhinc ſæcula doctiſſimus Cardinalis Cajetanus, non minus ſacra Purpura, quam ſapientia & regularis diſciplinæ zelo præſtantiſſimus docuit, nullo alio modo reformari poſſe deformatos Ordines, niſi eis facultas acceptandi novitios auferatur, ut demonſtravi prima parte (Diſſ. 5. cap. 13.) ubi argumentis ex omnibus fere Theologiæ locis petitis evidentiſſime palam feci, peccare mortaliter ejuſmodi Cœnobia ingredientes, immo & acceptantes, & conſulentes. Quare ea, quæ ibi dixi, ſufficerent ad plenam præſentis aſſertionis manifeſtationem, niſi quædam explananda occurrerent, quæ executionis difficultatem non levem præſeferunt.

II. Pontifices Summi a Clemente VIII. ad hæc uſque noſtra tempora remedium hocce executioni demandare ſtuduerunt. Verum, ut cujuſque legis obſervantia, non tam a Principe legem rogante, quam a ſubditorum voluntate pendet; ita hæc, qua de agimus, lex multis modis fruſtrata fuit, & optato fine defraudata. Potiſſima ars, qua nonnulli uſi ſunt, ut hanc ſaluberrimam legem eluderent, hæc fuit, & etiamnum eſt. Refra-

Gta-

mata Novitiatuum Cœnobia ad Regulæ, & Pontificiarum Conſtitutionum præſcripta, documentis juramento firmatis, atque atteſtationibus munitis repræſentarunt. Et hac via januam ſibi aperuerunt ad extorquendam juvenes acceptandi facultatem. Atteſtationes iſtas veritate vacuas agnoverunt Prælatorum plures: atque privata eorum ſcientia, licet ad proprium ſuffragium denegandum valuerit, nihil tamen potuit adverſus atteſtationes juris formulis munitas: rem totam enarrat Clariſſimus Proſper Fagnanus & amaris lacrymis deflet, tam efficax remedium, hominum imbecillitate temporumque calamitate optatum effectum aſſequutum minime eſſe (in 2. p. 3. Decret. cap. cum virum num. 50.) *Porro jam in Ordine fratrum minorum de obſervantia S. Franciſci paulo poſt initium Pontificatus Urbani VIII. ordinatum fuit, ut de cætero non admitterentur Novitii in Provinciis Ciſmontanæ Familiæ, & fratribus ad certum numerum decedentibus, illorum Conventus traderentur fratribus reformatis, ſeu ſtrictioris obſervantiæ ejuſdem Ordinis, a quibus tantum reciperentur Novitii, & in hujuſmodi prohibitione multos annos perduratum eſt. Et utinam paulo diutius perſeveratum fuiſſet: nam ubi numerus fratrum reformationis multum excreviſſet, pauci in familia ſuperſtites, depoſita jam ſpe veſtiendi novitios, & majores dignitates aſſequendi, facile ad reformationem tranſiiſſent: atque nulla eſſet in Religione diviſio, vel ſciſſura, ſed tota ad primum inſtitutum, & Regula puritatem redacta fuiſſet. Verum fratribus reformationem pollicentibus, tandem oportuit illis ad veſtiendos novitios aditum aperire. Docuerunt enim ordinariorum atteſtationibus, ſe adimpleviſſe conditiones ſibi præſcriptas, & legatis annuis in curiis Epiſcopalibus ſolemniter renunciaſſe, & ſic tributa fuit illis licentia veſtiendi uſque ad centum numerum in ſingulis Provinciis præfinitum. Nobis tamen, quantum per modeſtiam licuit, ſemper reluctantibus, prout hæc omnia plenius continentur in Decretis deſuper editis ut videre eſt in Bullario* (tom. 4. pag. 333.) *& notavi in capitulo nimis prava* (num. 55. & ſequentibus.) *Infra de exceſſu prælator. Memini etiam Regem Chriſtianiſſimum ſuperioribus annis ſupplicaſſe S. D. N. ut in Regno Galliæ de cætero non veſtirentur Novitii; niſi in Religionibus, in quibus vere ſervatur Regularis diſciplina juxta primævum inſtitutum; quod tamen etſi ſanctiſſimum foret, nihilominus magnopere hæſitatum eſt, ne prohibitio tam Generalis motus magnos excitaret, ita ut diu poſtea ſuſtineri non poſſet. Cum tamen ſatius ſit legem non condere, quam conditam protinus abrogare. Multo ſecurius, & fructuoſius hæc præſtari poſſent in Generali Concilio, quemadmodum factum legimus in Concilio Lugdunenſi ſub Greg. X. ut patet* (in cap. unico de Relig. Dom. lib. 6.)

III. Alterum vero obſtaculum, quod ſaluberrimæ medicinæ fructum impedivit, idem Fagnanus deſcribit; atque in eo ſitum aſſerit, quod licet Cœnobia illa pauca pro recipiendis Novitiis deputata, reipſa reformata eſſent; ibi tamen non ſemper commorarentur. Religioſi ſiquidem poſt

ali-

aliquot annos domicilium mutare, ad alia collapſæ diſciplinæ Cœnobia tranſmigrare cogebantur recentes ſacræ militiæ commilitones. Hac porro mixtione facta, illorum imbiberunt mores, & eiſdem abuſibus, & laxitatibus infecti ſunt. Qua de cauſſa in ipſo ſemine ſanctæ reformationis fructus interciſus fuir. *In ſingulis enim Religionibus* (inquir Fagnanus loco laudato num. 48.) aliquibus tantum exceptis, deſignavit (Clemens VIII.) *aliquos Conventus regularis obſervantiæ, & initio tanquam baſim, & fundamentum reformationis præmiſit duo Decreta, quibus ſerio interdixit, ne quis deinceps ad habitum, & profeſſionem reciperetur, niſi in Conventibus, ut præfertur, deſignatis, vel in poſterum deſignandis per litteras ſub forma brevis, ſub pœna nullitatis receptionis, & profeſſionis inde ſequutæ, voluitque, ut ſic recepti in eiſdem Conventibus annum probationis peragerent, & poſt profeſſionem per aliquot annos detinerentur in profeſſoriis. Verum ex his Decretis prorſus non prodiit fructus, qui ſperabatur. Nam etſi Novitii primo in Conventibus ſic deſignatis, ac deinde in profeſſoriis in regulari diſciplina probe inſtituantur. Tamen poſtea inde exeuntes, & ad alia Monaſteria laxioris obſervantiæ demigrantes, in communes aliorum Religioſorum abuſus, & relaxationes incidunt.*

IV. Quid itaque opus eſt facto, ut Religiones reipſa facile reformentur? Non aliud requiritur, præter id, quod in vineæ inſtauratione, agrorumque repaſtinatione peragunt agricolæ. His in mentem haud venit vel diſtortas, & vetuſtas arbores rectas, recenteſque efficere, vel illico, & eodem anno univerſam vineam ad priſtinam revocare fœcunditatem, plantarumque viriditatem. Qui enim id fieri poteſt? Quid ergo? Uno anno quandam terræ portionem aratto ſubigunt, arbores ſerunt, quæ cum adoleverint, veteribus revulſis, earum occupant locum. Quam methodum ſingulis annis, ſi ſervaverint, univerſus ager viridi ſepe circumdatus, terraque ſubacta, & gremio mollito, accepti ſeminis cum magno fœnore meſſem reddit: illinc virentes plantæ fructus emittunt, hinc e vitibus erumpunt uvæ, floreſque odorum efflant ſuavitatem. Quæ omnia & ad oblectandos ſenſus, & ad vitam alendam a natura ſunt inſtaurata. Idem ordo, eadem methodus in Monaſticæ vineæ inſtauratione obſervetur. Qui vellet univerſam aliquam Religionem collapſam, ſimul, eodemque tempore reformare, fratreſque in remiſſa diſciplina educatos, enutritos, provectoſque ad meliorem frugem revocare, miraculo ſublato, ſemen ſupra duriſſimam petram, nedum inter ſpinas, ſpargeret. Agricolarum ergo ars imitanda, Theologorum Conſilia, Summorumque Pontificum Decreta iſthuc ſpectantia, ſervanda ſunt. In ſola terra regularis obſervantiæ aratro ſubacta, & exculta novæ conſerantur plantæ: videlicet in ſolis Congregationibus, ſive Provinciis reformatis Novitii induantur, & in omni regularis diſciplinæ munere inſtruantur. Nunquam ad collapſæ diſciplinæ Cœnobia tranſmigratio permittatur. Sed cum adoleverint, & nume-

me-

merus multiplicatus fuerit remiſſioris diſciplinæ Cœnobia ipſis habitanda concedantur. Quoniam cum in deformatis intercisa ſit propagatio, ſenibus decedentibus, vacua remanent clauſtra: & pauci ſuperſtites in aliud ejuſdem relaxationis Cœnobium ſe ſe recipiunt: & agrum ſilveſtrem, vepribuſque conſitum reformatis cedunt excolendum. Experientia quidem viſibili, ac univerſo mundo Teſte, fratres reformati cujuſque Religionis labantia templa, & deſolata Cœnobia relaxatorum inſtaurarunt, ſummo Civitatum, populorumque tum ſpirituali, tum temporali proventu.

V. Quod, ut clarius palam faciam, facilitatem reformandi, hac via, collapſam diſciplinam rem enarrabo ad confirmanda, quæ diximus, ſatis aptam, pactum videlicet, quod Patres unius Provinciæ collapſæ diſciplinæ, & Patres Congregationis inſtauratæ obſervantiæ omnes ejuſdem Ordinis, omneſque eodem obſervantiæ regularis zelo ſuccenſi, invicem inierunt, regnante Summo Pontifice Clemente XI. Provincia laudata interdicto ſuſpenſionis Novitios acceptandi ſubjecta cum eſſet, in ſola Congregatione juvenes recipiebantur pro educatione. At quia, profeſſione emiſſa poſt annum probationis, ad Provinciam demigrabant, lex ſuo fraudabatur effectu. Fieri enim vix poteſt, ne juvenes multitudinis, & maxime majorum exempla ſequantur, & imitentur. Cui malo ambæ partes, ut occurrerent, hanc fecerunt pactionem: nempe quod Patres Congregationis juvenes nomine Provinciæ acceptatos educare, & ad profeſſionem admittere deberent. Quoties vero profeſſi nomine Provinciæ numerum decimum attingerent, jam tum Provincia obſtricta ipſo facto eſſet, ad unum e ſuis tradendum Cœnobium pro iſtorum habitatione, ſub directione tamen, & regimine Congregationis, ut felicius reformationis negotium procederet. Quæ mutua conventio firmata fuit in Capitulo Provinciali. Conditiones omnes pro parte ſua, cum expleviſſet Congregatio, Cœnobium reformandum petiit, in quo vix tres, aut quatuor fratres morabantur. Verum quibuſdam reformationi infenſis reclamantibus, Provincia ſtare promiſſis recuſavit. Quod ſi illo tum Cœnobio potita fuiſſet Congregatio, & deinceps, creſcente Novitiorum numero, congruo tempore aliud, & poſtea aliud Cœnobium unitum eſſet eidem: jam certe a pluribus annis univerſa Provincia reformata fuiſſet, & ſublata Provinciæ, & Congregationis diviſione, unum eſſet ovile, & unus Paſtor. Quid de illis, qui tantum bonum vel impedierunt, vel impedire non deſiſtunt?

VI. Itaque, qui Religionibus præſident, ſi zelo ſincero flagrant collapſam reparandi diſciplinam, huic tutiſſimæ, facillimæque inſiſtant viæ. Provinciis collapſæ diſciplinæ omnibus facultatem acceptandi Novitios adimant eamque poteſtatem ſolis ejuſdem Religionis reformatis conferant: creſcente Novitiorum, ſeu ut vocant, profeſſorum numero, Cœnobia inhabitanda illis concedantur. Quid enim eis prodeſt, ſolo Novitiatus anno in Conventu reformato commorari, ſi eo tranſacto, ad remiſſæ diſciplinæ Monaſteria demigraverint? An ne ſperandum eſt, ut juvenes illi multitudinis

dinis

dinis torrenti reſiſtant, & provectis quibuſque laxatæ diſciplinæ viam percurrentibus, anguſtam reformationis ſemitam calcent? Vix optare, nedum ſperare, id valemus.

VII. Facillime, inquis, hæc ſcriptis conſignantur, at difficillime executioni mandari queunt. Nam Religioſorum amici & protectores reformationis progreſſioni intercedunt. In primis id objici minime poteſt, ſi de perampla Summi Pontificis ditione ſermo ſit. Nulla ſiquidem ibi temporalis poteſtatis repugnantia timeri poteſt. Iſthic reformationis primordia præjaciantur. Quo præeunte exemplo, facile alibi imitationis deſiderium excitabitur. Præterquam quod hæc, quæ obtruditur, Principum reluctatio, ſæpius falſa eſt; quoniam ab ipſis qui reformationem nolunt procurata. Cæterum Principes quotidie reformationis neceſſitatem inclamanr. Quandoquidem ut diſſertatione præcedenti palam feci, ingentes proventus tum corporis, tum animæ, quos regularium reformatio parit, illos ad eam invehendam vel nolentes permovent, urgentque. Ex quibus colligitur, reformari facillime Religioſos poſſe, ſin minus in totum, ſaltem in partem, quoties Ordinum Generales, impetrato Summorum Pontificum auxilio, & patrocinio, ſerio, & Euangelico pectore, ut jure tenentur, in id incumbere voluerint. Quid? Nonne vel ipſi privati Religioſi cœleſti caritatis igne ardentes ſæpius integras Congregationes reformarunt? Nonne vel ipſis quandoque Generalibus invitis, qui præjudicatis opinionibus imbuti tam inſigni operi ſe ſe oppoſuere, mirum in modum promoverunt? Quid ſi illimetipſi operi manus adjunxiſſent? Quanto latius non manaviſſet reformatio?

VIII. Sed opponunt non pauci legem hanc, quæ Provinciis collapſæ diſciplinæ facultatem acceptandi novitios ademit, ſummo fuiſſe Religionibus detrimento: quoniam decedentibus ſenibus Cœnobia vacua remanſerunt. Quæ loca, ut implerentur, ineptos, ignorantes, pravíſque moribus infectos juvenes tandem aliquando induere ſacra veſte, neceſſe fuit. Si hæc vera ſunt, non aliunde, quam ex eorum in relaxatione obfirmato animo profluxerunt. Nulla ſiquidem lex adeo immaculata, quæ hominum iniquitate in malum detorqueri non valeat. Semetipſos ergo accuſent, quod reluctati fuerint Pontificibus ſummis illius Regulæ, & Conſtitutionum obſervantiam imperantibus. Si enim Pontificiis Conſtitutionibus paruiſſent, floreret obſervantia regularis, tum morum integritate, tum Religioſorum multitudine.

IX. Hinc colligas velim, amice lector, quam inſcrutabilia ſint, & tremenda judicia Dei, quam deploranda humanæ naturæ miſerrima ſors. Siquidem, ut alibi indicavi, & indicandum eſt ſæpius, quod homines illecebris pellecti, cupiditate, ambitione, cœterarumque paſſionum ardore abrepti reformationis jugum detrectent, quod obſervantiam regularem a ſe repellant, ſin minus excuſatione, quadam ſaltem commiſeratione digni videntur. Verum enimvero quod ipſis ſucceſſoribus viam

laqueorum apertam, & obſervantiæ regularis occluſam januam velint; quod reformationis progreſſum impediant: quod ipſos obſervantiam promoventes regularem inſectentur, eoſque ceu Ordinis diviſores, perditoreſque traducant, res eſt quæ nec lacrymis ſatis defleri, nec verbis exprimi poteſt. Hæc omnia mecum ipſe dum reputo, non aliud menti occurrit, niſi illud: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi* (Matth. 20.) *Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam.*

CAPUT SEPTIMUM.

Primum argumentum diluitur adverſus ea, quæ hactenus dicta ſunt.

I. REformatio collapſæ diſciplinæ, ceu Ordinis unitati infeſta, & contraria traducitur, illique diviſionis notam quidam inurunt. Atrox calumnia recens haud eſt, ſed vetuſtiſſima ipſi reformationi ſemper coæva, quemadmodum virtutem quamlibet ſuum oppoſitum vitium comitatur. Ut antiquarum reformationum memoriam ſileam, ea breviter perſtringam, quæ adverſus primum Ordinis Prædic. inſtauratorem evulgarunt nonnulli. Simul atque Beatus Raimundus de Vineis, vulgo de Capua, Ordinis ſui, cujus clavum moderabatur, collapſæ in aliquibus Provinciis diſciplinæ reparationem aggreſſus eſt, tanquam Religionis diviſor, & perditor traduci cœpit. Longam ille apologiam adornare coactus fuit, quam Cardinali Hoſtienſi nuncupavit, cujus hoc eſt initium. „ Quia dominatio veſtra videtur eſſe informata, quod illa ſupplicatio, quam porrexi pridie dominationi veſtræ, cedit in malum, „ vel in dedecus, aut diviſionem Ordinis mei, ſupplico D. V. quod „ attendere dignetur ad infraſcripta „. In hac apologia, difficultates, quas ejus adverſarii evulgaverant, diſpellit, & omnia in fumum amandat, atque in eoſdem omnia egerit. Et quoniam illorum in relaxatione ſucceſſores eandem cranbem recoquunt; ſatis erit pro omnium confutatione Beati Raimundi reſponſionem iſthuc tranſcribere.

„ II. Ad primum quod objicitur, & eſt: quod ex hoc ordo dividitur, & *omne regnum* &c. Ad iſtud reſpondetur, quod ſalva ſemper „ reverentia dicentium ipſi non videntur intelligere, quid ſit diviſio, „ loquendo de illa diviſione, quæ habet deſtruere. Omnis enim congregatio multitudinis fit ad aliquod unum (alias non eſſet Congregatio abſque unitate) puta ad unum actum, ad unum propoſitum, „ ad unum locum, ad unum bonum, ſicuti multi ſcholares congregantur in una ſchola ad audiendum unum Magiſtrum, milites multi congregantur in uno loco ſub uno vexillo, & uno Capitaneo ad faciendam unam victoriam, & ſic de aliis. Religionum autem Congre- „ gatio

gatio ſecundum Beatum Auguſtinum facta caritatis unione clamante Propheta iſta voce: *Ecce quam bonum, & quam jucundum* &c. Semper ſit ſub uno determinato modo vivendi: & ut in pluribus ſub uno determinato duce, & ſancto, cujus actibus pariter, & doctrina cœteri inſtruuntur, & informantur de vitæ regularis modo, & forma: ſicut fuerunt primo Baſilius, poſtea Auguſtinus, inde Benedictus, & reliqui. Religio autem Fratrum Prædicatorum licet fuerit congregata ſub regularitate Regulæ Beati Auguſtini: habet tamen ſuum proprium, & determinatum modum vivendi, per quem differt a cœteris Regulam eandem tenentibus, & hic vivendi modus ſcriptus eſt in Conſtitutionibus ipſius Ordinis, quorum primus inſtitutor, & ordinator fuit Beatus Dominicus, qui etiam ejuſdem Ordinis dux extitit, & fundator. Quam obrem unitas, ſeu unum, ad quam, vel ad quem eadem Religio congregatur, conſiſtit præcipue in uno fundatore, ſcilicet Beato Dominico, & uno modo vivendi, qui continetur in conſtitutionibus ſæpe dictis. *Dicere ergo, quod fratres qui volunt ſervare prædictum modum vivendi & Beatum Dominicum imitari, dividunt Ordinem, eſt ſicut dicere, quod milites, qui ſequuntur vexillum, & obediunt Capitaneo, deſerunt, & dividunt campum, vel exercitum, & eſt ſicut dicere, quod ſcholares, qui libenter vadunt ad ſcholas, & audiunt Magiſtrum, deſtruant ſtudium, quia dividunt ſe ab aliis, qui nolunt venire ad audiendum Magiſtrum in ſcholis. Manifeſtum eſt etiam cuilibet utenti ratione, quod accedentes ad unitatem, in qua eſt, vel in qua Congregatio ſit, non dividunt, ſed uniunt, non diſgregant, ſed congregant, non deſtruunt, ſed conſtituunt, quod jam erat deſtructum.* "

III. Hanc eamdem difficultatem quam objiciunt aliquoties occurrit reformationis occaſio, Lubet referre reſponſum, quod poſt B. Raymundum exhibet Joannes Nyder (cap. 7. prim. part. de ref.) *Objiciunt, quod per reformationem quorundam, & non aliorum Conventuum, ordo dividitur, & duo videntur Ordines. Melius fortaſſe arguerent, quod apud reformatos unus reſuſcitatur ordo, & apud deformatos nullus manet ordo; ſed ſempiternus horror inhabitat. Dicere quod reformare eſt Ordinem dividere, inſania plenum eſt & amentia. Immo reformato vivere eſt unire, & ordinare ſe in exercitu Dei, ductum ſequendo fundatoris victoriam contra hoſtes obtinere. Sic enim de Religione devotiſſima primitivæ Eccleſiæ dicitur,* (Act. 5.) *Erant unanimiter omnes in porticu Salomonis, cæterorum autem nemo audebat conjungere ſe illis, ſed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium multitudo virorum, ac mulierum in Domino. Et ita hodie fit, ut docet experientia tam apud Religioſos, quam apud moniales bene reformatas, quidquid dicant conformatores ſæculi, & reformatorum æmuli.*

IV. Eandem oppoſitionem propulſat poſt Nyderium Hieronymus Savanarola in ſuo apologetico Fratrum Congregationis S. Marci de Florentia.

Si vero inferant, quod hoc ſit ordinem dividere, reſpondebimus, ipſos quidem hoc potius facere, quia quot fratres ſunt, tot fere ordines habent cum unuſquiſque ſuo vivat arbitratu. Vera igitur hæc eſt ad eorum objecta reſponſio: Quæ ſi forſan erit aliquibus odioſa, bonos illa fratres certe non offendet.

V. Tandem tempore nobis propinquiore Pater Magiſter Paulus Nazarius doctrina, & pietate præſtantiſſimus rancidulum commentum refellit, (opuſculo de obſervant. regul. dubit. 10. arg. 6.) *Igitur aſſerere eos, qui Regulam, & Conſtitutiones obſervant, dividere Ordinem, idem eſt, quod dicere eos, qui Ordinem conſtituunt, illum dividere, atque deſtruere: quod eſt duo contradictoria tanquam ſimul vera proferre. Confirmatur hæc veritas exemplo clariſſimo. Nam ſi Sancta Eccleſia, quæ nihil aliud eſt, quam Congregatio fidelium, priſcis illis Apoſtolorum temporibus, aut paulo poſt, quando aliqui ex fidelibus ſe voluerunt ſpeciali voto Religionis obſtringere, & ab aliis communiter viventibus ſeparare, putaſſet hac ſeparatione Eccleſiam eſſe dividendam, nunquam Religionem aliquam approbaſſet: aut quomodolibet permiſiſſet: is ergo per illam ſeparationem quæ longe major eſt ea, quam Religioſorum reformatio efficit, non fuit diviſa Sancta Mater Eccleſia, ſed magis confirmata, roborata, & exaltata, multo minus Ordo Religioſorum diviſionem ex reformatione patietur. Illi namque, qui Ordinem integre ſervant, dici nulla ratione poſſunt illius diviſores, aut etiam deſtructores. Hi enim per obſervantiam omnia ad Ordinem conſtituendum adunant, & ſimul adunata conſervant. Illi autem, qui regularia ſtatuta non ſervant, vere ac proprie ſunt Ordinis diviſores, ac illius impii deſtructores, perſequuntur enim bene viventes, & commune Religionis bonum promoventes impugnant.*

CAPUT OCTAVUM.

Refellitur aliud commentum, videlicet reformationem litterarum ſtudium impedire.

I. Regularis diſciplinæ reformatio tanta luce Dei Eccleſiam illuſtrat, talemque morum emittit ſuavitatem, ut recta eam aggredi nemo audeat. Hinc reformationis adverſarii aliam ineunt viam, & per cuniculos eam impetunt. Porro ut animi repugnantiam linguæ mella tegant, reformatorum optimos mores, vitæ integritatem, pietatemque ſæpe numero confitentur, & extollunt: confeſtim tamen ſubdunt incivilem eſſe, ac ruſticam eorum ſanctitatem, & ejuſmodi homines aſperos, agreſtes, rudes, ignavos, litterarum ſtudia negligere, gradus, & lauream ſcientiarum contemnere: Poſtremo ſub quadam pietatis larva a primario Religionis ſcopo aberrare, & univerſi Ordinis ſplendori tenebras offundere.

II. His

II. His cantiunculis imperitorum aures implent, ut reformationi invidiam conflent. Eaſdem ruſticitatis maculas, & ignorantiæ labes primæ Chriſtianorum ætatis ſplendidiſſima ſanctitate ethnici aſpergebant. Eorum modeſtiam ruſticitatem, aſperum veſtitum incivilitatem, veramque ſapientiam ſtultitiam appellabant. Habet ſiquidem & impietas ſua arma, quæ cujuſdam veluti ſucceſſionis jure ad poſteros tranſmittit. Id cauſſæ fuit, quod Hieronymo calcaria admovit, ut librum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ederet, in cujus proœmio, ſeu epiſtola nuncupatoria ad Dextrum has impoſturas, & calumnias amolitur. *Diſcant igitur Celſus, Porphirius, Julianus rabidi adverſum Chriſtum canes. Diſcant eorum ſectatores, qui putant, Eccleſiam nullos Philoſophos eloquentes, nullos habuiſſe Doctores, quanti, & quales viri eam fundaverint: & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantum ſimplicitatis arguere, ſuamque potius imperitiam agnoſcant.*

III. Primi illi Chriſtianæ Religionis propugnatores ſtrenui, terra, marique extorres, abſque lare, & tecto totum quod ſibi ſupererat temporis, in extollenda Chriſti Cruce, in Euangelii promulgatione abſumebant. Simul vero, ac paululum caput erexit Catholica Religio, continuo in medium erupetunt invictiſſimi propugnatores, qui qua eloquentiſſimis concionibus, & diſputationibus, qua doctiſſimis ſcriptis, & Apologiis cœleſti ſapientia, & cujuſque generis eruditione refertis ſuam Religionem illuſtrarunt, atque Ethnicorum calumnias propulſavere. Idipſum omnino accidit cum fundatoribus, tum reformatoribus Monaſticæ diſciplinæ. Principio ſiquidem undiqueverſum qua calumniis, qua improperiis incredibiliter vexati, vix reſpirare libere poterant. In id vero curas ſuas omnes conferebant, ut templa, & Cœnobia, aut labantia inſtaurarent, vel a fundamentis excitarent. Magis tunc ſollicitos eos habebat deſiderium Euangelicæ Doctrinæ in tabulis humanorum cordium imprimendæ, quam ſcriptis diſputationes conſignandi. At cum puſillus grex adolevit; & reformatio dilatata, & amplificata fuit, jam tum morum ſanctitate ſcientiarum quoque cultus incrementum cepit, & Doctiſſimi viri immenſa librorum multitudine Eccleſiam illuſtrarunt, propugnaruntque. Si quemadmodum Hieronymus & ipſe illuſtrium virorum cenſum texere vellem, confeſtim evincerem quales, & quanti ſemper fuerint Monaſticæ diſciplinæ cultores. Nunc obiter indicare ſufficiat in quaque Religione tandiu ſcientiarum ſtudium floruiſſe, quandiu viguit morum diſciplina. Qua de cauſſa hanc prius, deinceps ſcientiam David Propheta a Deo imploravit. Quid plura? omnes fere artes ſua principia, & progreſſus a morum ſevera diſciplina ſe repetere gloriantur. Et ut innumeras præteream, unde quæſo ars ſive politica, ſive militaris ſuam accepit perfectionem? Nonne Romani quandiu frugalitatem, juſtitiam, temperantiam, obedientiam, cæteraſque virtutes excoluerunt, tandiu quoque & politicæ, & bellicæ virtutis gloria floruere? Nonne his virtutibus inſtructi nationes, & regna ſub-

ege-

egerunt, & profligatis hoſtibus, imperium mirum in modum amplificarunt? Nonne contra cum Aſiæ luxus, voluptates, faſtus, & oblectamenta Romam invaſerunt, eorum inquinatis moribus, illico & ſcientia politica, & ars militaris, virtuſque bellica decrevere, & temporis decurſu una cum imperio in nihilum occiderunt? Atque ut ad rem noſtram propius accedamus, oculos ad prima cujuſque Religionis ſæcula convertamus, in quibus Monaſticæ diſciplinæ obſervantia florebat: nonne tum ſapientiſſimorum virorum multitudine Religiones omnes plus, minuſve abundabant? Nonne laxato diſciplinæ rigore, confeſtim oſtia, ſegnities, ignorantia, litterarum, cum Divinarum, tum humanarum neglectus ſucceſſerunt? Nonne tandem, viceverſa deformata diſciplina, una cum ſanctitate cœleſtis ſapientia refloruit? Hæc enim omnia nimis per ſe comperta ſunt, & explorata, non modo doctis, ſed vel ipſis rudibus, qui fructus iſtius ſanctitatis, & ſapientiæ ſuaviſſimos in diem deguſtant. Sed quid ultra provehor? *Dicant igitur* (cum Hieronymo repetant) *quanti, & quales viri eam* (reformationem) *fundaverint, extruxerint, adornaverint. Et deſinant fidem noſtram ruſticæ tantum ſimplicitatis arguere, ſuamque potius imperitiam agnoſcant.*

IV. Sub hujus capitis finem, lubet Doctrinam D. Thomæ in medium afferre, qua evincit, illos Religioſos maxime tum ad comparandas, tum ad docendas ſcientias idoneos eſſe, qui a terrenis curis ſunt expeditiores, quive, bonis temporalibus contemptis, cœleſti contemplationi inſiſtunt, & veram Chriſti paupertatem peculiis vacuam excolunt. Contra vero illi Religioſi, qui, quemadmodum ſæculares, victum & veſtitum ſibi comparare, & de craſtino cogitare debent, quive, ut adverſus futuros eventus ſibi proſpiciant, pecunias accumulare coguntur, graviſſimis impedimentis ſcientiis adipiſcendis retardantur. Denique non minus ridiculos eos reputat, qui docent diſciplinæ ſeveritatem ſtudiorum profectui officere, ac illos, qui aſſererent propterea velites a celeri curſu impediri, quod gravioribus armis, & inſtrumentis ſoluti ſunt. Audiamus Angelicum, qui hæc ſcribit (opuſc. 19. cap. 2. num. 20.) *Præterea illi maxime ſunt idonei ad docendum, qui maxime divina per contemplationem capere poſſunt. Unde Gregor.* (in 6. mor.) *Quieti contemplantes ſorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant: ſed ad vacandum contemplationi præcipue Religioſi redduntur magis ad docendum idonei quam impediantur. Item ridiculum eſt dicere, quod ex hoc aliquis a doctrina repellatur; per quod magis quietus ad vacandum ſtudio, & doctrinæ redditur. Sicut ridiculum eſſet, quod a currendo impediretur, qui impedientia curſum relinquit; ſed Religioſi per triplex votum reliquerunt illa, quibus animus maxime inquietatur, ut ex prædictis patet: ergo eis maxime docere, & ſtudere competit. Eccli. 38. Sapientiam Glo. divinam ſcribe in tabulis cordis, ideſt diſce tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, percipiet ſapientiam. Item pauperibus Chriſti maxime competit notitiam ſcri-*

ptu-

pturarum, habere, ut patet per Hieron. in prol. Hebraicarum quæſtionum ſuper Gen. Ut nos humiles, & pauperes, nec habemus divitias, nec oblatas dignamur accipere, ita & illi noverint non poſſe notitiam ſcripturarum, ideſt Chriſti cum mundi habere divitiis. Eis autem competit docere, qui notitiam habent ſcripturarum. Ergo Religioſis, qui paupertatem profitentur, maxime competit docere.

V. Teſte ergo Angelico Doctore, qui peculiis augendis vacant, qui ad libitum per plateas diſcurrunt, qui jejunia, & abſtinentiam, & frugalitatem tranſgrediuntur, qui conviviis, ludis, & tripudiis delectantur, ad ſcientias, maxime ſcripturarum, comparandas inepti efficiuntur. Quæ omnia mirum in modum confirmat Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, qui producto Sancti Prophetæ David teſtimonio. *Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me* (Pſalm. 118.) hæc ſcribit (3. p. cap. 5. §. 2.) *In adipiſcendo, & habendo ſcientiam, utiliter, & docendo, oportet primo habere bonitatem mentis . . . . debet ſecundo Doctor, & ſcholaris procurare diſciplinam, ideſt compoſitionem morum exteriorem, ſeu modeſtiam . . . Non ergo diſcurrant per plateas, vel Eccleſias ad videndum mulieres. Rixis abſtineant, ludis, tripudiis, conviviis, partialitatibus . . . . . Sed ut dicitur* (Prov. 1.) *exoſam habuerunt diſciplinam: communiter omnia iſta vitia hodie reperiuntur in ſcholaribus, & aliquando in Magiſtris, & ideo parum proficiunt.*

CAPUT NONUM.

Non ſunt reprehendendæ, ſed ſingulari laude dignæ Congregationes, Provinciæ, & Religiones, quæ honores, & præmia ſeu gradus, prout temporibus iſtis in aliquibus Religionibus conferuntur, conſtanter rejiciunt.

I. GRaduum collatio, ut ſæpius dictum eſt, per ſe inſpecta nihil mali prodit, immo ſuapte natura res adiaphora eſt, & niſi facilis eſſet abuſus, cum Apoſtolo dicere liceret. *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat manducantem non judicet* (ad Rom. 14.) Vera itaque, & clara notio exhibenda eſt graduum, qui hac tempeſtate conferuntur, ut manifeſtum fiat, quam laudabiliter plures Congregationes, & Religiones eoſdem rejiciant. Itaque magiſterium in Theologia iis confertur, qui peracto ſtudiorum curriculo ſcholis jam valedixerunt. Quamquam pro conſuetudinum in pluribus Provinciis obtinentium diverſitate, aliquid diſcriminis eluceat. Communiter enim, cum lauream accipiunt magiſterialem omnibus privilegiis condecoratam, ſenes ſunt, vel ſenectuti proximi, niſi, per ſaltum, gradum arripiant. Magiſtrati, ut ipſi

ipſi ajunt, cum ſint, a docendi labore quieſcunt, a chori frequentia alicubi eximuntur, niſi devotionis ſpiritu aliqui intereſſe velint. Locum ſupra alios ſeniores non magiſtros, Prælatoque proximum tenent. Voce in omnibus Capitulis propriæ Provinciæ, fruuntur, & his jure gaudent. Vi poſtea conſuetudinis pluribus aliis potiuntur privilegiis juxta Provinciarum varium morem. Alicubi habent, & in refectorio peculiaria fercula, & pro veſtibus comparandis duplicatam proviſionem, quam vocant duplex veſtiarium, & pro habitatione plura cubicula, & tandem ad majorem commoditatem ultra communem famulatum, Converſum, ſeu laicum ſibi addictum habent. Hæc ſunt privilegia, quæ plus, minuſve magiſterium in Provincia ut ajunt comitantur.

II. Perdoctus Petrus Paſſerinus (tom. I. de ſtat. quæſt. 186. artic. 7. num. 25.) docet, quod etiam in Religionibus inſtitutis ad docendum, & prædicandum poſſint laudabiliter abdicari gradus, dummodo aliqua inæqualitas ſervetur, & Religioſi docti, & excellentes in doctrina debito honore non priventur. Deinceps (num. 17.) ſubdit non eſſe per ſe, & præciſis circumſtantiis laudabilem in Ordine Prædicatorum legem ſtatuere, ut in aliqua Provincia, vel Congregatione, Religioſi digni non admittantur ad gradum Magiſterii, & privilegia eidem annexa. Quod his momentis evincere contendit. Primum in Religione inſtituta ad docendum, ſi docti, & indocti eſſent æquales in participatione præminentiarum, & exemptionum, pauci invenirentur inſomnes, ad labores infracti, & ad onera graviſſima ſtudiorum fortes, ac ſubinde pauci docti reperirentur. Aliudque incommodum timendum foret, ne videlicet ignorantia inimica virtutis, arrogans, & inſolens, ſi ſemel Prælationes occuparet, Doctos opprimeret, & perſequeretur. Quamobrem ſummopere neceſſe eſt, ut tollatur æqualitas, & quod docti præferantur. Quæ omnia confirmat exemplis Sanctorum Thomæ Aquinatis, Alberti Magni, Raymundi, Vincentii, Antonini, aliorumque.

III. Plura docet Paſſerinus, quæ explicatione indigent. Et in primis cum de aliquo ſtatuto, conſuetudine, & lege introducenda, vel removenda, ab aliqua ſocietate agitur, non modo id, quod per ſe prodit, ſpectandum eſt, ſed maxime an omnibus circumſtantiis loci, temporis, perſonarum inſpectis, ſeveroque examine expenſis, ejuſmodi conſuetudo ſeu lex conſentanea bono communi ſit, an ſecus? Quot leges ſuapte natura laudabiles reperiuntur, quæ tamen omnibus conſideratis, minime congruunt huic, vel illi hominum cœtui? Qua de cauſſa jam dictum eſt gradus Doctoratus, Magiſterii, Baccalaureatus, & ejuſmodi per ſe laudabiles eſſe, & ut meta officia ſunt, Religioſis ipſis quam maxime convenire. Contra vero gradus iſtos, quemadmodum eos deſcripſimus numero primo, & obſervantiæ regulari, & ſtudiorum, ſcientiarumque profectui magnopere adverſari contendo. Quapropter laudabiliter eos reſpuunt plures Religioſorum ſocietates. Quæ omnia evidentiſſime palam facio.

IV. At-

IV. Atque ut ab auctoritate auſpicemur, omnium primum in medium affero Ordinem Prædicatorum, qui duobus primis ſæculis gradus iſtos, ceu mera officia abſque privilegiis loci, aliarumque immunitatum admiſit, ut alibi palam fiet. Et quod plus eſt, ſimul ac ſecundo deſinente, & tertio Ordinis ejuſdem ineunte ſæculo gradus iſtos ornari privilegiis cœptum eſt, e veſtigio plures Provinciæ, & Congregationes reformatæ reclamarunt. Quas inter unam in præſentia indico Congregationem Raguſinam, cujus inſtauratæ obſervantiæ primordia debentur B. Marculino, & Roberto Neapolitano, qui, imperante B. Raimundo Capuano, Cœnobium Raguſinum reformarunt. Porro iſtius Congregationis Patres gradus magiſterii, & Baccalaureatus recenſitis exemptionibus recenter ornatos tanquam obſervantiæ Monaſticæ, & ſtudiorum profectui adverſos; immo, & ipſas, quas vocant, affiliationes, primo Religionis ejuſdem ſæculo prorſus incognitas, abdicarunt. Et quamvis tempore poſteriore, deſerveſcente, ut accidit, diſciplinæ zelo quidam fratres denuo gradus iſtos invehere pertentaverint, maxime ſub Magiſtro Generali Hieronymo Xavierre, nunquam intentum aſſequuti ſunt, ipſis Generalibus Magiſtris refragantibus, & experientia inſtructis aſſerentibus, tum gradus, tum affiliationes multorum eſſe occaſiones malorum.

V. Accedit ſecundo loco ſummi momenti inclytæ Societatis Jeſu auctoritas, quæ non minus, ac aliæ Religiones ad ſcientias docendas inſtituta eſt, quæve eas omnes leges, quas ex longa aliarum Religionum experientia, aut litterarum ſtudio, aut diſciplinæ perenni conſervationi proficuas agnovit, ſelegit, cœteraſque rejecit, & ex aliena jactura, & periculo maximum proventum fecit. Hæc autem tam inſignis Religio, quæ in Regiminis mirabili diſpoſitione, legumque ſelectione ſpeciali quadam prerogativa refulget, gradus omnes prout rationem præmii, vel honoris explicant, & privilegia, exemptiones, immunitateſque omnes rejicit, ut vidimus ſupra, & teſtatur etiam Suarez, (tom. 4. de Rel. lib. 1. cap. 4. num. 11.) *Addo etiam merito in ſocietate propter eandem humilitatem conſervandam, ut hi gradus non conferantur propter honorem, ſeu quaſi præmium, ſed tantum pro miniſteriorum neceſſitate, neque amplius multiplicentur, quam ad munera, ſeu onera ſocietatis ſuſtinenda neceſſarium ſit.* Quam ob cauſſam nulli apud illos Magiſtri, quia gradus, præter laborem, nullam affert exemptionem.

VI. Tertio loco addo auctoritatem Sanctæ Matris Thereſiæ, quæ Divino lumine perfuſa Religionem Carmelitarum Excalceatorum ad primævum ſplendorem reformavit, omnes gradus ab eadem abſtulit. De honoribus autem Religioſorum hæc ſcribit (de itinet. perf. cap. 36.) *El Demonio inventa las honras en los Monaſterios, y pone ſus lejes, que ſuban, y bajen en dignidades como los del Mundo.* Quid de aliis pluribus Religionibus dicam, in quibus abdicatis gradibus mirum in modum ſcientiæ florent. Quid de immenſa multitudine eruditorum, ſapientumque viro-

rum, qui medio in ſæculo hinc illecebris pellecti, illinc curis diſtenti, ſolo ſcientiarum amore incenſi, ſpretis laureis, & gradibus, quos etiam deriſui habent, mirificos in omni ſtudiorum genere progreſſus faciunt? Nos pudere deberet publice aſſerere penes Religioſos Fratres Euangelicæ humilitatis profeſſores, mundanique faſtus contemptores Divinæ Sapientiæ ſtudium defuturum, niſi ad illud capeſſendum honorum præmio, graduum, exemptionumque ſtimulis admotis incitarentur. Nos pudere, deberet, talia de Mendicantibus Fratribus obtrudere, cum vel ipſi de ſæculo homines, his ſtimulis contemptis, non ſomno, non laboribus, non incommodis plurimis parcant, ut dulciſſimos eruditionis, & ſapientiæ fructus deguſtent.

VII. Ut autem evincam ejuſmodi gradus Monaſticæ diſciplinæ infeſtos eſſe, quod primo loco probandum propoſui, hanc efformo argumentationem. Religioſi ætate provecti, doctrina & eruditione ornati ſunt regularis diſciplinæ veluti cardines, & propugnacula. Iſtorum exemplum ætate & ſapientia roboratum inferiores omnes urget cogitque, nedum allicit, & movet. Porro ſi iſti, quoniam laurea magiſteriali inſigniti regularis obſervantiæ jugo excuſſo, a choro abſunt, jejunia frequenter ſolvunt, ſplendida cubicula inhabitant: quomodo cœteris Religioſis Monaſticam obſervantiam ſuadebunt? *Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de jejunio diſputat*, inquit Hieronymus (Epiſt. ad Nepot.) Cum itaque ejuſmodi gradus, prout nunc in uſu ſunt pluribus in locis, eximant laureatos videlicet provectos, doctoſque Religioſos a multis, & fere præcipuis obſervantiæ regularis punctis, evidentiſſime colligitur gradus iſtos maximum Monaſticæ obſervantiæ inferre præjudicium. Quoniam iſtorum graduum occaſione Religioſi illi, qui exemplo virtutis aliis præire deberent, viam potius relaxationis aperiunt.

VIII. Mihi haud latet Paſſerinum cum aliis Theologis aſſerere laudatis exemptionibus quæ propter laborem impertiuntur laureatos frui jure minime poſſe, cum actu non legunt, cui ſententiæ ſubſcribo utroque pollice. Sic enim ſcribit (tom. 2. de ſtat. quæſt. 187. art. 1. numer. 1155.)
„ Doctoribus aliqua privilegia competunt ratione muneris docendi, ſicut
„ eſt exemptio a choro, diſpenſationes aliquæ in jejuniis, ſeu ſimiles diſ-
„ penſationes, quæ intuitu laboris, & occupationis in docendo conce-
„ duntur, & hujuſmodi privilegiis, aut exemptionibus uti non poſſunt
„ Magiſtri, niſi actu legant & de his loquuntur Decreta Clementis VIII.
Quæ hic ſcribit Paſſerinus componi minime poſſunt cum recenti jure gloſſis conſtitutionum inſerto. Hæc ſiquidem reperiuntur (diſt. 1. cap. 1. tex. 1. ad litt. D.) *Nullus Frater noſtri Ordinis ratione paternitatis, aut alterius gradus exemptionem prætendere poſſit a ſequela chori, aut aliis gravaminibus Ordinis, Magiſtris in Theologia Provinciarum, lectoribus actu legentibus, & Prædicatoribus actu prædicantibus dumtaxat exceptis.* Verum utique eſt Clem. VIII. privilegium hoc abſtuliſſe ſua conſtitutione:

Quo

Quo Concilii Gen. (§. 16.) Nullus niſi actu legat, vel prædicet aliquo ſui gradus privilegio gaudeat. At quoniam laureati in Theologia Magiſtri jus ſibi arrogant bullas interpretandi, ajunt hanc conſtitutionem non eſſe acceptatam, & communem Theologorum opinionem Clementinam Conſtitutionem propugnantem, eſſe tantum ſententiam probabilem, cujus contrariam ſibi faventem ipſi defendunt.

IX. Quod vero ejuſmodi gradus litterarum ſtudium non promoveant, non aliunde demonſtrari melius poteſt, quam & ſapientum ſæcularium, & tot Religionum experientia, quæ hos gradus non admittunt, & in ſcientiarum cultu ſummopere ſplendent. Rationes quoque ſententiam noſtram confirmant. Quandoquidem, ſi divinum illud propriæ profeſſionis debitum, ſi cœleſtis æternæque mercedis retributio, ſi denique ipſius ſcientiæ ſplendor, & proprii nominis immortalis fama, quam Doctrina parit, ſi inquam hæc omnia ſatis haud ſunt ad excitandum in Religioſis ſcientiarum ardorem: An ne ſola laurea Magiſterialis tanta pollebit vi, & efficacitate, ut effectum hunc producere valeat? Ageſis: quænam ſunt rationes, quæ Regulares inducunt ad mundi contemptionem, ad amplectendum ſtatum pœnitentiæ, humilitatis, caſtitatis, & rigidiſſimæ paupertatis; ſtatum, qui nihil præter abjectionem, & vilitatem objicit carnalibus oculis? Vitæ æternæ retributio, inquis. Quid ergo? Si infinitæ Beatitudinis fiducia permovet ad tam arduos aggreſſus, & auſus ipſi naturæ repugnantes: quanto valentius urgebit ad ſcientias comparandas, quæ ſuapte natura ſplendent, hominesque conſtituunt in totius mundi conſpectu dignos honore, & exiſtimatione? Numquid acutiora calcaria addet Fratribus Mendicantibus unius laureæ Magiſterialis fiducia ad ſtudiorum curriculum peragendum, quam inſitum illud ſciendi deſiderium, quam acquiſitæ ſcientiæ & eruditionis ſplendor, quam propriæ profeſſionis debitum, quam denique æterni, infinitique præmii retributio?

X. At videmus, inquiunt, reipſa plurimos gymnaſia frequentare, cathedras moderari, qui niſi ſpe Magiſterii tenerentur, jamdiu ſcholis vale dixiſſent. Non inficior. Sed repono, iſtos omnes non proficiendi in ſcientiarum acquiſitione deſiderio, ſed fiducia allectos fruendi privilegiis, & exemptionibus gradibus annexis recenſita munia exercere. Qua de cauſſa multiplicantur quandoque Magiſtri, & Baccalaurei, nequaquam vero docti, & eruditi; immo iſtorum numerus decreſcit, & diminuitur. Quoniam illi ſuſdeque omnia perturbant, favores, & patrocinia cum intra, tum extra Religionem aucupantur, ut cathedras moderandas aſſequantur, cœteris dignioribus excluſis, cum maximo diſcipulorum detrimento, & interdum Religionis dedecore.

XI. Hinc ſponte fluit alterum, videlicet gradus iſtos non modo pluribus in locis non promovere litterarum progreſſus, ſed intercipere. Poſſem inter plures rationes recenſere Conſtitutionem, quæ numerum Magiſtrorum præſcribit, qui numerus alibi minor, alibi major eſt. In aliqua Pro-

vincia duodenatium numerum non excedit. Porro ſi ejuſmodi gradus incitamento eſſent ad comparandas ſcientias, nulla taxatio imponenda foret, ſed omnibus, qui ingenio valent, ad gradus admittendi eſſent. Numerum definiendum eſſe dicunt, ne Regularis obſervantia impediatur, quoniam ſi omnes eſſent gradibus inſigniti, qui eſſent, qui onera diſciplinæ portarent? Patet ergo gradus iſtos annexos privilegiis, ſive abuſibus, qui nunc non paucis in locis obtinent, minus eſſe & litterarum ſtudio & obſervantiæ Regulari conſentaneos. Accedit, quod plures conſeneſcunt, antequam in hunc numerum perſcribantur, & meliores annos, aut extra ſcholas inſumunt, aut inutilibus concertationibus vacant. Plures in optima incumberent ſtudia, quæ, cum non ſint via ad Magiſterium comparandum, negligunt. Plurimi utique fuerunt ubique, & ſunt Magiſtri Doctiſſimi. Sed ſcientias compararunt iſti, non propter laureæ retributionem, ſed veritatis amore incenſi. Majori ſiquidem in numero eminebant viri ſapientiſſimi quando gradus erant ſola officia, nihilque aliud ſecum ferebant, niſi munus docendi, & cathedras moderandi. Nunc vero pluribus in locis hi gradus liberant ab onere docendi, ſuntque merces & præmium laborum exantlatorum.

XII. Incommoda, quæ hos gradus recenſitis privilegiis auctos, conſequuntur aliud validiſſimum argumentum præbent eoſdem excludendi. Ferunt namque in comitiis Generalibus provincialibus, aliiſque, vix ſermonem eſſe de diſciplinæ reformatione, de abuſibus & corruptelis revellendis: ſed totum tempus inſumi in dirimendis litigiis a Bacchalaureis & præſentatis excitatis; in promovendis iis, qui a propriis rationibus ſtant, & in rejiciendis aliis qui contrariæ adhæreſcunt factioni. Neque reponi valet, abuſus iſtos non ex gradibus, ſed ex hominum infirmitate profluere. Quoniam animadvertit Angelicus toties artem, legem, conſuetudinem de medio tollendam eſſe, quoties in practica excutione omnibuſque circumſtantiis inſpectis ex eadem majora mala, quam bona proficiſcuntur. *Si operibus alicujus artis, ut pluries aliqui male uterentur, quamvis de ſe non ſunt illicitæ; ſunt tamen per officium Principis a Civitate extirpandæ ſecundum documenta Platonis* (2. 2. q. 169. art. 2. ad 4.)

XII. Quæ in iſtorum graduum favorem produci ſolent, non admodum urgent. Nec enim neceſſarii ſunt gradus iſti, ut docti præferantur indoctis, & ut in ordinem redigantur ignorantes, qui opprimerent ſapientes, ſicuti argumentatur Paſſerinus (loc. cit.) Quoniam ſapientia ſe ſola, abſque adventitio colore, ſplendet, ſibique exiſtimationem conciliat & famam, dummodo prudentiam comitem habeat. Concludo caput iſtud verbis Melchioris Cano (lib. 8. de loc. Theol. cap. 5.) *Ex quo, id efficitur, quod ego magno cum aſſenſu omnium, dicere me video, miſeram eſſe ſcholæ doctrinam, quæ ſe titulis Magiſterii defendat.*

C A-

CAPUT DECIMUM.

In illud litterarum ſtudium incumbere potiſſimum debent Fratres Mendicantes, quod ad proximorum ſalutem aſſequendam conducit. Non eſt tamen negligenda obſervantia Regularis propter ſtudium: nec contra.

I. UT manifeſtam, certamque regulam promam, ad quam in ſtudiis ſuis reſpicere tenentur Religioſi, hoc ſtatuo firmiſſimum principium. Omnes Religioſi in ſua ſolemni profeſſione ſemetipſos ſuaque talenta, atque induſtriam omnem locarunt Religioni, mutuo veluti contractu inito, ut hæc illis de omnibus provideret. Ex quo ſequitur jure tum naturali, tum divino obſtrictos Religioſos eſſe ad laborandum in vinea Domini Sabaoth, juxta mentem, & finem ipſius Religionis. Non ergo ſibi illudant fidentes ſtudiis illis, quæ in Dei honorem, neque in Religionis bonum cedunt. *Nolite confidere in verbis mendacii . . . . Quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras, & ſtudia veſtra, habitabo vobiſcum.* (Jer. 7. &c.) revera quemadmodum ſervus, qui operam, induſtriamque ſuam domino, parto pretio vendidiſſet, debito ſuo minime ſatisfaceret, quamvis tota die inſudaret, ſi labor ejus eſſet præter juſtam Domini voluntatem, nihilque illi commodi utilitatiſque afferret; ita profecto Religioſi illi ſacro ſuæ profeſſionis debito minime reſpondent, qui iis ſtudiis vacant. quæ a Religionis ſcopo aberrant, quive munia præcipua Religionis negligunt, ut arbitrariis, curioſis, vaniſque ſtudiis vacent. Hos omnes optime delineat Magiſter Humbertus (cap. 135. in Regulam D. Auguſt.) *Circa primum ſciendum, quod quidam interdum volunt ſcrutari per ſtudium ea, quæ non per rationem naturalem, vel ſcripturam divinitus inſpiratam ſunt patefacta, quæ potius ſunt admiranda, quam inveſtiganda ſecundum illud Apoſtoli* (ad Rom. 11.) O Altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. *Contra quos dicitur* (Eccleſiaſt. 3.) Altiora te, ne quæſieris. *Alii ſunt, qui ſe occupant circa quædam reprehenſibilia magis, quam utilia. Contra quos Seneca dicit: Quid te torques, & maceras circa illam quæſtionem, quam ſubtilius erat contempſiſſe, quam ſolviſſe? Alii ſunt, qui in nulla re certa ſtudent; ſed ſicut, qui vadunt ſpatiando per diverſa loca; ita & ipſi per diverſos libros vagantur. Contra quos dicit Seneca: Vide ne lectio Auctorum multorum, & omnis generis voluminum aliquod vagum habeat & inſtabile . . . Alii ſunt, qui ſic inſipienter ſtudent, quod nec finem aliquem ponunt in ſtudio. Contra quos dicit Jerem.* (18.) *Dirigite ſtudia veſtra ſcilicet in finem debitum, quod eſt ad gloriam Dei, ſalutem propriam, ædificationem proximi.*

II. Quod

II. Quod, ut rem ſummi momenti clarius explicem, diſtinguendæ ſunt Religioſorum ætates, nam quædam competunt juvenibus, quæ dedecent provectos, ſeneſque. Juvenibus artium ſtudia expediunt, quod illa viam illis aperiunt ad altiores ſcientias comparandas, armaque adverſus ſophiſtas ſuppeditant ad fidei defenſionem. Et quemadmodum juvenes milites in armorum tractatione, ſic iſti exercendi ſunt in iſtarum artium diſputationibus, ne veluti inexperti capiantur in ſermone. Propter quod dicit Apoſtolus (Col. 2.) *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam.* Religioſi autem provectæ ætatis, ipſique ſenes fructus ſtudiorum ſuorum edere debent, atque ſcientiam, quam ſine fictione didicerunt ſine invidia communicare aliis, qua concionibus, qua Sacramentorum adminiſtratione, qua conſiliorum ſalubritate. Quid itaque de provectis, de ſenibus, de Magiſtris, de Baccalaureis illis, qui non conciones habere, non fidelium confeſſiones excipere, non cathedram moderari volunt: ſed hæc omnia miſſa faciunt, ut curioſitati, rebuſque vanis indulgeant? De his loquitur Apoſtolus (ad Timot. 1.) *Converſi ſunt in vaniloquium volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Eoſque admonet (ad Tit. 3.) *ſtultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; ſunt enim inutiles & vanæ.* Iſtos quoque reprehendit D. Antoninus D. Petri Apoſtolorum Principis auctoritatem allegans (3. p. tit. 5. cap. 2. §. 1.) *Parati, inquit Princeps Apoſtolorum* (in 1. can. cap. 3.) *reddere rationem omni poſcenti vos de ea fide, & ſpe, quæ eſt in vobis;* (& Hieron.) *Sacerdotis eſt ad interrogatum reſpondere de lege: non ait de Philoſophia, vel Geometria, ſed de lege ſcilicet Dei, quæ eſt in Sacra Scriptura. Sed hodie Clerici, & Religioſi non vacant niſi ſophiſmatibus, & formalitatibus, & metaphyſicis, & vix aliquando dignantur aſpicere Sacras Scripturas, textum ſententiarum, librum Decretorum, fundamenta Juris Divini, & Canonici, ut impleatur illud Apoſtoli: Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam pervenientes.*

III. Theologi, qui preſſius difficultatem iſtam verſant, gravis culpæ reos damnant Religioſos, & præcipue ſuperiores, qui operam non dant, ut ſubditi ſui in præcipuis Religionis operibus, nempe in concionibus, confeſſionibus, conſiliis, aliiſque caritatis officiis ſe ſe exerceant. Unum laudare ſufficiat *Bannez*, qui hæc ſcribit (in 2. 2. q. 33. art. 3. dub. 3.) Prima concluſio. *Prælati in Ordinibus Mendicantibus, potiſſime in Ordine Prædicatorum tenentur ſub præcepto habere ſpecialem curam, ut Religioſi ſe exerceant in his operibus miſericordiæ ſpiritualibus, in Doctrina, prædicatione, confeſſione, & conſiliis ſpiritualibus.* Hæc de Superioribus. Subditos vero expreſſius peccati mortalis damnat, quoties idoneos ſe reddere non curant ad exercenda potiſſima ſui Ordinis officia. *Tertia Concluſio. Religioſus tenetur ex officio, & profeſſione ſua diſponere ſe, ut ſit idoneus ad exercenda potiſſima ſui Ordinis munia, ſub peccato mortali.*

Si

Si graviter peccant, qui idoneos ſe reddere non fatagunt ad ſuæ profeſſionis penſum perſolvendum: quodnam crimen perpetrabunt illi, qui reipſa idonei cum ſint, prudentia, & doctrina ornati, quævis tamen alia peragere malunt, quam Ordinis ſui munera obire? Nec quidquam illis ſuffragatur inanis illa excuſatio, qua ſe palpantes ajunt, quibuſdam ſtudiis vacare relaxandi animi cauſſa, & aliquid ſolatii capiendi. Quoniam id obtrudere poſſent, ſi in Concionibus, aut Confeſſionibus vel ſacris litteris meliores horas inſumerent: at cum toto ſere tempore intendant *Fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide.* (Paul. ad Timot. 1.) A gravi culpa excuſari non poſſunt, quia, ut ait Propheta David: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.* (Pſal. 13.)

IV. Non eſt tamen Regularis diſciplinæ obſervantia propter ſtudium negligenda. Cavendum enim nobis eſt, ne ſimiles efficiamur primis parentibus, qui Diaboli ſuggeſtione decepti propter intemperantem ſcientiæ appetitionem Divini mandati prævaricatores facti ſunt, & innocentiæ ſtatu amiſſo, æternæ mortis pœnam ſubite meruerunt. Quemadmodum gladius in manu fortis, prudentiſque Principis plurimum valet ad Regni defenſionem; in manu vero ſtulti, furentiſque ruinam invehit: ita ſcientia, quæ gladio ſcilicet comparatur juxta illud Pauli (ad Epheſ. 6.) *Aſſumite & gladium, qui eſt verbum Dei,* Si bonitatem, ſi diſciplinam comitem habeat, multa & pretioſa bona parit. Contra autem ſi ſuperbiæ fumo denigrata, ambitioneque inflata diſciplinam regularem contemnat, vel ipſa bona vitiat, & innumera mala producit. *Sunt quidam* (inquit Magiſter Humbertus in Reg. D. Auguſt. cap. 134.) *qui propter inordinatum ſuum amorem dimittunt interdum ea, quæ ſunt Religionis, modo in ſcribendo, modo in audiendo, modo in legendo, & in aliis hujuſmodi ad ſtudium pertinentibus multipliciter ſe occupando, ſic adhærent ſtudio, quod etiam obedientiam poſtponunt.* Deinde in calce laudati capitis enarrare pergit, quæ reprehenſione digna reputat in ſcientiarum ſtudio procurando. *Notandum vero, quod quædam ſunt reprehenſibilia circa ſtudium Religioſorum, quædam circa libros eorum, quædam circa auditores, quædam circa lectores, quædam circa ſcriptorum factores, quædam circa diſputatores, quæ omnia annexa ſunt ſcientiæ, & expedit cognoſcere, ut caveantur.*

V. Pauca eorum, quæ fuſo calamo verſat ille, curſim delibabo. Et in primis adverſus eos invehitur, qui ampla, & magnifica ædificia erigunt, librorum vero proviſionem negligunt, Et quod mirari ſatis non ſubit, illimetipſi in hoc maxime peccant, qui gradus Magiſterii, & Baccalaureatus extollunt, ambiuntque, qui omnia diſciplinæ ſtatuta relaxanda propter ſtudium inclamant, & reipſa graduati ejuſmodi diſciplinæ rigorem ſuis commoditatibus aptarunt. Plura ſiquidem cubicula ornata & ſplendida proprio habent uſui. Sacra vero volumina longe abſunt. *Nota* (inquit

quit

quit Magiſter Humbertus, cap. 129.) *quod ſapientia cæleſtis eſt ſicut fons; qui de Cælo venit per canalem librorum* (Eccleſ. 24.) Ego quaſi aquæductus exivi de Paradiſo. *Quaſi dicat ad modum aquæductus veni per ſcripturam librorum. Sed heu ſunt aliqui Religioſi, qui magnam ſollicitudinem ponunt, & magnas expenſas faciunt ad habendum aquæductum, per quem veniat fons aquæ materialis in domum ſuam, ad purgandum ſordes corporeas, ad irrigandum hortos, ad commoditates multas habendas per ſingulas officinas: & de conductu ſapientiæ cæleſtis, per quam ſordes peccatorum purgantur, corda ad omne bonum proferendum irrigantur, parum curant . . . . . Cum Religio ſit Domus Regis, ibi ſemper debet eſſe armatorium, in quo inveniantur hujuſmodi arma. Conſtat autem quod arma Prædicatoris ſunt auctoritates ſumptæ de libris.*

VI. Deinde capite 130. ſuum vertit zelum in eos, qui non modo libros non comparant, ſed libros ipſos a majoribus emptos, blattis, carie, & pulvere conſumi per damnabilem negligentiam ſinunt. *Circa ſecundum nota, quod apud quoſdam, qui diligenter cuſtodiunt caſeos a muribus, poma, & pyra a putrefactionibus, veſtes a tineis: ita male cuſtodiuntur libri ſacri, quod modo per irreverentiam in eorum manibus viliter deturpantur, modo per negligentiam amittuntur, modo per incuriam deſtruuntur.* Heu quot ipſe Bibliothecas vidi optimis a majoribus inſtructas codicibus cum MSS. tum typis editis, quos, juniores vel ipſimet vendiderunt, vel ab aliis ſurripi, vel aliis viis perire permiſerunt. Antiqui parva Cœnobia, anguſtas cellas habebant, ſed amplas librorumque copia munitas bibliothecas. Contra nunc res ſe ſe habet. Cap. 136. eos redarguit Humbertus, qui vel in exquiſito pretioſoque ornatu, vel in multitudine librorum ſtudium collocant. *Circa ſecundum nota, quod circa libros eſt reprehenſibilis nimia pretioſitas & maxime in libris Religioſorum, qui maxime debent prætendere paupertatem . . . . item multitudo. Sunt enim quidam qui habent libros ſufficientes omnibus diebus vitæ ſuæ: adhuc non ceſſant cumulare libros, & inutiliter conſervare, in quibus quandoque nunquam legunt . . . . Contra hos eſt verbum Pytagoræ dicentis: Cave, ne armarium doctius habeas, quam pectus. Item reprehenſibilis eſt nimia affectio ad libros, propter quod multi mala incurrunt: cum habent, nolunt aliis mutuare. Cum ab aliis in aliquo maculantur, graviter perturbantur, cum auferuntur, ferunt impatienter. Non tale nobis reliquit exemplum Beatus Dominicus, qui adhuc ſæcularis neceſſarios libros vendidit, & indigentibus pretium diſtribuit.*

C A-

CAPUT ULTIMUM.

Univerſi operis epilogus. Adhortatio ad Regulares, ut Reformationem ſuſcipiant; & ad Superiores, ut eamdem invehant.

I.

Nimia prolixitate hactenus diſputatum. Non inficior. Otii plus ſi fuiſſet, contractior opella, minuſque fortaſſe impolita prodiret. At hocce in genere cauſſæ, nec brevitatem, nec ſermonis æquabilitatem ubique ſibi conſtantem, nullibique ſerpentem tanti feci, ut manum operi, quod pro Chriſtianorum conformandis moribus parare feſtino, ſubducere debuerim, quo omnia ad vivum reſecarem. Quandam orationis meæ redundantiam jam inter præfandum confeſſus ſum, quidque in cauſſa fuerit, cur ejuſmodi inſtiterim viæ, palam feci. In præſens cum Apoſtolo ſubdere valeo. *Inſipiens factus ſum vobis. Vos me coegiſtis.* Vos inquam me coegiſtis innumeros, difficillimoſque expedire nodos. Coactus fui adverſus multiplices veritatis impugnatores manus conferere: & alios eamdem recta adorientes propulſare, alios ab eadem, huc atque illuc longius fugientes ſequi, & magnis itineribus eos uſque ad latebras, ultimoſque receſſus ſe ſe recipientes perſequi, donec comprehenderem eos. Plurimæ ſunt a veritate aberrandi viæ: contra una veritas eſt. Non ergo mihi vitio vertendum, ſi ut effugia quæque, rimaſque omnes occluderem; ſi artificia, prætextus, ſophiſmata, atque commenta, quantum per me licuit, penitus labefactarem, eadem principia ſæpius repetiverim, ut ad eamdem, & unicam veritatis ſemitam devios revocarem. Addit Auguſtinus, eamdem veritatem uno modo dictam non movere, alia ratione expreſſam, & in altera oculorum acie poſitam permovere. Illud etiam diſplicebit non paucis, quod orationem meam figuris, tropis, Scripturarum oraculis, Patrum ſententiis, Sanctorumque exemplis, pro re nata, reſperſerim: quod modos vehementiores adhibuerim. Quoniam inquiunt, talia exempla, figurataæque dictiones libris illis conveniunt, qui aut concionatorii aut aſcetici, aut ſpirituales vocantur. Optime ſane, ac ſi Theologia, quæ euangelica conſilia ediſſerit, quæ ſublimioris chriſtianæ perfectionis imaginem depingit, non ſpiritualis, ſed corporea, aut ſophiſtica quædam facultas dicenda eſſet. Proh Deum immortalem! An ne de alæ muſcæ compoſitione contenditur, clamat Doctiſſimus Elizalda? Nunquid in quæſtionem vertitur quot annos vixerit Mathuſalem, vel quoto ætatis ſuæ anno conjugium ſortitus Salomon ſit? ſtetne Cœlum, an moveatur: aut quid Deus egerit ante mundi creationem, quas quæſtiones frigidas appellant Auguſtinus, & Hiero-

nymus? An non æternæ ſalutis noſtræ negotium non agitur, ut quanta orationis vi, & efficacitate uti non liceat? Numquid Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus ubi cauſſa vertebatur de moribus moli oratione fluxerunt? Numquid unus Magiſter noſter Chriſtus adverſus falſas morum opiniones, quas legis Doctores evulgabant, leniter labebatur? Non ergo juſſi ſumus obſecrare, arguere, increpare? Quod ut præſtemus, & non adulemur, patientia quidem omnis neceſſaria eſt; quod iſta via ſit diſplicendi, offendendi, ſufferendi; veritatis tamen eſt. Porro inquit textus: *melius eſt pro veritate pati ſupplicium, quam pro adulatione conſequi beneficium*. Ut hanc veritatem tueamur, non Patri, non Matri, non Fratribus parcendum; quoniam Chriſtus inquit. *Qui amat Patrem, aut Matrem, pluſquam me, non eſt me dignus.* (Matth. 10. v. 37.) Nobis itaque minime blandiendum, quod non furemur, non occidamus, quod juſtum non opprimamus, quia ſive Patrem, ſive Matrem, ſive Fratres, & impendio magis, ſi gentem, ſi nationem plus Chriſto, plus veritate diligimus, incunctanter peribimus.

Quare teſtor, obteſtorque mihi ad hæc ſcribenda incitamento minime fuiſſe, aut partium ſtudium, aut gloriolæ captationem, ſed veritatem: non amorem, propenſionemque in aliquam, ſive gentem, ſive nationem, ſive Cœtum, ſive Cœnobia, ſive Provinciam, ſive Fratres, ſive Congregationem, ſed veritatem. Quorſum? *Ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*, inquit Apoſtolus (Cor. 1. v. 12.) Schiſmata autem concitant non qui pro veritate pugnant, ſed qui veritati adverſantur. Veritas enim eſt, cui ſemper litandum, quæque palmam ubique ſibi vendicat, ut verbis concludam Eſdræ (lib. 3. cap. 4.) *Veritas magna, & fortior præ omnibus . . . . . . Veritas manet, & invaleſcit in æternum, & vivit in ſæcula ſæculorum: Nec eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias; ſed quæ juſta ſunt facit omnibus injuſtis, ac malignis. Benedictus Deus veritatis . . . . . & omnes populi clamaverunt & dixerunt: Magna eſt veritas, & prævalet.* Hanc veritatem ſi ubique aſſequutus ego non ſum, humano id errore, non animi vitio contigit. Si contra eidem acceſſi, ſicuti in ſpem adducor certiſſimam, illud a te lector benevole peto, quod Zorobabel a Rege Dario poſtulavit. *Memor eſto voti tui, quod voviſti . . . Hoc eſt quod poſtulo Domine, & quod peto . . . . ut facias votum, quod voviſti Regi Cæli ex ore tuo.*

I I.

Votum, quod labia veſtra, viri Religioſi Deo Patri, & Filio ejus JESU-CHRISTO diſtinxerunt, eſt inter cætera paupertas evangelica, quæ fuit univerſæ diſputationis noſtræ argumentum, cujus ſpecimen hic breviſſime perſtringo. Iſtius paupertatis indolem, & characteres, non verbis

bis modo, ſed operibus Divinus ſervator noſter, atque illius Apoſtoli, & Diſcipuli docuerunt. Paupertas iſthæc non neceſſitatis, & urgentis penuriæ fructus eſt, ſed liberæ caritatis, quæ dum bona externa communia efficit, internam animorum concordiam parit. Hanc paupertatem in bonorum omnium communione ſitam; & in Apoſtolorum actis deſcriptam vovere Regulares omnes, Patrum, Conciliorum, Pontificum, Regularum Monachalium integra prima diſſertatione demonſtravi. In hanc concedere ſententiam Theologos omnes ſecunda diſſertatio oſtendit. Hinc neceſſaria conſecutione profluit tertia diſſertatio, in qua palam feci, eos omnes Regulares, tum Prælatos, qui pro virili parte præfatæ communitatis obſervantiam in ſua Cœnobia non invehunt, tum ſubditos, qui reſiſtunt introductioni in æternæ ſalutis verſari diſcrimine: & ut excuſationes, atque prætextus, qui obtendi ſolent, omnino eliderem, quartam inſumpſi diſſertationem, treſque alias adjeci, in quibus, & quæſtiunculas ab aliis indictas excuſſi, & reformandæ diſciplinæ evici neceſſitatem.

Quas in his noſtris diſputationibus præceptiones dedimus, non tanquam opiniones, aut probabiliores, aut tutiores, ſed ut ſententias, ſi recte ego ſapio, indubitatas, certiſſimaſque, exhibui. Eas proinde amplecti tenentur, non ſolum illi, qui probabilioribus ſeu veriſimilioribus adhærere in morum controverſiis ſibi jure, ac merito gloriæ, & Religioni vertunt. Sed omnes cujuſque ſcholæ alumni, omnes, qui euangelium profitentur. E duobus ergo alterutrum præſtandum. Aut ſententias noſtras falſitatis revincere, vel dubias ſaltem, non ſophiſticis argutationibus, ſed ſolidis Theologiæ principiis efficere: aut illas executioni demandare. Alioquin utriſque rejectis, ſalutis jactura vi juſtæ ratiocinationis conſequitur. Cur itaque utrumque negligitur? Cur nec reformatio ſuſcipitur; nec doctrina, quæ reformandæ diſciplinæ neceſſitatem evincit, falſa oſtenditur?

Vereor ego, atque ſummopere vereor, ne in cauſſam reformationis Monaſticæ recidat, quod de Religionis Chriſtianæ inſor uniis ſcribit Tertullianus in Apologia adverſus gentes ſub initium. *Si non licet vobis, Romani Imperii Antiſtites, in aperto, & edito ipſo ferre vertice civitatis præſidentibus ad judicandum, palam diſpicere, & coram examinare quid ſit liquido in cauſſa Chriſtianorum . . . . liceat veritati vel occulta via tacitarum litterarum ad aures veſtras pervenire. Nihil illa de cauſſa ſua deprecatur, quia nec de conditione miratur; ſcit ſe peregrinam in terris agere, inter extraneos facile inimicos invenire. Cæterum genus, ſedem, ſpem, gratiam, dignitatem in Cælis habere: unum geſtit interdum, ne ignorata damnetur. Quid hinc deperit legibus in ſuo Regno dominantibus, ſi audiatur? An hoc magis gloriabitur poteſtas earum quod etiam inauditam damnabunt veritatem? Cæterum inauditam ſi damnent, præter invidiam iniquitatis, etiam ſuſpicionem merebuntur alicujus con-*

ſcientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non poſſint. Hanc itaque primam cauſſam apud vos collocamus, iniquitatis odium erga nomen Chriſtianum. Quam iniquitatem idem titulus & onerat, & revincit, qui videtur excuſare, ignorantia ſcilicet. Quid enim iniquius, quam, ut oderint homines, quod ignorant, etiam ſi res mereretur odium? Tum enim meretur, cum cognoſcitur, an mereatur. Vacante autem meriti notitia, unde odii juſtitia defenditur? quæ non de eventu, ſed de conſcientia probanda eſt. Cum ergo propterea oderint homines, quia ignorant, quale ſit, quod oderunt, cur non liceat ejuſmodi illud eſſe, quod non debeant odiſſe? Ita utrumque ex alterutro redarguimus, & ignorare illos, dum oderunt, & injuſte odiſſe dum ignorant. Teſtimonium ignorantiæ eſt, quæ iniquitatem, dum excuſat, condemnat, cum omnes, qui retro oderant, quia ignorabant, quale eſſet quod oderant, ſimul, ut deſinunt ignorare, ceſſent & odiſſe. An his miſerrimis calamitoſiſque temporibus plurimi ſint eorum, qui ita excandeſcant in reformandæ diſciplinæ Monaſticæ cauſſam, quam ignorant: qui renuant illius amplectendæ debitum graviſſimnm commeditari, & expendere, quod timeant veritatem ſemetipſos damnantem reperire: & quod non ſolum intelligere nolint, ut bene aganr; ſed inſuper vehementer oderint, quod ignorent, ut gravius delinquant, aliorum eſto judicium. Neque inveſtigare noſtra intereſt, num apud nonnullos tales inveteraverint opiniones, eorumque animis talia hæreant præjudicia, ut vel ipſum Regularis obſervantiæ nomen audire recuſent, atque in libros ipſos, in quibus reparandæ diſciplinæ argumenta tractantur, naſute atque ſuſpicioſe inquirant, moras nectent, & impedimenta interponant, nec publicam lucem ſubeant, ita ut cum Tertulliano ſupplicare debeamus: *Liceat veritati vel occulta via tacitarum litterarum ad aures veſtras pervenire.* Iſti ſi forent, nollent audire, quod auditum damnare nequeunt, ubi duo crimina Tertullianus deprehendit, & execratur alterum, quod illud improbant, quod ignorant: alterum quod illud ignorent, ne cognitum inſectari nequeant. *Ita utrumque ex alterutro redarguimus, & ignorare illos dum oderunt, & injuſte odiſſe, dum ignorant.*

III.

Sed quid amplius aut argumentis, aut apologiis mentem defatigamus, & non potius ſuavi, lenique adhortatione in animos illabamur? Et primum omnium in memetipſum convertenda oratio eſt. Cauſſam certiſſimam, optimam, ſanctamque ego defendi, quæ ſi omnibus non placet, ſi ab omnibus ultro non ſuſcipitur, non id certe in illam, ſed in caput meum potius referendum eſt. Quanquam enimvero unius veritatis publicique boni amore ad hanc diſputationem aggreſſum me eſſe dixerim, iterumque confirmo; non idcirco tamen adeo valde me amo, aut deliro,

ut

ut ignorem, me peccatorem eſſe, cui ne a Domino dicatur, vereor: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Non eſt ergo, quod ſatyris me alii laceſſant, dicteriiſque concidant, quaſi mea vitia illorum virtutes ſint, ultro me peccatorem, & quidem maximum, ſincere confiteor, multa me in hac exornanda ſparta peccare potuiſſe: plura reipſa peccaſſe, haudquaquam erubeſco fateri. Quin majori, qua valeo ſpiritus demiſſione cordiſque dolore miſericordiam imploro a Deo Patre, JESU-CHRISTO Filio ejus intercedente. Ipſum enixe adprecor, ne permittere velit, ut vel delicta mea, vel dictio, ſeu minus prudens & temperata, ſeu nimium aſpera & acris, aut non ſatis eloquens, & efficax damnum aliquod optimæ, veræ, ſanctæque cauſæ inferat, vimque veritatis enervet, extenuet, obnubilet. In ſpem firmam ingredior fore, ut meritorum Redemptoris mei intuitu, ſit mihi Deus omnium aberrationum mearum veniam conceſſurus. Interim ego omnia errata mea Sanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni demiſſe obſequenterque ſubmitto, vellemque ut ſingula verba mea, ſyllabæque ſingulæ caritatem, amicitiam mutuamque concordiam ſpirarent, inveherent, inducerent. Utinam id Deus faxit.

IV.

Ad vos tandem venio Religioſos humaniſſimos, non ut rationum vi, argumentorumque armis vobiſcum contendam; ſed, ut quaque contentione, diſſidioque procul amandato, dulci amicitiæ fœdere conjuncti, & veluti agglutinati, uno ore, una mente, uno eloquio, bona, ingenuaque fide paullulum colloquamur. De quo? De unico ſummoque æternæ ſalutis noſtræ negotio. Iſtud ſerio perpendamus, iſtud tota mentis indagine ſcrutemur. Nos itaque, abſque ullo diſſidio, præter ſacram baptiſmatis profeſſionem, qua Chriſtianæ Religioni nomen dedimus, altera quaſi ſolemniori, utpote magis deliberata, majoremque redolente perfectionem Deo dicati, atque conſecrati ſumus. Hanc ſecundam profeſſionem, ſecundum baptiſma Bernardus appellat (tract. de diſp. & præcep. cap. 23.) *Audire vultis a me, unde inter cætera pœnitentiæ inſtituta, Monaſterialis diſciplina, meruerit hanc prærogativam, ut ſecundum baptiſma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, qua præeminens univerſis vitæ humanæ generibus, hujuſmodi converſatio profeſſores, & amatores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit; immo Divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Chriſto inſtar baptiſmi, quaſi denique baptizamur, dum per id, quod mortificans membra noſtra quæ ſunt ſuper terram, rurſus Chriſtum induimus complantati denuo ſimilitudini mortis ejus. Sed quomodo in baptiſmo eruimur de poteſtate tenebrarum, & in regnum transformamur claritatis æternæ: ita & in ſancti hujus*

ſecun-

ſecunda regeneratione propoſiti de tenebris æque non minus originalis, ſed multorum actualium delictorum in lumen virtutum evadimus. Hæc ſunt notiones, hi ſunt characteres, atque prærogativæ vitæ noſtræ.

Vi primæ in ſacro baptiſmate editæ profeſſionis aſtringimur ambulare in lege Domini, illius mandata cuſtodire, eadem toto cordo exquirere, in eiſdem nos exercere, & delectari ſicut in omnibus divitiis: & ut propius ad rem noſtram accedamus, Chriſtiani omnes divitias, theſauros, cunctaque bona poſſidere debent tanquam non poſſidentes, iiſdemque uti tanquam non utentes. Hanc paupertatem, quæ animum ab affectu rerum terrenarum abſtrahit, paratumque ad rejicienda, contemnendaque bona quæque, ne a Deo deſciſcat, habitualem Patres vocant. Huic paupertati, Chriſtiani omnes graviſſimo aſtricti ſunt præcepto. Porro nos Religioſi præceptum iſtud, ut facilius executioni demandaremus, Divino aſſlante Numine, primum conſilium euangelicum publico Sacramento ſervandum ſuſcepimus. *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Difficile admodum nobis viſum fuit, eſtque re, divitiis affluere, & ab eiſdem ſejunctum conſervare animum. Idcirco ne terrenarum lenocinia, ac voluptatum illecebræ nos ſeducerent, bona omnia ſolemni voto abegimus, rejecimus. Huic Monaſticæ paupertatis hoſtiam ad ſacras aras Deo Patri, & Filio ejus JESU CHRISTO litavimus in conſpectu Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, videntibus Angelis, Divis plaudentibus, auſpicibus Patriarchis, quorum inſignia præferimus. Expergiſcamur nunc viri Fratres, ſerioque tandem animo reputemus quod *Deus non irridetur* (ad Galat. *6. 7.*) Rationem ergo vitæ noſtræ inſtituamus, morumque noſtrorum imaginem conferamus, cum Redemptoris ejuſdemque Apoſtolorum, Patriarcharum, majorumque noſtrorum exemplari, ut ſimilitudinem, aut diverſitatem colligere valeamus. Nunquid Chriſti & euangelico-Monaſticæ paupertatis imaginem in nobiſmetipſis exprimeremus, ſi reipſa nullum iſtius paupertatis incommodum, nullam moleſtiam, nullamve penuriam pateremur? Quid ſi contraria premeremus veſtigia? videlicet ſi exquiſitioribus veſceremur epulis, ſi molliores indueremus veſtes, ſi ſplendida, & magnifica eſſent domicilia noſtra? Heccine foret Chriſti ſimilitudo? Hæccine ſenum noſtrum imitatio? Quid amabo vos, valeret paupertatis votum, ſi tot permitteret commoda? Quis hominum talia reſpueret vota, quæ abundantem bonorum, pecuniarumque uſum concedunt? *Nolite errare* (clamat Paulus) *Deus non irridetur* vanis diſtinctiunculis uſus & dominii, neque ineptis commentis licentiæ, conſuetudinis, taciti conſenſus, aliiſque noſtris cogitatis, quæ paupertatis euangelicæ ſpiritum penitus reſtinguunt, omnemque delent effigiem, atque diſſimiles imagini Chriſti JESU nos efficiunt. Hæc nobis ſerio commeditanda, ut ſaltem quid declinandum, quid amplectendum ſit, innoteſcat. Sæpius hocce in opere dictum a me fuit, repetendumque eſt etiam atque etiam: gravi nempe periculo obnoxios illos eſſe, qui aut im-

pel-

pellente concupiſcentia, aut fallente Dæmone legem violant, & holocauſta paupertatis ſemel Deo oblata, quandoque eripiunt; dum tamen ſe peccare fatentur, ſperandæ ſalutis fundamentum aliquod ſupereſt. Verum quæque de illis ſublata ſpes videtur, qui non modo a profeſſione legum deficiunt; ſed legum tranſgreſſiones excuſant, ac non tantum vitiis ipſis officias virtutum prætendunt. De his hæc ſcribit D. Bonaventura (de proceſ. Rel. 5. cap. 3.) *Tales opiniones quandoque periculoſiores ſunt, quam apertæ tranſgreſſiones. Quia ubi ſcit homo ſe delinquere, inde facile corrigitur: ubi autem neſcit ſe peccare, inſuper credit ſibi licere, inde nec in morte pure convertitur propter falſam ſpem, quod forte licuerit, vel minus in eo peccaverit.* Procul ergo faceſſant erroneæ opiniones imperitæ multitudinis auctoritate nixæ. Illud in memoriam revocemus viri fratres, quod ſerpens Divini mandati fallaci interpretatione Protoparentes noſtros deceperit. Ergo, inquit Auguſtinus (lib. de cathec. rudib. c. 2.) *Tene te ad legem, & non ſequaris prævaricatores ejus: non enim ſecundum illorum ſenſum, ſed ſecundum illius veritatem judicaberis.* Caveamus ab eis, qui Divina eloquia ad proprias appetitiones detorquere ſtudent, ſecus, ad illorum normam ſuos reformare mores: ut ſcribit Auguſtinus (conc. 1. in Pſalm. 48.) *Omnia Divina eloquia ſalubria ſunt bene intelligentibus: pernicioſa vero his, qui ea volunt ad ſui cordis perverſitatem detorquere, potius quam ſuum cor ad eorum rectitudinem corrigere.*

V.

Precibus nunc ſupplicibus cum Prælatis omnibus Regularium, potiſſimum vero cum Purpuratis res Monaſticæ curandæ Patribus ago. Illos ego oro, obteſtorque, ut pro eo, quo ardent zelo Catholicæ Religionis ſanctitatem ſartam tectam cuſtodiendi, velint ſolicitudines duplicare ſuas in collapſam Regularium vivendi formam reparandam. Ex iſtorum quippe diſciplina optime inſtituta mirum in modum ſplendet Eccleſia Romana Catholica. Ab hac diſciplina univerſi populi Chriſtiani ipſorumque clericorum ſæcularium reformatio magnopere pendet. Exemplo nobis ſit Chriſtus noſter, qui mundum reformaturus Diſcipulos ſelegit, qui vitam ducebant communem, qui vinculis divitiarum expediti totum mundum peragrarunt Euangelium promulgantes. Regulares nunc Paſtorum Eccleſiæ adjutores Sanctum Dei verbum populis frequentiſſime explanant, juvenes imbuunt tum litteris, tum moribus. Si iſti, qui vi ſanctioris profeſſionis, peculiari morum integritate populis præfulgere debent, ſolutam vitam ducerent, quid boni ſperandum foret? Immo quæ mala non timenda hac maxime tempeſtate, qua omnia ad calamitatum, miſeriarumque vergunt extremum? Regulares ergo omnium primi reformandi ſunt, ut inundanti vitiorum torrenti agger aliquis opponatur.

Ac-

Accedit, quod iſtorum reformatio facilior ſit, ſi remedia, quæ Sanctiſſimi Pontifices perſcripſerunt, vere, atque amuſſim executioni demandentur. Agite ergo viri Principes, Antiſtites, Prælatique omnes, & pro ea majeſtate atque auctoritate, qua ornati eſtis manus operi adjicite. Cunctis remiſſæ diſciplinæ Cœnobiis facultatem recipiendi ad Monaſticam profeſſionem juvenes facultatem adimite, illamque ſolis illis Conventibus, qui non ad ſpeciem, ſed revera communem vitam, ſervant juxta Regulas, & Apoſtolicas Conſtitutiones impertiamini. Hæc eſt ſola, & unica, ſimulque plana, & facilis via, collapſos reparandi Ordines, ut demonſtratum a nobis eſt.

V I.

Illud tandem eſt reliquum, ut ad Tribunal Domini mei JESU Chriſti Filis æterni Patris cauſſam hanc meam deferam, ut eam definiat, ad eamque ſua efficaciſſima poteſtate exequendam omnes inducat. Interim ego denuo etiam atque etiam a te Domine peto, ut delictis meis, atque erroribus, qui calamo mihi excederunt, in hoc conficiendo tractatu, veniam impertiri digneris. Si quid vero boni eſt in tui gloriam, & honorem cedat quoniam a te, & per te ſolum eſt. Tu es via, veritas, & vita. Omne ergo verum, tuum eſt, & ſola tua via, quæ veritatis eſt, via ſalutis eſt. Qui in te vivit, vitam habet, & qui in te non vivit, mortuus eſt. Fac itaque Domine JESU, ut in te dum peregrinamur a te, vivamus omnes, ut in Patria tecum regnaturi ſimus in ſæcula ſæculorum. Amen.

F I N I S.

COL-

COLLECTIO
VARIORUM TRACTATUUM,
QUOS

CONCILIORUM CONSTANTIENSIS, & BASILIENSIS Theologi plures, aliique Doctores ſuper peculio Monachorum ediderunt.

ACCEDUNT PRÆTER PRÆFATIONEM in ipſam Collectionem, brevia præloquia in quemque Tractatum.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
IN SEQUENTIA OPUSCULA.

DUo potiſſimum ad hæc recudenda opuſcula in cauſſa fuere. Alterum, ut tenebris, quibus aliqua pene ſepulta jacebant, ſubducerem, & alia diſperſa colligerem, & lectoribus communia facerem. Enimvero ſi tanto ſtudio, nulla laboris, impenſarumque habita ratione, undequaque omnes conquiruntur lucubrationes, quæ non modo in Comitiis, legibus, artibus, moribuſque: verumetiam in vitiis ipſis, ludis nempe, Theatris, Amphitheatris, ſpectaculis bacchanalibuſque paganorum, eorumque fœminarum veſtibus, calceis, aliiſque, id genus, ſexcentis reculis explicandis omnino verſantur, atque ex eiſdem in unum collectis ad æternam poſterorum memoriam ingentia conflantur volumina: ſupervacanea ne ea reputanda induſtria erit, qua Sanctorum hominum, vel minimæ opellæ, quæ divina conſilia, cœleſteſque leges ediſſerunt, maximumque æternæ ſalutis noſtræ negotium verſant, a jactura ſervata poſterorum memoriæ conſignantur? Nemo ſane, qui recte ſapit, iſtius conſilii rationem, laboriſque utilitatem manifeſtam improbare audebit. Alterum, ut eorum ora obſtruerem, qui hac difficillimorum temporum calamitate, non modo ſe ad meliorem frugem revocare nolunt, honeſtamque vivendi conſuetudinem amplecti renuunt; ſed aliorum quoque ſaluti invident: & cæco quodam abrepti furore, in eos debacchantur, qui collapſam morum diſciplinam, omni argumentorum genere inſtaurandam evincunt: *Quia* (inquit Salluſtius de bell. Catil. num. 3.) *plerique, quæ delicta reprehenderis, malevolentia, & invidia dicta putant*. Opiniones adeo erroneæ inveteravere, ut ipſorum hominum non pauci, qui laxas opiniones in dies ſerpentes deteſtantur, qui in conformandis Chriſtianorum moribus ſeveriorem oſtentant doctrinam, ſanctioremque diſciplinam; dum ſuæ audiunt profeſſionis publicos abuſus, corruptelaſque auferendas eſſe, ira excandeſcunt, & maledicta evomunt. Veniam dabit Lector, ut inter præfandum obiter, quod recenter contigit, indicem, breveſque vindicias, pro re nata, inter-

terferam. Non ita pridem in lucem liber venit, qui reformandæ Monaſticæ diſciplinæ, veluti delibamentum præfert: & en repente duplex hominum genus ad auctoris perniciem armare linguam, ciere turbas, animique furentis jacula vibrare. Prioris generis homines ſunt aperti Monaſticæ diſciplinæ oſores, qui cum nihil haberent, quod adverſus luculentam, certiſſimamque doctrinam in publicum emittere auderent, in angulis garrire, clancularia muſſitatione obtrectare, inter fœderatos privatas litteras diſſeminare aggreſſi ſunt. Iſtorum garrituum quaſi præſcius auctor, ſaluberrimum Divi Thomæ Aquinatis monitum, quod habetur (opuſc.18. c.16.) lectoribus omnibus dederat, repetendumque illis, nunc opportunum & ipſe exiſtimo. *Si quis autem his contradicere voluerit, non coram pueris garriat, ſed ſcribat, & ſcripturam proponat in publico, ut ab intelligentibus dijudicari poſſit, quod verum ſit, &, ut quod erroneum eſt, auctoritate veritatis confutetur.* Verum hoc ſpreto conſilio, ad conſuetam maledicendi, calumniandique artem confugerunt. Quandoquidem libri ſcriptorem ſycophantam, vafrum calumniatorem, factioſum, criminatorem, impudentem & quid non? clandeſtinis ſermonibus traduxerunt: librum ipſummet Regularium ordinibus injurioſum, iiſdemque ignominiæ labem aſpergere clamabant. Cur? Quod Monachi, & mendicantes ſua reapſe peculia habent, legeſque propriæ profeſſionis jam antiquatas ſervare negligunt. Numquid propterea, ſubdunt, omnes cœcutiunt? An ne tot ſupremi ſacrorum Ordinum moderatores: anne tot Doctores, tot laureati Magiſtri in tenebris ambulant, & a via veritatis aberrantes, viam percurrunt damnationis? Ejuſmodi ſophiſmata vix anicelia digna, aurito popello venditabant non indocti tantum, ſed illi ipſi, qui ſæpius in ore habent: *Argumentum peſſimi turba eſt. Futile peccati patrocinium, multitudo peccantium.* Illi ipſi, libros omni adhibita moderatione exaratos, ſacrorum Ordinum decori infeſtos traducunt, qui geſtu, ſermone, inceſſu, operibus propriæ profeſſioni ſplendorem non ſemper afferunt, ſanctioriſque famæ patrimonium a majoribus nuditate, jejuniis, ciliciis, & carnis ſeveriſſima conflictatione partum interdum aliqui publice prodigunt, diſſipantque, ut alias dictum, & dicendum ſæpius eſt. Iſti profecto ſuæ æternæ ſaluti minus conſulunt, quod euangelicam contemnant correctionem. Iſti, tanquam Criſtianæ Reipublicæ, quin & civilis Principatus perditores in ordinem redigendi ſunt. Quodnam, malum, iniquitatis portentum iſtud eſt? Non modo reſipiſcere ipſi renuunt, ſed aliorum etiam ſaluti inſidiantur; cum & vitia argui, & abuſus convelli pro virili parte impediunt. Cur? Quoniam, inquiunt, ex ejuſmodi pro reformatione libris, Ordines Regularium infamiam ſubeunt. Infamarunt ergo ſacros Ordines

nes

nes Auguſtinus, Hieronymus, Bernardus, Concilia tum Generalia, tum Provincialia, quæ tot pro reformatione volumina, nedum Decreta, ediderunt? Infamarunt ne ſacros Ordines Pontifices ſummi, qui non modo, publicas rogarunt conſtitutiones, quibus reformationem præcipiunt, verum etiam tremendiſsimo interdicto continuandæ ſucceſsionis Religiones collapſas mulctarunt? Nonne Italia univerſa plurium annorum ſpatio, quorumdam Ordinum *Novitiatus* quos vocant, clauſos aſpexit? Quid quod hoc ipſo tempore, ſi ejuſmodi collapſi Ordines induere juvenes volunt, *Sacro jurejurando* teſtari coguntur, in cœnobiis, in quibus induendi ſunt juvenes, exactam vigere obſervantiam, quod verum ne ſit, illi viderint? Denique Catholicæ Eccleſiæ diſciplinæ novæ, & veteris lapſus, corruptelaſque: Chriſtianæ Religionis crimina, laxitates ingentium voluminum multitudine recenſent, deteſtantur, remedia, quibus auferantur, ſuggerunt Catholici ſcriptores Quis verò unquam oppoſuit, Chriſtianam inde Religionem, aut Eccleſiaſticam diſciplinam dedecus ſubiiſſe? Quoniam hominum, non Religionis, vitia redarguuntur. Qua igitur fronte objicere audent iſti, ſacros Ordines infamari, cum aliquorum collapſam diſciplinam reformandam, & corruptelas evellendas, quis oſtendit, quemadmodum præſtitit præfati libri auctor? In toto namque illo opuſculo, nec verbum eſt (ptout mihi attente legenti deprehendere licuit) quod Ordinis decori minus ſit conſonum. Quin ubique doctrinæ integritatem, morumque ejuſdem Ordinis ſanctitatem a legibus præſcriptam extollit. Domeſticum Scriptorem laxioris doctrinæ patronum confutat, quod illius Ordinis peculiaris gloria ſit, privatas ſubditorum opiniones minime adoptare, ſed illas cum a veritate declinant, non ſecus, ac exterorum ſcriptorum ſententias ſolidiori doctrinæ adverſas impugnare, ut in præfatione dicti libri indicatum occurrit. Quare tantum abeſt, ut Ordini ſacro quidquam præjudicii attulerit ſcriptio illa, quin ejuſdem auctorem de Ordine, de ſaniori doctrina, atque de veritate ipſa benemereri nemo prudens negaverit. Quæ cum ita ſe ſe habeant, qua æquitate, qua conſcientia in vulgus ſpargunt præfatum librum ubique mordacitatem crepare, probra, occultaque Regularium crimina propalare? Quam puram, putamque calumniam, cum mihimetipſi narrarent non pauci, & ab illis poſcerem, ut paginam, ut lineam aliquam deſignarent, in qua ejuſmodi contineantur crimina, reponebant, ſe librum minime legiſſe, ſed id ab aliis audiviſſe. Viden' quomodo, vel ipſi, qui probitatem jactant, ex ſola fallaci relatione auctorum famam proſcindant, eo gravioris malitiæ ſontes, quo facilius ex obvia libri lectione veritatem deprehendere poſſent? Nec advertunt miſeri homines, ſe plurima

ma perpetrare flagitia, tam atroces evulgando impoſturas : tum quod veritatis progreſſui viam occludunt : tum quod ſcriptoris famæ per ſummam injuſtitiam detrahunt. Sed undenam in iſtis falſæ Ordinis gloriæ amatoribus, tam cœcus, ac impotens furor? Non profecto aliunde, niſi ab inveterata, altiuſque defixa prava vivendi conſuetudine. Quandoquidem, ut impune tranſgredi leges valeant, delictorum pœnas & cenſuras audire recuſant. Commentitiam Religionis gloriam opponunt, indeque ſcutum ſibi comparant, quo liberius ſuis appetitionibus facere ſatis queant. Quod adeo verum eſt, ut ſolis florentis diſciplinæ hoſtibus, aut propriarum anticipationum a vero aberrantium nimium amatoribus, diſplicuerit opuſculum illud. Cœterum omnes virtutis, ac Monaſticæ diſciplinæ cultores, præjudiciorumque vacui, nihil eo in opuſculo, niſi manifeſtam, exploratamque veritatem contineri palam adfirmant. Verum habet, ſubdit mitius alterum hominum genus. Liber ſanam præfert doctrinam, geſta veriſſima narrat. At in ſpiritu, non lenitatis, ſed iracundiæ : ſæpius vellicat, ferit, irritat : Si dulcioribus voculis, & blandiore ſtylo cauſſam oraſſet ſuam, benevolos ſibi conciliaſſet lectorum animos, uberioremque peperiſſet fructum. Hæc, uti ſolent mitiores, arte cenſores : modum carpunt, cum ſubſtantiam nequeunt. At quod iſtis non ſtyli acrimonia, ſed ſola incommoda veritas ſit, hoc eſto validiſſimum argumentum. Liber ille negotium ſummi momenti agit. Quippe oſtendit, obiter licet, Regulares omnes, qui privata peculia poſsident, neceſsitate evidenti ſublata, in æternæ verſari ſalutis diſcrimine. Veram, certiſsimamque hanc illi fatentur ſententiam. Quid ergo eam non amplectuntur? cur peculia non abigunt? cur Reformationi reſiſtunt? cur non reſipiſcunt, & ad meliorem ſe ſe recipiunt frugem? Deinde librum, ejuſdemque auctorem execrentur, & ad carceres mittant propter ſtyli acerbitatem. Sed quid diutius ludimus verbis? *Ita ſe natura habet* (inquit Hieron. Epiſt. ad Bonaſ.) *ut amara ſit veritas, blanda vitia exiſtimentur . . . Unde non mirum eſt, ſi & nos ipſi vitiis detrahentes offendimus plurimos. Diſpoſui naſum ſecare fœtentem, timeat qui ſtrumoſus eſt. Volo corniculæ detrahere garrienti, rancidulam ſe intelligat cornix . . . Volo in nummarios invehi Sacerdotes, tu qui dives non es, quid iraſceris?* Mehercle tanto furore non corripereris, niſi impotenter aurum argentumque deperires. Quid namque tua refert ſtyli, ſi qua foret, quæ tamen deeſt, acrimonia? defectus iſte ſcriptoris eſſe quit & forte non voluntatis, ſed temperamenti : Anne eadem, vel ipſis ſanctiſsimis viris blanda, & æquabilis ſcribendi ratio? Tibi mellita placent Ambroſii, Bernardi, Saleſii, aliorumque Doctorum verba, & ſuaves declamationes : quia forſitan illorum accedis indoli : Pluribus aliis Pauli, Auguſtini, Hieronymi acriculæ diſputatio-

nes arrident. Enimvero gratia non deſtruit naturam, ſed perficit, efficitque, ut & illi dulces, & iſti ſubiracundi ſine culpa, quin ſæpe cum merito evadant. Nunquamne locum habere debet illud Davidis: *Iraſcimini, & nolite peccare*? (Pſal. 3.) Verum quiſque optima, & honeſta ea reputat, quæ ſuæ reſpondent indoli, juxta illud Auguſtini. *Sanctum eſt quod volumus*. Hieronymus, cui præfervidum fuit temperamentum, piper, non mel ſuis aſpergere lucubrationibus opportunum exiſtimavit. *Quoniam* (inquit epiſt. ad Euſtoch. de Munuſc.) *mel in Dei ſacrificiis non offertur, nimia dulcedo arte mutata eſt, & quadam, ut ita dicam, piperis auſteritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuoſum, nihil tantum ſuave placet, niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis*. Hanc ſuam ſententiam auctoritate confirmat Sacræ Scripturæ. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*. (Eccl. 12. v. 11.) Ubi hæc habet idem Hieronymus. *Notandum eſt, quod dicantur verba ſapientium pungere, non palpare, nec molli manu atrahere laſciviam: ſed errantibus, &, ut ſupra diximus, tardis, pœnitentiæ dolores, & vulnus infigere. Si cujus igitur ſermo non pungit, ſed oblectationem facit audientibus, iſte non eſt ſermo ſapientis. Verba quippe ſapientium ut ſtimuli*. Recogitent commentitiæ Ordinis gloriæ jactatores antiquiſsimum illud effatum. *Intereſt Reipublicæ cognoſci malos*. Perpendant quoque illud Ciceronis (lib. 3. Tuſc. in procem.) *Eſt enim gloria, ſolida quædam res, & expreſſa non adumbrata. Ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute. Ea virtuti reſonat tanquam imago gloriæ. Quæ quia factorum plerunque comes eſt, non eſt bonis viris repudianda. Illa autem quæ ſe ejus imitatricem eſſe vult, temeraria, atque inconſiderata, & plerumque peccatorum, vitiorumque laudatrix, fama popularis, ſimulatione honeſtatis, formam ejus pulchritudinemque corrumpit*.

Verum aliorum miſsis vindiciis, ad nos regrediamur, & ad inſtitutum propius accedamus. Ne igitur ſimilis in me cudatur faba, operæ pretium me facturum exiſtimavi, meis diſſertationibus Sanctorum hominum nonnullos tractatus adjicere, ut tandem aliquando diſcant inanis gloriæ venatores, qua libertate, qua fortitudine, quo pectore Dei viri loquuti ſunt. Colligent, illos ſolos ſacrorum Ordinum veram imaginem, non adumbratam effigiem, gloriæ amare, & promovere, qui nullum non movent lapidem, ut abuſus diſciplinæ, & corruptelæ revellantur: qui qua ſcriptionibus, qua voce, qua bonorum operum exemplo curant, ut obſervantia Monaſtica refloreat. Si verba ego quandoque decretoria, & præciſas dicendi adhibui formulas, eo unice id pertinet, ut obtuſas aures paululum vellicarem, ut mentis excuterem ſoporem. Cœterum ſolius veritatis amor ad hocce conandum opus me impulit. Sed tam valde me non amo, ut ignorem, me in graviſsima quæſtione errare

po-

potuiſſe. Hoc unum tamen teſtor, ſi quid per exceſſum peccavi; errorem meum longe maxime mihi placiturum fore. Siquidem eam vitæ conſuetudinem neceſſariam Regularibus demonſtravi, quæ & mihi ſummopere incommodat. Quare ſi in hoc deceptus fui, quod ſemitam plus juſto arctiorem oſtenderim: ſi contraria via auri, argentique plena, deliciis, & oblectamentis reſperſa ad Paradiſum ducit, felix mihi meus continget error, & illud animum meum erigit, quod ſi aut per ignorantiam, aut per exaggerationem quidpiam mihi calamo exciderit, illud ſeveram non evadet cenſuram. Id dumtaxat expoſco, & jure mihi vindicare poſſe videor, ne veritatem dicteriis, & calumniis impetent, & ne bona deſtituti cauſſa, artibus, & dolis ſe ſe dedant. Fere omnia, quæ in hoc opere ſcripſi, ſanctorum Patrum, atque Theologorum auctoritate firmare ſtudui. Nihiloſecius, ut ſecurius quaque invidia me liberarem, ſequentes tractatus annectere cenſui. Cuique præmittam breve præloquium, in quo auctoris, & ſcriptionis prænotiones nonnullas perſtringam. An tot cautionibus maledicta vitaverim, vereor: maxime dum illud Apoſtoli commeditor (ad Galat. 4. v. 16.) *Inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis.* Ubi in ſuis commentariis, ſeu enarrationibus D. Thomas hæc ſcribit. *Nam homines veritatem dicentes a malis odio habentur. Veritas enim odium parit* . . . Noli arguere deriſorem, ne oderit te, argue ſapientem, & diliget te (Prov. 6.) *Bonitatis enim ſignum eſt, ſi iſte, qui corripitur, corripientem diligit. Et e converſo ſi eum oderit, ſignum eſt malitiæ.*

OPUS-

OPUSCULUM

A THEOLOGIS CISTERCIENSIBUS EDITUM, dum Sacro Conſtantienſi Concilio intererant, ſuper peculio Monachorum.

PRÆLOQUIUM

IN TRACTATUS

DE REBUS CISTERCIENSIBUS.

HErmannus *Vander-Hart* (tom. 3. part. 9. 10. & 11.) inſeruit opuſculum de peculio Monachorum, quod ex Bibliotheca Helmſtadienſi MS. extraxit. Veneti editores Collectionis Conciliorum Labæj hoc idem opuſculum tomo 16. inſeruerunt. Compoſitum fuit tempore celebrationis Conſtantienſis Concilii a Theologis Ciſtercienſibus. Tres in tractatus tributum eſt. Primi Auctor eſt *F. Henricus de Coſveldia* Monachus, ut ipſe teſtatur in ultimi capitis calce. Septem capitibus totam abſolvit ſcriptionem ſuam, eamque inſcribit Generali Abbati Ciſtercii in Concilio Conſtantienſi degenti. Hic eſt Joannes de Martiniaco, de quo hæc ſcribit *Manriquez* (tom. 1. Ann. Ciſt. in ſerie Abb.) " Joannes VI. dictus " de Martiniaco . . . . interſuit Sacro Concilio Conſtantienſi pro ſe, " & toto Ordine, in quo & cum duobus Cardinalibus, & uno Epiſ- " copo examinandæ doctrinæ Joannis Vviclephi, Joannis de Hus, & " complurium, cum plena poteſtate profectus eſt ann. 1416. ".

Hinc colligitur Hermannum *Vander-Hart*, non legiſſe ultimum iſtius opuſculi caput, cujus hæc eſt ultima periodus: *Hæc ſuper proprietate habenda ex prima parte de tribus votis Monaſticis Fratris Henrici de Coſveldia Monachi*. Si enim ad hæc animadvertiſſet, haud ſcripſiſſet in iſtius tractatus titulo partum eſſe auctoris Anonymi. Porro Henricus omnia argumenta examinanda Concilii Theologis proponit, quæ peculiorum fautores opponere conſueſcunt, ut oſtendat, licite Superiores Regularium ſubditis ſuis poſſe peculia concedere. Plures tamen adjicit conditiones; quarum prima eſt, quod Abbas, ſeu Superior exactam, & diſtinctam habeat cognitionem pecuniæ concedendæ. Altera, quod ſit ad uſum. Tertia quod ſit ad uſum bonum, quocumque malo excluſo. Quarta eſt, quod uſus iſte, quacumque ſuperfluitate dempta, ſit de rebus neceſſariis. Quinta tandem, quod tunc ſolum Prælatus peculii uſum concedere valeat, *quando cogit neceſſitas*.

His ſeveriſſimis adjectis conditionibus, quidam tunc temporis licitum peculii uſum Monachis reputabant. Et tamen difficilior longe eſt iſtarum conditionum obſervatio, quam, peculio abjecto, vitam ſervare communem. Quapropter illi Regulares, qui in Conventibus degunt, in quibus, vita communi pulſa, peculiorum ſuſcepit uſus, in graviſſimo periculo verſantur, votum tranſgrediendæ paupertatis.

Capite ſecundo doctrinam allegat Henricus ex D. Thoma (2. 2. q. 184. art. 7.) ex qua colligit paupertatem Monaſticam in animo a cupiditate alieno, non ſpreto rerum uſu, ſitam eſſe. Quod nihil a mente D. Thomæ magis alienum dici poteſt. Ibi Angelicus comparat perfectionem ſtatus Epiſcopalis, cum perfectione ſtatus Monaſtici, decernitque perfectione Epiſcopos Religioſis præſtare. Ad objectionem vero, primo illius articuli loco ſibi factam perfectionem ſcilicet euangelicam in bonorum renuntiatione ſitam eſſe: & conſequenter Religioſos, qui reapſe omnia relinquunt Epiſcopis bona retinentibus in perfectione antecellere; Reſpondet perfectionem euangelicam, non in actu eſſentialiter, ſed in animi promptitudine ad omnium bonorum diſtributionem, ſi opus fuerit, relucere. Quod verum habet. Sed quid hoc ad paupertatem Monaſticam? Hæc inſtrumentum eſt perfectionem comparandi, ut ait Angelicus. Paupertas enim duplex eſt: alia ſpiritus, ſeu animi parati ad omnia relinquenda, quæ omnibus Chriſtianis neceſſaria eſt. Altera Monaſtica, quæ actualem, realemque ut ajunt bonorum omnium privationem includit, ut ſuo loco ex Angelico demonſtravimus. Idque, ad rem facti declarandam, dictum ſit. In cœteris quinque capitibus nihil eſt animadverſione dignum.

TRACTATUS SECUNDUS.

Magni Monachorum viſitatoris ſub Concilio Conſtantienſi exarata conſtitutio negativa, quod Monachi propria non debeant poſſidere bona.

IN hoc ſecundo tractatu ſupremus Ciſtercienſium Viſitator ſuperiorem refutat diſſertationem, licet cancellis adeo anguſtis circumſcriptam. Idque præſtat, non ut auctor privatus, ſed tanquam publicus ſuæ Religionis Doctor, Conciliique Oecumenici Theologus, aliorumque Abbatum & Prælatorum nomine. Ea vero argumentorum efficacitate, eoque ordine, & claritate cauſſam ſuam agit, ut extra diſputationis aleam eam conſtituerit. Primo namque capite ſacrorum Conciliorum auctoritate peculium, & proprium voce tantum, ſecus re diſcrepare; vanumque commentum eſſe, quod peculium ab Abbate conceſſum, evidenti neceſſitate ſubmota, proprium non ſit, oſtendit. Effugium depoſitorum,

ſum, ut meram proprietatis technam explodit. Capite 2. omnia de communi per Prælatum conferenda eſſe evincit; nihilque prodeſſe Monachis, ſubdit cap. 3. bonam intentionem relinquendi omnia bona, ſi actu ea poſſideant. Capitibus 4. 5. 6. declarat, ſuperiores omnes deſtitutos eſſe poteſtate concedendi Monachis peculium. Capite vero 7. graviſſimam obligationem palam facit, qua ſuperiores obſtringuntur, ſubditos ſuos, cum poſſint, ad vitam communem ſervandam compellere. Sequentibus vero capitulis proprietatis characteres, & proprietariorum pœnas exponit. Objectiones, & ſophiſmata diluit, virtuteſque Monachis neceſſarias manifeſtat.

TRACTATUS TERTIUS.

TRactatum ſecundum excipit tertius, cujus auctor ignotus eſt, ſed quantum conjectura aſſequi poſſumus, eſt ipſemet ſupremus Ciſtercienſium viſitator, qui controverſiam de annuis Monachorum penſionibus ſeparatim verſare voluit. Eadem namque ac in tractatu Superiore doctrina, & forte clarius explicata, ut paulo infra palam fiet. Ut ut ſit, certum eſt Auctorem iſtius Tractatus Theologum fuiſſe ipſius Conſtantienſis Concilii. Teſtatur enim, mentem, ac propoſitum Concilii fuiſſe reducendi omnes regulares ad vitam communem. Hæc namque ſcribit c. 11. Sed experientia, quæ eſt rerum magiſtra, docet quod hujuſmodi Religioſi utriuſque ſexus ſint inquieti frequenter, inobedientes, nolentes reformari, neque hujuſmodi penſiones annuas ponere ad communitatem, etiam per ſuperiorum juſſum, & ſic proprietarii, & alii luſores, & fornicarii, bibuli, & crapuloſi, veſtibus pretioſi. Et quando alii Monachi eſuriunt, & ſitiunt, ipſi ſunt inebriati, nec paupertatem, nec obedientiam ſervant, nec ſaltem communem menſam tenent. Vide ergo quam periculoſus ſit ſtatus Superiorum hujuſmodi Religioſorum, qui hoc ſciunt in ſubditis fieri, & tacent, nec prohibent. Ecce omnes animæ hujuſmodi ſubditorum requirentur de manibus Superiorum, ſive *Clauſtralium*, ſive *Provincialium*. Vide quam periculoſus ſit ſtatus hujuſmodi præbendariorum, qui ſubſtantialia Ordinis non ſervant, quia perjuri, quia *nolunt obedire Generali Concilio quod utique voluit omnes Ordines reducere ad communem vitam. Quare ſunt extra ſtatum ſalutis: quia Monachus habens obolum, non valet obolum.*" Quid nunc dicendum, cum & Concilium Tridentinum & fere omnes ab illo tempore Romani Pontifices ſeveriſſime præcipiant Regularibus omnibus exactam bonorum communitatem? Quomodo ergo de licentia jactant Superiorum ſe pecula habere?

Porro Auctor in ultimo tractatu perſtringit fere omnia, quæ latius in duobus præcedentibus tractatibus diſputata ſunt: eaque, ad vivum omnia reſecando, ad certas contrahit Regulas. Primum argumenta recenſet

in favorem conſuetudinis retinendi peculia, ſeu annuas penſiones, tum rationes adverſus eamdem conſuetudinem explicat. Denique, ut argumentum preſſius urgeat, & ad incitas redigat omnes, qui male ſapiunt, quærit utrum regulares peculia retinentes ſint in ſtatu damnationis? & propoſitis, pro utraque parte, argumentis, *mediam ſententiam* ipſe promit in quinque concluſiones tributam. Concluſiones iſtius *ſententiæ mediæ*, quæ ſcilicet ab utroque extremo remiſſionis, & rigoris abſunt, adeo tremendæ unaque veræ ſunt, ut, paucis demptis, iſthuc eaſdem tranſcribendas duxi. Habentur autem capite ultimo.

Prima Concluſio. *Ad iſtam vitam Religioſam*, (quæ peculia, ſeu depoſita admittit) *ſequuntur multa mala, & inordinationes malæ, etiam abuſiones, & ſcandala . . . Hæc concluſio patet ex experientia, quæ eſt verum Magiſtra.*

Secunda Concluſio. *Prælatus dans licentiam ſic ſingulariter vivendi ſuis ſubditis, & Religioſis, & videns hujuſmodi abuſiones oriri ex ſua licentia, & non revocat hujuſmodi licentiam, nec aliqua ponit remedia contra hujuſmodi abuſiones, in quantum melius poteſt, eſt in STATU DAMNATIONIS: & omnium malorum, & culparum, quæ ex tali ſua licentia fiunt, eſt reus, & ſanguis animarum ſubditorum ſuorum de manibus ejus requiretur.*

Correlativum *hujus concluſionis, quod ſimiliter Papa vel Generalis Ordinum Mendicantium, vel Superiores particulares Monachorum cooperantes ad hujuſmodi licentias ſuper ſingulari vita, ubi tales abuſiones ſequuntur, ſunt in ſimili DAMNATIONE.* Illi Superiores tremendum in modum cooperantur huic *ſingulari vitæ*, qui munera & pecunias accipiunt pro dignitatum collatione. Cuinam ergo dubium eſt, quin tales ſint in ſtatu damnationis?

Tertia Concluſio. *Sive Papa, ſive quicunque alii inferiores Prælati diſpenſantes cum ſuis inferioribus ſine legitima cauſa, videntes ex diſpenſationibus ſuis hujuſmodi diſpenſationes oriri, & non revocant hujuſmodi abuſiones, ſicut melius poſſunt, ſunt in STATU DAMNATIONIS.*

Quarta Concluſio. *Nulla tolerantia, vel diſpenſatio, vel diſſimulatio Superiorum in præmiſſis abuſionibus excuſant ſubditos.*

Quinta Concluſio. *Prælatus ex legitima cauſa poteſt cum ſuo ſubdito uno, vel pluribus diſpenſare, ut uſum aliquarum rerum ad voluntatem Prælati habeat; ita ut ſubditus nomine Prælati detineat hujuſmodi res, ea tamen conditione, quod ſit ſemper paratus reſignare hujuſmodi res quandocumque Superiori placuerit, & quod non abutantur his rebus. Patet quia ſubditus ex licentia Superioris poteſt eſſe in ſtudio, vel in peregrinatione, vel in Romana curia, nomine Monaſterii ex cauſſa legitima, & peculium ex licentia Superioris poteſt detinere.*

Et per has Concluſiones ſit reſponſum ad rationes hinc & inde factas. Iſthuc tranſcribere, paucis reſecatis, placuit præfatas concluſiones, ut faci-

facilius lectorum oculis occurrant, eaſque commeditari ſæpius valeant. In his paucis ſententiis tota fere doctrina latius diſputata continetur. Ex his colliges, omnes tres tractatus, omneſque illius temporis Doctores una convenire, verbiſque duntaxat diſcrepare. Quandoquidem in id conſentiunt omnes, quod ſcilicet Regulares ſub mortali teneantur ad vitam communem: & quod ab iſtius ſive præcepti, ſive voti obſervantia, ſola neceſſitas excuſet, videlicet quod in caſu evidentis neceſſitatis, Prælatus concedere peculii uſum valeat: puta cum Religioſi ſubditi ſunt in itinere, in Romana curia, vel ad exercendum quodcumque munus extra Cœnobium ob bonum Religionis; vel denique quoties urget evidens neceſſitas propriæ vitæ alendæ, induendæque. Quanquam tunc vi juris naturalis quiſque ſibi providere poteſt. Omnes igitur tres ſuperiores tractatus eodem tandem ſpectant, eamdemque fere doctrinam continent, tametſi diverſimode explicatam. Primus tractatus peculia concedere videtur; ſed tot adjicit conditiones, ut iis ſervatis, communitas exacta bonorum habeatur. Immo facilius eſt bonorum communionem ſervare, quam præfatas omnes conditiones exequi. Nec ſolus auctor iſte recenſitas præſcribit conditiones, ſed omnes ad unum Theologi eaſdem ſervandas docent. Tametſi Caſuiſtæ, & Summiſtæ non pauci, ut in pauca plurima contrahant, eas ſilentio premant.

DE REBUS CISTERCIENSIUM

Monitum HERMANNI VANDER-HART.

MOnachi Dominicani litem alia excipit Ciſtercienſium. Utrinque fuit quæſtio de uſu ac poſſeſſione rerum temporalium, quouſque Monachis aliiſque abſque ſalutis diſcrimine vel negari vel indulgeri aut imperari poſſit aut debeat. Quandoquidem igitur hæ res in Concilio ventilatæ genium illorum temporum egregie illuſtrant, hic diſſimulare nefas fuit. Tantoque jucundior lectu hæc de temporalium bonorum uſu dimicatio Monachorum, Conſtantiæ congregatorum, quanto ſuavius pellucet utrinque affectus, ingeniorumque acies & argumentorum vel pondus vel cumulus diſtinctius ſe ſe manifeſtant. Conferri poterit ad illuſtrandam hanc liticulam Eccleſiaſtico-civilem, Anonymi tractatus alius, Gerſonis nomine inſignitus, contra Proprietarios.

Ano-

I.

Anonymi Ordinis Ciſtercienſis Propoſitio affirmativa in Conſtantienſi Concilio A. 1417. oblata & examinata, quod Monachi Ciſtercienſes poſſint propria poſſidere bona.

Ex Mſ. Academiæ Helmſtadienſis, in quo bis diverſa manu olim exarata comparet.

CAPUT PRIMUM.

Quo caſu fas ſit, Monachum poſſidere bona temporalia.

REverendiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino, Domino Ciſtercii, ceteriſque Doctoribus & Prælatis ordinis noſtri Ciſtercii, in ſacro Concilio generali, Anno Domini 1417. Conſtantiæ celebrato, congregatis.

Pro evidente ac neceſſaria ſalute animarum noſtrarum quærimus: *Utrum vel quomodo Abbates vel Monachi ac Moniales Ordinis Ciſtercienſis, exiſtentes proprietarii, nullo modo ſalvari poſſint?* Quia ante ingreſſum Religionis fuit eis conſilium abdicare propria, ſicut ait veritas: *Si vis eſſe perfectus* &c. Etiam non videtur differentia quoad hoc inter perſonam Monaſticam, quæ diceret Prælato ſuo, iſta ſunt veſtra ſeu Monaſterii, & poſt mortem meam cedant Monaſterio, & tamen ad uſumfructum reſervaret: Et inter perſonam ſæcularem, quæ dominium omnium bonorum ſuorum reſignaſſet, & tamen uſumfructum ſibi reſervaſſet. Quod nullus credo ſanæ mentis diceret.

Manifeſtum eſt autem, quod Dominium legale rerum non eſt malum, niſi ſolum propter uſum malum, qui inde poteſt ſequi. Quapropter ſancti patres, qui veneno proprietatis rerum materiam ſubtrahere intendebant, in prohibitione Dominii utique uſum prohibuiſſe intelligendi ſunt. Alias multo melius & prudentius feciſſent, quod permiſiſſent perſonis Monaſticis retinere dominia talia ſine uſu, quam econtra. Cum nihil differat, quoad ſequelam vitiorum, habere uſum ſine dominio vel cum dominio.

Item, perſonam Monaſticam habere res temporales ad uſum, citra tamen alienationem, & per totam vitam, vel ad omnem habendi uſum, ad certum tempus, vel ad aliquos certos uſus, ad quos Prælati Monaſteriorum ex regularibus ſtatutis perſonis Monaſticis providere habent, & ex antiqua & laudabili conſuetudine providere ſoliti erant, ex quo a ſanctis Patribus pro cuſtodia & obſervantia caritatis inſtitutum eſt, quod Monachus actualiter nihil debet poſſidere privatim, quoad determinatam perſonam, idcirco patribus, loco & officio, & canonica electione illis ſuccedentibus, licitum & fas eſt interdum diſpenſare.

Et hoc iſto modo : Quod Monachus ſeu Religioſus de ſcitu prælati ſui habet res temporales ad uſum bonum & neceſſarium, quando cogit neceſſitas excuſabilis, aut ſuadet utilitas notabilis.

Nec iſtud diſcrepat a dictis ſanctorum Patrum. Nam iſto modo, ſalvo judicio melius ſentientium, videntur loqui & tendere ſanctorum Patrum canones ſuper proprietaris diſpenſatione. Quicquid enim canones concedunt Religioſo, ſemper ad uſum concedunt. Et hoc, quoniam non trahunt ad noxam. Quam enim perficiens notabili cauſa incluſionis vel alias poteſt manere in domo ſua cum omni ſubſtantia ſua, ut refert Innocentius, Extrav. (Decretal. l. 4. c. 6.) *Qui Clerici vel voventes*, c. 7. *Inſinuante*. Verumtamen dicit in dicto Capitulo 7. *Inſinuante*, quod hoc verbum ſecundum illos, qui tenent hanc opinionem, debet intelligi exponi, i. e. cum uſufructu illarum rerum victum & veſtitum habeat in vita ſua, &, quod ultra, in commune redigat, aut in uſus pauperum. Et quod ille uſufructu ſemper utatur ſub obedientia Prælati, & non alias. Nec iſtud diſcrepat a concluſione præmiſſa.

Et quamvis Joannes de Deo in libello Diſpenſationum, cap. de diſpenſatione Abbatum, dicit, quod Abbas poteſt diſpenſare, quod Monachus habeat cellam intra ſepta Monaſterii: hoc tamen non intendit fieri ex voluntate Prælati ſeu ad ejus voluntatem, ſed ex evidenti neceſſitate, aut Communitatis notabili utilitate. Nec hoc etiam diſcrepat a concluſione præmiſſa.

Et notetur in Concluſione, de licentia Prælati. Quia quicquid Religioſus poſſidet, dummodo illud celetur Abbati, nec illud conſtat, proprium ſibi coram Deo & hominibus reputabitur. Exemplum in Anania & Saphira, & de duobus obolis apud Monachum repertis. De primo in Actis, de ſecundo Gregorius in Dialogo. Nec ſufficit, ſalvo judicio meliori, quod Prælatus ſciat in generali, quod ſubditus ſuus poſſideat temporalia. Quia quicquid in generali ſcitur, non ſcitur. Sed requiritur ut ſciat poſſeſſionis ſummam & quantitatem.

Secundo dicitur, ad uſum. Notanter, ad excludendum proprietatem, quæ conſiſtat in legali rerum Dominio, in rerum ſolutione, venditione, teſtamenti diſpoſitione, & ſic de aliis. Quia hæc eſt proprietas, proprie dicta, ſuper qua loquitur illa Decretalis in fine. *Cum ad Monaſterium.* (Decret. l. 3. tit. 35.) *De ſtatu Monach.* (c. 6. §.) *Nec æſtimet Abbas* &c.

Tertio dicitur, ad uſum bonum. Ad excludendum uſum malum, ſ. uſum fornicandi, adulterandi, commeſſandi, inebriandi, negotiandi cauſa lucri. Quia uſus ille eſt in ſe malus. Et per conſequens ſuper eo non cadit diſpenſatio.

Quarto dicitur, ad uſum neceſſarium. Ad excludendum uſum ſuperfluum, qui omnibus prohibetur Religioſis, (1. Tim. 6.) *Habentes victum & amictum, his contenti ſimus*. Et cum his Monachus debet eſſe contentus (12. q. 1. *Clericus*.)

Quin-

Quinto dicitur notanter, quando cogit neceſſitas excuſabilis, aut ſuadet utilitas notabilis. Quia, ut præmiſſum eſt, diſpenſatio non eſt pro Prælati voluntate, ſed ex evidenti neceſſitate. Licet enim ſanctorum Patrum canones dicant, quod Prælatus rationabiliter diſpenſare poteſt, nullibi tamen debet, quod dicitur, niſi quia cogit neceſſitas excuſabilis, utputa, quando Prælatus miſerit ad ſtudia, aut commiſerit alicui temporalium adminiſtrationem, inquam communem, non privatam, vel commiſerit alicui curam animarum Monaſterio annexam. Et ex aliquibus infirmitatibus vel certis cauſis. Ita tamen, quod quicquid eis ultra neceſſaria reſtat, quod hoc in commune redigatur, aut in uſus pauperum convertatur, quod eorum conſcientiis committitur.

CAPUT SECUNDUM.

Quod vera Monachorum paupertas in animo a cupiditate alieno ſit poſita, non ſpreto rerum uſu.

Nota. Circa principium dictum fuit de profeſſione paupertatis. Et quæritur, *utrum illa abdicatio proprietatis ſit de ſubſtantia profeſſionis vel non?*

Reſpondetur. S. Thomas (2. 2. q. 184. art. 7.) dicit quod abdicatio proprietatis facultatum dupliciter conſiderari poteſt. Uno modo, præparatione animi, ut ſcilic. homo ſit paratus animo ſemper omnia dimittere, ſi opus fuerit, vel diſtribuere. Et iſtà paupertas directe pertinet ad Religioſos, & eſt de ſubſtantia profeſſionis. Unde Auguſtinus in libro de quæſtionibus Euang. dicit, in abſtinendo, rem mendicando, non eſſe juſtitiam, ſed in æqualitate tolerando inopiam. Unde Apoſtolus: *Scio abundare & penuriam pati*. Et alibi, *paupertas propriæ inopia mentis eſt, non qualitate poſſeſſionis*.

Alio modo conſiderari poteſt abdicatio proprietatis rerum, ſecundum quod eſt in actis. Et ſic non conſiſtit eſſentialiter perfectio, nec eſt de ſubſtantia profeſſionis eſſentialiter, ſed ſolum inſtrumentaliter. Eſt enim abdicatio rerum ab extra in actu, inſtrumentum internæ paupertatis, ſcil. animi, in quo eſſentialiter conſiſtit perfectio. E contra, uſus & habitus rerum temporalium in actu, eſt occaſionaliter impedimentum perfectioni. Quia ex hoc quod aliquis res temporales poſſidet, allicitur animus ad eorum amorem. Quia difficile eſt, ut ait Philoſophus, *intereſſe concupiſcentiis, & tamen eis non affici*. Et Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Paulinum, *quod diligantur arctius adepta quam concupita*. Aliud enim eſt, nolle incorporare, quæ deſunt; aliud eſt, incorporata divellere. Illa enim velut extranea repudiantur, iſta vero in terra putrida abſcindentur,

CAPUT TERTIUM.

Quid dicatur proprium in Monachis.

Quid eſt proprium in Religioſis? Quis Religioſus dicitur proprietarius?

Quid ſit proprium in Religioſis, a nonnullis dubitatur. Sub correctione tamen melius ſentientium videtur dicendum ſecundum Jo. Andr. in Interpretationibus ſuper regulam juris: Non eſt obligatorium: Quod illud in Monacho ſit proprium, quod celatur Abbati. Ideo dicit B. Petrus Ananiæ: Cur tentavit Satanas cor tuum, ſcil. mentiri Spiritui S. & fraudare de pretio agri? *(*Act. *6.)*

CAPUT QUARTUM.

De diſpenſatione, ut Monachus poſſideat bona.

Item Heinricus Boek ſuper Cap. Cum ad Monaſterium *(*vid. ſupr.*)* quærit: Utrum Abbas poſſit cum ſuo Monacho, ut habeat res temporales diſpenſare? Diſtinguit: Aut ut habeat & poſſideat nomine Monaſterii, in uſus ſuos neceſſarios: Et dicit quod ſic, allegans notam Guillelmi de Monte Laudano, de ſtatu Monachorum & Canonicorum regularium, Ne in agro, in fin. gloſſa antepenultima, in Clement. *(*l. 3. tom. 10. c. 1.*)* Aut, ut habeat & poſſideat nomine proprio. Et dicit quod non. Joan. Andr. ad hoc, c. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monach. primo, De regulis juris: Non eſt obligatorium, in Novella, *(*lib. *6.)*

CAPUT QUINTUM.

De ſtatuto, a Monachis & Abbatibus facto, pro rerum poſſeſſione & uſu Monachis concedendo.

Ad concluſionem fratris Huberti, quæ eſt talis: Abbas cum Conventu cauſa vitandi murmuris aut ſcandali fecerunt ſtatutum, juramento firmatum, ut ſingulis darentur decem floreni pro veſtitu. Solvebat Frater Hubertus: Quod niſi cauſa ſubſit, per quam ſtatutum trahatur ad noxam, Abbas ex propria voluntate non debet negare pecuniam, ſed debet ſervare juramentum, cum poſſit ſervari ſine interitu ſalutis Eccleſiæ. Patet (Decretal. lib. 2. t. 24.) De jurejurando cap. *6.* Debitores, & cap. 8. Si vero.

Joan. Andreæ in Regula præcedente allegat & probat, quod Monachis foret ſtatutum *(* facere *)* licitum, primo ex parte cauſæ effi-

cientis, ſecundo materialis, tertio finalis, quarto de materiali non dubitatur.

De primo. Abbas & Monachi cum faciunt licitum Collegium, ſtatuta in Monaſterio facere poſſunt. Concluſio ad jus civile (Decretal. lib. 1. t. 2.) De Conſtitutionibus (cap. 8.) Cum acceſſiſſent, (& lib. 3. tit. 4.) De clericis non reſidentibus, (cap. 14.) Cum dilectus. Ergo eſt licitum ex facientibus.

De ſecundo. Pecunia datur pro veſtibus. Et in eas eſt convertenda. Cum illis ergo cenſetur in eadem ut (lib. 1. Decretal. t. 2. cap. 10.) Eccleſia. Sed Monacho debetur victus & amictus, quibus debet eſſe contentus (12. q. & 2.) Clericus. Ergo licite recipit quod datum eſt pro veſtibus. Inducitur ad illud, Qui Clerici vel voventes (cap. 7.) Inſinuante (Decret. l. 4. t. 6.) & quod ibi notatur (2. q. 1.) De viduis. Per quæ patet, quod Monachus in domo quidem ſua cum omnibus bonis ſuis remanere poteſt & illa adminiſtrare & in uſus ſuos convertere, de licentia Abbatis. Et fortius ergo Abbas cum Capitulo vel Conventu facere poterit Monachum adminiſtratorem pecuniæ in uſum neceſſarium convertendo. Per argumentum a minori, de quo (Decret. l. 1. t. 6. de Elect. c. 7.) Cum in cunctis. Et de toto ad partem (Decretal. lib. 1. t. 29.) De officio & pot. delegati (c. 28.) Paſtoralis. Ad illud probatur, quod Monachus de licentia Abbatis poteſt aliqua poſſidere, licet non ut proprium.

Facit ad hoc (12. q. 1.) Non dicatis, & in nota. Nam ibi textus dicit, quod nihil poſſidere poſſent ſine Abbatis licentia. Ergo Abbatis licentia poſſunt.

Item conſtat, quod poſſunt habere peculium pro adminiſtratione ſibi injuncta, de ſtatu Monachorum (cap. 2.) Si ergo cuilibet Monacho datur adminiſtratio, illius ſententia licite eam tenet. Ergo ſententia noſtra non eſt iniqua. Nec propter hoc dicitur habere proprium. Cum in Monacho ſit proprium quod celatur Abbati. Sed hoc non eſt tale.

Sed de cauſa finali, ad vitandum ſcandalum aut murmurationem, quæ maxime in Religioſis vitandæ, quos decet eſſe quietos (16. q. 1. c. 12.) *Qui vere*. Valuit ergo conſtitutio reſpectu cauſæ prædictæ, cum pro vitando ſcandalo poſſit fieri & omitti, quod alias non liceret. (Decr. l. 5. t. 32. *De novi op.* cap. 2.) Fortiter facit de præbendis. Niſi eſſet, ubi pro bono pacis abſolute permittitur dari Monacho annua penſio. Fortius ergo dari poteſt ad certum uſum neceſſarium, ut in litera conſtitutionis.

Bonum ergo eſt & fuit ſtatutum, ſcandalum & murmurationem tollens, quæ ſæpe in Monaſteriis evenit ex veſtium diſtributione, quandoque etiam non diſcreta. Et quæ pro quiete Religioſæ converſationis ordinata ſunt, turbari violenter non debent. (26. q. 1.) Cum pie.

Cum ergo probatum ſit, editum ab Abbate & Conventu per ſolum Abbatem tolli non poſſe, ut patet *de Regulis juris*, *Omnis res*: Concordat ſolutio, quod niſi certa cauſa ſubſit, per quam trahatur ad noxam.

tam, Abbas ex propria voluntate non debet denegare pecuniam, patitate rationis.

Et ſic de aliis, ſcil. vino, carnibus ſeu piſcibus, ad pictantiam pertinentibus, videtur dicendum. Item Hieronymus de Deo in libello diſpenſationum, cap. de Diſpenſatione Abbatum, dicit, quod Abbas poteſt diſpenſare quod Monachus habeat cellam intra ſepta Monaſterii, (18. q. 2. *Nullus* & 1. q. ult. c. ult. ad finem.) Quare proficuum eſt quod in retroactis temporibus Abbates vel fecerunt Conventuum conſenſu tacite, vel expreſſe in rei veritate, vel ſaltem gratioſe cum Religioſis eis ſubditis, quod ipſi & eorum quilibet habeant & poſſideant aliqua pro victu & veſtitu, qui eis debetur, non tamen æqualiter omnibus, ut dicit regula.

Si vero ſunt aliqui abutentes, corrigantur & præmoneantur. Si vero non volunt corrigi & emendari, ſic poterit Abbas propter abuſum tollere uſum.

Non tamen ſic poſſidentes de ſcientia, ſcitu & conſenſu Abbatis, tales ſunt dicendi proprietarii. Quia ſolum poſſident ad uſum & non ad proprietatem, & poſſident nomine Monaſterii & non nomine proprio.

CAPUT SEXTUM.

De recepta conſuetudine, Monachos Ciſtercienſes poſſidere bona.

Et ſic quaſi in omnibus Monaſteriis noſtri Ordinis ſive per ſtatutum, ſive per diſpenſationem, ut prædictum, conſuetudo inolevit, etiam dudum pacifice obſervata & præſcripta, propriis Prælatis & etiam Dominis Viſitatoribus ſcientibus & conſentientibus. Quæ conſuetudo non debet leviter tolli. Maxime, ubi timetur veriſimiliter ſcandalum plurimorum.

Item, eſt præſumendum, quod Religioſi viri non foverunt iniquas cauſas, Extrav. (Decret. l. 5. t. 32. c. 2.) *De novi operis nunc. Cum ex injuncto.*

CAPUT SEPTIMUM.

Solvitur dubium de Conſilio paupertatis Euangelico.

Item, conſilia Dei ſeu Euangelica ſunt referenda ad affectus animi interiores, & non ſemper ad actus exteriores, niſi pro loco & tempore. Ut, *Si quis te percuſſerit in unam maxillam, præbe ei* &c. Hoc Dominus Jeſus non fecit, quando unus ſervorum dedit ei alapam. Item quando fuit contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe major, dixit Dominus Jeſus, *Qui major eſt veſtrum, fiat miniſter veſter.* Non eſt intelligendum, quod debeat Prælatus ſe ſubdere quantum ad actus exteriores Religioſis ſuis, niſi pro loco & tempore, in lotione pedum, quando

fuit mandatum. Sed debet intelligi, quod in animo ſibi proponat, quos regat eſſe meliores æſtimando. Et hoc, ne vileſcat ejus auctoritas.

CAPUT OCTAVUM.

Solvitur dubium, de ſpontanea paupertatis voto.

Item voluntaria paupertas, qua obligantur Religioſi per votum ſolenne, ſaltem eorum qui poſſunt habere proprium, in communi intelligi debet, quod Religioſus quoad affectum animi interiorem paratus eſt ſuſcipere omnem paupertatem, quam votum Deo & Eccleſiæ promiſſum violaret. Nec eſt ſaluti neceſſarium, quod abjiciat actualiter a ſe uſum rerum temporalium. Quemadmodum Apoſtoli & alii fideles in primitiva Eccleſia feciſſe leguntur. Unde notandum, quod S. Auguſtinus tres fecerat conſtitutiones. Prima erat, quod Clerici non poterant habere propria. Sed illa male ſervabatur. Et quia plurimi erant tranſgreſſores, ideo revocavit eam, (12. quæſt. 1. cap. 10.) Certe ego ſum qui ſtatueram, nullum ordinari Clericum, niſi qui vellet mecum manere, aut ſi vellet a propoſito decedere, recte illi tollerem clericatum. Ecce in quo demum conſilium. Tertio de conſenſu Clericorum ſuorum confirmavit primam conſtitutionem, ut in capitulo 11. *Non dicatis vos habere aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia* (12. q. 1.)

Unde ſciendum, quod Auguſtinus diſtinguit: *Pro diverſitate locorum & temporum & hominum ſcripturæ intelligendæ ſunt*, ut ibidem ſequitur in Cap. *Neceſſe eſt*. Et textus eſt: *Neceſſe eſt, quod juxta diverſitates locorum, temporum & hominum, ſcripturæ ſint diverſæ, quoad cauſas, argumenta & origines &c.*

Hæc ſuper Proprietate habenda ex prima parte de tribus votis Monaſticis fratris Henrici de Coſveldia Monachi.

II.

Magni Monachorum Viſitatoris ſub Concilio Conſtantienſi exarata Conſtitutio negativa. Quod Monachi propria non debeant poſſidere bona.

Ex MS. Academiæ Helmſtadienſis.

CAPUT PRIMUM.

Quod Monachus non poſſit habere proprium aut peculium.

Sacrum Concilium Lateranenſe, *Extrav.* (Decret. lib. 3. tit. 35.) *De ſtatu Monachorum*, cap. 2. *Monachi*, Religioſis proprietatem ſeu pecu-

culium diſtricte prohibet, dicens: *Qui vero peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum, a communione removeatur altaris. Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & digne non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat ſepulturam. Quod de univerſis Religioſis præcipimus obſervari. Abbas autem, qui diligenter non caverit, officii jacturam ſe noverit incurſurum.* Hæc ibi Inn. III. (Et Decr. l. 3. t. 35.) *Cum ad Monaſterium*, ſic dicit: *Prohibemus quoque diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub atteſtatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat. Sed ſi quid habeat proprii, totum etiam in continenti reſignet. Si vero poſt hæc proprietatem aliquam habere fuerit deprehenſus*, regulari monitione præmiſsa expellatur, nec recipiatur ulterius, *niſi pœniteat ſecundum Monaſticam diſciplinam. Quod ſi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo, in ſignum perditionis, extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterretur. Secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo ſe feciſſe &c.* Vide ibi.

Hic patet, quod Abbas nulli Monacho poterit aliquid permittere niſi Officiali, ratione officii ſui diſpenſandi. Ergo dicit in cap. 6. ſupratacto: *Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare. Quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo annexa eſt Regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.*

Ut hic etiam apparet, quod fallunt, qui dicunt, quod quicquid Abbas permiſerit, hoc non ſit proprium. Niſi Abbas incaute & male permittere poſset proprium, non de jure, quamvis de facto, utique Papa non prohibet. Dico etiam, quod idem eſt proprium & peculium, jure, quamvis unum ab alio in verbis differat.

Videamus igitur conſcientias noſtras, qua temeritate altari jungamur, qua ſecuritate moriamur. Et, ſi juſtus vix ſalvabitur, proprietarius, Eccleſiæ ſanctæ inobediens, Deo recalcitrans, propriam profeſſionem violans, ubi manebit? Unde Bernardus: *Monachus habens proprium, Deus negabit ei ſuum proprium, quod eſt miſereri & parcere.* Et Beatus Gregorius etiam dicit: *Monachus habens commune bonum non valet obolum.* Ratio hujus eſt, quia obolus conſtat ex ſubſtantia, pondere, & forma. Quando illa tria adſunt, tunc obolus eſt bonus, videlicet, ſi eſt de ſubſtantia bona, ſi habet ſuum pondus, ſi debitam formam. Monachus autem eſt perſona paupertatem & obedientiam ſub regulari obſervantia, profeſsa. Si modo aliquis illorum trium terminorum verificari non poterit de Monacho, Monachus non eſt. Igitur habens obolum irreligioſe, non eſt pauper, non valet obolum, quia obolus eſt bonus in ſe, cum conſtat ex ſuis partibus ſibi aſſignatis. Sed Monachus non valet tantum. Non enim eſt, quod dicitur. Non enim conſtat ex terminis ſuæ definitionis.

Patet hoc ex etymologia literali hujus, quod eſt Monachus, miles Chriſti, tentationum expugnatione obediens, ſine contradictione: Nihil habens

bens proprium, in abſconſione, amans Chriſtum pura & ſincera dilectione, cuſtos ſui animi in peccatorum adhæſione, humilis & patiens in adverſione, unanimis in domus Dei habitatione, ſimplex & rectus in converſatione.

Videamus illud capitulum, Cum ad Monaſterium ſupremum, ubi dicitur. Ne quis proprium aliquo modo poſſideat.

Quomodo ergo illi excuſantur, qui hoc quidem tradunt, ſecundum conſuetudinem aliquorum Monaſteriorum peſſimam adſervandam, ſibi utique aliquo modo per alium poſſident proprium. Hic autem dicitur, ne quis proprium aliquo modo poſſideat, id eſt, neque per ſe, neque per curationem. Hi utique ſunt proprietarii, velint, nolint. Quia, quamvis dent rei ſubſtantiam cuſtodi, ad cuſtodiam, non tamen reſignant, ſed repetunt, quando volunt. Item dant ſubſtantiam, ſed ſibi reſervant dominium, affectum & ſpem. Cum proprietas plus conſiſtat in affectu & ſpe, quam in re. Quia alias cuſtos rerum eſſet proprietarius. Sed ideo proprietarius non eſt, ratione iſtius ſubſtantiæ, quia ſpes ſibi deeſt, nam alteri cuſtodit.

Sed dicit aliquis: Conſentio, nil horum Monachus habere debet ex propria authoritate, habeat ergo ex Prælati licentia. Reſpondeo. Quod non poterit de licentia vel indulgentia ejus. Quia ſatis claret ex præallegatis, ubi habens qualicunque modo, excepta cauſa adminiſtrationis, privandus eſt communione ſacrorum, & ſepultura Eccleſiaſtica, & Abbas, quia permiſit, deponendus eſt. Et hoc non pro re licita; ergo pro illicita.

Quod autem non poteris proprium habere de Abbatis licentia, videndum eſt clarius. Concludit enim caput jam præallegatum in hæc verba: *Quod ſuper habenda proprietate*; ubi dicit gloſſa, *Papa, ſi vult, poteſt de Monacho facere non Monachum. Sed quod habeat proprium ſit Monachus, hoc non poteſt facere, quia paupertas eſt de ſubſtantia Monachatus.* Et hoc idem Um. & Jo. tenent.

Ergo, quocunque modo Monachus habeat proprium, peccat mortaliter, & eſt removendus a communione. Unde dicitur in Clementinis, *De regularibus*, ſi quis fuiſſet factus Monachus cum hac conditione, ut proprium habere poſſet, conditio removebitur, & Monachus manebit. Quia ut dicit Hugo, quod proprium habere, eſt contra ipſius Monachi ſubſtantiam. Ergo proprium habere non debet.

Sed diceret aliquis: Textus juris ſonat de his, qui abdicaverunt proprietatem: Ego autem feci profeſſionem in communi formula, nil ſpecialiter abdicando. Reſpondeo ex jam dictis: Quia, ſi intentionem habuiſſes, & conditionem illam expreſſe poſuiſſes, quod velles retinere proprium, nil tibi prodeſſet, ad profeſſionem admiſſus non fuiſſes. Quia dicit ordinarius Decretalium gloſſator in capitulo, *Monachi*, præallegato, quod conditio frangitur, ſi quis taliter profeſſus eſſet, & remanebit Monachus.

Sed

Sed chariſſimæ, aliqua veſtrarum non temere dicat: Ego nondum feci profeſſionem alicui, ideo mihi proprium habere licet. Reſpondeo: Si nondum ſolennem feciſtis profeſſionem, feciſtis utique ſecundum jus commune tacitum, cum ſteteritis per annum & diem ſine reclamatione &c.

Item dicat quis: Etſi non poſſum habere proprium, habeam autem peculium. Dico, quod Regula Sancti Auguſtini, & Beati Benedicti nullam faciunt differentiam inter proprium & peculium, nec etiam rei quantitatem aſpiciunt. Quia etiam, quod de neceſſitate oportebit habere Monachum, & quibus carere non poterit, poſſunt verti in proprium, ſi habentur illicite. In minima quippe re Monachus poteſt eſſe proprietarius, videlicet in tabula, graphio. Quia in Regula Sancti Benedicti hujuſmodi vilia prohibentur haberi, quaſi propria, ubi dicitur capitulo XXXII. *Præcipue hoc vitium radicitus amputetur.* Et ſi in his vilibus ſit proprietas, quid tunc in pecuniis multis, & aliis clenodiis, & rebus diverſis?

Ubi apparet, quod uſus rerum, quem Abbas poteſt concedere, debet eſſe rerum neceſſariarum, non ſuperfluarum. Nam illi dicitur: Omnia vero neceſſaria a patre &c.

Ubi etiam apparet, quod non ſolum tabula & hujuſmodi prohibentur, ſed & minora, ſi habeantur indebite. Ubi dicitur, *ſed nihil omnino.*

Attendamus etiam, quod illa neceſſaria, quæ Abbas dederit aut permiſerit, debent eſſe communia. Quia, quod non eſt commune, hoc proprium.

Unde colligitur, quod, quicunque magis alicujus rei indiget, & melius uti poterit, ceteris paribus, auferatur ab eo, qui prius habuit, & detur alteri. Alias non eſſent communia, ſed propria. Unde ibidem dicitur: *Omnia ſint eis communia.* Alias, ſi non eſſent communia, quamvis eſſent neceſſaria, eſſent tamen propria. Quia proprietas ita bene attenditur in neceſſariis, ſicut in ſuperfluis. Quod per eandem Regulam oſtenditur, cum dicitur: *Nil habere proprium, nullam omnino rem.* Et ſequitur: *Sed nil omnino,* Ubi etiam includitur *neceſſarium.*

Sed hoc, quod dicitur, Abbatem nil poſſe concedere niſi neceſſaria, ſciendum, quod neceſſarium quoad præſens dictum capitur, ſcil. ſine quo Monachus non poteſt ſtare, vel ſine quo non poteſt honeſte ſtare, ſcilicet conſideratione qualitatis perſonæ, vel Monaſterii, excluſa in omnibus ſuperfluitate & curioſitate. Illa autem clauſula, qua dicitur, quod Mobachus *nil debet habere ſine licentia*, intelligitur de licentia voluntaria, non compulſa.

Ex illa autem clauſula, ubi dicitur, *nihil licet habere, quod Abbas non dederit*, vel permiſerit, aliqui inferunt: Ergo, quicquid Abbas dederit vel licentiaverit, hoc licet. Hi errant. Arguunt enim falſo in forma.

ma. Quia ex negativa nunquam ſequitur affirmativa de forma, maxime univerſalis. Non enim ſequitur: Nil licet habere, quod non dederit aut permiſerit. Ergo quicquid dederit aut permiſerit &c. Sicut hoc notum eſt intelligentibus Logicam.

Sed non eſt nobis hic tranſeundum per viam logicalem, ſed auctoritative per viam manifeſtæ aſsertionis. Falſum eſt, dico, quicquid dederit Abbas, aut permiſerit, quod hoc liceat. Quia quicquid eſt contra ſalutem animarum, hoc nunquam licet. Sicut, ſi mihi permiſerit ea pro quibus volo mihi quotidie præparare pitantias & veſtes ſpeciales, ſeu jocalia, ſeu etiam reditus annuales. Quæ omnia ſpecialiter prohibita ſunt in ſtatutis Papæ Benedicti XII.

Item, quicquid eſt contra ſtatuta papalia, nunquam eſt licitum, ſicut proprium vel peculium.

Item, Papa non poteſt mihi permittere, quicquid vult, & non omne quod permiſerit, licet. Ergo minus Abbas.

Et Benedictus clauſulam ponens præſupponit, quod Abbas non permittat niſi licita, & neceſsaria, & hoc licitum, dicit, Monachum non debere habere ſine licentia. Dico ergo, hanc clauſulam regulæ, videlicet, quicquid Abbas dederit &c. fore intelligendam de permiſſione licita rerum neceſsariarum. Et ſi ſic non intelligeretur, dudum revocatum eſser a jure, ſcilicet, ubi Abbas prohibetur permittere proprium & peculium. Sed non poteſt hoc revocari contra veritatis regulam, quæ docet, omnia relinquere & nil poſſidere.

Item Monachus minimam rem habens, & quaſi nil valentem, indebite, non ſolum proprietarius eſt, ut ſupra traditum eſt, ſed etiam eſt fur, ſi cum illa intentione habet, quod vellet præciſe Abbatem neſcire. Furtum quippe non ſolum in majoribus, ſed etiam in minoribus committitur, ut probatur (*16.* d. quæſt. *6.* cap. ult. & *de Pœnit.* & diſt. 1. c. *16.* *Vulgaris.*)

Beatus etiam Auguſtinus concordat cum ſupradictis in Regula ſua, ubi dicit: *Non dicatis vobis aliquid proprium, ſed omnia ſint vobis communia*, aſsumpta in canone ſæpe allegato (12. q. 1.) *Non dicatis.*

Sed quare tam ſedulo hi duo legiſlatores hoc ponunt, prohibentes, *ne quis aliquid dicat ſuum?* Ideo, ut dicunt gloſsatores Regulæ Beati Auguſtini: Quicunque Monachus deliberato animo, protervo animo, diceret, *hoc eſt meum*, ille peccaret mortaliter. Unde Ambroſius: *Non ſolum non licet Monacho aliquid habere proprium, ſed nec dicto arrogare.* In Regula namque Beati Benedicti continetur, quod *Monachus non ſuſcipiatur, niſi omnibus renuncietur.*

Ideo raditur Monacho caput, & moniali abſcinduntur crines. Quia raſio coronæ ſignificat temporalium depoſitionem, ut 12. quæſt. 1. C. *Domino.*

Dicit ulterius Sanctus Benedictus, *Res, ſi quas habet, prius eroget* pau-

pauperibus, aut per ſolemnem donationem conferat Monaſterio, nil ſibi reſervando ex omnibus, intellige, ex propria deliberatione, non ſub aliquo compacto. Hoc enim eſſet ſimoniacum. Ergo in illa renunciatione debet permanere. Quia hæc renunciatio eſt de præſenti & futuro, Unde Bernardus: Cur noſtra profeſſio hanc prærogativam promeruit, quod appellatur *ſecundum baptiſma*? Et dicit pro ratione: *Æſtimo, quia propter perfectam renunciationem, per quam homo mundo moritur, & denuo regeneratur*. Quapropter a quodam ſancto viro eadem virtus in baptiſmo viſa eſt, & ſuper Monachum profitentem. Quia dicit Heinricus de Gandavo, quod, quando quis profitetur, tunc a peccato indulgentiam conſequitur. Hoc idem vult Beatus Thomas, ſecunda ſecundæ, q. ult. quod quis per ingreſſum Religionis conſequitur remiſſionem omnium peccatorum. Et hoc intelligitur ſecundum Heinricum de Gandavo, ſi intendit ſervare, quæ in profeſſione promittit, ſcilicet Regulam, & Ordinem ſuum. Nam ſi non intenderet ſervare ea, quæ in profeſſione promitteret, ipſo facto ſic promittendo peccaret mortaliter, & non eſſet filius cœleſtis regni, ſed filius Diaboli & gehennæ ignis. Et tales quandoque poſtmodum peſſimi erunt.

Et ſunt aliqui, qui damnabiliter dicunt, quod Monachus poterit habere cenſum, vel precariam. Et ad reprobandum hoc, jam ſatis dictum eſt; Quia debet omnibus abrenunciare: Nam omne nihil excludit: Et in illa renunciatione permanere.

Ut ergo magis notum ſit, quod tales errant, qui hoc dicunt, utor canone LIX. Regulæ Sancti Benedicti, ubi tractat de filiis nobilium, & pauperum, quomodo ſuſcipiantur, ſic dicens: *De rebus autem ſuis promittant*, ſupple *parentes*, *ſub jurejurando, quod nunquam per ſe, ſive per ſuſpectam perſonam, vel quolibet modo ei aliquid dent, &c.*

Sed adhuc aliqua hic inferunt, oppoſitum hujus intentionis dicentes: Parentes poſſunt facere reſervationem vel cenſum ſpecialem. Et tradunt hoc ex illo, quod dicitur in eodem capitulo, *reſervato ſibi uſufructuario*. Et dicunt, quod illud pronomen *ſibi* demonſtret puerum. Cum utique ſecundum verum intentum & expoſitiones Regulæ referatur ad parentes.

Errant ergo, qui dicunt, puero poſſe provideri. Quia talis proviſio vel reſervatio, aut eſt proprium aut peculium, quod non licet haberi.

Item Regula illa non ſibi ipſi contraria. Sed ſi talem promitteret proviſionem, contrariaretur ſibi ipſi: Nam dicit, *omnia debent eſſe communia*: Item, *nec aliquid habere proprium*: Igitur nec talem proviſionem. Igitur ſicut adultus debet omnia reſignare, nec aliquo modo in tali caſu ſibi ipſi providere: Sic etiam, qui puer ingreſſus eſt, & pro quo parentes jurant, quod nil ſibi dare velint, debet facere. Quia diſcretio non eſſet, ubi morum diverſitas interveniret, quod ille, qui adultus intravit, nihil haberet, & ille qui puer intravit, aliquid ſpecialiter haberet, cum æqualis profeſſio eos ligat.

Item, oſtendam hoc ita eſſe, aliquo modo ex præſenti capitulo ſupradictæ Regulæ. Dicitur enim, quod parentes debent jurare, quod nunquam velint per ſe &c. *Si nunquam*, ergo nec in præſenti de futuro. *Sed* talis proviſio aut eſſet de præſenti aut de futuro. Et additur: *Aliquo modo*. Ubi omnis modus excluditur, qui puero poſſit aut dare legationem, proviſionem, reſervationem, ubi exprimitur omnis modus. Dicitur enim: *Occaſioni habendi*. Dicitur etiam ibidem, *ut omnis via obſtruatur, per quam puer pejerare poſſet*. Ideo Beatus Benedictus non timet periculum pueri in non habendo, ſed in habendo. Et ideo ibidem dicitur: Si parentes pro mercede ſua aliquid dare voluerint Monaſterio, reſervato ſibi, ſi ita voluerint, uſufructuario, ſcilicet temporibus vitæ ſuæ utentes illo.

Eſt ergo intentio ſanctorum Patrum, Monachales ſcribentium Regulas, quod Monachus non debeat habere nec proprium nec peculium, ſed quicquid habet, hoc debet eſſe de licentia Prælati, & in communi uſu fratrum & ſororum.

CAPUT SECUNDUM.

Monacho per Prælatum de neceſſariis debere provideri, ut filio per Patrem.

Cum ergo Monachus nihil habere debeat, niſi neceſſaria, & de ſui Superioris licentia: Quia omnibus renunciavit, ſi adultus intravit: Si puer, tunc parentes juraverunt, quod nihil vellent ſibi dare: ideo neceſſarium eſt, quod Prælatus ſibi provideat, quaſi pater filio. Quia Monachus patrem naturalem dimiſit, & ſpiritualem elegit, & ille pater ſpiritualis ſuſcepit eum in filium.

Et multo ſollicitius debet ſibi providere, quam pater naturalis filio. Quia plus ſibi ille filius propinquus eſt, quam prius erat patri naturali, ex eo, quod cognatio ſpiritualis ſic ſibi conjungit perſonas, quod ex multis perſonis faciat unum corpus, ratione unius voluntatis & cordis in Deum. (Act. 9.) *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una* (1. q. 51. cap. 1. & 12. q. 1. cap. 2.)

Alio modo debet eſſe magis ſollicitus circa eum. Quia principaliter ipſe præpoſitus animæ ſuæ, immo & anima illius Monachi facta eſt quodammodo anima ſua, ita ut etiam pro ea damnetur, ſi minus curioſe circa eam egerit. Unde (4. Reg. 9.) *Qui effugerit de manibus veſtris, erit anima ejus pro eo*. Et Ezech. 3. *Speculatorem te dedi domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annunciabis ei ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annunciaveris neque locutus fueris, ut avertatur a via ſua impia, & vivat, ipſe impius cum impietate ſua morietur: Sanguinem autem ejus de manu tua requiram* &c.

Unde

Unde etiam dicit Beatus Benedictus in Regula (cap. 2.) *Sciatque Abbas culpæ paſtoris incumbere, quicquid in ovibus paterfamilias minus utilitatis poterit invenire*, &c. Et poſt ſubditur, quaſi in fine: *Et quantum ſub cura ſua fratrum ſe habere ſcierit, agnoſcat pro certo, quia in die judicii ipſarum omnium animarum eſt redditurus Domino rationem, ſine dubio addita & ſuæ animæ* &c.

Sicut ergo pater naturalis ſubtrahens filio hæc, quæ ſibi dare debet, & filius occaſione illius compulſus fuerit furari, & contigerit ipſum ſuſpendi, pater reus eſt mortis hujus. Quia de ejus venit negligentia. Nec excuſat eum aliquando ignorantia. Quia non poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedat, & paſtor neſcit. Extravag. *De Rejuris. Quamvis*, Gloſſa: ſupple, ſi fuerit negligens (diſt. 43.) *Epheſiis*. Si autem deſit operam, quam potuit, imputabitur illi 47. d. *Quod ad nos*. Et cap. *Quod quidam* (1. q. 1.) *Hoc autem*.

Sic etiam paterfamilias, id eſt, pater ſpiritualis ſi ſubtrahit Monacho neceſſaria vitæ, & Monachus inciderit in proprietatis crimen, & ex hoc procul dubio damnabitur, pater ſpiritualis utriuſque facti reus erit. Quia quicquid a membris delinquitur, in caput redundabit, ubi ſcilicet caput occaſionem dederit, & negligenter ſe habuerit, ut patet ex Regulæ capitulo ſuprapoſito.

CAPUT TERTIUM.

Solutum dubium, quaſi ſufficiat Monacho animus & intentio relinquendi bona, etiamſi poſſideat.

Porro, quamvis hæc de proprietatis crimine dicta ſufficiunt, aliquas tamen quæſtiones propter quorundam Doctorum auctoritates ſuper eadem proprietate ſpecialiter inferam.

Et primo cujuſdam Pariſienſis Doctoris eximii ponam reſponſiones, ſic dicentis: *Ad dubium veſtrum libenter, ſi poſſem, reſponderem. Videtur enim mihi grave, condemnare omnes perſonas religioſas, quæ habent. unde ſe ſuſtentent, maxime, ſi habent talem intentionem, quod vellent omnia, quæ eis provenient, dare ad communitatem, dummodo eis daretur victus & amictus, ſola neceſſitas, ſecundum quod cuilibet opus eſſet. Et ſibi non reputant ſe juris proprietatem & dominium habere alicujus rei, ſed omnia eſſe ad mandatum ſuperioris. Credo enim, quod eo ipſo quis faciat contra votum paupertatis, quo in aliqua re ſe juris proprietatem & dominium vult habere. Et hoc puto tunc fieri, quando quis nollet dare aut præſentare, quod habet, ſuperiori, illud requirenti pro neceſſitate communitatis.*

Æſtimo tamen, quod ſi quis habeat iſtam bonam voluntatem & intentionem, & æſtimationem, omnino adhuc eſſet dubium, an perſona talis

religioſa poſset de licentia & ſcitu ſui ſuperioris uti tali re pro neceſſitate ſua, quando alii æque vel magis indigent. Et in hoc placet mihi reſponſio Gotfridi de Fontibus dicentis: *Talis perſona non debet talibus uti, niſi ſecundum convenientem & proportionabilem habitudinem, quam habet unus de communitate ad alios, qui ſunt partes ejuſdem communitatis. Ut tota communitas ſit quaſi quoddam corpus myſticum. Et ſicut nullum membrum habet jus proprium in cibo, qui ſumitur pro toto corpore & pro omnibus membris proportionabiliter, ſed quaſi in quodam repoſitorio communi cibaria reponuntur, ſcilicet in ſtomacho, & ibi præparantur, ut per virtutem generalem generativam unicuique membro, ſicut conditio exigit, dirigatur: Ita in hoc corpore myſtico nulla perſona habet jus proprietatis in bonis temporalibus, undecunque veniant, nec debet eis uti niſi ſecundum dictam proportionem, & ſtatuatur pro ſtatu alicujus perſonæ determinatæ, ut ſcilicet ipſe talibus bonis utatur, hoc eſt dicere, quod non utatur eis niſi ſecundum conditionem ſui ſtatus & ſuæ profeſſionis. Si enim procurat de licentia ſui ſuperioris, ut illis bonis utatur lautius pro perſona ſua, quam deceat, ſecundum habitudinem & proportionem, quam habet ad alias perſonas ſuæ communitatis, videtur facere contra votum, & tanquam proprietarius vivere, & non pro talis communitatis conditione. Et facit, quod res communes non in communi rediguntur, nec communiter ſecundum proportionem uniuſcujuſque repræſentantur. Cum enim habere jus in rebus non quæratur niſi propter uſum, ſic non debet Religioſus quærere, quod habeat jus in aliqua re, niſi ut pars communitatis. Ita videtur quod de uſu dicendum. Et videtur ſuperior graviter peccare licentiando, & ſubditus ſic utendo.* Hoc Gotfridus notatu valde dignum.

Unde notandum, quod vita religioſa comparatur vitæ cœleſti: Quia, ſicut in cœlo omnia ſunt communia, & condividunt cum alio: Gregorius: Ibi Angeli & Apoſtoli congaudent de merito omnium inferiorum, ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria & corona ſuperiorum: Ex illius enim ſanctæ & perfectæ charitatis unione fiet, ut unuſquiſque habiturus ſit in alio, quod non habet in proprio. Unde Anſelmus: *Unuſquiſque in tantum gaudet de alterius gaudio, quantum de proprio.* Sic in religione omnia debent eſse communia.

Et ex hoc patet, quod ſtatus Religionis & communitatis ſecundum Magiſtrum Humbertum eſt ſtatus optimus & valde laudabilis. Quod probatur. Quia non eſt meliorem ſtatum accipere, quam ſtatum naturæ ante peccatum. Et tali ſtatu ſcilicet naturæ, ante peccatum, erant omnia communia. Unde Iſidorus: Jus naturæ eſt communis omnium poſseſſio. Nec gratiæ meliorem ſtatum invenire poteris, quam primitivum ſtatum Eccleſiæ, ſcilicet tempore Apoſtolorum. Et ſtatu tali omnia ipſis Apoſtolis erant communia, ſimiliter ipſis credentibus. Unde & recepit originem Religio, & perfectio vitæ Monaſticæ (Act. 4.) *Erant illis omnia*

nia communia, & diſtribuebatur unicuique prout opus erat, nec quiſquam aliquid ſuum dicebat.

Et videtur hoc duraſſe uſque ad tempora Conſtantini, ut habetur (12. q. 1. c. *Futurum*.)

Item in ſtatu futuræ gloriæ erunt omnia communia, ut jam dictum eſt.

O quam felix eſt ille ſtatus Religionis, qui tales ſtatus, ſcilicet naturæ, gratiæ & gloriæ, imitatur. Et infelix, qui illos non ſequitur.

CAPUT QUARTUM.

De diſpenſatione ad habendum proprium.

Unde quæritur, *an Prælatus poſſit cum ſubdito Religioſo diſpenſare ad habendum proprium?*

Reſpondetur ſecundum Humbertum, quod minime, quantumcumque etiam auctoritatis ſit, nec etiam Papa, ut patet Extravag. (Decret. l. 3. cap. 35.) *De ſtatu Monach.* cap. 6. ſæpe alleg. *cum ad Monaſterium* §. *Nec æſtimat Abbas* &c.

Sed dicis, Monacho de ſui Abbatis licentia licet aliquid poſſidere. Verum eſt. Sed non ut proprium (12. q. 1. c. 11.) *Non dicatis*. Reſpondet Joannes Pariſienſis Doctor: Hoc eſt verum, dummodo illud non expendat in propriis uſibus, nec alicui det ſine Abbatis licentia, ſed nomine Abbatis teneat, paratus reſignare, quandocumque voluerit, nec uti ad libitum ſuum, ſecundum Oſtienſem ſupradicto cap. *Cum ad Monaſterium*, ſuper verba: *Proprietati habenda*. Vel forſan quia periculoſum eſt, intendit Papa docere, quod nec illud fiat, immo tutius eſt abſtinere ſine dubio. Eſt namque res periculoſa, & mali exempli, & cauſa invidiæ. Unde conſulo Abbati, quod, niſi magna, & evidens, urgenſve utilis cauſa ſubſit, caveat a tali licentia concedendi.

Concordat Joannes Teutonicus Decreti gloſſator. Quod ſi Abbas fecerit, ut ſupra eſt dictum, animatum, ſcilicet ſuæ propriæ, & hujus, cui admiſit, periculo ſubjacebit, quia nunquam vel raro talem ſubditum humilem vel obedientem habebit.

CAPUT QUINTUM.

An Monachi poſſint adhibere pronomen meus, mea, meum.

Item quærit, *an Religioſus vel Religioſa mortaliter peccet dicendo, liber meus, mea cappa, & ſic in aliis?*

Reſpondeo ſecundum Humbertum in Epiſtola ſub ſermone ad omnes Religioſos ſuper Regulam Beati Auguſtini: Si dicit ex lapſu linguæ, ſive improviſo, ſive ex levitate, non peccat mortaliter. Si autem ex propoſito,

to, & animo aſſertivo, quod eſt proprie dicere, peccat mortaliter. Unde Auguſtinus in Regula, & aſſumitur in can. jam ſæpe præfato, (12. q. 1. c. 11.) *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.* Ergo Religioſi nunquam debent dicere, *mea cappa, meus liber, res mea*, ſed ſemper *noſter liber, noſtra cappa.* In gloſſa capituli: *Non dicatis.* Sed debent dicere: *Noſtra tunica, noſtra cappa* &c. Et hoc tractum eſt a ſtatu primitivæ Eccleſiæ (Act. 4.) Nec quiſquis eorum quæ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat. Vendebant enim agros & domos, & ponebant pretia eorum ante pedes Apoſtolorum.

CAPUT SEXTUM.

De diſpenſatione ad rerum uſum.

Item quæritur: *An cum Religioſo poſſit diſpenſari circa habendum uſum alicujus rei*, & ſi non circa proprietatem rei habendam? Reſpondetur ſecundum Magiſtrum Humbertum, quod duplex eſt uſus, ſcilicet certus & incertus. Certus uſus eſt, qui non poteſt auferri; Incertus eſt, qui in voluntate alterius conſiſtit, ut auferatur, cum ei placuerit. Et circa illum incertum uſum poteſt Prælatus diſpenſare ex cauſa rationabili & neceſſaria. Tutius tamen conſulitur, ne fiat, cum ſit valde periculoſum, ut ſupra oſtenſum eſt. Sed circa certum uſum nullo modo diſpenſare poteſt. Semper enim debet voluntas Religioſi eſſe ſubjecta Prælato, ut reſignet, quando voluerit, quia omnis Religioſus ſemper debet eſſe paratus omnia reſignare. Alias eſſet filius perditionis, in ſtatu æternæ damnationis. Nam omnis perſona religioſa, quæ non haberet animum reſignandi, etiam quamcumque rem, nec ad communitatem dandi, quando Prælatus hoc exegerit ab ea, talis eſſet perſona proprietaria & ſemper in peccato mortali, & nullus poſſet illam perſonam abſolvere a peccatis, quamdiu ſtat in tali propoſito, libere non reſignando, & ad communem vitam non dando. Et talis quotieſcunque celebrat, vel confeſſiones audit, vel Sacramenta porrigit, aut communicat, toties peccat mortaliter. Et tales perſonæ religioſæ pejores ſunt dæmone & inferno, ſi ſic decederent impœnitentes. Quia moriente Chriſto infernus reſtituit aliena, ſed tales nolunt reſtituere neo reſignare. Item talis merito poſſet dici idololatra. Quia fiduciam in pecunia habet, quæ in Deum ſolum, qui perfecte juvare poſſet, eſt habenda. Immo talis quandoque flagitium Judæ ſuperat, quia proprietarius non tantum triginta denariis, ut Judas, ſed aliquando uno ſolido ſe damnat. Et inſuper Judas triginta denarios reſtituit, quod iſte proprietarius non facit. O quam injuſte hic proprietarius reſpondeat, qui poteſt, modo pro paucis denariis, uni, cui paupertatem promiſit, deludere putat; qui non poteſt nec vult falli, & pretioſius pignus toto mundo, ſcilicet animam propriam, pro temporalibus paucis & vilibus rebus damnat.

nat, & ſe gaudiis cœli privat. Certe melius illi eſſet, ſi natus non fuiſſet homo ille. Et talis Religioſus indignus eſt miſericordia Dei. Unde Bernardus ſupra allegato capitulo: *Monacho habenti proprium negabit Deus ſuum proprium, quod eſt, miſereri & parcere.* Ergo quicunque Religioſus volens miſericordiam Dei, oportet, ut habeat animum omnia reſignandi, ſine omni conditione, quandocunque Prælatus hoc requirit.

CAPUT SEPTIMUM.

De jure Abbatis compellendi Monachos ad vitam communem.

Ex quo patet, Quod omnis Prælatus debet habere poteſtatem inducendi ſuos ſubditos ad communem vitam ſervandam. Et ſubditi in hoc nullo modo debent ei contradicere, nec ſe opponere verbo vel facto.

Ergo omnia peccata, quæ ſubditi & proprietarii committunt, redundant in Prælatum, qui habet poteſtatem compellendi eos ad communem vitam, cum hoc facere poſſet, & ſic diſſimulat, ut ſupra clare juridice probatum eſt. Alias Prælatus cum ſubditis proprietariis damnabitur.

Unde de hoc dicit quidam Doctor Carthuſienſis. Quando Prælatus vel Prælata ad hoc omni poſse ſuo non laborat, ut ſubditi in communi vivant, ſe ipſum & ſubditos decipit & damnat. Quia reſiſtere poſſe perverſis, & non facere, eſt eis conſentire (23. q. 3. c. 8.) *Qui poteſt.* Ubi dicit canon in hæc verba: *Qui poteſt obviare & perturbare perverſos, & non facit, nihil eſt aliud, quam favere eorum impietati. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.* Patet etiam hoc 86. di. c. 3. *Culpam facientis* 24. q. 3. c. 34. *Illud;* Quia negligere, cum poſſis, perverſos perturbare, nihil aliud eſt, quam facere & 2. q. 7. c. 55. *Negligere* 83. di. c. 3. *Error* & 86. di. c. 8. *Culpam.* Et qui crimina, quæ poteſt emendare, non corrigit, ipſe committit 23.q.8. c. 12. *Præterea.* Qui tacet, conſentire videtur.

Et ſic, facientem & conſentientem par pœna conſtringit, 14. quæſt. 3. *Omnis.* Illud duriſſimum judicium fiet his, qui præſunt.

Item ſciendum, quod, quicunque habet filium vel filiam in Monaſterio, quem vel quam ſcit non ſponte velle omnia ad ſui Prælati juſſionem reſignare, & ad communem vitam dare, illi amplius nihil debet dare, & ſi aliquid ei dederit præter extremam neceſſitatem, confortando eum in ſua proprietate & malitia, & pertinacia, ipſo facto peccat mortaliter. Quia ipſe dat occaſionem hujus criminis & damnationis perpetuæ ſecundum juris Regulam nota dignam: *Qui occaſionem dat damni, damnum dediſſe videtur.* Ergo nulla eleemoſyna, nec aliquod beneficium eſt talibus proprietariis exhibendum, niſi ut peculii in extrema neceſſitate.

C A-

CAPUT OCTAVUM.

De pœna proprietariorum.

Immo tales proprietarii ſunt graviter puniendi & perſequendi a ſuis Prælatis, exemplo ſanctorum Patrum, qui fuerunt in Religionibus. Unde in diſt. allegata dicitur, quod Beatus Gregorius in ſterquilinio ſepeliri juſſit proprietarium cum tribus argenteis, quos repertus eſt habuiſſe, & fecit eos ſecum jactare in ſepulchrum, dicendo: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem &c.*

CAPUT NONUM.

Characteres & tituli Proprietariorum.

His omnibus conſideratis modernis temporibus, quod plerique in Religione videntur ſicut ſtellæ in cœlo rutilare, efficiuntur de numero reproborum maxime propter vitium proprietatis. Unde ſecundum Theologos proprietas eſt caritatis felicidium, firmitatis naufragium, Religionis exilium, animæ præcipitium, tonſuræ fœdatio, cordis diſtractio, mentis indevotio, negotiandi occaſio, cupiditatis filia, diſsenſionis materia, pacis noverca, idolorum ſervitus.

Unde proprietarius eſt profeſſioni contrarius, perditionis filius, Judæ ſocius, pecuniæ ſervus, Deo inimicus, proximo injurioſus, obediens diabolo, rebellis magiſtro, gentili infidelior, Judæo iniquior, latrone crudelior, uſurario infamior, fure pejor, ſacrilego execrabilior. Et ſic miſer manifeſtiori excommunicatione excommunicatus, quia manifeſta excommunicatio ex ſupradictis ſubſecuta eſt.

Singula membra præfata diverſis ſcripturis concurrentibus ſunt probabilia, ſi temporis facultas adeſset, & materiæ prolixitas ſuppeteret. Singula tamen hæc omiſsa, cum iterum viſitavero vos, ſupplendo reſerabo.

CAPUT DECIMUM.

Variæ exceptiones de Monaſterii in primis paupertate, ut & conſuetudine, ſolvuntur.

Notandum ex ſupradictis his, ubi dixi. Si darentur victus, & amictus, & neceſsaria competentia. Propter hoc coram Deo non eſtis excuſatæ, quia habetis cenſus annuales, quos ad libitum veſtrum ipſæ expenditis, una plus, alia minus, unde competenter in communi vivere poſsetis.

Sed

Sed ſalva excuſatione dicitis : *Parentes noſtri tali modo non exſolvunt nobis*. Ad quod ego : Si bonarum eſſetis voluntatum, & eiſdem parentibus veſtris errores veſtros, quibus uſque huc fuiſſetis involutæ, & a veritatis ac ſalutis via deviæ, exponeretis, non tantum illos reditus vobis exſolverent, ſed multo plura ſuperadderent. Quod ſi non facerent, merito vos haberetis de eis querulari, quod ipſi vos loco illi, in quo neceſſaria vitæ minime haberetis, fraudulenter obtuliſſent. Utique vobis aut Prælato veſtro conſuetos reditus pro communi bono repetere congrueret, ſi ipſi tunc exſolvere recuſarent. Quia Monaſterium in ſuſtentatione veſtrarum omnium deficeret.

Sed adhuc objicitis pro præbenda certam pecuniæ ſummam ipſi pro vobis condonatam.

Sed certe melius eſſet hoc & ſimile tacere, quam in medium ducere. Scilicet, non per oſtium, ſed ſicut fures aliunde & lattones in ovile ovium ſimoniace aſcendere. Quia ſimonia hæreticæ pravitati eſt vicina. Et ideo pretium hoc propter validitatem non eſſe judicio nominandum, ſed magis oblationem appellandum.

Sed adhuc omnia hæc non excuſent contra proprietatis vitium. Si etiam non aliquem ſciremus denarium, nec corporis neceſſaria ratione penurioſi Monaſterii acciperemus, quid tunc nobis eſſet faciendum?

Certe ſanctorum Patrum & Apoſtolorum, quorum ſequentes eſſe debemus, more, manuum laboribus inſiſtendo, non ſolummodo nobis, ſed etiam pauperibus neceſſaria taliter acquirendo. Idcirco dicit Beatus Benedictus cap. 48. *Otioſitas inimica eſt animæ. Et ideo certis temporibus occupare ſe debent fratres labore manuum &c.* Et poſt pauca : *Tunc veri Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum vivunt, ſicut Patres noſtri & Apoſtoli &c.* Et hoc patet pulchre *de conſecrat. diſt.* 5. *cap.* 34. *Nunquam*.

Illud in experientia vidi in Conventu quodam ſanctarum fœminarum juxta Baſileam, ubi auctoritate Domini legati Papæ confeſſoris functus officio, ibi nullum denarium poſſidebant de reditibus certum, ſed manuum laboribus inſiſtentes æque bene convenienter duxerunt vitam. Sic & nos, ſi quippiam nobis ex manuum laboribus acquiri contingeret, ſi vera noſtra probata fuerit Religio, ad communitatem tenemur præſentare, ut patet in cap. *Nunquam* ſupra allegato. Ubi ponit de ritu Monaſteriorum Ægyptiorum.

Nec habent aliqui inter vos allegare conſuetudinem veſtram. Quia mala eſt, & non minus quam perniciosa corruptela eſt vitanda (d. 8. cap. 3.) *Mala*. Et (cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9.) omnia talia (16. q. 5. cap. 5.) *Licet*. Nam ratio & veritas conſuetudinem ſemper excludunt, ut dicit Auguſtinus lib. 3. de unico baptiſmate. Nemo conſuetudinem veritati & rationi præponat, quia *Chriſtus non dixit : Ego ſum conſuetudo, ſed, ego ſum via, veritas, & vita*. (8. di. c. 4.) *Veritate manifeſtata*.

Quia ut dicit Cyprianus, *Dei veritatem, non hominum conſuetudinem ſequi oportet* (8. d. c. 9.) *Si ſolus Chriſtus*. Nam etiam conſuetudo perverſa excuſare nequit. Non levigat crimen, ſed auget, ut (24. q. 1. c. 34.) *Schiſma*. Et Extrav. (Decret. lib. 5. tit. 3.) *de Simonia c.* (cap. 48.) *Non ſatis*.

Cedat ergo talis conſuetudo veſtra, habens tot & tantas rationes & auctoritates contrarias.

CAPUT UNDECIMUM.

De diverſa intentione illorum, qui in Monaſteria ſe conferunt.

Eſt quippe unum, quod volo vos ſcire, quod cunctis eſt Religionem ingredi cupientibus valde nota dignum, quod dicit Anſelmus: *Quicunque vult Religionem intrare, & in ea proficere, debet principaliter tria ſcire: Quare, Ubi, & Ad quos?*

Ad primum, Quare. Utrum intentio ſit recta, an ſiniſtra.

Quia plerique Religionem ingrediuntur, ut ſuæ valeant inopiæ ſuccurrere, cum in ſeculo pauperculam gerant vitam, dum de victu & amictu in Religione taliter proficerent. Si etiam eſſet illis multa habendi facultas, quam propter Deum tenuerunt, hi ſæpius, cum pauperrimi fuerint in ſeculo, vix vel raro ſuis ſuperfluitatibus ſaturati queunt in Monaſterio. Unde dicit Hieronymus (in can. 12. q. 2. cap. 71.) *Gloria Epiſcopi*. *Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix milio & cibario pane rugientem ventrem ſaturare poterat, nunc etiam ſimilam & mella faſtidit &c.* Unde ſcribit etiam Hieronymus ad Nepotianum: *Nonnulli ſunt ditiores Monachi, quam fuerunt ſæculares, & Clerici poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallente Diabolo non habuerunt.*

Aliqui vero intrant Religionem inviti, & quaſi a parentibus coacti. Hi inquieti, impatientes, & inobedientes videntur, & cuncta eiſdem, ſi etiam melliflua apparent, amara ſunt.

Iſti tamen, ſi poſt demum voluntarie conſenſerint, & profecerint, ſalvabuntur. Quia de neceſſitate virtus efficitur.

Alii intrant, ut prælaturas vel dominia officiorum in Religione adipiſci queant. Hi male intrant, cum tam apud ſeculares, quam Religioſos ad Prælaturas aſpirare ſit damnabile. Unde dicit Ambroſius: *Quicunque deſideraverit primatum in terra, inveniet confuſionem in cœlo, nec inter ſervos Chriſti computabitur, qui de primatu tractaverit, ut XL.* diſt. (1. q. 1. c. 12.) *Quicunque*. Etiam ambitioſus ad Prælationem, etiamſi ſanctus ſit, reprobatur (1. q. 1. c. 25.) *Principatus*.

Nonnulli etiam intrant propter diſfortunium, de hujus mundi proſperitate deſperantes.

Omnes

Omnes iſti non recta intentione intrant. Sed hi duntaxat, vanitatibus hujus mundi & deliciis, & ſecundum conſilium Chriſti omnibus, quæ poſſident, renunciantes, ut ſuas lucrari valeant animas. Illis omnia etiam dura videntur propter Deum ſuavia.

CAPUT DUODECIMUM.

Monaſterium eſſe locum pœnitentiæ & purgatorium.

Perpendamus ergo, quamobrem ad Religionem pervenimus, dicendo cum Poeta:

Ad ſtudium quare veniſti, præmeditare.

Nonne venimus propter pœnitere? Quare ergo partes pœnitentiæ, ſcilicet vigilare, jejunare, orare, & alia ſimilia corpori contraria renuendo abjicimus? Cum verus pœnitens ad omnia dura ſemper ſit paratus.

Si cupimus ad libitum noſtrum dormire, comedere, bibere, & fabulari, in propria voluntate ambulare, ſolatium & omnem commoditatem habere, quid tunc quærimus in loco pœnitentiæ?

Nonne hic eſt clibanus, & Babilonis fornax, in quibus per dura & aſpera, ac per tribulationes diverſas oportet nos tanquam aurum purgari & probari? quia tanquam aurum in fornace probavit electos ſuos Dominus. Unde Bernardus Caſſinenſis ſupra primum capitulum Regulæ ubi de Monaſterii probatione diuturna &c. *Monaſterium eſt fornax*, inquit, *ſive caminus, in quo projicitur Monachus, ut diverſis tribulationibus, tentationibus, & aſperitatibus comprobetur, ut demum purior ſit auro, quod tranſit per ignem. Ideo dicitur Monaſterium.* Hæc ille.

Cum ſic pertranſierimus per ignem & aquam, poſt deducemur in refrigerium. Unde dicit Gregorius: *Si quis appetit plena vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare, ut poſt tunc mundior ad judicem veniat, quantum nunc ejus rubiginem ignis tribulationis purgat.*

Oportet utique animam purgare, ſive per ignem, ſive per aquam. Unde Num. XXXI. Omne quod poteſt tranſire per flammam, igne purgabitur, quicquid autem ignem non poterit ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur.

Attendant, qui volunt evadere ignem purgatorii, quia oportet eos expiari aquis lacrymarum. Immo etiam ignem mundanæ tribulationis ſæpe evadit homo per aquam lacrimoſæ amaritudinis, ut patet ſatis ex ſcripturis.

O Religioſe. *Si non poſſes unum ſuſtinere opprobrioſum*, quomodo tunc flagella & aſperitates ſuſtinebis? Purgatorium futurum evadere putas, & hic tribulationibus & adverſitatibus purgari recuſas? Non ſic itur ad aſtra. Quare dicit Hieronymus ad Heliodorum: *Monachus delicatus*

es, cariſſime, & hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto? De hoc Auguſtinus: *Impoſſibile*, inquit, *eſt quod aliquis fruatur præſentibus bonis & futuris, ut hic ventrem & illic mentem impleat, & a deliciis ad delicias tranſeat, & in cælo & in terra glorioſus exiſtat.* Hæc Auguſtinus.

CAPUT XIII.

Monaſterium eſſe ſcholam ſtudiorum & virtutum.

Inſuper cauſa ſtudii & virtutum acquirendarum hoc in loco convenimus, tanquam in Dominica ſchola congregati. Unde dicit ſanctus Benedictus in prologo Regulæ: *Conſtituenda eſt ergo a nobis dominici ſcholā ſervitii* &c. In qua quidem ſchola quaſi in loco, a turbine & a pluvia mundanæ perturbationis quieto, virtutes ſunt acquirendæ ſummo cum ſtudio, per quas quaſi Deo participamus. Unde Pſalmus: *Ego dixi, Dii eſtis* &c.

Studeamus ergo ſcalatim aſcendere a fundamento omnium virtutum, ſcilicet humilitate, uſque ad ſcalæ ſummitatem & bonitatem, ſummam in hoc mundo perfectionem. Hæc eſt illa ſcala in ſomniis a Jacob viſa, in qua Angeli aſcendebant (Gen. 28.) Et Sanctus Benedictus in Regula cap. 5. ubi etiam ſubjungit dicens; Non aliud ſine dubio deſcenſus ille, vel aſcenſus a nobis intelligitur, quam in exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere. Sic oportet nos aſcendere, & ambulare de virtute in virtutem, donec videamus Deum Deorum in Sion.

Inſpiciamus itaque undique vitam noſtram, quantum in virtutum ſcala proficimus, aut deficimus, memores ſemper hujus terribiliſſimi dicti Auguſtini, a me alias veſtris auribus incuſſi, quod ſcribit ad Vincentium: *Ex quo Deo ſervire cœpi, omnium difficile expertus ſum meliores, quam qui in Monaſteriis profecerunt, & difficile expertus ſum pejores, quam qui Monaſteriis defecerunt*, ut patet diſt. 47. &c. *Quamlibet*. Unde etiam Bernardus dicit: *Qui in loco ordinis ſine ordine vivit, ad illum deveniet ordinem, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Hoc quantum ad prius.

CAPUT XIV.

Monaſteria requirunt ſolitudinem.

Ad ſecundum, Religionem intrans debet conſiderare, ubi vult intrare. Utrum locus pro regulari obſervantia aptus & quietus. Quia ordo noſter ſolitudinem requirit, non inter parentes & notos, ubi nunquam vel raro quiſpiam proficere valet. Quare dixit Dominus: *Egredere de ter-*

terra tua & de cognatione tua &c. ut patet ſupra. Attendant ſuos parentes & notos frequentantes, quomodo proficiunt. Immo quæ aliquando in uno integro anno in ſpiritualitate accumularunt, una hora pereunt. Hi non habent conſolationem divinam, quærentes humanam. Non vere cum Propheta renuit conſolari anima mea: *Memor fui Dei mei & delectatus ſum*. Item. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me*. Hi autem non ſunt mortui mundo, immo vivunt mundo, ſolum nomen portantes. Quia Monachus dicitur a monos, quod eſt *unus* & ἄχος *triſtis*, quaſi *unus triſtis*. Sedeat ergo triſtis, vacans officio; quia mortuus eſt mundo, vivit autem Deo (*16*. q. 1. c. *placuit*.) Hi etiam crucem Chriſti tollunt, ſed eum non ſequuntur. Hoc quantum ad ſecundum.

CAPUT XV.

De pietate & concordia in Monaſteriis deſiderata.

Ad tertium. Intrans in Religionem conſiderare debet, ad quos vult intrare, utrum ſint ſanctæ converſationis, obſervantiæ regularis, quod non ſint ſimoniaci, proprietarii, inobedientes, incontinentes, inter ſe diviſi, litigioſi, clamoſi, ſcurriles, leves, diſſoluti otiis, ac ſtudioſe obſervantes quietem.

Monachus in Monaſterio, quaſi Paradiſo terreſtri ducit vitam. Unde dicit Hieronymus in quadam ſuarum epiſtolarum: *Monaſterium, ubi eſt unio & caritas, eſt Paradiſus, & inhabitantes ſunt Angeli Dei*. Ubi autem eſt diviſio & diſſenſio, Monaſterium eſt infernus, & inhabitantes Diaboli ſunt. Nam, ut ait Hieronymus: *Nihil eſt ſimilius actibus Dæmonum quam litigare*. Sed, ut dicit Seneca ad Lucillum; *pacem habeas cum hominibus, bellum autem cum vitiis &c.*

Hæc pauca procul dubio mihi de Religione cognita, prout nunc vobis, ut promiſi, tranſmitto, proh dolor! non quod ego ita facio, ſed vos una mecum admonendo exhortor, ut in his frequenter in cordibus ruminantes proficere poſſimus in vitam æternam, Amen!

III.

DE ANNUIS PENSIONIBUS MONACHORUM *ac Monialium, aliiſque ſubſidiis, quibus privatim fruantur, Deciſio Media.*

Ex MS. Academiæ Helmſtadienſis.

CAPUT PRIMUM.

Argumenta pro conſuetudine inter Monachos, annuas penſiones, precarias, ſimiliaque ſubſidia obtinendi.

UTrum conſuetudo, qua quidam Religioſi utriuſque ſexus habent precarias, ſeu annuas penſiones, ſeu ſubſidia a parentibus vel amicis, vel propriis laboribus, quibus utuntur ſeorſum, extra Conventum, & frequenter, ex licentia ſuperiorum, valeat & ſit licita, ita, quod tales Religioſi ſint ſine periculo animarum ſuarum?

Et videtur, quod ſic.

Primo. Quia hoc Eccleſia Romana ſcit & tolerat, igitur hoc approbare videtur. Et per conſequens hujuſmodi conſuetudo eſt licita.

Secundo ad idem illud Joannes Andreæ in cap. *Cum ad Monaſterium in Novella* dicit, quod Romana curia toleret, quod Religioſi in Romana curia loco veſtium capiant a ſuis Prælatis annuam penſionem. Igitur hoc eadem ratione loco cibi & potus poſſunt capere. Cum victus & potus debeant Religioſo miniſtrari per ſuum ſuperiorem, quibus debet eſſe contentus (12. q. 1. cap. 5.) *Clericus qui*. (16. q. 1. c. 5.) *Si cupis*.

Tertio ad idem, *in eodem cap. in novella* dicit, quod moniales in Monaſteriis pauperculis ultra præbendam minus ſufficientem, quæ eis in Conventu miniſtratur, poſſunt meliorare præbendam ex ſubſidio parentum vel amicorum, vel per proprios labores. Igitur hujuſmodi conſuetudo valet.

Item quarto, hoc ſolum dicitur proprium, quod celatur coram Prælato ſuo. Hic vero in caſu noſtro ſubditus habet licentiam a Superioribus ſuis, ut per annuas penſiones, vel precarias, vel ſubſidia parentum vel amicorum, vel per proprios labores poſſint meliorare præbendam minus ſufficientem.

Item quinto, neceſſitas non habet legem. Sed ſæpe Prælati non poſſunt providere de bonis Monaſterii, minus ſufficientibus, præſertim prælati mendicantium Ordinum, ſuis ſubditis. Igitur oportet, quod Prælatus licentiet ſubditos ſuos, ut acquirant neceſſaria pro victu & veſtitu. Igitur &c. Alias Prælati propter defectum neceſſariorum perirent.

Item

Item ſexto inducitur ad illud, *Qui Clerici vel voventes* (Decret. l. 4. t. 6. cap. 7.) *Inſinuante*, & quod ibi notatur, (& 27. q. 1. cap. 7.) *De viduis*. Per quæ patet, quod Monachus in domo ſua cum bonis omnibus quondam ſuis remanere poteſt, & illa adminiſtrare, & in uſus ſuos convertere de Abbatis licentia. Fortius ergo Abbas cum Capitulo poteſt facere Monachum adminiſtratorem certæ pecuniæ, in certum neceſſarium convertendæ uſum. Per argumentum a majore, de quo (Decretal. l. 1. t. 6.) *De electione, c. 7. Cum in cunctis*. Et de toto ad partem, *de officio deleg. c.* 28. *Paſtoralis*. Nam qui totam cauſam non delegat, certum articulum delegare poteſt, *de appell. c. 62. Cum cauſam*, & l. 2. t. 27. *De re Jud.* c. 18. *Cum Bertholdus*.

Item ſeptimo ad illud, quod Monachus de licentia Abbatis poteſt aliquid poſſidere, licet non ut proprium, facit (12. q. 1. cap. 11.) *Non dicatis*. Quia ibi dicitur, quod vel ſine licentia Abbatis poteſt poſſidere. Ergo cum licentia ejus poteſt. *Extrav.* (Decret. l. 3. tit. 10.) *de his, quæ fiunt a Prælato, cap. 7. Cum Apoſtolica*, in fine. Unde talis ſpoliatus petit reſtitutionem, (Decr. l. 1. t. 3.) *De reſcriptis c. 22. Cum dilecta &c.*

CAPUT SECUNDUM.

Argumenta contra conſuetudinem talia habendi ſubſidia privata.

In oppoſitum, contra conſuetudinem videntur eſſe quatuor,

Primo ſtatus Monachorum. Secundo, ſubjectio eorum ad ſuum ſuperiorem.

Tertio ſuperioris officium. Quarto, Regula Monachorum.

Primo, ſtatus Monachi non permittit, eum habere proprium, vel aliquid poſſidere (12. q. 1.) *Nolo, & c. Non dicatis de ſtatu Monachorum c.* 11. *& c. Cum ad Monaſterium*. Ergo conſuetudo eſt illicita, quæ facit eum proprietarium. Nec enim, quod una via prohibitum eſt, per aliam eſt concedendum, *De procurat. cap. Tuæ*.

Item, cum ſit ſpeciale, quod Monachus poteſt habere peculium ex injuncta ſibi adminiſtratione, *de ſtatu Monachorum c.* 11. Et tamen certum, quod ille, licet ſit adminiſtrator, non habet illud, ut proprium, etiamſi Abbas vel Epiſcopus, *De privilegiis* (Decret. lib. 5. tit. 33. cap. *Cum olim*.) Propter quod concluditur, illi adminiſtratori concedi detentionem tantum. Ex quo ſequitur, quod nulli adminiſtratori etiam detentio etiam per Abbatem concedi poteſt. Facit *de privilegiis cap. 9. Sane*. Ergo nec ſe ad illud per conſuetudinem obligare poteſt, defraudando legem de hoc privilegio.

Quare circa ſecundum conſtat, quod Monachi Abbati vel Superiori obedire tenentur, *De ſtatu Monachorum, cum ad Monaſterium*, 54. *diſt.*

Ab-

Abbas. Et ſicut obedientia in exhibendo ineſt Monacho, ſic recipiendo ineſt Abbati, & huic Abbas renunciare non poteſt. Quia Monachum manentem ſuum non poteſt abſolvere ab obedientia, *de renunc. cap. Pridem*. Sed illa conſuetudo quodammodo abſolvit, ſi ratione conſuetudinis Monachus poteſt tollere precarias. Igitur &c.

Item, ſi conceditur hæc conſuetudo pro veſtibus, pari ratione, pro vino & piſcibus, & forte pro carnibus. Et ſic ex vi conſuetudinis habebunt Monachi præbendas diſtinctas, vel portiones privilegiatas, contra canonem (Decret. l. 3. t. 5. c. 19.) *Dilectus*, 1. *de præbendis*, & ſimiliter cellas privatas, contra illud 20. *q. ult. Monachi* 12. *q.* 1. *Neceſſaria, de ſtatu Monachorum*.

Circa tertium certum eſt, quod ad Abbatem pertinet tota poteſtas Monaſterii, (18. q. 5.) *Nulla*. Et debet eſſe diſcretus in regimine, *ead. q. c. Si quis Abbas*. Et de omnibus ſolicitudinem gerere debet, per *cap. Cum ad Monaſterium*, & ſecundum qualitatem perſonarum eis providere. Quod ſingulis Abbas faciat, ut in uſu, *de præbend. de multa*, in fin. exemplo Apoſtolorum, qui non æqualiter omnibus, ſed ſingulis dividebant, prout ſingulis opus erat (Act. 4.)

Sed ſi ſecundum hanc conſuetudinem annua penſio non ſufficeret pro Monacho, vel abundaret plus, quam Monachus indigeret, diſtributoris Abbatis manus eſſent ligatæ; & ſic illicitum. Cum ſit æquale vitium, negare neceſſaria, & dare ſuperflua, 47. *Si quis*, *De officio cuſtodis c. prim. & de jure prioratus in Clem. c.* 1.

Ergo conſuetudo eſt iniqua, quæ aufert Abbatis officium, providendo & diſtribuendo. Et ſic non habet poteſtatem. Quia non ſervat honoris ſtatum, ſed confundit. (25. q. 5. cap. 24.) *Si apud*. Etiam ſolvit obedientiam, nec habet juris poſſibilitatem (22. q. 2. cap. 15.) *Faciat*. Nec habet neceſſitatem, cum aliter providere poſſit Monachis, ad illud (diſt. 1. cap. 5.) *Conſuetudo*. Ubi dicitur quod lex debeat talis eſſe, quæ congruat Religioni, diſciplinæ conveniat, & ſaluti proficiat. Sed hæc conſuetudo facit contrarium.

Quarto, cum Regula Monachorum ſit approbata per Sedem Apoſtolicam, & confirmata, *de Relig. dom.* Si non licet illam alicui mutare, *de confirmatione utili vel inutili c.* 1. & 11. concluditur ergo, quod Prælatus hanc conſuetudinem poſſit revocare, quam ſine interitu ſalutis ſervare non poteſt. Hic vide Joan. Andr. in Regulam. *Non eſt obligatorium*.

Sed experientia, quæ eſt rerum magiſtra, docet, quod hujuſmodi Religioſi utriuſque ſexus ſint inquieti frequenter, inobedientes, nolentes reformari, neque hujuſmodi penſiones annuas ponere ad communitatem, etiam per ſuperiorum juſſum. & ſic proprietarii, & alii luſores & fornicarii, bibuli & crapuloſi, veſtibus pretioſi. Et quando alii Monachi eſuriunt & ſitiunt, ipſi ſunt inebriati, nec paupertatem, nec

obe-

obedientiam ſervant, nec ſaltem communem menſam tenent. Vide ergo quam periculoſus ſit ſtatus Superiorum hujuſmodi Religioſorum, qui hoc ſciunt in ſubditis fieri, & tacent, nec prohibent. Ecce omnes animæ hujuſmodi ſubditorum requirentur de manibus ſuperiorum, ſive clauſtralium, ſive provincialium. Vide, quam periculoſus ſit ſtatus hujuſmodi præbendariorum, qui ſubſtantialia ordinis non ſervant, quia perjuri, quia nolunt obedire generali Concilio, quod utique voluit omnes ordines reducere ad communem vitam. Quare ſunt extra ſtatum ſalutis: quia Monachus habens obolum, non valet obolum, & qui habet proprium, Deus negat ſibi ſuum proprium, quod eſt miſereri & parcere. Et ſic ſcandalizant Eccleſiam & præſertim laicos, incitantes eos contra Clerum. Væ illi, per quem ſcandala fiunt, ſeu veniunt.

CAPUT TERTIUM.

Sententia media.

Ad illam quæſtionem reſpondendo tota quaſi Eccleſia quoad Religioſos confunditur.

Quia, ſicut rationes ante oppoſitum videntur oſtendere, quando ſubeſt rationalis cauſa, Prælatus religioſus cum ſuis ſubditis profeſſis diſpenſare poteſt, ut Religioſi profeſſi habeant peculium ſeu precariam. Ut videlicet, quando ſuperior ſubditos nutrire aliter non poteſt in communi, ſed ſubditi poſſunt ſe nutrire diverſimode, unus prædicando, alter docendo & regendo, alter ſcribendo, alter meditando in libris, alter per parentes & amicos & ſubſidio eorum, vel patrimonium ad eum devolutum. Et non eſſent præmiſſi jam ita diligentes in acquirendo pro communi utilitate, ſicuti pro ipſis in ſpeciali.

Rationes vero in oppoſitum videntur oſtendere, quod hoc ſit contra ſtatum Religioſorum profeſſorum, & quod per hoc reſtringantur ſubſtantialia ordinis, & multa mala ſuperius expreſſa oriantur.

Et quia in cauſa rationabili ſuperior poſſet diſpenſare, quando ſubeſt cauſa rationabilis, dummodo ſubditi parati eſſent hujuſmodi precarias dare in manus ſuperioris ad communem utilitatem, quando ſuperiori placet, & videtur ſibi opportunum: Et quia, quæ ſit hujuſmodi rationabilis cauſa, non eſt concordia, nec inter Prælatos, nec inter ſubditos, & quod ſubditi ſini parati dimittere hujuſmodi precarias omni tempore: ideo melius eſt, quantum poſſibile foret, raro vel nunquam mittere hujuſmodi precarias, niſi ex notoria cauſa & evidenti, propter ſcandala, & ne ſubſtantialia ordinis per hoc infringantur.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

Argumenta, quod Monachi de propriis viventes ſint in periculo damnationis.

Sequitur alia quæſtio, *Utrum religioſi Prælati utriuſque ſexus non viventes communiter ſed ſingulariter, ſint cum ſubditis in ſtatu ſalutis.*

Et videtur, quod non.

Quia de communi deceret vivere communiter, quoad eſum, potum, veſtitum, & ſervare Regulam, jejunium, & non comedere carnes, niſi eſſent infirmi, & alia plura obſervare, quæ non obſervant. Ergo ſunt in ſtatu periculoſo magis, quam ſeculares Clerici. Quia de quanto ſtatus altior, de tanto caſus periculoſior.

Secundo ad idem. Quia fundant ſe ſuper diſpenſatione invalida, credentes ſe in omnibus diſpenſari. Sed non eſt verum. Quia, ſicut dicit Joannes Andreæ ſuper c. *cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum, in novella &c.* licèt ſummus Pontifex poſſet diſpenſare cum Monacho, ut poſſit contrahere matrimonium, ſi cauſa maxima ſubeſſet, ut converſio gentilium, vel pax magis reformanda, tamen, ſi legitima cauſa non ſubeſt, non valet diſpenſatio. Immo, ut dicit idem, non poteſt Papa diſpenſare contra vota, vel ut Monachus habeat proprietatem, niſi magna cauſa ſubeſt. Et, ſi diſpenſat ſine magna cauſa, non valet diſpenſatio, & Papa peccat; & utentes eadem diſpenſatione decipiuntur. Hic autem in caſu noſtro Prælati religioſorum, diſpenſant contra vota, ut ſubditi non ſervent paupertatem, immo nec obedientiam, caſtitatem, nec regulare jejunium. Cum ergo nec Papa poſſit quid contra promiſſa Deo facta, nec cauſa legitima & magna ſubeſt: Ergo eorum diſpenſatio non eſt diſpenſatio, ſed ſubditorum & Prælatorum deceptio.

Tertio, talis vita Religioſorum tendit ad noxam & ad ſubverſionem totius vitæ religioſæ. Ita ut non ſerventur tria ſubſtancialia ordinis, nec paupertas, nec obedientia, nec caſtitas, & alia regularia. Sed nec ſtatuta, nec leges, nec conſuetudines valent. Sic tendentes ad noxam, & ſubverſionem Eccleſiæ quoad magnam portionem ejus magis notabilem, ſcilicet religioſorum, Ergo talis vita eſt damnabilis, & omnino abjicienda a ſtatu Eccleſiæ.

Item quarto. Quod omnes regulares fratres indigeant hujuſmodi diſpenſatione, ut non communiter vivant, ſed ſingulariter: Et quod tot ſint procuratores in Conventu, quot fratres, quilibet rerum ſuarum: Et quod hic ſubſit licita cauſa diſpenſandi quoad ſingulos fratres: non videtur unquam occurrere. Sed magis ſi quilibet fratrum ea, quæ poſſidet, poneret ante communitatem: melius & abundantius provideretur quam ſic.

Quinto, interim, quod Prælati examinant, an poſſint Conventum decen-

center nutrire de his, quæ ſinguli fratres poſſunt comportare, & poſſint eos ad hoc compellere, ut omnia, quæ habent, ponant ad communitatem, ſemper ſint culpabiles & inexcuſabiles. Quia tenentur ſubditos ſuos ad communem vitam compellere. Et ſi non poſſunt ad hoc attrahere propter rebellionem vel propter cauſam prætenſam rationabilem, ſaltem aliquos ad communem vitam juvando & ſibi obediendo attrahant, ut ſe & ſibi obedientes excuſabiles faciant. Quod minus offendat, ſi ſaltem aliquos ad communem vitam adducat; faciendo diligentiam, quam torpendo hoc permittat, ſe & plures ſuos ſubditos ad perpetuam damnationem inducendo.

Sexto. Diſpenſatio ſuperioris cum ſubditis in præmiſſis non excuſat nec prodeſt. Nam, ſicut præmiſſum eſt, nec ſummus Pontifex ſuper proprietatem vel vota cum Religioſis ſine legitima cauſa poteſt diſpenſare. Ergo multo minus alii inferiores Prælati infra Papam diſpenſare poſſunt.

Septimo. Talis vita ſingularis tollit officium ſuperioris in præcipitium, & ſingulis neceſſaria diſtribuendo, & obedientiam inferiorum in præmiſſis ſuperioribus exhibendo, & ſuperflua retinendo. Et æquale vitium eſt in præmiſſis, ut Superior vel non neceſſaria ſeu ſuperflue, vel diminute provideat, & quod ſubditi in neceſſariis & mediocribus non ſint contenti.

Octavo. Joannes Andreæ in c. *Cum ad Monaſterium*, ſuper non proprietate dicit: *Nec videtur dici: Quando ſubditus de qualitate & quantitate nihil celat Superiori, nec ſine ipſius conſenſu vel ſine ſcientia aliqua recipit vel expendit, paratus totum reddere & dimittere ad juſſum Abbatis. Tamen res periculoſa eſt, & invidiæ & exempli mali cauſa. Conſulit Oſtienſis Abbati, ut, niſi ex cauſa magna & evidenti, talem licentiam non det Monacho, non habenti adminiſtrationem.* Ecce hic loquitur de Monacho, cui tam raro debet dari hujuſmodi licentia. Hic vero datur omnibus ſubditis licentia, & de omnibus rebus, quæ detinet ſubditus, quæ etiam ad libitum expendit, ſicut placet, nec etiam interrogando ſuperiorem de ſingulis. Quia ſuperior libenter dat hujuſmodi licentiam ſine cauſa legitima ſubjectis ſuis, non ſolum ſe, ſed & ſubditos decipiendo, ſicut patet ex illa ratione ſuperius poſita. Et etiam hoc non deberet fieri niſi in his ſubditis, qui habent adminiſtrationem, ut ſunt officiales, procuratores, ut patet *De ſtatu Monachorum c* 11. Hic vero omnibus ſubditis admittitur hujuſmodi adminiſtratio pecuniæ.

Nono, cum ſit duplex uſus rerum temporalium: Scilicet certus, qui Monachis non poteſt concedi, quia hoc importat proprietatem in ſubditis, quem tamen uſum pro nunc Prælati concedunt, de quo vide Humbertum ſuper Regulam Auguſtini: Et alius eſt uſus incertus, qui Monachis poteſt concedi, ſi ſubſit neceſſitas vel utilitas, communis, non privata ſecundum N. ad Eugenium Papam. Alias diſpenſatio vocatur diſſipatio.

Sed communis utilitas rariſſime occurrit in his diſpenſationibus, ſed ſingularis. Sicut patet in effectu, quo quilibet quærit utilitatem ſuam ſingularem.

Decimo. Cum experientia ſit rerum magiſtra, hujuſmodi vita ſingularis generat multas abuſiones, & hujuſmodi ſingulariter viventes poſſident aurum & argentum, quibus omnia obediunt, & nec refectorium nec dormitorium viſitant, variam ſupellectilem poſſident, veſtes pretioſas, lectos, famulos & ancillas, concubinas, equos & canes venaticos in locis anguloſis, vel etiam in refectorio lautius ſibi providentes, & ſic de pluribus aliis abuſionibus. Quis enim poterit de hoc dubitare, quin Prælatus cum talibus juvenibus diſpenſans, & hi, cum quibus ſic diſpenſatur, ſint in ſtatu damnationis, & diſpenſatio cujuſcumque Papæ, generalium vel ſingularium Superiorum quorumcumque, in nullo eos relevet.

Undecimo. Quia tanta eſt inæqualitas in tali vita ſingulari, quod unus abundat, alter deficit, unus ſitit, alter ebrius eſt, unus ſaturatus, alter famelicus eſt. Et ſic de veſtitu, & in omni indigentia humana eorumdem. Cum Auguſtinus dicat: *Et non dicatis aliquid proprium; ſed vobis omnia communia.* Et ſic Sanctus Franciſcus, Benedictus, Dominicus. Hæc ergo vita ſingularis eſt inæqualis, diabolica, proprietatem in ſe includens, paupertatem excludens, & cætera, quæ ordinis ſunt.

Duodecimo. Beatus Bernardus in libro de præcepto & diſpenſatione dicit: *Quicquid de ſpiritualibus in ipſa Regula traditum eſt, in manu Abbatis nunquam relinquitur. Dein reliqua pars, quæ in corporalibus obſervantiis, ne ipſa quidem ejus in voluntate ita poſita eſt, ut ejuſdem ſerviat voluntati, ſed magis caritati. Neque enim Abbas ſupra Regulam eſt, cui ſemel ipſe ſe ſpontanea profeſſione ſubmiſit.* Et ibidem ſtatim: *Super fratrum tranſgreſſiones, non ſuper Patrum traditiones conſtituitur qui Abbas eligitur, mandatorum cultor & vitiorum ultor.*

Tredecimo. Omnis regularitatis, & omnis rigoris declinatio, ordinarie ex hac diſpenſatione exorta eſt. Quia ſuperiores carnales in ſe nolunt diſplicere ſubditis, æſtimantes, ſe ſine rationabili cauſa poſſe in omni caſu vere, exceptis tribus ſubſtantialibus, diſpenſare. Quod non poſſunt propter multas cauſas ſuperius expreſſas.

CAPUT QUINTUM.

Argumenta, quod Monachi de ſubſidiis propriis viventes non verſentur in diſcrimine ſalutis.

In oppoſitum arguitur.

Cum ſint tot Doctores Theologiæ, & utriuſque juris, in Ordinibus Men-

Mendicantium, non videtur veroſimile, quod oculis apertis cæci ſcienter errarent : Et ſimiliter multi veri devoti in dictis Ordinibus inviti ſuas conſcientias macularent.

Secundo. Sanctus Thomas ait : In qualibet communione neceſſario abſtinere a carnibus, non ponitur in Regula Beati Benedicti ut præceptum, ſed ut ſtatutum, quod non habet vim præcepti, ſicut nec alia hujuſmodi ſtatuta. Ut Monachus comedens carnem eo ipſo non peccat mortaliter, nec facit contra votum, niſi comederet ex inobedientia & contemptu. Sed incurrit pœnam, in ſtatutis expreſſam & contentam. Et tamen comedere carnes non licet ſanis ſed infirmis. Sic ſimiliter de jejunio Regulari, quod non eſt inſtitutum præceptorie, ſed ſub pœna. Quod quis ſolvens non incurrit culpam, niſi propter præceptum vel contemptum, ſed pœnam. Si ergo non ſervantes hæc duo non peccant, multo minus, qui non ſervant minora his duobus.

Tertio. Sedes Apoſtolica ſic diſpenſavit cum Ordine Prædicatorum, quod ter in hebdomada comedant carnes, quia non ſemper prandia certa cum ovis habent, ſed comedunt cibum, quem poſſunt habere, maxime in itinere, & in terris ſuis, quando ſunt extra Monaſteria ſua. Et eadem eſt ratio de aliis Mendicantibus.

Quarto, cum ſint varii Ordines, habentes varias Regulas, quis poterit ſcire ſingulorum Ordinum Regulam, & pertinenter arguere contra exceſſus eorum.

Quinto. Singulariter vivere non eſt contra paupertatem, obedientiam, caſtitatem. Quia ſic vivere ex licentia & licita cauſa ſtat cum paupertate, obedientia, caſtitate. Ergo, ſic vivere ſingulariter, non ponit, aliquem Religioſum eſſe in ſtatu damnationis.

Sexto. Romana curia ſcit & tolerat iſtam vitam ; Ergo talem vitam videtur approbare. Conſequentia tenet per iſtam Regulam juris : *Qui tacet*.

CAPUT SEXTUM.

Sententia media.

Ad iſtam quæſtionem pono aliquas ſcholaſticas concluſiones.

Prima concluſio. Ad iſtam vitam religioſorum ſequuntur multa mala & inordinationes multæ, etiam abuſiones & ſcandala, quibus laici contra Religioſos inſurgunt, & eis obloquuntur. Hæc concluſio patet ex experientia, quæ eſt rerum magiſtra, & per rationes ante oppoſitum.

Secunda concluſio. Prælatus dans licentiam ſic ſingulariter vivendi ſuis ſubditis & Religioſis, & videns hujuſmodi abuſiones oriri ex ſua licentia, & non revocat hujuſmodi licentiam, nec aliqua ponit remedia contra

tra hujuſmodi abuſiones, in quantum melius poteſt, eſt in ſtatu damnationis, & omnium malorum, & culparum, quæ ex tali ſua licentia fiunt, eſt reus, & ſanguis animarum ſubditorum ſuorum de manibus ejus requiretur. Patet hæc concluſio. Quia cauſam damni dat, ergo damnum dediſſe videtur, per Regulam juris, & per rationes ante oppoſitum motas.

Corrolarium hujus concluſionis, quod ſimiliter Papa, vel Generales Ordinum Mendicantium, vel Provinciales, vel Superiores particulares Monachorum, cooperantes ad hujuſmodi licentias, ſuper ſingulari vita, ubi tales abuſiones ſequuntur, ſunt in conſimili damnatione, ſicut dicit concluſio. Patet ex eadem radice.

Tertia concluſio. Sive Papa, ſive quicumque alii inferiores Prælati, diſpenſantes cum ſuis inferioribus, ſine legitima cauſa, videntes ex diſpenſationibus ſuis hujuſmodi diſſipationes exoriri, & non revocant hujuſmodi abuſiones, ſicut melius poſſunt, ſunt in ſtatu damnationis, & omnium malorum, quæ ex ſuis licentiis fiunt, ſunt participes. Patet hæc concluſio ex præmiſſis, & rationibus ante oppoſitum motis, &c.

Corrolarium iſtius concluſionis: Omnis diſpenſatio ſuper votis, & proprietate Religioſorum, ex quibus præfatæ abuſiones ſequuntur, ſunt diſſipationes, & non validæ diſpenſationes. Quia non fiunt ex rationabilibus cauſis; & non excuſant Prælatos, ſed magis accuſant. Patet ex præmiſſis & rationibus ante oppoſitum.

Quarta concluſio. Nulla tolerantia vel diſpenſatio vel diſſimulatio ſuperiorum in præmiſſis abuſionibus excuſant ſubditos. Patet quia non fit præſcriptio culpis. Et de quanto diutius animam culpa detinet, de tanto reddit eam infeliciorem.

Quinta concluſio. Prælatus ex legitima cauſa poteſt cum ſuo ſubdito, uno vel pluribus, diſpenſare, ut uſum aliquarum rerum habeat ad tempus ad voluntatem ſui Prælati, ita, quod ſubditus nomine Prælati detineat hujuſmodi res, ea tamen conditione quod ſit ſemper paratus reſignare hujuſmodi res, quandocumque Superiori placuerit, & quod non abutatur his rebus. Patet, quia ſubditus ex licentia Superioris poteſt eſſe in ſtudio vel in peregrinatione, vel in Romana curia nomine Monaſterii ex legitima cauſa, & peculium ex licentia Superioris poteſt detinere.

Et per has concluſiones ſit reſponſum ad rationes hinc inde factas, &c.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

Conſilium cum pio voto Monachis & Monialibus datum pro pacanda illorum conſcientia.

Item ſuper proprietate, quam proh dolor! continuate & palliare nemo poteſt, ſic duximus amicabiliter interloquendum: Quod tales devoti inter vos, fratres vel ſorores; quæ hujuſmodi ſalutatem perfectionem Religionis libentius ſectatentur, ut merito tenentur, & propter penuriam & paupertatem Monaſterii, & alias, impeditæ, offerre debeant ſponſo ſuo Jeſu Chriſto hujuſmodi impedimenta, quibus minus valeant, & promptam ac devotam voluntatem, quæ ſemper eidem ſuo ſponſo Jeſu Chriſto obedienter colatur, ſubmittant, ut, quod effectu non valeant, prompta tamen voluntate anhelent. Hoc tamen, quod ab eis Deo inſpirante recte & regulariter poſtulatum eſt, omnibus vobis mandatum eſt. Quamvis communem vitam, ad quam tenemini, non teneris, nihilominus ab obſervatione ipſius, ſi communicatur, nullatenus vos abſolvit.

Quare velumus & in Domino exhortamur, requirimus, & monemus, quatenus nec vos, nec aliqua veſtrum, quæcumque etiam ſororum profeſſarum, ſaltem ab hujuſmodi bona & prompta voluntate voluntariæ paupertatis amplectenda, ſitis & ſit, alienæ aut aliena.

Et ut diſcordia, quoad hoc inter vos amoveatur, ſic dignum duximus obſervandum, quod nulla veſtrum aliquid proprium ſine ſcitu & conſenſu præpoſiti & priorillæ poſſideat, ſed exhibitis & præſentatis ſingulis bonis ſpontanee, & id vobis devote petentibus, uſus eorum bonorum ad neceſſaria veſtra, non ſuperflua, ab eiſdem benevole concedatur.

Per hoc tamen nulli veſtrum licentiam proprii damus, aut aliquo modo conſentimus habendi. Sed verius putamus per hoc conſcientias alleviandas, quouſque omnipotens Deus gratia ſuæ viſitationis Paradiſum ſuum regularibus obſervantiis, qua re poſſibilitas nondum habetur, dignetur miſericorditer fructificare. Id vero, quod ſic de licentia Superioris, ſicut præmittitur, receperitis, cum debita & magna obedientia, & perfecto Dei timore, in uſus neceſſitatis veſtræ convertatis & percipiatis.

TRA-

TRACTATUS JOANNIS NYDERII ORDINIS PRÆDICATORUM, DE REFORMATIONE REGULARIUM.

PRÆLOQUIUM.

JOannes Nyder Svevus, Ordinis Prædicatorum, celeberrimus fuit ſui temporis Theologus, & duobus Conciliis Conſtantienſi, & Baſilienſi interfuit. A Baſilienſi Concilio bis Orator ad Bohemos miſſus fuit, ſuaque rerum gerendarum dexteritate, doctrina, morumque integritate, non parum profecit. Inter plura opera ſapientia, & eruditione, prout illorum temporum ratio ferebat, referta, non infimum locum tenet opus de *Regularium Reformatione. Illud* aggreſſus eſt jubente Magiſtro Generali ſui Ordinis, ut in prologo ipſe teſtatur his verbis. *Rogatus ſum a te Pater mi, qui reformationis officio, in tuo co'lapſo Ordine inſiſtis pro viribus.* Is fuit *P. Bartholomæus Texerius* Gallus, ut conjicere licet. Adfuit enim & ipſe Concilio Baſilienſi. Quod vero reformando ſuo Ordini plurimum adlaboraverit, non modo hic teſtatur *Nyder*, ſed etiam (lib. 1. Form. cap. 8.) *Scio unum Ordinem inter Mendicantes Ordines, cui Deus jam ante decennium providit de duobus bonis, & benevolentiſſimis capitibus, quorum unus Generalis Magiſter eſt totius ſui Ordinis; alius vero Provinciam unam grandem habet regere: uterque zelator eſt reformationis tam validus, ut ſe pro ſuo grege non ſemel ad reſiſtentes ſæculares mortis periculis ſubjecerit &c.* Accedit quod Nyder in Concilio Conſtantienſi librum ſuum non ediderit. Juvenis namque tunc erat, rerumque Ordinis admodum expers, cupidus tamen exactæ inſtructionis. Quapropter ſoluto Conſtantienſi Concilio, in Italiam venit, Venetiiſque non parum commoratus eſt, ut ſuaviſſimos reſtitutæ ad primævum ſplendorem opera *B. Joannis Dominici* diſciplinæ regularis fructus deguſtaret. Porro explorata Reformatorum a relaxatis diverſitate, & regularis obſervantiæ fervore ſuccenſus, in Germaniam veſtigia relegit, reformationis negotium ibidem promoturus. Id namque illi potiſſimum in votis erat. Quamobrem ſummopere lætabatur ob inſtitutum in Baſilienſi Concilio Patrum Conventum *Reformatorium* nuncupatum, cujus erat munus reformare tum Eccleſiaſticam, tum Monaſticam diſciplinam.

In

In hoc itaque Concilio, ſubciſivis horis, opus ſuum de Reformatione Regularium compoſitum tres in libros tribuit. Libro primo neceſſitate reformationis evicta, adverſariorum ſophiſmata confutantur. Illorum camerulas, pecunias, convivia, & id genus ſimilia auctor vellicat, carpit, execratur. Secundo modum in Reformationis exequutione tenendum: Tertio vero fructus reformationis repræſentat. Typis primum prodiit Pariſiis anno 1512. in 8. Extat Romæ in Caſanatenſi Bibliotheca. Antverpiæ tres PP. Dominicani novam editionem a mendis, quibus prima ſcatebat, purgatam aggreſſi ſunt. P. Jacobus Buyens, collatione facta trium MSS. opus emendatum prælo paravit. Pater Joannes Boncquetius, operam conferente P. Joanne Nys, editionem exequutus eſt, ſub auſpiciis Reverendiſſimi P. Magiſtri Generalis Calamini cui librum inſcripſit. Prolixa inſuper præfatio ad Lectorem operi præmittitur. Iſtius quoque editionis exemplaria adeo rara ſunt, ut nullibi proſtent, & in pauciſſimis Italiæ bibliothecis reperiuntur. Unum exemplar Antverpienſis editionis tranſcribendum mihi ſumma humanitate commodavit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Filippus Monti Sacræ Congregationis de propaganda fide a ſecretis qui libris exquiſitiſſimis undequaque ſumma diligentia conquiſitis inſignem Bibliothecam ſibi, & litterarum cultoribus paravit. In eadem veluti in Muſarum Templum excipit ſapientiſſimos viros, qui alternatim in ſingulas hebdomades erudiſſimas diſſertationes in potiſſima ſacræ rei litterariæ capita habent. Hocque per tranſennam dictum eſto in quoddam meæ argumentum obſervantiæ erga tantum Prælatum doctrina pura, & ſolida, non adumbrata, morum integritate ornatum.

Sed ad nos revertamur. Priorem operis Nyderii partem typis evulgari curavit in ſuis Miſcellaneis laudatus P. Bernardinus Gauſellinus ſtrenuus obſervantiæ regularis reparator, cui ſua primordia debet Congregatio B. Jacobi Salomonii: Non vacat nunc, nec inſtituti ratio fert, tanti viri encomia texere, ſed obiter, dixiſſe ſufficiat, inter primos Ordinis noſtri inſtauratores locum jure, meritoque occupare, ſive eruditionis, doctrinæque ſupellectilem, ſive vitæ auſteritatem, ſive zelum collapſæ diſciplinæ reformandæ ſpectes. Is cum Provinciam S. Dominici Venetam regeret, quædam opuſcula ad reformationem attinentia collegit, quibus præfationem cœleſti unctione perfuſam præmiſit, ut fratres ſuos ad obſervantiam regularem excitaret. Verum de his alias. Ad editionem Nyderii quod attinet, decreveram integrum opus commune Venetis typis reddere. At ſerius re expenſa, priorem dumtaxat recudere partem conſtitui; tum ne volumen plus juſto excreſceret; tum quod puncta, quæ in ſecunda, & tertia parte agitantur levioris momenti ſunt, minuſque in inſtitutum noſtrum conferunt. Verum in prima parte potiſſima Monaſticæ diſciplinæ capita in examen adducuntur, atque ab ineptis commentis vindicantur. Quare hanc ſolam nunc damus, duas vero poſteriores opportuniore occaſione exhibebimus.

INCIPIT
TRACTATUS
JOANNIS NYDER.

ROgatus ſum a te, Pater mi, qui reformationis officio in tuo collapſo Ordine inſiſtis pro viribus, quatenus pro diſponendis minus idoneis Fratribus velut ad informem materiam aliqua colligerem de ſacris codicibus, per quæ ſuperna aſſiſtente gratia ſub ſermonis ſchemate, vel per normas alias, forma tuæ Religionis olim pulcherrima, ſed heu a multis nunc perdita, poſſit reinduci facilius.

Quamvis autem modo (ut tua novit pietas) conſtitutus in itinere una cum aliis ſacri Generalis Concilii Ambaſciatoribus ad majeſtatem tranſmiſſis Cæſaream, ſim circa eandem plerumque in fidei occupatus negotiis: tamen quia non horis omnibus tali neceſſario imminet incumbere operi, quædam interim cum in uno loco fixi maneremus mihi vendicare ſeorſum cogitavi tempora pro aggrediendo tractatum aliquem de reformatione ſtatus cœnobitici. Unde etiam motus zelo caritatis, & humilitatis tuis votis acquievi illico: an temerarius ſim ambigo. Scio tamen, quod protinus mihi occurrit verbum Apoſtoli tuo propoſito, & meo accommodatiſſimum ad Rom. 12. *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta.* Movebo igitur in his plura mala, quæ tibi diſplicere cognovi (ut verbis Beati Bernardi utar in ſuo Apologetico,) immo omnibus bonis vitanda eſſe non dubito. Ea enim quæ neceſſaria reor habeo ſubjungere, quæ & ſi fieri videantur in Ordinibus, abſit tamen ut ſint de quocunque Ordine. Nullus quippe Ordo quippiam recipit inordinatum. Unde non adverſus Ordines, ſed pro Ordinibus exclamare putandus ero, quia non Ordines in hominibus, ſed hominum vitia reprehendo. Si quibus vero diſplicuerint ſequentia, quando ſe manifeſtant, oſtendunt quia Ordinem non diligunt, utique corruptiones & vitia damnare nolunt. Ipſis itaque illud Gregorianum reſpondeo: melius eſt, ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur.

Prima pars qua a conformitate ſæculi revocat, & lapſum Religioſorum aperit, ſexdecim capitula habet.

1. Oſtendit libertatem arbitrii eſſe cauſam omnium bonorum gratia aſſiſtente, & ea abſente cauſam omnium deformitatum, per quædam exempla, & auctoritates ſanctorum.

2. An-

2. Annumerat quindecim argumenta deformatorum Clericorum, & Religioſorum, quibus ſe tuentur ne a forma ſæculi recedant. Et primum ſolvit argumentum, ubi objiciunt complexionis debilitatem, oſtendens contrarium.

3. Quando objiciunt conſuetudinem, ſolvit, quando contra ſtatuta Monaſtica conſuetudo excuſet, & quando non.

4. Quando objiciunt Prælatorum peccata, oſtendit quod propterea reformationi eorumdem active nullus reſiſtere debet.

5. Quando objiciunt reformationem eſſe novitatem vel ſingularitatem, oſtendit quæ ſit bona novitas, vel ſingularitas, & quæ ſit mala.

6. Quando objiciunt eſſe expectandum cum reformatione uſque ad generalem reformationem Eccleſiæ, oſtendit quod hoc ſit callide reformationem refugere.

7. Quando objiciunt reformare eſſe Ordinem dividere, & notam perſonarum in eo ponere, declarat contrarium, ſcilicet, quod hoc ſit Ordinem unire, & ædificare.

8. Quando ſe jactant vivere, ut patres eorum, diſtinguit de malis, & bonis patribus, & monet ne temerarie judicet quis de locis reformatis.

9. Quando objiciunt per diſpenſationem eis datam, docet ubi, quando, in quibus, & qualiter poſſit fieri diſpenſatio, & quando non: Et moventur dubia; ubi de proprietariis Monachis.

10. Quando cauſantur neceſſaria in victu ſe non habere, tradit quomodo tunc fieri debet, & quanta confidentia ſit habenda in Deo de temporalibus miniſtrandis.

11. Quando objiciunt ſtatus nobilitatem, vel dignitatem: manifeſtatur, quod propterea acrius, & amplius reformationi deberent inſiſtere.

12. Quando timent ſequi in divino officio paucitatem perſonarum, declarat contrarium, & quomodo hoc non ſit timendum, & quod obſequia malorum modicum, bonorum vero multum Deo placent.

13. Quando conqueruntur ad reformationem ſequi pacis perturbationem, docet quod duplex eſt pax & diſcordia, & quando ſcandalum ſit timendum, & quando non.

14. Quando arguunt, ſequi lapſum graviorem, & apoſtaſiam, & hujuſmodi: oſtendit, quod propter talia non ſemper reformatio per Prælatos prætermitti debet.

15. Quando oſtendere nituntur, quod ex laxa vita majora ſequuntur bona, quam ex reformatione: manifeſtatur multipliciter contrarium.

16. Quando objiciunt modum procedendi in reformatione ineptum: panditur, quanta calliditate ſe palliare conſueverunt vitioſi, & hipocritæ ſicut faciunt behemoth, lamia, draco, & ericius.

Primum Capitulum oſtendit libertatem arbitrii eſſe cauſam omnium bonorum gratia aſſiſtente, & ea abſente cauſam omnium deformitatum per quædam exempla, & auctoritates Sanctorum.

Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, ita inquit divinus Apoſtolus (ad Rom. 12.) Ecce triplex doctrina admodum neceſſaria cuique fideli potiſſime Religionis approbatæ Regulam profeſſo.

Primo, ut vitam ſuam huic aſſimilari mundo caveat, nolite, inquit, conformari huic ſæculo.

Secundo, ut mores & actus ſuos ad normam non ſæculi, ſed ſpiritus inſtituat, ibi reformamini in novitate ſenſus veſtri, & quia hæc duo imperfectis ſunt difficilia.

Tertio promittit obedientibus hujus vitæ & futuræ præmia fœlicia, dicens. *Ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta.* Primum, reformationem præcedit. Secundum eam concomitatur. Et tertium ipſam conſequitur. Primum, quemque niſi cautum deturpat: ſecundum, animam & corpus pulchrificat: tertium fructibus ſpiritus dulciſſimis ditat. Per primum docet vitare malum: per ſecundum inſtruit facere bonum, & per tertium invitat ad ſalubre præmium. Primo inquam monet ut Religioſus quiſque vitam ſuam huic ſæculo nequam conformare caveat. Hortatur autem ad hoc triplici motivo, quia habemus arbitrii libertatem, cum dicit, nolite: ipſa namque libertas arbitrii qua rationales, & ad Dei imaginem formati ſumus, qua mundo præeminemus viſibili, imperamus cunctis animantibus, aſſimilamur angelis & divinam participare vitam poſſumus, niſi vitio ingratitudinis gravari velimus culpabiliter, merito nobis perſuadere habet, ut nolimus & deteſtemur conformari mundo. Ipſa libertas arbitrii tantæ poteſtatis extat, ut aſſiſtente Dei gratia velle valeat bonum, & nolle immo deteſtari malum. Aſtruunt hoc multipliciter Scripturæ ſacræ dicta, & ſapientum ejus documenta, dum (Eccl. 15.) dicitur: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua, ſi volueris mandata conſervare conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei dabitur illi.* Idcirco B. Bernardus in quodam ſermone. Ceſſet, inquit, voluntas propria, & infernus non erit. Multa enim mala ex propria voluntate oriuntur. In quid enim deſæviet ignis, niſi in propriam voluntatem? Et ſubdit. Nam propria voluntas Deum impugnat & adverſus eum extollitur. Ipſa eſt quæ Paradiſum ſpoliat, infernum ditat, ſanguinem Chri-

Chriſti evacuat, & ditioni diaboli mundum ſubjugat. De hac etiam Anſelmus libro de Similitudinibus dicit. Hæc eſt propria voluntas, quæ & in inobedientia Dei voluntatem ſibi advocatam habere non poteſt, ut ſi quæratur, cur hoc vel illud velit veraciter dicere non poſſit, quia Deus vult. Quæ quia Dei voluntate privatur propria dicitur voluntas. Hæc ſuperbia eſt initium omnis peccati. Superbia dicitur, quia ſupra quod non debet graditur, cum ſub Dei voluntate non vult eſſe. Et quoniam illam homo habet a ſe, nec voluntatem Dei, quam ſequatur vult habere ſupra ſe, ideo aufert Deo quod proprium, & ſingulare Dei eſt. Solus enim Deus quicquid vult, debet velle propria voluntate, quæ ſibi velut corona regia debetur, quam anima Deo auferre conatur. Ex quibus patet, quod duplex eſt voluntas. Una propria & mala, qua ſecundum deſideria carnis mundi hujus inhæremus illecebris. Alia eſt voluntas quodammodo divina, & bona qua Dei nos conformamus voluntati: qua mundi hujus deteſtamur oblectamenta, & cœleſtia amplectimur. Ad hanc hortatur Beatus Joannes in prima ſua Canonica 2. cap. ubi dicit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt*. Conari ergo debemus pro viribus, ut bona freti voluntate, per gratiam ſine qua nihil poſſumus, liberemur. Gratia enim ſola eſt, qua liberi veri efficimur. Omnis quippe, inquit Chriſtus, *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. (Joan. 8.) Et ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati & mortis, dicit (Rom. 8.) Apoſtolus.

Voluntas præterea, & ejus libertas gratia divina aſſiſtente eſt, ſicut cor & velut principium omnium virtuoſarum operationum in homine, & e diverſo propria voluntas omnium facinorum eſt exordium. Quamobrem voluntas uxori aſſimilatur fœcundiſſimæ, quæ ſi Deum habeat in maritum, per ſemen verbi divini omnia virtutum germina novit producere: ſi vero maligno jungitur ſpiritui per ſuggeſtionem ejus, ſentina efficitur cunctorum flagitiorum. Quod ſi ſancti Spiritus ſuggeſtionem velut ſemen bonum recipit: fit ejus conjux legitima, filios legitimos parit, virtutes ſcilicet, & bona opera. Mox enim ad imperium ejus omnes aperiuntur animæ, & corporis ſenſus, ad implendum quod præcepit Deus. Ipſa namque voluntas aperitur ad virtutum affectiones, & ad volendum optanda. Memoria vero ad memorandum memoranda. Cogitatio ad cogitandum cogitanda. Intellectus ad diſcernendum, quid ſit volendum, quid cogitandum, vel memorandum. Animus quoque ad caritatem dirigitur, & ad alias aperitur virtutes. Similiter & corporis ſenſus aperiuntur ad imperium voluntatis, videlicet viſus ad recte videndum. Auditus ad recte audiendum, & cœteri ſenſus ſimiliter. Item oculi ad vigilandum, & plorandum. Aures ad verbum Dei audiendum, & ſic de reliquis. Item membra, ut hos ad bene loquendum, manus ad recte operandum, pedes ad ambulandum quomodo debet. Sicque una ſola voluntas poſtquam Dei voluntati eſt juncta tot virtutes generat & bona opera.

Quod

Quod ſi voluntas diabolo ſe junxerit ejus recipiendo ſuggeſtionem, velut inordinatum ſemen, adultera mater effecta, filios adulterinos, ideſt vitia, & opera mala generat: univerſos enim hominis ſenſus claudit ad ea, quæ præcepit Deus, & pandit ad ea quæ præcepit dæmon. Ipſa namque prius aperitur ad affectionem vitiorum, & ad ea perpetranda. Sed contra hæc ſcio objiciunt reformationis æmuli: bonum (inquiunt ad reformatores) eſt reformari, ſed hoc ſolius Dei proprium eſt. Vos autem gratiam reformationis dare non poteſtis, cur igitur fruſtra nos vexatis? Reſpondet Alexander de Ales parte tertia in materia de gratia, & virtutibus per Anſelmum libro ſuo de Libertate arbitrii. Gratiam habere non eſt in hominis poteſtate, ſed ſibi oblatam reſpuere, vel recipere. Ponit Anſelmus exemplum, quod ad viſum exiguntur quatuor. ſ. objectum viſibile, medium ſcilicet lumen: non obſtaculum, & poteſtas potentiæ viſivæ, ſeu oculus. Et quolibet ſublato, homo non videret, & tamen habet potentiam videndi ſola potentia viſiva retenta. Omnibus enim datis ſolo lumine ſublato nihil videret. Sic etiam ad videndum Deum, & diligendum ſuper omnia, exigitur Deus diligibilis, lumen gratiæ, ne obſtaculum ponatur peccati per perverſam voluntatem, & potentiæ, i. actus voluntatis liberæ. Nec aliquis cauſari poteſt adultus, quod gratia ſibi non datur, quia concors omnium Theologorum eſt doctrina, facienti quod in ſe eſt, infallibiliter gratiam donari gratuite, non neceſſario abſolute, ſed ex Dei pacto, quo ait Zachariæ 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Prætetea dicit idem Anſelmus libro de caſu diaboli. Homo non dicitur non habere gratiam, quia Deus non dat, ſed quia homo non accipit. Præterea ſicut in naturalibus diſpoſita materia ſufficienter, a datore formarum confertur forma etiam in embrione ex grandi peccato ſacrilegii concepto: Sic a Deo qui vult omnes homines ſalvos fieri, haud dubium noſtra annuente voluntate: gratia ei infunditur, quamquam cum his ſtet illud Chriſti (Joan. 15.) *Sine me nihil poteſtis facere.* Quod quidem verum eſt, quia ſine Dei ſpeciali motione gratuita, nullus a morte peccati mortalis reſurgit. Sed hanc motionis gratiam Deus, ut in Anſelmo dictum eſt, nulli ſubtrahit. Et ea oblata in poteſtate eſt hominis ejus motum, ſeu inſtinctum ſequi negligere, vel refutare. Quamobrem etiam Prælati rebelles ſubditos per pœnas poſitivas & privativas licite caſtigare poſſunt, potiſſime in his quibus ſe eiſdem Prælatis ſubdiderunt.

Primum ſolvit argumentum, ubi objiciunt complexionis debilitatem.
Cap. II.

Quamvis autem Religioſorum plurimi, quod cum gemitu moneo, in tranſgreſſionum fæcibus ſint immerſi valide, tamen ut illud Domi-

nicæ

nicæ pœnæ graviſſimum impleant: Qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc, & ut conformes ſint ſæculo nequam, apponunt iniquitatem ſuper iniquitatem, ne in Dei intrent juſtitiam, addunt excuſationes in peccatis atque ſibi & aliis contra reformationes cudunt, & texunt argumenta callidiſſima.

Ad primum, ubi objiciunt humanam fragilitatem naturæ non poſſe portare regulam & ſtatuta, reſpondetur primum, quod Ordinis cujuslibet approbati modus vivendi tam infirmo, quam ſano eſt regulariter humanæ complexioni accommodatior quam ſit vita ſæcularium. Deducit hoc eleganti ſtylo Helynandus in Epiſtola de reparatione lapſi ad Galtherum apoſtatam Monachum. Quod inquit Ordinem noſtrum accuſas intolerabilis duritiei, profecto non Ordinis, ſed accuſantis eſt vitium. Neque enim Ordo ita durus eſt, ut ſit inacceſſibilis duritie aut importabilis, aut contra naturam: alioquin nec ordo eſſet, tu vero fluidus es. Præterea quid magis ſecundum naturam quam ordinate vivere? At nulla vita ordinatior quam noſtra. Ibi enim omnia in numero & pondere, & menſura diſponuntur. Ibi cibus, & quies, & ſomnus ad ſufficientiam naturalem indulgentur. Jejunia vero & labores, & vigiliæ a nemine ultra vires extorquentur, ſed omnia menſurate fiunt.

Simplici enim victu & veſtitu vita ſuſtentatur, natura fovetur, conſervatur ſanitas. Denique quid naturalius, quid ſanius illo cibi, & potus genere ad cujus apparatum ſola natura & cocus eſt & Medicus? Quis pane triticeo & leguminibus bene coctis famem non expellat? Jejunus ſtomachus raro vulgaria contemnit. Anima ſaturata calcabit ſavum, anima vero eſuriens, & amarum pro dulci habebit. Taceam quod ad ſervandum ſanitatem nihil eſt efficacius, quam cibi & potus identitas conſervata. Varia enim fercula variarum ſunt naturarum. Omnis autem talis varietas parit humorum repugnantiam, & omnis humorum repugnantia repugnat ſanitati. Unde elegantiſſime & prudentiſſime reſpondit quidam de noſtris adoleſcentibus Beluacenſi Epiſcopo eum interroganti, unde contingeret, quod ſanior & pulchrior eſſet in clauſtro quam ſolebat eſſe in mundo. Quia, inquit, uniformiter vivo, & decenter. De quorum primo habeo quod ſanus ſim: de ſecundo, ut pulcher ſim. In ſæculo autem vivebam tam deformiter, quam multiformiter. De quorum primo turpitudo naſcitur etiam corporalis. De ſecundo ægritudo, pertexitque Epiſcopus quærere, dicens: Quid ergo comediſti hodie? ſatis, inquit. Quid heri? ſimiliter ſatis. Non quæro, inquit de quantitate, ſed de qualitate. Quid comediſti heri? quid hodie? Heri inquit comedi piſa, & olera, hodie olera & piſa. Cras autem comedam piſa cum oleribus, poſt cras olera cum piſis. Hæc de Helynando. Huic concordat Macrobius ſecundo Saturnalium, ubi diſputat, an cibus ſimplex digeſtibilior ſit quam multiplex? Et reſpondet quidam Philoſophus, quod ſimplex multiplici ratione. Videmus enim,

quod

quod beſtiæ ſimplici cibo cibatæ ſunt ſaniores, quam multiplici cibo cibatæ. Item quia ſimplex citius digeritur, ideo Medici infirmis dant ſimplicia. Item quia ſicut multiplex potus plus lædit, ſic & de cibo multiplici. Item qui ſimplici cibo cibatur citius perpendit, unde infirmetur. Item ſtomachus uniformius laborat, & per conſequens fortius in ſimplicem cibum, quam in varium.

Secundo reſpondeo ad objectionem: aut Religioſus talis eſt infirmus, aut ſanus. Si infirmus promiſſam caſtitatem, & voluntariam paupertatem bene poteſt tenere. De abſtinentia autem, jejunio & aliis cæremoniis, per diſpenſationem faciliter in omni Religione ſubvenire poteſt Prælatus. Si vero ſanus eſt, excuſatio eſt in peccatis, ut patet ex humana potentia, ex Dei coaſſiſtentia & ex complexionis valore. Nam natura humana non adeo debilitata eſt, quin multa poſſit etiam in abſtinentiis quas tepidi cunctantur. Amplius manifeſtum eſt hoc in magnis, & longis abſtinentiis, quas ſuſtinent inviti in carceribus, quas ſubeunt alii pro tuenda ſanitate. Quas faciunt & fecerunt boni viri, & quod amplius eſt, mulieres ſexus fragilis, quas etiam tolerant milites in exercitibus, & obſeſſi in caſtris, & quas exhibent philocapti circa mulierum obſequia. Si igitur pro divitiis, aut honoribus, pro ſanitate corporis, aut fœdis delectationibus, filii ſæculi tanta ſuſtinent, cur non corpus exercendum erit in abſtinentiis pro æterna gloria obtinenda, & pœnis evadendis? Probant enim ſe homines, nunc in projiciendo lapidem, nunc in curſibus, & luctaminibus, nunc torneamentis, & haſtiluſionibus, ſed vix eſt qui vires corporis tentare velit quid valeant. Multæ enim vires latent in humano corpore, quas nullus experitur, niſi acriter tentaverit. Ignoſce (inquit B. Bernardus) Domine ignoſce, diſſimulamus, tergiverſamur, & in his, quæ ad ſe pertinent vix eſt qui velit experiri quid poſſit. Ex Dei etiam aſſiſtentia præſumendum eſt multum de viribus corporeis, exemplo Apoſtoli (Philip. 4.) dicentis. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Unde S. Thomas (2. 2. q. ult. art. ult.) dicit de intrante Religionem. *Poteſt*, inquit, *conſiderari Religionis ingreſſus per comparationem ad vires ejus, qui eſt Religionem ingreſſurus, & ſic non eſt locus dubitationis de ingreſſu Religionis, quia illi qui Religionem ingrediuntur non confidunt in ſua virtute ſe poſſe ſubſiſtere, ſed auxilio divinæ virtutis ſecundum illud* (Iſ. 4.) Qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ſicut Aquilæ: current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Ex complexionis valore idem elicitur, quia quamvis ad diu vivendum, modo humana natura non tantum ſe extendat, ſicut ante diluvium, tamen humana complexio non adeo lapſa eſt, quin ad magnas abſtinentias ſe poſſit extendere, ſi adſit humanum **velle**. Tradit hoc S. Thomas ſuper (3. diſt. 32. q. 2. art. 3.) Quærit enim an fomes vel concupiſcentia in quibuſdam plus, & in quibuſdam minus inveniatur? Et arguit in 4. articulo, ante oppoſitionem quod ſic. Sicut corruptio inquit fomitis ex pec-

cato

cato primi parentis procedit, ita & aliæ pœnalitates, ut paſſibilitas, mortalitas, & hujuſmodi. Sed aliæ pœnalitates ſemper in homine creſcunt quanto humana natura longius a primo parente procedit per ſucceſſionem generationis, & communiter dicitur, quod homines ſunt nunc brevioris vitæ & minoris virtutis, quam antiquitus. Reſpondet ibidem dicendum, quod aliæ pœnalitates ut paſſibilitas, mortalitas, & hujuſmodi non ſunt modo magis in homine, quam antiquitus fuerunt a tempore diluvii. Unde etiam & David de hominibus ſui temporis loquitur ſic. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Sed verum eſt, quod ante diluvium homines diutius vivebant virtute divina, hoc faciente ad generis humani multiplicationem. Hæc ille. Huic concordat ſagaciſſimus ille Domini Alberti Magni diſcipulus Ulricus de Argentina in Summa ſua, (libro 6. tractatu 1. cap. ultim.) dicens circa eandem materiam. Nec eſt, inquit, verum, quod quidam dicunt naturam humanam ſecundum tempora plus, & plus deficere, quod licet circa originem mundi virtute divina homines diutius conſervati fuerint in vita propter generis humani multiplicationem & propter ſcientiarum & artium per experientiam inventionem, tamen hoc ceſſante ante multa ſæcula invenitur præfinitum tempus humanæ vitæ, quia adhuc manet, quod dicitur in Pſalmis, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, &c. Hæc ille. Ex quo patet cum Sanctus Thomas prope tempora noſtra vixerit, & præfatus Ulricus, quod complexio non eſt adeo lapſa, ut acidioſi garriunt. Sed fervor ad bonum, qui in poteſtate hominis eſt, lapſus eſt. Et ideo non mirum; ſi ſe huic ſæculo conformare cupiunt.

Tertium Capitulum quando objiciunt compertam conſuetudinem, ſolvit, quando contra ſtatuta Monaſtica conſuetudo excuſet, & quando non. Cap. III.

Ad ſecundum motivum cum objiciunt vitæ repertæ conſuetudinem, Reſpondetur: Primum, quod conſuetudo nulli ſuffragatur ubi non eſt ex rationabili cauſa introducta. Unde Aug. ad inquiſitiones Januarii. Omnia talia, quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conſiliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine Generalis Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut nunquam omnino inveniri poſſint cauſæ quas in eis conſtituendis homines ſecuti ſint, ubi facultas tribuitur ſine aliqua dubitatione reſecanda æſtimo. Deinde dico, quod conſuetudo tranſgrediendi votum caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, & aliorum quæ ſub præcepto cadunt nunquam legem facere poteſt, quæ peccatum excuſet, ſed potius quæ noxam augeat. Nec conſuetudo, ſed corruptela dicenda eſt, quia talis conſuetudo contra legem divinam eſt, quæ præcipit, *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro omnes*, ut dicitur in Pſalm. Immo

de iteratis actibus contra constitutionem, an legem abrogent: quærit Umbertus ſuper Prologo conſtitutionum ſui Ordinis Prædicatorum ſic. Utrum per conſuetudinem aliquid poſſet minui de ſcriptis ſtaturis, ſicut per conſuetudinem aliqua ſunt addita? Reſpondet, quod non. Si enim conſuetudo talis præceſſit ſtatutum, non debet amplius ſervari. Si autem ſequitur aut incipit, aut reiteratur hujuſmodi actus contrarius conſtitutioni: Aut fit hoc ſine diſpenſatione, & ſic eſt corruptela, & non conſuetudo: quia ſicut dicunt jura, nullus actus inducit conſuetudinem, niſi cum fit eo animo, ut inducatur conſuetudo. Hæc ille. Ad idem ſunt duo famoſiſſimi Canonum Doctores, extra. de ſtatu Monachorum, cum ad Monaſterium, ſcilicet Hoſtien. & Joannes An. in novella dicentes: Sicut contra votum non valet conſuetudo, ſic nec contra Religionem, & eadem ratione non eſt diſpenſatio, ſed diſſipatio, quando ſcilicet, ſine ratione aliquid contra Regulam, & ſtatuta attentatur, dicente Iſidoro, quod lex eſt illud, quod ratione conſtiterit. Huic concordat Joannes de Neapoli parte prima, q. 97. ubi quærit. An ingrediens Monaſterium in quo comedebantur carnes, & aliæ obſervantiæ non ſervabantur, correcto ſtatu Monaſterii teneatur ad obſervantiam quam ibi non invenit, nec profeſſus eſt? Reſpondet quod ſic, quod obſervare tenetur, non obſtante quod per abuſum ibi Religio lapſa eſt. Alias quid valerent viſitationes, correctiones, emendationes, & reformationes, quæ ſuper ſtatu Religioſorum fiunt in Capitulis Generalibus, & Provincialibus? Extra. de ſtatu Monachorum, capitulo, In ſingulis regnis. Nec iſte ingrediens, in aliquo gravatur, ſi cogitur obſervare promiſſionem emiſſam de regula obſervanda. Immo per ſe debet laborare, ut deformitas Monaſterii aliquando ad formam debitam redeat. Notat prӕterea Dominus Innocentius eadem quæſtione, extra. de Regularibus, capitulo Periculoſo. Ubi ne moniales divagentur præcipiuntur arctiſſime recludi, quamquam in regula nihil contineatur de hoc, nec profeſſæ ſint de incluſione.

Quærit præterea idem Joannes de Neapoli parte ſecunda quæſt. 30. Quid ſi aliqui intraverunt Monaſterium in quo comedebantur carnes, ſed poſtea correctum, non dat carnes, & alias majores auſteritates ſervat, nunquid Monachus eas ſervare tenetur ſecundum primariam inſtitutionem? Reſpondet ſecundum Innocentium ſuper eodem de regularibus. Si loquaris de jure poſitivo, vel de judicio Eccleſiæ, credimus quod ingrediens, qui antequam profiteretur diligenter debuit attendere quid promitteret, nec ſe debuit ſine deliberatione ad ignota obligare, ex quo profeſſionem fecit in utroque judicio etiam Dei, ſemper tenebitur illam regulam obſervare, ut 2. q. 3. Conſtituit. Et extra. quod metus cauſa. Cum dilectus, ubi Canonici inſulares coguntur ſervare regulam Ciſtercienſem. Item aut dicit ſe bona intenrione intraſſe, aut mala. Si bona, ductu Spiritus ſancti (quod & debet, ut extra. de Re-

gu-

gularibus, licet, & 19. q. 2. duæ) ſic unctio docuit eum de omnibus. Ut extra. de ſacra unctione, capitulo unico. Si mala, non eſt audiendus. Eſt & alia ratio, quia præſumitur, quod quando Regulam talem elegit, quod plene deliberavit de onere, & arctitudine, vel levitate ipſius Regulæ, immo quod plus eſt, quia ſi tunc plene non deliberavit, poſtea deliberare non poteſt, 18. q. 2. Dilectiſſimi confitemur. Tamen ſi impotens eſſet ad Ordinem tolerandum, poſſet ſecum diſpenſari de minori Religione. Ut extra. de regularibus. Significatum eſt. Hæc Joannes. Dicit prætcrea Nicolaus Papa diſtinctione prima. Mala conſuetudo non minus quam perniciosa corruptela vitanda eſt. Quæ niſi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis aſſumitur, & incipiunt prævaricationes, & præſumptiones variæ celerrime non compreſſæ, pro legibus & privilegiorum more perpetuo venerari. Ne autem velamen malitiæ quidam hic accipiant qui dicunt ſe non teneri, niſi ad modum vivendi quem reperiunt tempore ſuæ profeſſionis: ita enim plurimi graviter decipi videntur etiam in diverſis Ordinibus majores. Notandum prout dicit Sanctus Thomas 2. 2. q. 186. quod ad peccatum mortale Religioſum ligant. Primo trium principalium votorum tentio, ſcilicet paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ. Secundo, alia a præfatis tribus in Regula contenta, ligant ad mortale, ſcilicet, ut non contemnantur. Quia quamvis Religioſus non teneatur eſſe perfectus, tenetur tamen ad perfectionem tendere cui contrariatur perfectionis contemptus. Contemptus enim regulæ directe contrariatur profeſſioni, per quam aliquis vovit regularem vitam. Tertio ad mortale obligat omne præceptum in Regula, & Conſtitutionibus profeſſis ſcriptotenus datum. Quarto eodem modo ligat præceptum a Prælato oretenus factum.

Ratio hujus & præcedentis eſt, quia contra talia facere eſt contra votum tranſgredi. Quinto dicit Ulricus in Summa, libro 6. tract. 4. q. 15. quod inobedientia commiſſa etiam contra ſimplex mandatum Prælati, non dico præceptum, poteſt fieri mortale peccatum, ſcilicet cum hoc facit ex tali contemptu auctoritatis Prælati, quod intendit ei non obedire etiamſi præciperet illud, quod mandat. Sexto dicit idem ibidem, ſtatuta aliqua ſunt ſub præcepto, ſive hoc per verba exprimatur, ſive conſtet per hoc quod tanquam principalia fundamenta Ordinem illum in ſpeciem Religionis contrahentia, ſint ſtatuta, ut inviolabiliter obſerventur. Et in illis tranſgreſſio ponderanda eſt, ſicut & in præceptis divinis, quia ſi fit contra præceptum, eſt mortale peccatum. Et præter præceptum eſt veniale peccatum. Septimo etiam tenetur Religioſus ſub pœna peccati mortalis ad omnia alia, quæ ſunt ſub præcepto juris divini vel humani, fideli indicta cuique. Si quæreretur quid ſi aliquis ſæcularis videt Monaſterium diſſolutum, Monachos ſplendide comedere, & ſimilia, cogitat quod hunc Ordinem bene poſſet ſuſtinere, & ingreditur: nunquid poſtea compellendus eſt ad aſperitatem Regulæ obſervandam? Reſpondetur ſecundum

Raymundum in Summa, (libro 1. tit. 8. de voto §. 2.) Item ponė, ubi ponit eundem caſum indiſtinctè, dico quod non poteſt redire ad ſæculum, ſed debet remanere, quia dolus aliorum, vel ſimplicitas voventis non excuſat in talibus. Item ibi dicit indiſtinctè, dico quod non poteſt redire ad ſæculum ex quo fecit ibi profeſſionem. Sed utrum cogatur ibi manere? Diſtingue, aut erat juriſperitus, aut ignarus.

In primo caſu non poteſt recedere, quia intelligitur ſe obligaſſe non ad id quod fiebat, ſed ad id quod fieri debebat. In ſecundo caſu ſubdiſtingue, aut fuit ei explanata aſperitas Regulæ, & tunc idem quod in juriſperito: aut non, & tunc ſi credebat eos regulariter vivere, & ad illam aſperitatem ſe voluit obligare, non ad majorem, & hoc expreſſit, non cogitur ibi manere, ſed tranſibit ad alium Ordinem, quem valeat ſuſtinere. Si vero non expreſſit, credo quod debeat manere, nec poteſt allegare dolum, vel deceptionem, quia ſic melior fit ſua conditio, & poteſt magis imputari fatuitati ſuæ; quia non examinavit ut debuit.

Quartum Capitulum quando objiciunt Prælatorum peccata, oſtendit quod propterea reformationi eorum activæ, nullus reſiſtere debet. Cap. IV.

Ad tertiam objectionem qua recuſant quidam reformari, propter Prælatorum ſuorum malam voluntatem, nunc reſpondendum eſt. Quidam enim quando præſertim Abbates ſuos, aut Prælatos alios vident ſpeciales domos inhabitare, locis ſæcularibus converſari, lautioribus cibis frui & ſimilia, qui tamen volunt, quod ſubditi ſui reformentur, cum ſubditos reperiunt cervicoſos, & rebelles. Talibus Prælatis certe tenentur in reformatione ſubditi obedire multiplici ratione. Primo, quia rem bonam ſubditis, & proficuam imponunt, ſcilicet bene vivere, quod nulli obeſt, ſed cuilibet prodeſt. Unde talibus recalcitrare, eſſet ſe bono morali, & meritorio irrationabiliter privare. Et licet talis Prælatus male vivat, tamen alios cogit benefacere. Et ſecundum Auguſtinum. Fœlix neceſſitas, quæ ad meliora compellit. Quis enim prudens bonum panem ab iracundo piſtore non gratis reciperet, quando in famis neceſſitate, vel alias indigens eſſet? Multi præterea boni ſutores ſunt, qui malos calceos portant, & tamen aliis optimos conficiunt. Sic multi ſunt Epiſcopi, Prælati, Curati, & Prædicatores mali, qui tamen aliis jubent bene facere. Talibus obediendum eſſe mandat Chriſtus (Matth. 23.) ubi dicitur, Jeſus locutus eſt ad turbas, & Diſcipulos ſuos, dicens: Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Pharifæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate & facite, ſecundum vero opera illorum nolite facere. Dicunt & non faciunt, alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere. (Præterea, ut dicit Hugo de 12. abuſionibus clauſtralium, tres ſunt ſpecies ne-

negligentium Prælatorum. Quidam ſunt, qui male vivunt, & ſubjectos bene vivere cogunt. Quidam ſunt, qui male vivunt, & ſubjectos male vivere volunt. Quidam qui bene vivunt, & ſubjectos male vivere permittunt. Iſti exemplo præcedunt, ſed non increpando, delinquunt. Licet enim bene vivant, neceſſe tamen eſt, ut de grege ſibi commiſſo, domino gregis rationem reddant. Illi vero, qui male vivunt, & ſubjectos bene vivere cogunt, errantes revocant quantum eſt in juſſu verborum. Qui autem male vivunt, & ſubjectos male vivere volunt, etiam gregem ſibi commiſſum una ſecum occidunt. Prælati ergo qui mali ſunt, & tamen ſubjectos bene vivere volunt, unum actum debitum ovibus impendunt, videlicet, quod paſcant oves verbo & forte temporali ſubſidio, licet non paſcant exemplo. Hæc quidem ex ſuppoſitione dicta ſint, cum ſcilicet conſtat Prælatum eſſe malum. Sed certe Prælatus, qui reformare ſubditos laborat, ex hoc, nec ex aliis indifferentibus, quæ ad bonum, & ad malum poſſunt interpretari, debet malevolus, immo potius benevolus judicari. Alioquin ſubditi, temerarii judicii nefas incurrunt, dicente Domino (Matth. 7.) *Nolite judicare, & non judicabimini*. Super quo dicit Beatus Auguſtinus. Hoc loco nihil aliud præcipi æſtimo, niſi ut ea facta quæ dubia ſunt, quo animo fiant in meliorem partem interpretemur. De his autem, quæ non poſſunt bono animo fieri ſicut ſunt blaſphemiæ, & hujuſmodi, nobis judicare permittitur; de factis autem mediis, quæ poſſunt bono, & malo animo fieri, temerarium eſt judicare, maxime ut condemnemus. Utitur præterea Prælatus ſive bonus, ſive malus ſit, jure ſuo, quando mandat ſubdito, ut ſe huic ſæculo non conformet, ſed jubet ſervare ea vota Regulæ & Conſtitutionum, quæ diſtinxerunt in profeſſione labia ſua. Inſuper etiam apud ſubditum eſt voti debitum, quando ſe promiſit obedientiam ſervare Prælato ſuo, ſecundum Regulam, & ſtatuta.

Quintum Capitulum quando objiciunt reformationem eſſe novitatem, & ſingularitatem, oſtendit quæ ſit bona novitas, & ſingularitas, & quæ ſit mala. Cap. V.

Ad quartam objectionem ubi dicunt reformationem eſſe rei novitatem, & ſingularitatem, in hoc impii ſuam cæcitatem manifeſtant, & ignorantiam. Novitas enim non ſemper in malo, ſed ſæpe, in ſacra pagina, in bono accipitur, immo nullus reformari poteſt abſque induitione novæ formæ, unde toto niſu cordis ſtudere debent Religioſi quatenus innoventur ſpiritu. Serviamus, inquit Apoſtolus (ad Romanos 7.) *In novitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ*. Aſſumere itaque quinque novitates ſacra docet Scriptura. Primo novitatem cordium in pœnitendo de vita præterita, quam novitatem Deus promittit (Ezechielis 2.) *Dabo vobis cor novum*. Secundo novitatem oris, qua verbum vitæ prædicemus & cantemus,

temus, quam Chriſtus promittit, (Matthæi ult.) *Linguis loquentur novis*. Et in Pſalmis : *Cantate Domino canticum novum*. Tertio novitatem converſationis, de qua (1. ad Corinth. 5.) *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio*. Quarto novitatem bonæ famæ & nominis de quo (Eſaiæ 42.) *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit*. Quinto novitatem vitæ, de qua (Hebræorum 10.) *Habentes itaque fiduciam in ſanguine ejus : qui initiavit nobis vitam novam*. Sciant tamen reformationis æmuli, quod novitas cum a ſanctis vituperatur Doctoribus importat aliquid, quod nec a ſacris approbatum eſt Scripturis, nec ab Eccleſiæ ſanctæ uſibus. Certum autem eſt, quod reformare mores ſecundum Regulam, & ſtatuta per Eccleſiam approbata diutine nihil mali, ſed majorem vivendi perfectionem importare dignoſcitur. Non ergo novum eſt, quod a ducentis annis ab his traditum eſt, & practicatum Patribus, quos tota ubique in vita, & doctrina colit univerſalis Eccleſia. De ſingularitate pari modo ſe pandunt eſſe, aut malevolos, aut ignorantiſſimos. Singularitas enim prout importat vitium, quemadmodum Sanctus Thomas (2. 2. q. 162. art. 4. ad 4.) & habet a Beato Bernardo, quidam eſt gradus ſuperbiæ. Quia quintus humilitatis gradus eſt tenere, quod communis Regula Monaſterii habet, cui opponitur ſingularitas, per quam ſcilicet, aliquis ſanctior vult apparere aliis. Hæc ibi. Videat hic mentis compos, quod apud Religioſos ſingularis eſt, & dicitur: Primo, qui non vult tenere, quod communis tenet Regula Monaſterii, non dicitur, quod communis tenet vita Monaſterii, quia in Monaſterio ſæpe multitudo Monachorum non ſequitur, quam profeſſa eſt regulam, ſed potius vitam imitatur mundanam, & huic ſæculo ſe conformare nititur totis viribus. Ad ſingularitatem etiam exigitur, ut quis ſanctior velit apparere, quam exiſtat. Hoc certe vitium hypocriſis importat, & ſuperbiæ aut inanis gloriæ, nedum in Religioſo & Monacho, ſed etiam in quolibet Chriſtiano fidem profeſſo. Et ut ſingularitas, quæ ſonat vitium, quid ſit pateat clarius, adverte dicenda infra in fine objectionis decimæ. Et iterum verba Beati Bernardi in libro de Gradibus ſuperbiæ, de cujus quinto gradu ſic loquitur. Quintus ſequitur gradus, ſingularitas. Turpe eſt enim ei, qui ſe ſupra cæteros jactat, ſi non plus cæteris agat per quod ultra cæteros appareat, ut poſſit dicere non ſum ſicut cæteri hominum, non tamen melior eſſe ſtudet, ſed videri ; non melius vivere, ſed videri vivere. Plus ſibi blanditur de uno jejunio, quod cæteris prandentibus facit, quam ſi cum cæteris ſeptem dies jejunaverit. Commodior ſibi videtur una oratiuncula peculiaris, quam tota pſalmodia unius noctis. Inter prandendum crebro ſolet oculos jactare per menſas, ut ſi quem minus comedere viderit, victum ſe doleat, & incipiat idipſum crudeliter ſibi ſubtrahere, quod neceſſarium victui præviderat indulgendum, plus metuens gloriæ detrimentum, quam famis cruciatum. Ad omnia denique ſua ſtrenuus : ad communia vero piger. Vigilat in lecto, dormit in Cho-

ro,

ro. Cumque aliis pſallentibus ad vigilias tota nocte dormitet, poſt vigilias aliis in clauſtro quieſcentibus, ſolus in oratorio remanet. Cum autem ex his, quæ ſingulariter, ſed inaniter agit, apud ſimpliciores ejus opinio excreverit, dum miſerum beatificant, ipſum in errorem inducunt. Credit namque quod audit, & quod intendat non attendit. Obliviſcitur intentionem dum amplectitur opinionem. Quique de omni alia re plus credit ſibi quam aliis, in hoc ſolo, plus aliis quam ſibi. Et quicquid de ſe laudatum noverit, non ignorantiæ aut benevolentiæ laudatoris, ſed ſuis meritis arroganter aſcribit. Hæc ille. Ecce quis ſingularis ſit Monachus apertiſſime deſcribitur. Servare autem Regulam & ſtatuta a Sanctis confirmata Patribus, ab Eccleſia univerſali approbata, & practicata a viris, qui olim prudentia pollebant & virtutibus, hoc non eſt ſingularitatis incurrere vitium, ſed ſub voto, Deo reddere promiſſum. Nec de ſingularitatis vitio debet notari, qui ſuper alios opera ſupererogationis in victu, vel amictu exercet, niſi faceret illud propter jactantiam, vel ſuperbiam, ut ſe cœteris præferat, quia ſic eſſet vitium ſuperſtitionis, ut dicit Sanct. Thomas. 2. 2. Si autem hæc facit, inquit, propter macerationem carnis, vel ad humiliationem ſpiritus, ad virtutem temperantiæ pertinet. Unde Auguſtinus dicit (lib. 3. cap. 6. de doctr. Chriſt.) Quiſquis reſtrictius rebus prætereuntibus utitur, quam habeant mores eorum, cum quibus vivit, aut intemperans, aut ſuperſtitioſus eſt. Et ita per omnia dicit Bonaventura libro de perfectione Euangelii, cap. 12. In cujus rei evidentiam primo Dialogorum refert B. Gregorius. Cum inter ſæculares in alpibus convivans S. Honoratus nollet carnes comedere purus exiſtens ſæcularis, & de ſingularitate a conſodalibus corrigeretur, exivit mancipium volens aquam haurire per ſitulam, quam in montibus, ubi conſueverunt homines audire de piſcibus, non eos videre, intravit piſcis miraculoſe, qui ad Sancti viri plura poſſet valere prandia. Per quod certe Dominus approbavit ſingularitatem ſupererogationis & temperantiæ, non ſingularitatem ſuperſtitionis & ſuperbiæ. Ex quibus aperte jam convincitur, nullum reformationi benevolum, cenſeri debere ſingularem aut inventorem novitatum, quia ſe ſæculo conformare volentes Religioſi tepidi, & Patrum ſancita contemnentes vetera, potius ſingulares ſunt vocandi. Poſſent autem juſtius cauſare fratres reformati contra ſibi adverſantes fratres opulentos, & notare de ſingularitatis vitio caritati inimiciſſimo, quo propria ſua communibus anteponunt Monaſterii rebus. De qua ſingularitate habes, infra cap. 10. Advertant præterea antiquorum ſtatuta non innovare cupientes, illud Caſſiani de inſtitutis Monachorum libro 1. dicentis ſic. Generali omnium conſtitutioni, paucorum non debet præponi, nec præjudicare ſententia. Illis enim debemus inſtitutis, ac regulis indubitatam fidem, & indiſcuſſam obedientiam per omnia commodare, non quas paucorum voluntas intulit, ſed ſecundum quas vetuſtas tantorum temporum, & innumeroſitas ſanctorum Patrum concordi diffinitione in poſteros propagavit.

Sex-

Sextum Capitulum, quando objiciunt eſſe expectandam reformationem uſque ad Generalem reformationem Eccleſiæ, oſtendit quod hoc ſit callide reformationem refigere. Cap. VI.

Ad quintam quando arguunt reformationem communem uſque ad generalem Eccleſiæ reformationem differendam. Cur, inquiunt tales, a nobis potius quam ab aliis reformationis rigor incipitur? Nunquid non ejuſdem profeſſionis ſumus, cujus & alii? Reſpondetur, quod tunc ſolum velle reformari, quando alii omnes reformantur, eſt nunquam velle reformari, niſi in Valle Joſaphat tempore extremi judicii. Quia tunc omnes quidem reſurgemus, ſed ut ait Apoſtolus, non omnes immutabimur (1. Cor. 15.) Interim enim quod mundus ſtabit, juxta verbum Domini, multi erunt vocati, pauci vero electi: Eritque ſemper Eccleſia, juxta parabolam Euangelicam velut ſagena in mare ex omni genere piſcium, id eſt bonorum & malorum, congregata, quæ cum impleta fuerit, quod erit in die Judicii, ad litus ducta, ex ea eligentur boni in vaſa patriæ cæleſtis, mali vero foras mittentur. Exibunt enim tunc angeli primum, & ſeparabunt malos de medio juſtorum & mittent eos in caminum ignis ardentis. (Matth. 13.) Tunc, inquit ibidem Chriſtus, filius hominis mittet angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, tunc juſti fulgebunt, ſicut Sol in regno Patris eorum. Interim itaque in agro Eccleſiæ ſimul creſcit zizania & triticum; zizania autem perverſorum Religioſorum, ubi per ſuperiores eradicari poteſt ſine eradicatione tritici, ſ. bonorum virorum, per ſuperiores fieri debet. Quibus ſicut olim Prophetæ, ratione paſtoralis officii dicitur a Deo illud (Jerem. 1.) *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Iterum ſtatus cujuſlibet Religionis lapſæ, eſt velut ager, qui olim optimo virtutum ſemine fuit cultus, & hodie urticis, & vepribus, ac ſpinis vitiorum multis eſt occupatus. Superiores igitur, & Domini agri iſtius Religionis, aut ſemper ſinent mala ſuccreſcere, aut emundabunt agrum iſtum: Si ſemper ſinant, ſic graviter peccabunt, dicente Scriptura (Prov. 24.) *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineas ſtulti viri; & ecce totum repleverant urticæ, operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat. Quod cum vidiſſem poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam.* Uſquequo piger dormis, ſcilicet eradicare, uſquequo de ſomno ſurges? Si autem aliquando reformandus eſt Religionis ager, cur non modo, ne poſteriora fiant deteriora prioribus? Niſi forte quis deſperatus vitia licenter creſcere permittat. Quod nequaquam faciendum docet exemplum in vitis Patrum, ubi juvenis deſperatus de quodam agro zizaniis pleno ſe dormi-

mitum juxta agrum poſuit, ſed Pater veniens, & cauſam deſperationis emundandæ percipiens, juveni ait. Fili, vade & quotidie tantum emunda latitudinis, quantum corpuſculum tuum protenditur, ſicque ante paucorum menſium tempus, totum agrum mundabis. Præterea aut ubique ſimul poteſt in Ordine, vel in Eccleſia, fieri reformatio, aut non. Non primum, quia ut patuit ſupra, nunquam ubique ſimul fiet reformatio. Si non & alicubi inchoanda eſt reformatio, cur non ibi potius incipietur, ubi ſuperioribus, quibus eſt diſpenſatio credita, incipiendum eſſe videtur? In hoc cum ſit opus, & auctoritas Prælatorum: non ſubditorum malis voluntatibus, ſed Prælatis obediendum eſt, ſeu viſitatoribus, aut reformatoribus, nec a ſubditis tunc Prælati ſunt judicandi. Sunt enim a Deo miſſi quibus Chriſtus dicit (Lucæ 10.) *Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit.* Poſtremo: dicere, nolo reformari niſi alii omnes reformentur, eſt in effectu idem ac ſi dicat. Nolo perfici, ſive in bono virtutum augeri, aut in Regnum cœlorum intrare, niſi alii idem faciant. Ergo ſi alii hoc nolunt, tu vis eſſe miſer cum aliis, juxta illud vulgatum. Solatium eſt miſeris ſocios habere pœnarum. Hoc autem extremæ dementiæ eſſe videtur, & in Religioſo valde grave peccatum, quia hoc eſt ſe velle conformare nimis ſæculo, & eſt nolle tendere ad perfectionem. Ad quam tamen tentionem omnes tenentur Religioſi, prout ex ſolutione ſecundi argumenti patuit.

Septimum Capitulum, quando objiciunt reformare eſſe Ordinem dividere, & notam perſonarum in eo ponere, declarat contrarium, ſcilicet, quod hoc ſit Ordinem unire, & ædificare. Cap. VII.

Ad ſextum ubi quidam reformationem abnuunt propter cavendam confuſionem, & diviſionem Ordinum, virtualiter duo, tales timent ſequi ex reformatione: unum, quod non reformati apud ſæculares confunduntur tanquam diſpares, & difformes a reformatis. Nos, inquiunt non reformati, in comparatione reformatorum vilipendimur, calumniamur, & velut ethnici reputamur, & publicani. Qua ex conſideratione reformationem odientes, & ſæculo conformari cupientes dicunt nonnunquam ad reformatorem, & ſimiles, illud Sapientiæ 2. *Opprimamus pauperem juſtum, ſit fortitudo noſtra lex injuſtitiæ. Circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Gravis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius.* Ita certe opere loquuntur hodie irreligioſi, etſi non verbotenus. Reſpondetur, quod hi Religioſi, quibus intentatur reformatio, aut habent, & ſervant ea, quæ de neceſſitate ſalutis ſunt ſervanda in

ſuo Ordine, & tunc a nullis debent haberi pro publicanis, & ethnicis, poſſunt tamen & arctari debent ad obſervandum ea, quæ ſunt profeſſi, & ſine quibus tria ſubſtantialia diu non queunt ſubſiſtere, prout in reſponſione ſecundæ objectionis dictum eſt, nec a prudentibus, quorum judicium ſolum ponderandum eſt, habentur pro talibus. Et ſi imprudentes aliter judicant de eis, non mirum quia teſte Scriptura: Stultorum infinitus eſt numerus. Optimi etiam viri plerumque a malis apud malevolos judicantur ſiniſtre. Sciunt præterea viri boni, quod in quolibet ſtatu ac Religione, & Ordine quolibet, non omnes ſunt perfecti. Sed in eis ſicut inter ſæculares ſunt gradus, ita ut quidam ſint boni: alii meliores, & quidam optimi. Non ergo ſequetur: iſti reformati ſunt meliores, ergo vos qui adeo ſtricti non vivitis, & tamen ad ſalutem neceſſaria ſervatis, eſtis mali. Nec obſtat verbum Bedæ ſuper iſto (Matth. 6.) *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus.* Sic videntur argui hi qui ſpreto victu, vel veſtitu lautiora ſibi, vel auſteriora præ his cum quibus vivunt alimenta quærunt, vel indumenta. Nam ad hanc auctoritatem Bonaventura libro de Perfectione Euangelicæ paupertatis, ita reſpondet. Verum dicit, qui enim viam communem ſpernit, male facit. Qui vero eam non ſpernit, tamen ſe amore æternæ vitæ diſtrictius affligit memor vocationis ſuæ, melius facit. Et ideo Beatus Franciſcus filios, & diſcipulos ſuos ad hanc ſingularitatem invitavit, informando ad jejunium poſt Epiphaniam, dicens. Qui eam, ſcilicet quadragenam dierum, jejunare voluerint, ſint benedicti a Domino, & qui nolunt non ſunt aſtricti. Diſtrictiora enim jejunia perfectioribus ſunt æmulanda. Hæc de Bonaventura. Et certe verendum ne in talibus contra reformationem murmurantibus, lateat in corde vermis invidiæ, vel peccatum hypocriſis, aut ſuperbiæ, quo vult videri bonus vel melior, qui non eſt, immo & diſplicet ſibi profectus fraternæ gratiæ. Hæc non ex gratia procedunt, & caritate, immo ex vitio, quia (1. Corinth. 13.) dicitur: ***Caritas non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.*** Si autem Religioſi in Monaſteriis non reformatis non ſervant ea, quæ de ſalutis neceſſitate ſunt ſervanda, non mirum ſi a cunctis æſtimantur miſeri. Ipſi enim ſi nomini Religionis ſatisfacerent, merito laudari deberent, juxta illud Pſalmiſtæ, ***Secundum nomen tuum, ſic & laus tua.*** Poſtremo ipſi Religioſi in Eccleſia ſunt velut ſal poſiti, quorum bono exemplo mores aliorum condiendi forent, ſed ſi ſal infatuatum fuerit, dicit Chriſtus (Matth. 5.) ***ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*** Impurent ergo ſibi ſi judicantur, ſicut & ſunt. In objectione præterea prædicta aliud objiciunt, videlicet, quod per reformationem quorundam, & non aliorum Conventuum, Ordo dividitur & duo videntur Ordines. Melius fortaſſe arguerent, quod apud reformatos unus reſuſcitatur Ordo, & apud deformatos nullus manet Ordo, ſed ſerpentinus horror inhabitat. Sed eſto con-

ſtat

ſtat. ex 12. Metaphyſicæ, quod quilibet Ordo, & Religio quælibet ac multitudo bene diſpoſita neceſſario exigit, ut tendant ad finem aliquem certum ſui Ordinis; & ut inter ſe leges certas ſervent profeſſores talis multitudinis. Sic enim bene vivunt, alias ibi non eſſet Ordo, nec unio, ſed diviſio & confuſio, ut dicit Beatus Dionyſius de divinis Nominibus, c. 4. Exempli gratia de exercitu bene ordinato. Qualis autem finis ſpecialis ſit cujuslibet Religionis, & quomodo ejus profeſſores ſe habere debent ad invicem, docetur in regulis, & ſtatutis eorum. Cum igitur reformatio ad hanc unitatem principaliter tendat, dicere quod reformare eſt Ordinem dividere, inſania plenum eſt & amentia. Immò reformare vivere eſt unire, & ordinare ſe in Dei exercitu ductum ſequendo ſui fundatoris, victoriam contra hoſtes obtinere. Sic enim de devotiſſima Religione primitivæ Eccleſiæ dicitur (Act. 5.) *Erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat conjungere ſe illis, ſed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium multitudo virorum, ac mulierum in Domino.* Et ita hodie fit, ut docet experientia tam apud Religioſos, quam apud ſanctimoniales bene reformatas, quicquid dicant conformatores ſæculi, & reformatorum æmuli.

Octavum Capitulum quando ſe jactant vivere, ut Patres eorum, diſtinguit de malis, & bonis patribus, & aviſat ne temerarie judicet quis de locis reformatis.

Cap. VIII.

Ad ſeptimum motivum in quo auctoritatem præcedentium patrum in ſuo Ordine allegant qui taliter vixerunt ut vivunt ipſi. Reſpondetur eis, quod aut loquuntur de primis ſui Ordinis patribus, aut de modernis tranſgreſſoribus. Si de primis (quod non credo) quia alias loquentes, ut Judæi perfidi, eiſdem datum mererentur reſponſum a Chriſto recipere. Nam Judæi Chriſto primo reformatori reſiſtentes dixerunt (Joannis 8.) *Pater noſter Abraham eſt.* Quibus reſpondit Chriſtus. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Ubi Gloſſa: *Factis probate, non verbis.* Et Sanctus Thomas in Poſtilla ſuper eodem dicit. *Signum hoc ponit Chriſtus debitæ filiationis.* Signum quippe debitæ filiationis eſt, quod aliquis aſſimiletur ei cujus eſt filius. Sicut enim filii carnales, ut plurimum, ſolum ſecundum carnem aſſimilantur patribus, ita & filii ſpirituales, ſi ſunt vere filii debent ſpirituales parentes imitari, ſecundum illud (Epheſ. 5.) *Imitatores mei eſtote ſicut filii chariſſimi.* Deformati autem Religioſi opera Patrum ſuorum primitivorum non faciunt: ergo non ſunt filii eorum, nec gloriari poſſunt de patribus ſuis. Unde Chriſtus tales filios alloquitur tanquam illegitimos, ſicuti Judæis (Lucæ 3.) dixit peccatoribus: *Ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham, ſed facite dignos fructus pænitentiæ, quia jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor*

non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Si prætereà reformationis inimici iterato cum Judæis replicaverint dicendo, nos ex fornicatione non ſumus nati, unum Patrem habemus Deum. Audiant tales, Chriſti, quod ſequitur reſponſum. *Si Deus Pater veſter eſſet, diligeretis me utique. Ego enim ex Deo proceſſi & veni: neque enim a meipſo veni, ſed ille me miſit. Quare loquelam meam non cognoſcitis, quia non poteſtis audire ſermonem meum. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Ille homicida erat, & in veritate non ſtetit. Novit altiſſimus, norunt etiam reformationem practicantes quam veraciter dicta Chriſti verba locum habeant in invitis, & Religioſis rebellibus. Porro ſi tales pro auctoritate allegant patres moderni temporis, qui eſſentialia tranſgreſſi ſunt, & præcepta ſui Ordinis. Hoc primum reſponſum habeant, quod mortui, de quorum virtutibus aperte non conſtat, judicium cordium cognitori committendum eſt, non temere a vivis diffiniendum, quo animo plura regulæ, & conſtitutionum non obſervaverunt. Pie enim credi poteſt multos animum habuiſſe ea ſervandi, ſi hi cum quibus degerant Prælati ea omnino ſervanda mandaviſſent, & multitudo Fratrum, ſine qua plures ceremoniæ ſervari nequeunt talia practicaſſent. Nullique dubium quin ſemper aliqui in quibuſdam Monaſteriis ſervaverint tria eſſentialia, modis eis poſſibilibus, & alias duras Ordinis plures ceremonias, quemadmodum hodie in utroque ſexu in multis reperitur locis quam plurimum deformatis. Immo pro præſenti omnes in non reformatis exiſtentes Monaſteriis judicare tranſgreſſores ſuæ Regulæ, ſuperbia non caret, aut ei eſt proximum. Hac tentatione agitabatur olim ille Religioſorum typus perfectiſſimus Helias qui (3. Reg. 19.) Domino quærenti, quid in ſolitudine ageret, illico reſpondit dolendo ſuper deformitatibus populi Iſraelitici Zelo, inquit, *zelatus ſum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael. Altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus ſum ego ſolus, &c.* Cui Dominus. *Dereliqui mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curvata Baal.* Ubi Gloſſa, & eſt Rabani. *Tantum*, inquit, *Prophetæ difficile fuit agnoſcere in hoc mundo famulos remanſiſſe Deo:* ſed qui humilis occulta Dei noverat, elatus & aperta neſciebat. Unde certum eſt, quod humilitatis tædio ſe illuminat qui aliorum bona ſubtiliter penſat. Quia dum ea, quæ ipſe fecerat, facta foris & ab aliis conſpicit, eum qui de ſingularitate intus erumpere nititur ſuperbiæ tumorem premit. Hinc eſt, quod voce Dei ad Heliam ſolum ſe æſtimantem dicitur. Reliqui mihi ſeptem millia virorum, ut dum non ſolum ſe remanſiſſe cognoſceret, elationis gloriam quæ ei de ſingularitate ſurgebat, declinaret. Sic etiam eandem auctoritatem Apoſtolus (Rom. 11.) allegat contra quoſdam in hæc verba. *Nunquid repulit Deus populum ſuum? Abſit. Nam ego etiam Iſraelita ſum ex ſemine Abrahæ de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem ſuam*

quam præſcivit. An neſcitis in Helia, quid dicit Scriptura? Et ſequitur. *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ ſecundum electionem gratiæ Dei, ſalvæ fient. Si autem pro ſe allegaverint patres ſuæ regulæ, & ſtatutorum tranſgreſſores & inobedientes ſuis ſuperioribus in licitis, reſponſum accipiant tales, Philoſophi dicentis, quod multiplicare inconvenientia non eſt ſolvere argumenta, & uno dato inconvenienti multa ſequuntur. Errorque parvus in principio, in fine maximus erit. Lugeant potius talium filii pro patribus dicentes cum Jeremia illud (Thren. 5.) *Patres noſtri peccaverunt & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus.* Et cum Pſalmiſta. *Peccavimus cum patribus noſtris, injuſte egimus, iniquitatem fecimus.* Nec mirum ſi patres eorum comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt. Veniant jam in reformatione potius vaticinia Prophetæ, quibus dicit (Jerem. 31.) *In diebus illis non dicent ultra: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt, ſed unuſquiſque in peccato ſuo morietur. Quia omnis homo qui comederit uvam acerbam, obſtupeſcent dentes ejus.* Super quo Gloſa, & eſt Beati Gregor. Quid eſt uva acerba niſi peccatum? uva quippe acerba eſt fructus ante tempus. Quiſquis enim præſentis vitæ delectationibus ſatiari deſiderat, quaſi fructus ante tempus comedere feſtinat. Qui igitur uvam acerbam comedunt dentes obſtupeſcunt. Quia qui præſentis mundi deliciis paſcitur in tantum ſenſus ejus ligantur, ut jam ſpiritualia manducare, id eſt intelligere, nequeant, quia unde in exterioribus delectati ſunt, inde in intimis obſtupeſcunt. Et dum peccato anima paſcitur, panem juſtitiæ edere non valet, quia ligati dentes ex peccati conſuetudine juſtum, quod intus ſapiat non poſſunt edere, nec mirum, quia tali nihil plus libet agere, quam ſe maligno conformare ſæculo.

Nonum Capitulum, quando objiciunt per diſpenſationem eis datam, docet ubi, quando, in quibus, & qualiter poſſit fieri diſpenſatio, & quando non. Et moventur tria dubia, ubi de proprietariis Monachis. Cap. IX.

Ad octavum cum a reformatione ſe excuſare geſtiunt propter Prælatorum, quæ fieri videtur, diſpenſationem in Regula, & Patrum conſtitutionibus. Pro reſponſione ne homines decipiantur, qui ſunt nimis latæ conſcientiæ, videndum eſt, quid ſit diſpenſatio, quotuplex ſit, & quomodo fieri poſſit bene, vel male. Diſpenſatio ut Hoſtien. ex Canonibus elicit, eſt rigoris juris per eum ad quem ſpectat miſericors canonice facta relaxatio. Et Sanct. Thomas (1. 2. q. 96. art. 4.) dicit, quod Rectores multitudinis in legibus humanis poſſunt diſpenſare. Diſpenſatio, inquit, proprie importat commenſurationem alicujus communis ad ſingula. Unde & gubernator familiæ diſpenſator dicitur in quantum unicuique

de

de familia cum pondere, & menſura diſtribuit, & per operationes, & neceſſaria vitæ. Sic igitur in quacunque multitudine ex eo dicitur aliquis diſpenſare, quia ordinat qualiter aliquod commune præceptum ſit ſingulis adimplendum. Contingit autem quandoque, quod aliquod præceptum quod eſt accommodum multitudini non eſt conveniens huic perſonæ, vel in hoc caſu, quia per hoc impediretur aliquod melius, vel induceretur aliquod malum. Periculoſum autem eſſet ſi hoc, judicio cujuslibet committeretur, niſi forte propter evidens, & ſubitum periculum. Et ideo ille, qui habet regere multitudinem habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana, & ſuæ auctoritati innititur, ut ſ. in perſonis, vel in caſibus in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non ſervetur. Si autem abſque ratione pro ſola voluntate tribuat licentiam, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens. Infidelis quidem ſi non habeat intentionem ad bonum commune. Imprudens autem ſi rationem diſpenſandi ignorat. Propter quod dicitur (Luc. 12.) *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Et S. Thomas (2. 2. q. 88. art. 12.) dicit. Prælatus in Eccleſia gerit vicem Dei, & ideo in commutatione, vel diſpenſatione voti requiritur Prælati auctoritas, quæ in perſona Dei determinat quid ſit Deo acceptum, ſecundum illud (2. ad Corinth. 2.) Nam & ego propter vos donavi in perſona Chriſti. Et ſignanter dicit propter vos, quia omnis diſpenſatio petita a Prælato debet fieri ad honorem Chriſti, in cujus perſona diſpenſat, vel ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt Corpus Chriſti. Hæc S. Thomas. Apud multos igitur veritatem obtinet iſta vulgaris diffinitio. Diſpenſare eſt cum licentia ad infernum intrare. Affirmans dictam auctoritatem B. Bernardus (lib. 3.) ad Eugenium, de Conſideratione, dicit. Quid inquit prohibes non diſpenſare, ſed diſſipare? non ſum tam rudis, ut ignorem poſitos vos diſpenſatores, ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt, ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas inquam communis non propria. Nam cum nihil horum eſt non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt. Hæc ille. Verum quia aliquis devotus ſubditus dubitaret utrum teneretur, contra Regulam obedire Prælato, vel in his, quæ ſunt extra Regulam. Subdit proinde ſi profeſſo ſecundum illam Regulam Abbas meus mihi aliquid imponere forte tentaverit, quod ſcilicet non ſit licitum ſecundum Regulam: Quænam quæſo in hac re mihi neceſſitas imminet obſequendi? ſolum quippe id a me poſſe exigi arbitror, quod promiſi. Oportet ergo eum, qui præeſt non fræna laxare voluntati ſuper ſubditos, ſed præfixam ex Regula ſibi ſcire menſuram, & ſic imperia ſua moderari. Nil mihi Prælatus prohibeat eorum, quæ promiſi, nec plus exigat quam promiſi. Vota mea non augeat, ſine mea voluntate, nec minuat, ſine certa neceſſitate. Neceſſitas quippe non habet legem, & ob hoc excuſat diſpenſationem.

nem. Alioquin & abſque neceſſitate vori remiſſio, non diſpenſatio, ſed prævaricatio eſt, & reſtrictio contra voluntatem murmur eſt non proventus. Hæc Bernardus. Subditi proinde, qui ſe excuſant dicentes nobis non provideretur de communi quo contra oportet nos nobis propria facere. Reſpondetur, horum damnatio juſta eſt. Fatemur enim ſibi facere propria ex cauſa frivola quam prætendunt. Satius enim erat mori fame, & frigore, exemplo Apoſtoli, qui in fame, & ſiti, & frigore vitam exegit, quam cum peccato mortali vitam damnabilem contra rationabilem conſcientiam ducere. Sicut melius eſt pudice mori quam impudice vivere. Inter has, inquit Joannes, duas aſſertiones æqualiter improbabiles reſtat conſilium cum quo præceptum tenebitur regulare, ut omnes ſubditi excutiant manus ſuas a proprio, ponentes ad pedes Prælatorum omnia & ſingula, in parvo, & in magno, in quacunque ſpecie, ex quacumque cauſa eis obveniant, & Prælati eis de communi provideant ne ſanguis ſubditorum de Prælatorum manibus requiratur. Audivi enim a quodam Magiſtro viro utriuſque juris peritiſſimo & in cauſis tritiſſimo, dicente mihi. Si ego ſciviſſem modum habendi, & recipiendi aliquid privatim, quem ego in Ordine inveni, ego numquam veniſſem ad ſtatum iſtum. Magnipendi verbum illud ab homine tam Religioſo, cujus vita tam exemplaris fuit, ut mirarentur cœteri. Et magni pendendum conſulo cœteris juris ignaris. Hæc Joannes. Satis igitur patet, quam inanis ſit octava objectio de diſpenſationis velamine per quod multi totaliter fere ſeipſos conformant ſæculo.

Decimum Capitulum, quando cauſantur neceſſaria in victu ſe non habere, tradit quomodo tunc fieri debet, & quanta confidentia ſit habenda in Deo de temporalibus miniſtrandis. Cap. X.

Ad nonum, quando adducunt neceſſariorum victus, & amictus ſi reformarentur defectionem. Reſpondetur, quod Monaſterium reformabile aut eſt de Ordine poſſeſſionatorum, aut non. Si primum tunc eſt poſſeſſionatum, ſeu reddituatum adeo quod victus neceſſaria ſingulis poſſent diſtribui, omnibus in commune redactis: Aut omnes, aut quidam tantum habent de ſibi ad uſum conceſſis, quod ſi in commune imponerentur, omnes poſſent habere victum neceſſarium: Aut neutrum, ſ. quæ nec a ſingulorum bonis, nec a Monaſterii bonis tantum poſſet haberi, quæ communitatem rerum pro ſufficientia habere poſſent victus, ſtantibus tot perſonis in Monaſterio. Si primum, tunc nullus ſe excuſare poteſt, qui nollet ex communitate vivere ſi alii reſignarent, quia tunc nulla cauſa eſt diſpenſandi cum tali in habendo appropriata quoad uſum incertum. Si ſecundum, tunc quicumque impediunt poſitionem rerum temporalium ad communitatem non poſſunt tales excuſari ex præcedenti ratione. Si tertium,

tium, tunc minuere deberent numerum fratrum, mediis opportunis, & tot manere quot eſſent ſuſtentabiles per bona, quæ pro communitate manentium ſufficere poſſent. His concordat Hugo de Folieto (lib. 2.) de clauſtro animæ dicens, de ordinatione clauſtri materialis, conſideranda nobis 4. occurrunt. Qui ſunt qui teneant Ordinem, aut quid teneant, ubi maneant, & unde vivant ut plures ſint, & boni propoſiti, ut cohabitandi ſuppetant ædificia, & victui habeant neceſſaria. Sit tamen in numero diſcretio, in propoſito devotio, in ædificiis mediocritas, in rebus poſſeſſis frugalitas. Tenenda eſt diſcretio in numero fratrum, ut tot ſimul cohabitent, qui ordinate vivere poſſint, ne vel excuſante paucitate irregulariter vivant, vel pro multitudine cohabitantium, neceſſitati eorum illicita quærant. Qui enim multos congregavit, neceſſe eſt, ut eorum victui multa quærat. Sed dum quærunt plura, creſcit exterior cura. Hæc ille. Ideo Canon Clementis diſtinct. 23. Tales dicit. Tales ad Monaſterium eligantur clerici, qui digne poſſint Sacramenta divina tractare. Melius eſt enim uni Sacerdoti paucos habere miniſtros, qui poſſunt digne opus Domini exercere, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori inducant. Et Gloſa ibi per multa jura probat, quod multitudo facit aliquos magis viles, & eſt canonibus inimica, eſt oneroſa, nihil habet honeſti. Si vero Monaſterium reformandum, eſt de Ordine non poſſeſſionatorum, ſed Mendicantium, qui ſatis principaliter ſunt ſuper prædicatione, aut mendicitate, aut ſuper utroque fundati, tunc ſi alii conſentiunt reformationi, tales qui reformationi reſiſtunt in nullo videntur rationabiliter a gravi peccato excuſati poſſe, quia neceſſaria victus per mendicitatem poſſunt acquirere quotidie. Deficiunt autem tripliciter tam mendicantes, quam poſſeſſionati, ut plurimum propter motivum novum reformationi reſiſtentes. Primo propter de divina proviſione diffidentiam. Secundo propter paupertatis quam voverunt carentiam. Tertio propter boni communis negligentiam. A quibus tamen omnibus Religioſi plus cavere tenentur, quia omnes tenentur ad perfectionem longe amplius, quam ſæculares tendere. Contra primum veritas, quæ nec fallit, nec fallere poteſt, dixit primis Religioſis (Matth. cap. 6.) *Nolite ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus*; ea ſcilicet quæ voviſtis, & hæc omnia quibus, videlicet indigetis, adjicientur vobis. Dare ergo poſſunt fiduciam tria hæc. Unum ex parte dantis. Si enim nobilis quilibet familiæ ſuæ providet, quanto magis nobiliſſimus & largiſſimus Deus? Unde ſuper illud (Lucæ 12.) *Nolite ſolliciti eſſe*, dicit Gloſa. Indecorum eſt homini curare de cibo, vel veſte, qui militat regno. Novit rex quemadmodum familiam ſuam paſcat, alat, & veſtiat. Aliud ex parte dati. Dicit enim Gloſa ſuper illud Matth. 6. Nonne anima plus eſt quam eſca? Qui majora dedit, id eſt vitam & cor-

corpus, dabit minora, id eſt victum & veſtes. Aliud eſt ex parte recipientis. Unde ſuper illud Pſalmiſtæ. ***Benedicam Dominum in omni tempore***, dicit Gloſſa. Paſcebat contemnentem ſe. Deficiunt præterea temporalium queruli ſecundo propter paupertatis, quam voverunt, carentiam. Quia quidam Religioſi adeo cura carnis intenti eſſe volunt nunc in cibis & potibus, nunc in veſtitu & medicinalibus, vel rebus aliis, quod neceſſariis non contenti, quæ eis competenter miniſtrantur, lautiora quam voluntaria paupertas quam voverant exigat, omnino habere volunt. Quo contra dicitur (Rom. 14.) ***Curam carnis ne feceritis in deſideriis***. Superfluitas autem, licet omni Chriſtiano ſit cavenda, juxta illud (1. Timot. 6.) ***Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti ſumus***; magis tamen eſt cavenda Clericis, ſecundum illud (1. Cor. 9.) ***Qui altari ſervit de altari vivat***. Bene vivat, inquam, non ſuperbiat, non ditetur, & ſimilia. Maxime autem eſt cavenda ſuperfluitas Religioſis, unde (Num. 6.) ***Vir ſive mulier cum ſe voluerint Domino conſecrarę a vino omni quod inebriare poteſt abſtinebunt***. Hoc deſignat capillorum abſciſſio, quæ per Laicos fit modice, plus per Clericum, ſed per Religioſos maxime.

Deficiunt tertio objicientes propter boni communis negligentiam; quia multi Religioſi ad ea, quæ ad communitatem ſpectant ſunt tardi, ad ea vero quæ ſunt propria, vel appropriata ſunt aſſidui. Et hæc eſt ſingularitas peſſima. De qua Bernardus dicit. Singularis ad omnia ſua eſt ſtrenuus, ad communia piger. Hæc ſingularitas eſt boni communis negligentia, & multa mala facit, ſcilicet a Chriſti veſtigiis deviare. Unde Chryſoſtomus: Imitatores fieri Chriſti eſt ad communem utilitatem omnia negociantes, & non quæ ſunt noſtra quærentes. Hæc mandatis obviat Apoſtolus (Philippen. 2.) Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum. Hæc doctrinæ Sanctorum recalcitrat, quia Gregorius dicit in Regiſtro. Nemo veſtrum, neglecta utilitate communi ſui lucro proſpiciat. Et Ambroſius. Qui perfecte ſapit, neſcit ſua ſpectare commoda, ſed ad illud quod honeſtum eſt toto affectu intendit quærens non quod ſibi utile eſt, ſed quod omnibus. Bernardus quoque ait. Deus communi diſciplina, communi vita, communibus ſtudiis delectatur, uſquequo miſer diverticula captas? hæc reginæ virtutum caritati renititur, quia caritas non quærit quæ ſua ſunt: Quod Auguſtinus in Regula ita exponit. Non quærit quæ ſua ſunt caritas, quæ communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo quanto amplius rem communem quam propria veſtra curaveritis, tanto amplius vos proficere noveritis. Hæc contrariatur naturæ, quæ omnia ad communem producit utilitatem. Ideo Tullius de Officiis. Præclare, inquit, ſcriptum eſt a Platone. Non ſoli nobis nati ſumus, & poſt: in hoc deberemus Regulam ſequi naturæ producere communes utilitates, & in medium proferre. Adverſatur etiam præceptis Philoſophicis, quia dicit

Philoſophus (1. Ethic.) Bonum quanto communius tanto divinius. Et Seneca. Non poteſt quiſque bene vivere, qui ſe intuetur, qui omnia ad ſuas utilitates convertit. Alteri vivas, quod ſcilicet oportet, ſi tu vis tibi vivere. Hæc præterea eſt, quæ omnes pene Religiones deſtruit. *Singularis*, inquit Pſalmiſta, *ferus depaſtus eſt eam*. Quam ſingularitatem ſi adverſarii reformationis depoſuerint, & diligentiam ad bonum commune erexerint inquirentes Dominum non deficient omni bono. Vidi & expertus ſum quotieſcunque reformabantur Monaſteria virorum, aut fœminarum noſtris temporibus, ſemper quam antea, ſe in temporalibus melius habuiſſe. Non ergo trepident timore, ubi non eſt timor hi qui deformato vere renunciant ſæculo.

Undecimum Capitulum quando objiciunt ſtatus nobilitatem vel dignitatem, manifeſtatur quod propterea acrius, & amplius reformationi deberent inſiſtere.

Cap. XI.

Ad decimum ubi objiciunt propter nobilitatis, vel ſtatus perſonæ dignitatem non deberi per inchoationem reformationis nova cudere. Hæc apparentia quoſdam hodie adeo dementavit Canonicos regulares, & Monachos, ut verecundentur in choro canere, & legere Miſſas, & veſtiri honeſte, ſuo ſtatui & nobilitati dedecus eſſe putent. O quam longe ſunt iſti a nobiliſſimo David, & ſuis principibus, qui (2. Reg. 6.) cum omni Iſrael deducebant Arcam Teſtamenti Domini in jubilo, & clangore buccinæ. Ubi Rex David percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ante Dominum. Deſpicientemque Michol ita adorſus eſt: vivit Dominus quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum: Ludam & vilior fiam plus quam factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es glorioſior apparebo. Sciant itaque ſuperbi Clerici, & Monachi Fratres, & mendici ſummam ſibi eſſe gloriam regi ſæculorum ſervire devote & reformate. Nihilque ſibi conferre in contrarium ſtatus ſui eminentiam, & nobilitatem ſui generis, immo potius illa plus eos arctant ad ſerviendum Deo acriter, quam aſtringantur ſimplices, & ruſtici. Quid enim eſt nobilitas? audi Boetium 3. de Conſolatione, dicentem. Videtur namque eſſe nobilitas quædam de meritis veniens laus parentum. Nihil ergo aliud eſt nobilitas generis quam laus proveniens ex meritis parentum. Iſta laus non tua o ſuperbe, ſed parentibus extrinſeca: non te fecit glorioſum. Ad idem eſt Beatus Hieronymus in quadam Epiſtola. Nihil, inquit, video in nobilitate appetendum, niſi quod nobiles quadam neceſſitate conſtringuntur, ne ab antiqua probitate degenerent. Non verecundabatur nobiliſſimus ille olim Samuel omnium Religioſorum in veteri Teſtamento pater præcipuus Deo cum ſuis cho-

choris Prophetarum ſervire humiliter per omnia quamquam ſummus eſſer Sacerdos, Propheta, & rector ſupremus populi. Dicit enim (lib. 1. Reg. 9. cap.) Ecce eſt vir Dei Samuel, ſcilicet in civitate hac, vir nobilis omne quod loquitur abſque ambiguitate venit. Et Magiſter in Hiſtoria Scholaſtica dicit. Nota, quod Samuel primus inſtituit Conventus Religioſorum jugiter Pſallentium Domino: Et dicebatur Conventus eorum cuneus, quaſi couneus. Et dicebantur prophetare, i. Deum jugiter laudare. Cui choro etiam Saul Rex jam a Deo electus laudando intereſſe non erubuit. Non igitur erubeſcant nobiles voto Religionis, vel per ſuſceptum ſacrum Ordinem aſcripti, cum nobili Joſeph Chriſto ſervire: etiam uſque ad obſequium ſi opus eſt funeris, & Deum qui eos elegit placare ſtudeant reformatis actibus. Audiantque Paulum Romanum nobilem (1. Corinth. 1.) ſic dicentem. Videte vocationem veſtram Fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia elegit Deus, & contemptibilia, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.

Duodecimum Capitulum, quando timent ſequi in Domini ſervitio paucitatem perſonarum, declarat contrarium, & quomodo hoc non ſit timendum, & quod obſequia malorum, modicum; bonorum vero multum Deo placent. Cap. XII.

Ad undecimum quando inferunt ad reformationem ſequi perſonarum paucitatem pro divino officio in multitudinem Miſſarum celebrandarum. Reſpondetur, quod & ſi illud eſt verum pro tempore quo inchoatur reformatio, tamen prout ubique fere videmus in Monaſteriis reformatis poſtmodum major ſuppoſitorum eſt numerus quam antea, immo Conventus reformati velut ſagenæ ſunt ad augendum ſuum Ordinem. Sed eſto quod Religioſi deformati ſint multi quando mali ſunt, melius tamen eſſet habere paucos, & bonos bene reformatos. Audiant de hoc qui volunt Scripturam: multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam (Iſa. 9.) Facta vero reformatione, apte conſolando Religionem poſſunt, ſicut dictum eſt ad Noemi, dicere plurimi. Benedictus Dominus, qui non eſt paſſus, ut deficeret ſucceſſor familiæ tuæ, & vocaretur nomen ejus in Iſrael, & habens qui conſoletur animam tuam, ut enutriat ſenectutem, de nuru enim tua natus eſt, qui te diligit, & multo tibi eſt melior, quam ſi ſeptem haberes filios perverſos, ut patet Ruth ultimo. Novi nuper in Alemania quendam Principem qui ſua ditione Monaſterium habuit abundans in Fratribus, & ubi Miſſæ celebrabantur plurimæ. Cumque a quodam reformatore petiſſet, ut Monaſterium dictum reformare conaretur: annuit ille, ſed ſubintulit. Domine Princeps voluntarios, &

reformatos Fratres adducam, quia per involuntarios, vincentes votum multitudine, nihil proficimus, bonos adducam & paucos, quia alibi reformare etiam expedit. Nec multitudinem Miſſarum nunc habere poteſtis in brevi, ſicut antea. Cui Princeps ſic reſpondit. Plus in ſtabulo meo diligo tres equos bonos, quam ſexdecim malos.

Decimumtertium, quando conqueruntur ad reformationem ſequi pacis perturbationem, docet quotuplex eſt pax, & diſcordia, quando ſcandalum ſit timendum, & quando non. Cap. XIII.

Ad duodecimum quando objiciunt, quod in reformando ſequitur communis inter Fratres turbatio pacis cum quidam ſunt voluntarii, alii inviti: immo aliquando omnes ſunt in uno Monaſterio involuntarii: Quibus ſi novi in lege Dei benevoli addantur, aut priores expelli curentur, inviti, ſequitur murmur & turbatio pacis, fugaturque tranquillitas. Et quod longe eſt formidabilius, multi inde fugientes ad alia diſſolutiora ſe transferunt Monaſteria, aut apoſtatant, monialeſque ſe nonnunquam proſtituunt abominabiliter. Reſpondetur igitur primum, quod nunquam eſt pax habenda cum vitiis, quinimo juge bellum cum eis in mentis diſplicentia eſt habendum. Deinde, quod Phariſæorum ſcandalum non eſt curandum, & poſtremo, ſi quis ægrotus in anima correctionis medicinam voluntarie renuit, non mirum ſi in mortem animæ ruit graviſſimam. Non etiam abnuo pro loco, & tempore correctionem eſſe differendam, prout videbitur in reſponſione ſequenti, ad arg. 13. Pax inquam non eſt habenda cum vitiis, quamvis ſemper ſic diligendi ſunt homines, ita ut non diligantur eorum errores, docet illud Chriſtus in Euangelio, cum dicit (Matth. 10.) *Nolite arbitrari, quia venerim mittere pacem in terra, non veni pacem mittere, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filium adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici ejus.* Et poſt pauca. *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Nec curandum eſt quodlibet in malis receptum ſcandalum. Dicit enim Sanctus Thomas (2. 2. q. 43.) Ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis facienda, ut quæ ſunt præcepta, non debent prætermitti propter ſcandalum vitandum in alio. In his autem ſpiritualibus bonis, quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis videtur diſtinguendum. Quia ſcandalum, quod ex eis quandoque oritur, aliquando ex malitia procedit, cum ſcilicet aliqui volunt impedire hujuſmodi bona ſpiritualia ſcandalum concitando, & hoc eſt ſcandalum Phariſæorum, quod eſſe contemnendum Chriſtus docet (Matth. 15.) ubi cum Chriſtus Scribas, & Phariſæos correxiſſet de hoc, quod Dei præcepta propter hominum traditiones tranſgrederentur, qui Chriſti Diſcipulos de omiſſione lotionis manuum correxerant: Et addidiſſet, *non quod intrat*

per

per os coinquinat hominem, ſed quod procedit ab ore: venerunt diſcipuli Chriſti ei dicentes. *Scis quia audito Phariſæi verbo hoc ſcandalizati ſunt. Reſpondens Jeſus, ait. Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cæleſtis eradicabitur. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Quandoque vero ſcandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, & hujuſmodi ſcandalum eſt puſillorum, propter quod ſunt ſpiritualia opera vel occultanda, vel etiam interdum differenda ubi periculum non imminet, quouſque reddita ratione hujuſmodi ſcandalum ceſſet. Si autem poſt redditam rationem hujuſmodi ſcandalum duraret, jam videtur ex malitia eſſe: ſic propter ipſum non ſunt hujuſmodi ſpiritualia propter ſcandalum dimittenda. Hæc Sanctus Thomas, & concordat in ſcripto ſuo Petrus de Tharantaſia cum eo.

Decimumtertium Capitulum, quando arguunt ſequi lapſum graviorem & apoſtaſiam, & hujuſmodi, oſtendit quod propter talia non ſemper reformatio per Prælatos prætermitti debet. Cap. XIV.

Nec terreri ſemper oportet, ut 13. argumentum objicit, videlicet ex lapſu graviori quem quidam, reformationem fugientes, poſtmodum incurrunt, dummodo ſpes de reformatione pro plurimorum ſalute introducenda ex prudentum æſtimatione habetur. Sicut Chriſtus quando reformare cœpit opere per electionem de templo vendentium & ementium, ſcandalum Phariſæorum non curavit quos ſciebat ex hoc pejores effici (Matthæi 21. & Joannis 2.) Immo in utroque caſu murmurabant, ut amplius in littera patet. Nec ſermonem, & doctrinam veritatis Chriſtus ſemper ſub modio taciturnitatis poſuit, quando multos præſcivit poſt ſuam doctrinam ab eo ituros retro, & jam non cum eo ambulaturos, Joannis 6. Ad idem manifeſte tendit datum oraculum Beati Erhardi Epiſcopi Ratiſponenſis de reformando ibidem inferiori Monaſterio monialium. Cum enim ſanctus Vvolfgangus ſæcularium, & ſacrarum litterarum præceptor expertiſſimus, jam Epiſcopus Ratiſponenſis in præfato Monaſterio circa ſepulchrum ſancti ſui olim prædeceſſoris Erhardi anxius quomodo ipſum reformaret Monaſterium, oraret pro divino auxilio, aſtitit ei ſanctus Erhardus, ita dicens inter cœtera. Quæſo te ut præſtita tibi divinitus utaris prudentia: omnemque hanc deſtruas congregationem, & Monaſticam ibi inſtituas profeſſionem. Quam ſi harum aliqua, quæ nunc ineſt velit profiteri, maneat; ſin omnino quotquot ſunt deſtrue, nec ultra contaminari locum iſtum patere.

Decimumquintum Capitulum, quando oſtendere nituntur, quod ex laxa vita majora ſequuntur bona, quam ex reformatione, manifeſtatur multipliciter contrarium. & quanta mala ſequuntur in deformatis locis ex ſumptibus in ædificiis, picturis, & hujuſmodi. Cap. XV.

Ad quartamdecimam jam objectionem reſpondendum eſt ubi reformari recuſant, eo quod per diſpenſationes & modos vivendi hactenus a longinquo tentos facilius, ut dicunt procurantur res Religioni neceſſariæ, utputa potiſſimum in Ordine Mendicantium libri plurimi, & in omnibus Conventibus, & Monaſteriis multæ ad habitandum domunculæ, quinimmo aulæ plerumque magnæ, quæ vix aut nunquam procuratæ fuiſſent de communibus, ſed facilius ædificata a propriatis Monachorum, aut Fratrum pecuniis: ſimiliter de multis picturis, & de multis Sanctorum tabulis, & ſimilibus. Reſpondetur ſimpliciter negando totum, quia olim ante lapſum Ordinum, & hodie apud reformata loca talia pro quanto ſaltem Religioni congruunt copioſius procurata ſunt, & hodie procurantur facilius. Qui videt teſtimonium perhibet de iis, quo ad omnia pene apud quæ ſunt in Alemania reformata Monaſteria, ubi quotidie librorum coacervatur numerus, ædificia reficiuntur ruinoſa, quæ apud deformata corruunt Monaſteria, & favor accreſcit populi, augetur perſonarum valens numerus, & decor multiplicatur ſacrarum veſtium. Qui autem domumculas ad inhabitandum ſe erexiſſe gloriantur, ſi de hoc tacuiſſent, fortaſſis Philoſophi fuiſſent, quia per hæc omnis Religionis deſtructio ſuborta eſt. Nam in talibus privatis habitaculis fiunt comeſſationes, ebrietates, & rerum communitatis diſpendia, ubi quilibet non communia propriis, ſed propria communibus anteponit. Ibi inepta ſolatia, chori neglectus. Ibi decretationes, & contra Prælatum murmura, ſeminaria ibi inchoantur diſcordiæ, & conſpirationum vitia. Et utinam non plerumque ibi forent (ſi paries fodi deberet) fornicationes, & voti caſtitatis præjudicia. Hæ ſunt camerulæ, quæ in Monaſteriis nonnullis, jam commune deſtruxerunt dormitorium & regulare refectorium, cellas evacuant, & quod deterius eſt deſtituunt oratorium, quia omnes ibi quæ ſua ſint quærunt, non quæ Jeſu Chriſti. Ad nihilum ergo valent ſpeluncæ iſtæ latronum, niſi ut mittantur foras, & conculcentur per eos ad quos ſpectat. Audiatur prætereà Patrum ſanctorum ſententia de materia propoſita. Dicit n. ex ore Iſaac Caſſianus in Collationibus Patrum. Quicquid neceſſitatem victus quotidiani, & inevitabilem uſum carnis excedit ad ſæcularem diffinierunt curam & ſollicitudinem pertinere. Ut verbi gratia: cum duarum ſufficiat velamen tunicarum, trium, aut quatuor fieri procuramus. Cumque unius, ſive duarum ſufficiat habitatio cellularum ambitione ſæculari atque amplitudine delectati quatuor, ſeu quinque cellas, & has eaſdem exquiſiti ornatus & capaciores, quam uſus deſiderat extruimus. Quod non ſine inſtinctu

ctu dæmonum fieri manifeſtiſſima nos experimenta docuerunt. Er ponit ibi exemplum de ſanctiſſimo Patre, qui vidit fratrem pro curioſæ cellæ extructione lapidem duriſſimum dæmonis aſtantis inſtigatione dolare. Et cum ceſſare vellet frater, dæmon ignitis facibus eum reaggredi opus perſuaſit inviſibiliter. Tandem admiratus pater, cellam fratris intravit eique dixit. Quid operatus es? Reſpondit ille. Laboravimus contra duriſſimum ſaxum vixque potuimus illud aliquando conterere. Ad hæc ſenex. Bene dixiſti, potuimus, non enim ſolus eras, quando illud cædebas, ſed fuit alius tecum quem non vidiſti, dæmon tuus ad hoc violentus impulſor.

Decimumſextum Capitulum, quando objiciunt modum procedendi in reformatione ineptum: panditur quanta calliditate ſe palliare conſueverunt vitioſi, & hypocritæ, ſicut faciunt behemoth, lamia, draco, & hericius. Cap. XVI.

Ad ultimum quando in modo procedendi ad reformationem calumniantur deformitatem: cum enim quidam maligni per reformatores ſibi vident nihil aliud quam quæ in Regula & ſtatutis voverunt præcipi, & eis omnia ſuperiora ſolvuntur argumenta, eiſque charitativa in gravibus cæremoniis diſpenſatio danda promittitur, adhuc velut hericii callidi quibuſdam ſe veſtiunt objectionum neſcio quarum ſpinulis, quibus aut tempus ineptum eſſe pro reformatione dicant, aut reformatores inſcios eſſe terræ conſuetudinis autumant, aut ſæculares contra Clerum plus ſolito per reformationem concitari prophetant, aut Ordinem tendendi ad reformationem accuſant, aut alia figmenta cudunt, quæ & ſimilia inordinatos modos nuncupant. Quæ vix littera, aut recta ratio excogitare valeret in filiis lucis, quibus prudentiores ſunt filii hujus ſæculi, ſed in generatione ſua & peſſima, quam non ambigo periculoſius obſeſſa a dæmonibus, quam eos qui mania tenti vinculis ligantur ferreis. Talium callidorum hominum verſutiam B. Gregorius 33. Moralium ſquamis behemoth & draconum, naturæ lamiæ, & hericiorum aſſimilat. 26. & 27. Capitulis. Corpus, inquit, illius ſ. behemoth ſcuta fuſilia compactum ſquamis ſeſe prementibus fertur, quia draconis corpus ſquamis tegitur, ne citius jaculatione penetretur. Ita corpus omne diaboli, id eſt, multitudo reproborum cum de iniquitate ſua corripitur, quibus valet tergiverſationibus ſe excuſare conatur, & quaſi quaſdam defenſionis ſquamas objicit, ne transfigi ſagitta veritatis poſſit. Quiſquis dum corripitur peccatum ſuum magis excuſare appetit quam deflere, quaſi ſquamis tegitur dum a ſanctis Prædicatoribus gladio verbi Dei jaculatur. Sciendum tamen eſt, quod iſtæ defenſionum ſquamæ, quamvis pene omne humanum genus contegant, hypocritarum tamen ſpecialiter & callidorum hominum mentes premunt. Ipſi etenim culpas

ſuas

ſuas tanto vehementius confiteri refugiunt, quanto & ſtultius videri ab hominibus peccatores erubeſcunt. Corrupta itaque ſimulatio ſanctitatis, & malitia occulta reprehenſa, ſquamas objicit defenſionis, & veritatis gladium depellit. Unde bene per Prophetam contra Judæam dicitur Iſajæ 34. Ibi cubavit lamia, & invenit ſibi requiem: ibi habuit foveam hericius. Per lamiam ergo hypocritæ, per hericium vero malitioſi, qui ſe diverſis defenſionibus contegunt, deſignantur. Lamia etenim humanam dicitur habere faciem, ſed corpus beſtiale. Sic omnes hypocritæ in prima facie, quod oſtendunt quaſi ex ratione ſanctitas eſt, ſed beſtiale eſt corpus, quod ſequitur, quia valde iniqua ſunt, quæ ſub bona ſpecie moliuntur. Hericii autem nomine malitioſarum mentium deſignatur defenſio, quia videlicet hericius cum apprehenditur ejus caput cernitur, & pedes videntur & corpus omne conſpicitur, ſed mox ut apprehenſus fuerit ſemetipſum in ſphæram colligit, pedes introrſum ſubtrahit, caput abſcondit, & intra tenentis manum totum ſimul amittitur, quod ſimul ante videbatur. Sic nimirum malitioſæ mentes ſunt, cum in ſuis exceſſibus comprehenduntur. Caput enim hericii cernitur, quia quo vitio peccator ad culpam acceſſerit videtur. Pedes hericii conſpiciuntur, quia quibus veſtigiis nequitia ſit perpetrata cognoſcitur. Et tamen adductis repente excuſationibus malitioſa mens introrſus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis ſuæ veſtigia abſcondit. Caput ſubtrahit quia miris defenſionibus, nec inchoaſse pravum aliquod oſtendit, & quaſi ſphæra in manu *tenentis* remanet. Hæc ille. Ex præmiſſis ergo ſolutionibus patet, quam incaſſum ſæculi hujus homines moveantur contra lucis filios per argumenta callida. Quo contra Apoſtolus clamat. *Nolite conformari huic ſæculo.*

TRA-

TRACTATUS JOANNIS GERSONII ADVERSUS PROPRIETARIOS REGULÆ SANCTI AUGUSTINI.

PRÆLOQUIUM.

IN ſecundo operum Joannis Gerſonii volumine editionis Pariſienſis habetur tractatus adverſus illos, qui Regulam D. Auguſtini profitentes peculia privata retinent, quos *proprietarios* Auctor appellat. Elias Dupin (in hiſt. ſæcul. 15. tom. 1.) Gerſonio abjudicat ejuſmodi opus. Ut ut ſit, compertum eſt partum eſſe Scriptoris ſæculi quinti-decimi, & Gerſonio ſuppatis; quod ſatis eſt, ad communem ſuper hac de Monachorum peculio controverſia traditionem confirmandam illuſtrandamque.

PRIMA PARS.

ZElus domus tuæ, Auguſtine Pater, amicorum ſalus, obſequium, debitum ſinceraque dilectio, adverſus proprietarios Regulæ tuæ profeſſores, & proprietatis defenſores amicitia junctos, ſuadet fraternus amor tricuſpide ferrum jacere, non ut lædat, ſed ſuadeat tutiorem viam veritatis. Impugnabitur ergo proprietas primo loco, per ipſam Regulam Auguſtini ſolito voto promiſſam. Secundo, per auctoritatem Scriptutæ Sacræ, & Canonum. Tertio, diſſolvendo pro viribus illorum rationes, quatenus vepribus proprietatis excuſſis radicitus; vos amici, quorum occaſione hæc tracto, juxta vocationem veſtram, & Regulam, ſicut *in unum eſtis congregati, unanimes habitetis in domo Dei, & ſit vobis cor unum & anima una, & omnia communia, nec ſint ſchiſmata* inter vos, quæ propter meum, & tuum oriuntur. *Charitas enim* (dicit Regula veſtra) *non quærit quæ ſua ſunt, ſed communia propriis anteponit, non propria communibus*. Et quanto amplius rem communem, quam propriam curaveritis, tanto vos amplius proficere noſcatis, ut in omnibus quibus utitur tranſitoria neceſſitas ſupereminear, & permaneat caritas. Quoniam *innocentes* (dicit Pater Auguſtinus) *non eſtis, ſi tacendo fratrem perire*

finitis; fraternum enim vulnus crudeliter diſſimulatur, nec ſine animæ periculo miſericorditer indicatur. Proprium ſiquidem habere prohibet Auguſtinus alumnis ſuis in Regulæ exordio, quo magis caritatem, & pacem oſtenderet finem eſſe Religionis inter Fratres cum dicit: *In unum eſtis congregati, ut unanimes habitetis in domo & ſit vobis cor unum & anima una in Domino,*

Sequitur: *Et non dicatis aliquid proprium:* gravius autem peccatum eſt facere, quam dicere, cum exterius opus malitiam ſuperaddat interiori, ut furari, occidere & mœchari, gravius quam dicere, aut proponere in mente: ergo ſi prohibet expreſſe verbum proprietatis, a fortiori & factum. Nam dictum nequitiam non habet aut bonitatem, niſi ſit ſignum rei cujus eſt dictum, ergo ſi prohibet dicere quicquam proprium, magis prohibet habere illud.

Secundo: mox ſequitur in textu Regulæ, quam voviſtis. *Et ſint vobis omnia communia.* Omne autem, ſecundum Logicos, eſt univerſale ſignum quod diſtribuit pro univerſis rebus generaliter quæ ſub poſſeſſione cadunt, cujuſcunque naturæ ſint, ſive ſint localia, ſive pecunia, vel aliud. Ergo falſificatur univerſalis iſta Regula in voti veſtri periculum per quodcunque particulare proprium; quia proprium & commune opponuntur.

Tertio: conſequenter in textu Regulæ ſubjungitur. *Et diſtribuatur unicuique veſtrum a propoſito veſtro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, ſed ſicut cuique opus fuerit.* Non dicit, viginti libras aut ſcuta, ſed tegumentum paratum, quod longe paucioris eſt occupamenti quam pretium ejus, nec conformius vitæ Apoſtolorum, a qua Regularis vita originem cepit. Nam ſequitur in Regulæ textu. *Sic enim legitur in Actibus Apoſtolorum, quod erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique prout cuique opus erat.* (Act. 4. 32. 35.) Non autem diſtribuebatur Apoſtolis, & eorum ſequacibus pecunia, ſed victus & veſtitus, ergo propoſitum confirmatur: nam pecuniale veſtiarium æqualitatem quam intendit Auguſtinus corrumpit. Patet, ſi contingat ſenem fratrem & debilem, cui opus eſt amplius veſtimenti quam ſano, prodigum fore ſui veſtiarii, & liberaliter ſupra modum in commeſſationibus exponere, quod in tegumento convertendum eſt, talis ſenex infirmus male veſtietur, & juvenis fortis non prodigus melius ipſo induetur contra intentionem Auguſtini.

Quarto: arguitur per topicam Regulam: Si quod minus videtur ineſſe ineſt, & illud quod magis. Proprium ergo habere tolerabilius eſſet in novitiis Ordinis, quam ſenioribus, propter imperfectionem eorum; ſed „ illis prohibet Regula quicquam retinere de ſæculo dicens: „ Qui ali„ quid habent in ſæculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium, libenter il„ lud velint eſſe commune, qui non habent non quærent in Monaſte„ rio. „ Ergo ſi quod de ſæculo affertur in Monaſterio, eſſe commune opor-

oportet ; a fortiori illud , quod de Monaſterio eſt, ſimiliter & redditibus communibus. Demum ſi in commune reponere habent, & proprium vitare noviter ingreſſi, a fortiori etiam ſeniores illis, quorum dicitur eſſe ſtatus, & vita perfectior. Et in ſignum hujus eis reverentia exhibetur a minoribus Ordinis. Retinere ergo non licet proprium his qui habuerunt in ſæculo; neque non habentibus in ſæculo, in Monaſterio quærere permittit Auguſtinus. Ergo omnibus jubet proprium non habere, quia omnes, qui ingreſſi ſunt, aut habuerunt, aut non. Si primum, relinquendum eſt, ſi ſecundum, non eſt quærendum : ergo nullo modo retinendum, quatenus hac arte & modeſtia divites humilientur, & pauperes non inflentur.

Quinto : edocet Auguſtinus quantum ſibi cordi fuerit commune caritatis inter fratres, & abominabile proprium diſſenſionis & brigæ fomes ; quia de hoc primo loco tractare incipit in Regula , uſque ad locum de oratione : non neſcius, quomodo proprietas ſchiſmata facit, unanimitati adverſatur & paci, quibus opus eſt orantibus, teſte Hugone *in expoſitione Regulæ. Non prodeſt*, inquit, *una domus ſi ſeparat diverſa voluntas, quoniam longe major unitas animi quam loci ; habitus & convictus cordis quam corporis*. Caritas autem eſt , quæ habitare facit unanimes in domo, & pacem veram tribuit. Orationem quoque exaudibilem facit , nec quæ ſua ſunt quærit, ſed quæ Jeſu-Chriſti. Hinc etiam Fratres monet ibidem, ne ſapientes ſint in oculis ſuis, opinionis propriæ defenſores, aut concordiæ turbatores. Si ergo concordiæ adverſatur propria voluntas ; ergo etiam propria ciſta, aut burſa non convenit communi caritati, quia illa communia propriis anteponit.

Sexto : ubi de Oratione, Jejunio , & Lectura prandii mentionem facit Auguſtinus in Regula , conſequenter de cibo infirmorum ſpecialiori loquens quam ſanorum, inquit, *Etſi eis qui ex moribus delicatioribus venerint ad Monaſterium , aliquid veſtimentorum , aut alimentorum datur quod non fortioribus, &c.* Fruſtra nempe dari diceret, niſi hos nihil habere, unde hæc comparantur intenderet.

Septimo : idem facit ſed implicite, cum prohibet, non figi oculos in viſa muliere : *Nec dicatis*, inquit, *vos habere animos pudicos ; ſi oculos habetis impudicos*. Ergo cum pari voto promittitur pauperras , ſicut caſtitas, abjicienda eſt a manu omnis proprietaria poſſeſſio , ſicut ab oculo omnis fœminæ dilectio carnalis; quia oculus & manus in iſtis ſe habent conformiter, & utrumque eſt reverti ad vomitum , hic in viſibilibus carnis, illic in opibus ſæculi coram juſto judice. Et ſequitur in Regula. *Hoc*, inquit, *quod dixi de oculo non figendo , etiam in cæteris prohibendis obſervetur cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Convictus autem ſi recuſaverit ferre vindictam, privetur a conſortio Fratrum*. Confirmatur, quia plus eſt rem illicitam tangere, quam videre tantum , & adhuc amplius poſſidere, & ad nutum habere voluntaris quam tangere aut

 velle.

velle. Ergo ſi in voto caſtitatis prohibetur oculus figi in fœminam, quare non in voto paupertatis prohibetur etiam propria poſſeſſio? Non enim mimis ſcandalizat apoſtaſia ſeu tergiverſatio ſecundi, quam primi in conſpectu hominum.

Octavo: non aliter ſapit venerabilis Hugo in expoſitione. *Et non dicatis aliquid proprium. Non dicimus*, inquit, *quicquam meum aut tuum, ſed noſtrum, ut dicatur cappa noſtra, veſtis noſtra, graphium noſtrum; ſic domus, Eccleſia & clauſtrum, omnia in communi habenda ſunt. Carnales ſunt Fratres qui communia dividunt; ſpirituales qui diviſum in communi reponunt. Ergo ſi volumus hæreditate poſſidere Dominum, nihil habeamus, ait, præter ipſum.* Quoniam *ſi aurum, argentum, vel quid aliud, cum Chriſto quæritur* (dicit Hieronymus) *cum iſtis, & ſimilibus propriis pars fieri dedignatur Deus.* Apoſtoli imitemur ſententiam: *Habentes alimenta, & quibus tegamur*, &c. (1. Tim. 6. 8.) Quippe tribus Levi non habuit partem in terra.

Nono: in expoſitione Regulæ. *Et diſtribuatur unicuique prout opus fuerit.* Dominus ordinavit Eccleſiam, ut plerique ſpiritualibus, cœteri autem temporalibus vacarent. Præpoſitorum officia ſunt ſubditis corporalia miniſtrare. Subditorum vero, ſpiritualibus inſiſtere, orationibus videlicet, contemplationi, & lectioni. Ergo confunditur Religio, cum quiſque proviſor efficitur neceſſitatis, & communis Magiſter veſtiarii tollitur.

Decimo: quia veſtiarium æqualiter diſtributum contrariatur Regulæ dicenti; quod *non æqualiter eſt omnibus tribuendum, quia non æqualiter valent omnes. Pluribus enim indiget æger quam ſanus, & ſenex quam juvenis.* Ita enim ſervanda eſt naturæ neceſſitas ut non intereat corpus, ſed ſerviat, & non ſuperbiat.

Undecimo: per eundem venerabilem Hugonem *in expoſitione hujus paſſus: Et qui aliquid habebant in ſæculo, libenter illud velint eſſe commune. Duo enim ſunt, quæ relinqui oportet propter Deum, facultas ſcilicet poſſidendi, & voluntas habendi, juxta Domini ſententiam,* (Luc. 14. 33.) Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. *Non enim ſufficit exteriorem relinquere ſubſtantiam, niſi interiorem reſcindamus concupiſcentiam; alias eſſet renunciatio vocalis tantum, & hypocriſis; diſſimulatio facta coram hominibus, non coram Deo, qui novit abſcondita cordis.*

Duodecimo: Hugo exponendo hunc paſſum, *unanimiter vivite*, ſic inquit: *Paupertas & humilitas generant caritatem inter Fratres. Caritas vero nutrit & fovet unanimitatem concordem & pacem.* Ergo per locum ab oppoſitis poſſeſſio & ſuperbia diſcordiam & jurgium, ut cum unus eſt altero ditior, conſequenter ſuperbior & infeſtior. Deſpectores enim ſunt & injuriatores divites, ut dicit Ariſtoteles 4. Ethic. & ſe dignificantes ſuper alios, quo deperit confeſtim fraternitatis unitas, & per conſequens caritas, devotio, & Religio.

De-

Decimo-tertio : inter occaſiones alias proprietatem inducentes, potiſſimum arbitror, fuiſſe humanum timorem deficiendi in neceſſariis tempore ægritudinis & ſenectutis, quoniam tunc opus eſt multo pluribus quam cum valemus. Nunquid autem tanta forſitan proviſio foret in Regula circa infirmos & debiles, niſi hanc ſollicitudinem a cordibus Fratrum intenderet Auguſtinus evellere? unde ſanos, ne moleſte ferant lautius ægros paſci, oſtendit feliciores eſſe, dicens : *Melius eſt minus egere, quam plus habere.*

Decimo-quarto : proprium Religioſorum Regularium impugnatur per illud Auguſtini in Regula : *Quicunque in tantum malum progreſſus fuerit, ut occulte ab aliquo litteras aut munus accipiat; ſi hoc ultro offert, parcatur illi, & oretur pro eo : ſi autem deprehenditur, aut convincitur, gravius emendetur.* Ubi Hugo, *Aliquid occultare*, inquit, *eſt ordinem infringere, & ſanctum propoſitum paupertatis.* Qui abſcondit, inquam, mortaliter peccat velut alter Giezi factus ſacrilegus. *Nobis*, ait, *convenit bene vivere, & bonum exemplum dare, & malam tollere ſuſpicionem.* Non eſt malum, quia munus, cum ut ſic ex amore procedit; neque quia cultellus aut hujuſmodi : ergo quia proprium. Conſequentia probatur, quia ei qui non feciſset votum paupertatis (utputa ſæculari) non eſset peccatum accipere & ſervare, ſicut Regulari. Niſi ergo pernitioſum eſset proprium ſaluti, non vocaret illud Auguſtinus grande malum, graviterque puniendum, etiam ſi ex dono vel munere procedat de propriis bonis ſæculi : quanto magis ergo, ſi ex impia voluntate ſervetur de bonis communibus?

Decimo-quinto : impugnatur proprietas per Regulam Beati Auguſtini, ubi dicit : *Veſtes veſtras ſub uno cuſtode habeatis, vel pluribus, ne a tinea lædantur. Cuſtodiri jubet veſtes*, dicit Hugo ibidem ; *propter duo. Primo, ne per incuriam a tinea lædantur : Secundo, ne Fratres quiſpiam illam quam habet veſtem propriam credat, ſi in proprio loco ſervaretur, puta in camera vel in ciſta ejus.* Ad exterminandam enim omnem proprietatem conſequenter dicit Auguſtinus in Regula : *Non ad vos pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, utrum illud, quod depoſuerat, an aliud recipiat, dum tamen unicuique, prout opus eſt, non negetur. Neque conqueratur, deterius ſe accepiſſe quam poſuerat; ſed magis probate*, inquit, *quantum vobis deſit in ſancto interiori habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.*

Decimo-ſexto : confirmatur exterminatio proprietatis, expoſitione Hugonis in Regulæ paſſu. *Diſcamus*, inquit, *Fratres ſuperflua reſecare, ut dum quod opus eſt non negatur, ultra quam opus ſit a nemine requiratur. Superflua quidem eſt ſecunda tunica, perfectioni euangelicæ contraria* (Matth. 10. 10. Luc. 9. 3.) *Neque duas tunicas habeatis. Et intellige per tunicam unam, quantum ſufficit de veſtitu pro tegumento neceſſario unius. Superfluum eſt etiam hujuſmodi anhelare, ad quod non poſ-*

ſunt

Digitized by Google

ſunt pervenire cum ſalute. Nam voto paupertatis ſibi velle abſtulit & poſſe. Ad ſemel vero abjuratum velle anhelare, non minus ridiculoſum eſt, quam ſi quis de Monacho ſtuderet non eſſe Monachus, aut de ſterili prolificus.

Decimo-ſeptimo: hoc idem vitium proprietatis condemnat Auguſtinus in Regula dicens: *Et ſicut paſcimini ex uno cellario, ſic induamini ex uno veſtiario. Unum & multa opponuntur* (4. Metaph.) Cum ergo jubeat unum & commune veſtiarium, ſequitur per locum ab oppoſitis, quod prohibet proprium & ſingulare multum. Videte ergo ſi votum ſervatis Regulæ, cum toties infringitis & tam expreſſe, non ſemel, ſed quotidie. Judicate, ſi ex uno veſtiario induimini eo modo quo paſcimini ex uno cellario, & ſi quæ ſervatis in veſtris cameris vel ciſtis, ſub communi ſint cuſtodia, ſicut vinum in penu, aut bladum in horreo. Quod ſi dixeritis, profecto diem negatis & experientiam oppoſitam, & contradictoria ſimul vera conceditis. Contra quas nil amplius diſputandum dicit Ariſtoteles, niſi tales aut in ignem projicere aut excæcare: quia idem & projicere & non projicere illis, excæcare & non excæcare. Negare ergo non poteſtis, quin promiſſam paupertatis fidem violetis, & ad vomitum revertimini poſſeſſionis derelictæ.

Decimo-octavo: Auguſtinus necdum contentus eſt commune eſſe veſtiarium, aut dona, ſeu munera parentum & amicorum; ſed etiam vult eſſe communia opera ſingulorum, quod eſt majus, dicens: *Nullus aliquid ſibi operetur, ſed omnia opera veſtra in unum fiant, majori alacritate, & ſtudio, quam ſi vobis ipſis faceretis. Caritas enim poſtponit propria communibus; immo propria neſcit. Et quanto amplius rem communem, quam propriam curaveritis, tanto amplius vos noveritis in Religione proficere; quoniam communia curare caritatis eſt meritoriæ; ſua autem propria, naturæ reciprocæ.*

Decimo-nono: probatur hoc idem per illud quod ſequitur in Regula. *Congruum eſt enim, ut qui filiis ſuis in Monaſterio conſtitutis aliquam contulerint veſtem, ſive quodlibet aliud inter neceſſaria deputandum, illud non accipiatur occulte, ſed ſit in poteſtate Præpoſiti, ut in rem communem redactum, cui neceſſarium fuerit præbeatur.* Major autem ratio communitatis videtur eſſe de bonis Eccleſiæ communibus, quam de ipſorum parentum donariis, quæ ex proprio proceſſerunt eorum. Ergo ſi proprium prohibet in ſecundis, ſequitur etiam quod in primis.

Vigeſimo: oſtenditur hoc ipſum per Hugonem exponentem hunc paſſum. *In communi omnium vita*, inquit, *cujuſmodi eſt Religionis converſatio, nihil licet recipi, nihil occulte retineri. Alias jam non eſſet cor unum & anima una, ſi non eſſent omnia communia; ubi autem omnia communia, nulla ſunt propria.* Dic mihi, quæſo, nonne Regulam Auguſtini vovisti? Nonne vitam Regularem ſecundum eam tenere promiſiſti? Nonne omnia prædicta dicit eſſe communia? Ergo neceſſario aut il-

lam

lam promiſſam non tenes votifragus, aut nihil penes & proprium habes; alias Regularis non es, ſed magis irregularis. *Cum enim nihil retinetur*, dicit Hugo, *proprium, avaritia reſtringitur, invidia relegatur, & omne fomentum diſcordiæ ſuperfluum reſecatur, unanimis connutritur, & paupertas devota cuſtoditur. Et dum non licet terrena retinere, cogitur amplius cæleſtia cogitare, tractare, diligere; tanto minus enim ſuperna diligit quis, quanto magis in infimis delectatur.*

Vigeſimo-primo: proprietas repellitur Hugonis auctoritate. *Sunt*, inquit, *qui graviter turbantur inter Fratres, cum non licet donaria retinere parentum, amantes ſervare munuſcula ſuorum, & in proprio delectantur. Adeo enim ſæpe inardeſcunt vilibus, & parvis iſtis oblectamentis, ut eorum occaſionibus ſoleant turbare concordiam Fratrum, quod perſuaſione diabolica fieri dubium non eſt, qui in eo tentat in quo magis ſe prævalere recognoſcit. Propterea diligenter omnia terrena calcanda ſunt; quæ caritatem fraternam turbare poſſunt*, ut ſit laqueus contritus, & nos liberati ſimus.

Vigeſimo-ſecundo: ſuperaddit Hugo ſupra dictus, quod *Frater, qui munus acceptum celaverit, furti judicio condemnetur*. Parum dixi; immo certe ſacrilegio; quod pejus eſt, quaſi Judæ ſimilis factus proditori. Prodit enim Conventum ſuum, cum rem ejus communem Eccleſiæ de ſinu caritatis ſubtrahit in proprium uſum. Verius dixerim, prodit ſeipſum, cum retroſpicit ad objectum ſæculum, & Regulam violat & votum. Ergo ſi furtum committis ſecundum Hugonem ſervando ſæculare donarium; nunquid erit ſacrilegus, qui de communi ſacro proprium ſuum facit? In communi dederunt fundatores, & niſi in communi retinere potes cum ſalute.

Vigeſimo-tertio: lavacrum corporis infirmi, & lotionem veſtium curioſam prohibet Auguſtinus in Regula fieri, ſecundum proprium arbitrium Fratrum, ſed magis Præpoſiti; ut etiamſi nolit Frater, faciat jubente Præpoſito, quod illi expedit pro ſalute corporis. Et ſi velit, negante illo non faciat, ut non obediat ſuæ cupiditati. Cum ergo Beatus Pater Auguſtinus cum Regula vota, promiſſa maximus & primus ſit Præpoſitus poſt Deum, Regularibus filiis ſuis Canonicis præcipiens in tot locis, & paſſibus, omnia habere communia, & in proprio nihil; ſequitur, quod illi parendum eſt, & non propriæ laſciviæ: quoniam Hugone teſte, *non ornat nitor corporis aut veſtium: ſed morum, & ſpiritualis magis quærenda eſt munditia, quam corporalis*. Si ergo propria libido prohibetur in lotione veſtis aut corporis, ratione obedientiæ promiſſæ, quæ propriam abjecit voluntatem; quare etiam non prohiberetur proprietas pecuniæ & jocalium, repugnans voto paupertatis, caritatiſque fraternæ? Multo minus rationabile videtur in forenſibus & alienis proprium licere, cujus modi ſunt fortunæ bona in ciſta, aut in camera ſervata, quam in propria corporis ſanitate, longe magis neceſſaria; ſed in illa ſecunda propria volun-

luntas prohibetur & auſertur, ut dictum eſt. Ergo ſimiliter & in prima.

Vigeſimo-quarto: arguitur per illud in Regula Auguſtini de ægrotantium cura, laborantium & debilium vel ſenum, quæ alicui eſt Fratrum injungenda, ut petat de Cellario quod cuique opus eſſe perſpexerit. Quandoquidem ergo neceſſitates petendæ ſunt de communi Cellario: ergo ſi non ſit opus proprio pro neceſſitates infirmitatis, multominus tempore ſanitatis.

Vigeſimo-quinto, arguitur per eundem Auguſtinum ibidem. *Sive*, inquit, *qui cellario, ſive qui veſtibus, ſive qui codicibus ſcribendis præponuntur, ſine murmure ſerviant Fratribus ſuis*. Proprium ergo veſtiarium tolerare, aut perpeti, eſt Regulam interimere promiſſam, quæ communem ſtatuit Magiſtrum veſtiarii per expreſſum. Communis autem tollitur, cum quiſque pro ſe curam gerit, & per conſequens Regula corrumpitur, & frangitur videntibus, ſcientibus, & volentibus vobis ſingulis in grave diſcrimen ſalutis animarum veſtrarum. Regula ponit unum communem: vos autem proprios omnes. Dicite ergo, ſi Regulam promiſſam ſervatis?

Vigeſimo-ſexto: confirmatur hoc ipſum per illud quod mox ſequitur in Regula. *Veſtimenta* (inquit Auguſtinus) *& calceamenta, quando fuerint indigentibus neceſſaria dare non differant, ſub quorum cuſtodia ſunt quæ poſcuntur*. Ubi Hugo. *Miniſtrare debet Frater deputatus communi veſtiario ſine murmure*. Caveant ergo Fratres, ne nimis petant importune aut ſuperflue, nam quicquid ſuperfluum eſt, mortiferum eſt illis: nam unde pauperes erimus, ſi penuriam non habemus? Attendant, quod oblationes Fidelium ſunt quæ veſtiunt, & comedunt, ut formident populi peccata portare. Uſque ergo ad proviſionem calceamentorum Auguſtinus non deſcenderet, ſi quicquam Fratribus proprium conceſſiſſet.

Vigeſimo-ſeptimo: confirmatur per illud Auguſtini in Regula, *Lites autem nullas habeatis inter vos*, &c. Maximum autem fomentum litium eſt proprium, quæ fecuntur inter voluntates, teſte Seneca: *Felicem*, inquit, *dixerim humanam vitam, ſi hæc duo pronomina poſſeſſiva meum & tuum, tollerentur de medio*. Et in epiſtola 14. *Si vis vivere in pace, aut pauper ſis, aut pauperi ſimilis*. Rixa autem eſt inter competitores. Et Ethic. 5. *Brigæ & diſſenſiones ſunt inſtitutæ*. Et Boetius in tertio. *Unde forenſes querimoniæ, niſi quod vi vel fraude, a nolentibus pecuniæ repetuntur cupitæ?* Tolle proprium de Clauſtro, & lampades extinxiſti invidiæ, luxuriæ, rixæ, avaritiæ, cœterorumque defectuum.

Vigeſimo-octavo: arguitur per illud de Regula prope finem. *Ut autem cuncta iſta ſerventur*, dicit Auguſtinus, *& ſi quid minus ſervatum fuerit, non negligenter prætereatur; ſed emendandum corrigendumque curetur ab eo qui præeſt vobis. Ipſe enim quanto loco ſuperiore, tanto in periculo majore verſatur, niſi corrigat uſus manifeſtos & defectus patentes, quibus Regula corrumpitur & laceratur, in periculum ſalutis animarum*:

ra[illegible] *niam illius eſt reddere rationem pro ovibus*. Vovit Abbas vitam ſecu[illegible]n Regulam Auguſtini, & ſimiliter Fratres. Illa toties clamat, omnia ei[illegible] communia, unum cor, & animam, nihil habere proprium, commune veſtiarium; tamen contrarium agitur quotidie. Et quod deterius eſt, uſque adeo infecit hoc vitus cunctos, ut neminem conſcientia redormeat: nemo ex abuſuum vetuſtate doleat, aut pœniteat, quod indicium eſt obſtinationis & irremiſſionis periculum: quoniam qui conſcientiam remordentem non habet, minime pœnitet; ſi non pœnitet, non dolet, ſi non dolet, non conteritur; quod non conteritur, non confitetur uſque in finem vitæ.

Diſcrimen hoc commune eſt; ſed tamen primo capitis, & conſequenter membrorum capitis, quia Regulam promiſſam nec ſervat, nec ſervare cogit, juxta vocationis Officium, cujus eſt, ſecundum Auguſtinum: *Corripere inquietos, conſolari puſillanimes, infirmos ſuſcipere, & patientem ad omnes fore*. Membrorum autem, quia non tenuerunt promiſſam Regulam, pudet dicere; ſed veritas urget: ne in fermentum Phariſæorum deſcendatur vetendum eſt hodie, de quo ſcribitur: *Væ vobis*, &c. *Qui decimatis mentham, anetum, cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium, & miſericordiam, & Fidem*. (Matth. 23. 23.) Si brevis producitur, & longa corripiatur, ſi in notula cantus, ſi in lectura vocabulo titubatur, ſi rumpitur leviter ſilentium, ſi ceremoniæ reverentiales non ſervantur, ſi veſtes indecenter comptæ, ſi cæteriſque minimis defectus modicus committatur, corrigitur diligenter: quæ autem majora ſunt in corpore Regulæ promiſſæ, expreſſa tam frequenter, votaque tria concernentia, cujuſmodi ſunt ſuperbia, rancor, commeſſationes, luxuriæ, proprietas, avaritia, pretioſæ veſtes, vaſa argentea in camera, ceteræque curioſitates, proh dolor negliguntur! Tales increpans Chriſtus Prælatos, ubi ſupra, cœcos cœcorum duces appellat, *deglutientes camelum, & culicem excolantes*. (ibid. verſ. 24.)

Vigeſimo-nono: concluditur per Regulæ calcem, in quo dicit Auguſtinus: *Ut autem in hoc Libello tanquam in ſpeculo poſſitis ſuſpicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et ubi vos inveneritis, quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Deo bonorum omnium largitori. Ubi autem ſibi quicumque veſtrum videt aliquid deeſſe, doleat de præterito, caveat de futuro, orans ut ei debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen. Ideo autem legitur*, dicit Venerabilis Hugo, & *legi præcipitur ab Auguſtino ſeptimanatim, ut memoriter teneatur, & obſervetur diligenter*. Ex quo igitur Regula Beati Patris Auguſtini vobis ſpeculum eſt, o Regulares, tam frequenter vobis coram facie propoſita, quomodo *trabem in oculo veſtro non videtis*, qui *feſtucam* videtis *in alieno*. *Trabes enim*, ut dicit Chryſoſt. ſuper Matth. un. 3. *eſt peccatum Cleri, feſtuca autem ſæcularium*. *Ut cuncta ſerventur*, dicit Auguſtinus, *quæ in Regula ſunt, Regula legatur, & minus obſervatum non prætereatur, ſed corrigatur*. Quo animo ergo tanto

tempore diſſimulatis præterire commune veſtiarium, ut induamini ex uno veſtiario, ſicut veſcimini ex uno cellario. Negare non poteſtis, quin hoc voto promiſeritis ſolemni, quod in Regula legitis quotidie tot in paſſibus & locis. *Ante votum* (dicit Auguſtinus) *liberum erat reddere; ſed neceſſarium ſaluti poſt votum. Voto namque Conſilia vobis facta ſunt Præcepta, & libera neceſſaria. Aliquando ergo dolendum eſt de præterito commiſſo, & futurum cavendum, ut ſitis factores verbi, & non auditores tantum* (Jac. 1. 22.) *Quoniam ſi quis auditor eſt, & non factor, comparabitur Viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideravit enim ſe, & abiit & ſtatim oblitus ſui ipſius.* (Ibid. 23. 24.) Sic eſt audire quotidie in Regula legi (ſi tamen legatur) quod *vocati eſtis, & congregati, ut unanimes habitetis in domo,* quod *cor unum & anima una, & omnia ſint generaliter, & univerſaliter communia, & non dicatur aliquid proprium.* Quod *etiam donarium, aut paternum munus, vel litera non ſervetur, ſed probibeatur in communi; quod veſtes ſub uno communi cuſtode habeantur,* quod *induamini ex uno veſtiario, ſicut veſcimini ex uno cellario,* quod *nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera in unum fiant, quia quanto plus commune quam proprium curatur, tanto amplius in Religione proficitur.* Quod *Caritas quæ ſua ſunt non quærit, ſed poſtponit propria communibus.* Audire, inquam, hæc, ſed non facere; audire parum eſt, aut ſcire Regulam, niſi facere ſequatur. Servare denique obedientiam & caſtitatem non ſufficit, ſi paupertatem & abjectionem paupertatis neglexeris; quoniam Apoſtolo Jacobo teſtante, *qui in uno offendit, factus eſt omnium reus* (Jac. 11. 10.) Quinimmo quanto crebrius & ſæpius auditis, & non impletis, tanto culpabiliores eſtis. Quoniam (2. Petr. 11. 21.) dicitur: *Melius erat viam juſtitiæ non agnoſcere, quam poſt agnitam retrorſum converti.* Legitis ergo in ruinam veſtram, niſi vos præparetis ad emendationem, neque Regulares vocari meremini, aut habitum eorum gerere, ſeu de eorum bonis neceſſaria vitæ ſumere, juxta intentionem Fundatorum, niſi Regulam obſervetis pro viribus amodo in futurum, de præteritis pœnitentiam agentes. *Donet autem Dominus*, ut verbis utar Auguſtini, *ut obſervetis hæc omnia, proprium abjicientes, ut voviſtis, quicunque Regulares eſtis, tanquam concordiæ & pacis adverſarium. Vos quoque qui præeſtis, pro Dei miſericordia, cogitate animo devia reducere, & obliqua in directum, neque diſſimuletis ulterius. Non eſt enim grandis differentia, utrum letum inferas, vel admittas,* ait Symmachus Papa & Innocentius. *Error, cui non reſiſtitur approbatur; & veritas ſi non defenditur, opprimitur. Sanguinem ejus de manu tua requiram,* (Ezech. 3. 18. 20.)

Hæc de prima Parte ſufficiant, in qua Proprietas Regulæ Beati Auguſtini viſa eſt repugnare.

In ſecunda Parte videndum eſt qualiter proprietas impugnatur per ſacram Scripturam, & Canones; tam auctoritatibus, quam exemplis.

SE-

SECUNDA PARS
hujus Tractatus.

R*Eligioſorum ſtatus*, (dicit Sanct. Thomas 2. 2. q. 93.) *eſt perfectorum* ſicut & Epiſcoporum. Probatur auctoritate Salvatoris (Matth. 19. 21.) *Si vis perfectus eſſe, vende omnia, &c.* (Et Luc. 10. 42.) *Maria optimam partem elegit*. Ad vitam æternam ingredi volentibus, neceſſaria ſunt Præcepta; ad perfectionem conſilia. Hoc idem dicit Dionyſius (in 5. & 6. cap.) *Cæleſtis Hierarchiæ*: Monachos vel Therapeutas, id eſt, Deo famulantes, perfectos vocans. Conformiter etiam Paulus (Col. 3. 14.) *Super omnia caritatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis*. Unumquodque enim perfectum eſt, cum ſuo jungitur fini, quantum poſſibile eſt; hoc autem eſt per caritatem (1. Joan. 4. 16.) *Qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo*. Et Dionyſius *De divinis nominibus*, *Extaſim eſt faciens divinus amor, tranſponens totaliter amantem in amatum*: ſane tamen intelligendum; totum enim & perfectum totalitate diligibile non diligitur niſi a ſeipſo Deus totalitate diligentis animæ, niſi a beatis: hoc eſt toto affectu ſemper in Deum tendere, ſed bene totalitate viatoris, qui in affectu nihil habet, non ſolum repugnans caritati, quod eſt peccatum, quoniam hoc etiam incipientibus & proficientibus convenit; ſed etiam impeditivum ejus; ut ſunt ſollicitudo, cura temporalium, poſſeſſiones, divitiæ, propria voluntas, conjugium & hujuſmodi, quæ abjiciuntur Religionis voto. Nam teſte Auguſtino *venenum caritatis eſt cupiditas*. Hinc in Collationibus Patrum, inquit Abbas Moyſes: *Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, & privatio facultatum, non perfectio; ſed perfectionis inſtrumenta ſunt; nec in ipſis conſiſtit diſciplinæ finis, ſed per illa devenitur ad finem, quia non omnis Religioſus perfectus eſt, ſed tamen perfectum habet ſtatum.*

Præcepta removent quæ caritati ſunt contraria; Conſilia autem impedimenta actus ejus. Dicit Auguſtinus in Enchiridio. *Quæcunque mandat Deus, quorum unum eſt, non mœchaberis, & quæcunque non jubet, ſed admonet potius Conſilio, quorum unum eſt bonum homini mulierem non tangere, tunc recte fiunt cum ad caritatem ordinantur, quia mox unitur quis Deo* (1. Tim. 1. 5.) *Finis Præcepti caritas*. Præcepta (ut ait Hieronymus ad Demetriadem virginem) *& prohibitiones, de neceſſitate ſunt ſalutis, ut, colere Deum & ſabbatum, non occidere, non mœchari, &c. quia mala prohibentur, & præcipiuntur bona pro illa. Sed Conſilia, de conceſſis ſunt & licitis, ut eſt libertas voluntatis, uſus carnis in conjugio, poſſeſſiones, & divitiæ* (1. Cor. 7. 20.) *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*. Ad horum abſtinentiam votò ſe aſtringit Religionis perfectio, quo perfectius vacetur Deo ad augmentum

Vuu 2 meri-

meritorum, victoriam tentationum, & majorem unionem cum Deo. Hinc Iſidorus (de ſummo bono) *Recedere*, inquit, *bonum eſt corpore, ſed longe melius voluntate.* Et Anſelmus (in Lib. de ſimilitud.) ponit de homine ulceribus & arenulis pleno, qui ſe ligari facit ut ſecetur & ſanetur. Et Gregorius ſuper Ezechielem: *Sicut holocauſtum eſt perfectius Legis ſacrificium, quia totum incenditur; ſic qui nihil reſervant, ſed ſenſum, linguam, atque ſubſtantiam Omnipotenti immolant ſolemni voto, ut Deo totaliter ſe mancipent, perfectiorem habent ſtatum, cujuſmodi eſt Religio. Finis ſiquidem Religionis perfectio caritatis, cujus ſunt impedimenta tria, quæ abjiciuntur voto; libertas ſui, poſſeſſiones & divitiæ, & carnis voluptates licita ſecularibus, & prohibita Religioſis: quatenus per abſtinentiam horum promiſſam, operam dent caritati perfectæ.* Confirmatur idipſum a Sancto Thoma, ubi ſupra. *Status*, inquit, *Religionis, eſt quoddam exercitium, & diſciplina, qua ad perfectum itur caritatis.* Ad hoc autem neceſſarium eſt, amore mundalium affectum divertere, ut patet per Auguſtinum (Lib. 10. Conf.) *Minus te amat*, inquit, *Domine Deus, quicunque præter te aliquid amat.* Et (Matth. 6. 24.) *Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ.* Et Joannes in Canonica: *Fratres nolite diligere Mundum, &c.* Quoniam *qui diligit Mundum non eſt caritas Dei in eo.* Et Gregorius (in homil.) *Tanto*, inquit, *quiſque minus ſuperius diligit, quanto magis inferius delectatur.* Amor ergo, ſive concupiſcentia carnis & oculorum & ſuperbia vitæ, præpediunt perfectionem caritatis Dei & proximi, trahuntque hominem inferius. Sed per oppoſitum, paupertatis votum, caſtitatis quoque & obedientiæ, tendit ſurſum in Deum, veluti nihil inferius habens, quod delectet.

Paupertatem commendavit Chriſtus caput Eccleſiæ naſcendo (Luc. 11.) quoniam a paupere Matre Virgine naſcitur in ſtabulo, pannis involvitur, & reclinatur in præſepio, in omni denique vita ſua relucet paupertas. Nihil poſſidere in proprio commendat vetus Teſtamentum. (Num. 18. 20.) dixit Dominus ad Aaron: *In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Nimis avarus eſt* (dicit Auguſtinus) *cui infimis pars fieri dedignatur.* Et Ambroſius: *Hi apti ſunt ad Regnum cælorum, qui nullis cupiditatibus occupantur, ſed ad futura feſtinant promiſſa vitæ cæleſtis.* Et Gregorius: *Illic cupit animus aſſiſtere, ubi ſe ſperat ſine fine gaudere: & ad magna præmia perveniri non poteſt, niſi per magnos labores.* Si propter te Dominus ſuæ renuntiat Matri, cum dicit: *Quæ eſt Mater tua, & qui ſunt fratres mei?* (Matth. 12. 48.) Cur tu Domino tuo cupis anteferri? Unde juveni quærenti, quo pacto vitam haberet æternam, reſpondit veritas: *Si vis* (inquit Matth. 19. 17.) *ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Rurſus, dicente juvene. *Hæc omnia feci a juventute*, verſ. 20. adjecit: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me* (verſ. 21.) Hoc ſummopere Clauſtralibus notandum.

dum. Non enim ait Dominus, manduca, quieſce, dormi, fruere deliciis, & honoribus mundi, theſauros habeto, vaſa argentea, jocalia, &c. ſed dicit, *vende omnia;* non partem, ſicut Anania, & Saphira, ſed *omnia* tua, ſupple quæ habes juſto titulo: nec ait, da proximis; ſed *pauperibus*. Nec attendendum dicit Auguſtinus, quibus Monaſteriis aut indigentibus hoc feceris, quoniam omnium Chriſtianorum res una publica eſt. Audiant pauperes & lætentur, quæ ſit pars hæreditatis eorum. *Beati* (inquit Chriſtus Matth. 5. 3.) *pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*. Econtra Paulus (1. Tim. 6. 10.) *Radix*, inquit, *omnium malorum eſt cupiditas*. Hac cupiditate plus habendi quam opus eſt ſecundum gloſſam Magiſtri, & Diabolus cecidit de Cœlo in Infernum, & Parentes noſtri primi de Paradiſo in exilium. In Græco autem habetur; *radix omnium malorum philargyria*, id eſt, amor pecuniæ. Scribitur etiam: *Avaro nihil eſt ſceleſtius* (Eccl. 10. 9.) Et Apoſtolus ubi ſupra. *Quam quidam*, inquit, *appetentes erraverunt omnino a Fide*, Chriſtum deſerentes, quia in duobus locis non poteſt affectus noſter partiri deſiderium ſuum. Breviter, diverſis in locis Sacra Scriptura laudat & approbat voluntariam paupertatem. In Religione ergo, quæ eſt domus Dei, abjicienda eſt omnis negotiatio, & proprietatis poſſeſſio. *Non ſit* (inquit Hieronymus) *in domo Orationis, negotiatio, non poſſeſſionum amor, non cupiditas, ne ingrediatur Jeſus iratus ſpeluncam latronum, & menſam ſubvertat vendentium in hora noviſſima mortis. Multi* (inquit Origenes) *ſunt in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, non ſpiritualiter, ut promiſerunt, viventes, ſed carnaliter; magis vendentes & ementes, qui rarius Orationi debitæ vacant, ſæcularibus intenti, & dediti in negotiis.*

Hactenus proprietas colliſa lapidibus ſacræ Scripturæ: ſupereſt eam per Canones ſacros impugnare, extollendo voluntariam paupertatem.

Clemens IV. (12. q. 1. can.) *Dulciſſimis*, &c. dicit: *Communis vita omnibus neceſſaria eſt, Fratres, maxime his qui Deo irreprehenſibiliter cupiunt militare, & vitam Apoſtolorum imitari. Communis enim uſus omnium quæ in mundo ſunt omnibus eſſe debuit, ſed per iniquitatem alius dixit hoc eſſe ſuum, alius iſtud, & ſic inter mortales orta eſt diſſenſio. Denique Græcorum quidam ſapientiſſimus*, omnia communia eſſe amicorum *dixit: Et ſicut aer*, ait, *aut lux ſolis, dividi non poteſt aut mediari, ita nec cetera quæcunque communia quæ data ſunt omnibus ex natura. Propter quod Dominus ait per Prophetam;* Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare Fratres in unum (Pſal. 132. 1.) *Et Apoſtoli, communem in unum duxerunt vitam: quoniam ut in eorum Actibus dicitur;* Multitudinis credentium erat cor unum & anima una; nec quiſquam aliquid dicebat ſuum, nec erat egens inter eos. Omnes qui domos vel agros poſſidebant, venditis illis, offerebant pretium ante pedes Apoſtolorum (Act. 4. 32.) *ſicut quidam veſtrum cognoverunt & viderunt nobiſcum. Ananias autem vir auſterus, & Saphira uxor ejus, quia mentiti*

titi ſunt, nobis præſentibus corruerunt. Sequitur: *Quapropter vobis cavenda mandamus, & vobis obedire præcipimus doctrinis Apoſtolorum & exemplis, ut ab Apoſtolicis Regulis non diſcedatis, ſed communem vitam ducentes adimplere ſatagatis.* Ibidem ſtatim allegatur poſt Hieronymus ad Nepotianum; *Clericus interpretetur vocabulum ſuum, & eſſe nitatur quod dicitur, Cleros, Græce, ſors eſt, Latine; quia Dominus pars ejus, & de ſorte Domini ſunt. Talis ergo eſſe debet, ut poſſideatur a Domino, & poſſideat ipſe Dominum: quod ſi quiſpiam præter Dominum poſſideat, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia; ſi aurum, ſi ſupellectilem, cum iſtis non dignatur Dominus fieri pars ejus. Hinc Levita non accepit partem in terra, ſicut ceteræ Tribus.* Ambroſius conſequenter (de fuga ſæculi) hoc in loco inducitur. *Cui,* ait, *portio eſt Deus, nihil curare debet niſi Deum, ne alterius neceſſitate & ſollicitudine impediatur.* Auguſtinus in eodem loco. *Nolo* &c. *Duæ res in vobis pollere debent, conſcientia ſcilicet, & fama. Conſcientia eſt neceſſaria tibi; fama proximo tuo.* Sequitur paulo poſt: *Nulli licet in ſocietate noſtra aliquid habere proprium, & ſi qui habuerint, faciunt quod non licet.* Sequitur; *Qui habent proprium vel habere volunt, aut de proprio vivere contra præceptum, non mecum manebunt in ſocialem vitam: Malo habere claudos, quam plangere mortuos.* Ex Concilio Lateranenſi (extra. cap. 2. de ſtatu Monachali.) *Monachi non pretio recipiantur in Monaſterio, nec permittantur habere peculium. Peculium habere,* ut dicit Magiſter Gerardus Magnus, in Tractatu (de propriet. Monach.) *Non eſt habere principale dominium in re ipſa, ſed ut ſervus ſub Domino, ſub Patre filius, ſub Abbate Monachus, ex licentia ipſorum, ſub quibus ſunt. Et tamen hoc nunquam Monachis conceditur, ſecundum gloſſam Innocentii, qui eſt lucerna juris, niſi pro adjuncta adminiſtratione: ut ſi fuerit veſtiarius, Eleemoſynarius, vel Theſaurarius, vel hujuſmodi commune habens Officium deſerviens utilitati communi Eccleſiæ, ut fidelis ſit & prudens diſpenſator, non quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ omnium. Qui autem peculium habuerit, niſi ab Abbate fuerit ei pro injuncta adminiſtratione permiſſum, a Communione privetur Altaris. Et qui in extremis cum peculio fuerit inventus, & digne non pœnituerit; nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres habeat ſepulturam. Quod de univerſis Religioſis præcipimus obſervari. Abbas autem qui diligenter iſta non caverit, Officii ſui jacturam noverit ſe incurſurum.* Conſequenter Clemens III. paulo poſt, ſuper quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens, licèt a Priore ſuo monitus, proprium quod contra Regulam latenter habuerat noluit reſignare, & ſic diem clauſit, & fuit inter Fratres traditus ſepulturæ. Et infra. *Inquiſitioni tuæ reſpondemus, quod ille Canonicus non tantum fuerat Chriſtiana ſepultura privandus; verum etiam ſi ſine maximo ſcandalo fieri potuit, de ipſa projici dignus eſt Eccleſia.* Item ibidem Innocentius III. Abbati & Conventui Sublacenſi, *Cum ad Monaſterium* &c. *Firmi-*

Digitized by Google

ter inhibemus, ne quis de cetero Monachorum lineis camiſiis utatur. Prohibemus diſtricte ſub atteſtatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquid poſſideat, ſed ſi quis aliquid proprium habet, totum incontinenti reſignet. Et infra. *Si Proprietas* &c. *apud quenquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterretur, ſecundum quod Beatus Gregorius in Dialogis ſe narrat feciſſe. Unde ſi quicquam alicui fuerit deſtinatum, non præſumat illud accipere; ſed Abbati, aut Priori, aut Cellario aſſignetur.* Sequitur in fine: *Nec aſtimet Abbas, quod ſuper proprietate poſſet cum aliquo Monacho diſpenſare, quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo ſunt annexæ Regulæ Monachali, ut circa eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere. Quod autem votum ſolemne Religionis indiſpenſabile ſit, patet Levitici ultimo,* ubi dicitur: *Quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios uſus commutari. Nec facere poteſt Prælatus, quin Deo conſecratus per votum Religionis obligetur ad hoc quod vovit.* Idem ſentit Bernardus in Libro de Præcepto & Diſpenſatione. *Quicquid,* ait, *in ſpiritualibus in Regula eſt traditum, in manu non relinquitur Abbatis.* Et paulo poſt: *Neque enim Abbas ſuper Regulam eſt, cui ſemel etiam ipſe ſpontanea profeſſione ſe ſubjecit, & devovit.* Votum etiam paupertatis, indiſpenſabile oſtendit Sanctus Thomas (2. 2. q. 89.) *gravius enim,* ait, *eſt quam perjurium, votum fractum, ex eo quod Deo ſoli votum fit, & promittitur. Juramentum autem Deo & hominibus: Secundo: quia votum obligat ex fidelitate reddendi Deo promiſſum; juramentum vero ex reverentia veritatis, quæ eſt ipſe. Gravior eſt autem infidelitas, quam irreverentia. Ergo* &c. Et confirmatur per eundem *in eodem Libro in materia de voto,* ubi dicitur, *quod ſi votum fiat ſolemne etiam de impoſſibilibus, verbi gratia, peregrinatio ægrotis, eleemoſyna pauperibus & hujuſmodi; nihilominus debet ſemper haberi promptitudo voluntatis, quoties occurrit memoriæ, & facere quod in ſe eſt. In his etiam quæ per ſe mala ſunt, & bene fieri nequeunt, diſpenſatio non cadit,* ſecundum Bernardum in Epiſtola ad Adam Monachum, & in libro de Præcepto & diſpenſatione. Cujuſmodi eſt habere proprium Monacho, qui ad non habendum ſe aſtrinxit per votum Religionis. *Proprium,* inquit, *poſſidere homini ſæculari licitum eſt, Monacho autem purum malum. Nam ubi proprietas, ibi ſingularitas,* ut dicit Bernardus ad Carthuſienſes; *ubi ſingularitas, ibi angulus; ubi angulus, ibi ſordes; ubi ſordes, ibi rubigo & diviſio.* Benedictus XII. *Illis,* inquit, *quibus incumbit onus de veſtiariis, calceamentis & aliis corporis neceſſariis providendi; ſtatuimus ut hoc decenter faciant tempore congruo, juxta ſuppetentiam facultatum, & conditionem Religionis:* Et ſequitur modus; *Et illud quod erit dandum ſingulis Canonicis pro veſtiario, taxetur in annuali. Non eſt intelligenda hujuſmodi taxa in pecuniis dandis cuilibet ſingillatim; ſed magis ſecundum literam Regulæ Magiſtro veſtiarii, qui* de-

debet iſta providere in communi, pro omnibus illis, inquam, quintus incumbit onus de veſtiariis & calceamentis &c. *Nam diſtributa cuilibet portione pecuniæ, ut iſti falſo opinantur; ſequitur, quod nulli incumbit onus iſta providendi in communi pro ſingulis. Et hoc de anathemate Jericho aliquid cum Acham reſervare; Achan, id eſt, pervertens promiſſum votum; tria de anathemate prohibito* (contra Deum) *furatur, regulam auream, pallium coccineum, & trecentos argenteos*, id eſt, *propriam voluntatem, carnis voluptatem, & divitias ſæculi. Tot enim modis Religionis frangitur Sacramentum; ſed non eſt tacenda punitio huic ſceleri inflicta. Mox enim derelicti ſunt filii Iſrael a Domino, & proſtrati ab hoſtibus urbis Hai*, id eſt, *a vitiis cunctis deducti in præcipitium morum. Cum autem fleret Joſue ſtragem iſtam, ait Dominus illi*: (Joſue 7. 11. 12.) Peccavit populus Iſrael, & prævaricatus eſt pactum meum, tuleruntque de anathemate & furati ſunt, & mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua: nec poterit ſtare ante hoſtes ſuos; quia pollutus eſt anathemate; & non ero ultra vobiſcum, donec conteratis eum, qui hujus ſceleris reus eſt. *In quo innuitur, quod Dominus in totam Eccleſiam iraſcitur propter unum proprietarium, ut dicit Auctor Summæ vitiorum, propterea perſequendus eſt talis; ne propter unum cæteri patiantur omnes. Quoniam, ut ait Apoſtolus* (Rom. 1. 32.) Qui talia agunt *ſcelera, ſupple, prius enumerata*, digni ſunt morte; non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus (diſt. 83.) dicit Simmachus Papa in Decretis. *Non eſt grandis differentia an letum inferas vel admittas*. Et Innocentius ibidem. *Error, cui non reſiſtitur, approbatur*. Pius etiam Papa: *Quid prodeſt ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti*? Et Ambroſius (in lib. de Patient.) inquit. *Qui a ſocio, ſi poteſt, injuriam non repellit, tantus in vitio eſt, quantus ille qui facit: formidanda ſententia Religioſis quæ ſequitur* (Joſue 7. 13.) Anathema, id eſt proprietas, in medio Iſrael: *id eſt, contemplativorum*. Non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec conteratur qui contaminatus eſt hoc ſcelere &c. *Sequitur in fine Capituli. Et lapidavit Achan omnis multitudo* filiorum *Iſrael*: & cuncta quæ contulerat de anathemate, igne conſumpta ſunt. *Potius proprietarius in ſæculo conteratur lapidibus correctionis, & cremetur facibus caritatis & zeli Dei, quam poſt mortem ſuppliciis diſſimulando deputetur æternis. Scribitur ad propoſitum* (2. Machab. 12.) *quod cum corpora, quæ ceciderant in bello contra Gorgiam Idumæum, poſt diem ſeptimum Judas pararet ſepelire, invenit* ſub tunicis occiſorum de donariis Idolorum quæ apud Jamniam cœperant, *contra Legem, & eos comperit corruiſſe ob hanc cauſam. Si ergo Judæis viris popularibus tam gravis ultio contigit pro acceptis ſemel & retentis contra Legem eorum donariis, quid perfectis viris fiet pro tranſgreſſione votorum ſolemnium; nec ſemel, ſed per totam vitam? Apoſtaſia quædam eſt* (dicit Auctor Summæ vitiorum) *proprietas Monachorum, major quam relinquere habitum, aut exi-*

re metas Eccleſiæ præter Prælati licentiam : quia paupertas voluntaria magis eſt de ſubſtantia Religionis, quam habitus : Religio enim ordinatur ad perfectionem caritatis, quæ eſt amor Dei uſque ad contemptum ſui : habere ergo proprium, ut dicit Sanctus Thomas (2. 2. q. 186. art. 7.) *repugnat perfectioni Religionis. Voluntaria paupertas pacis eſt fundamentum*, ut dicit Aug. (in lib. 9. de Civit. Dei.) *Inter fratres*, inquit, *concors, & amica conſonantia caritatis fraternæ, cum nihil habet unus, quod non omnes*. E contrario inter proprietarios, rixæ quotidianæ, invidiæ, ſuſurratio, detractio, nulla pax, nulla caritas, nulla ſalus, opiniones & brigæ, adeo ut quicquid placet uni, diſplicet alteri. Hinc ſciſſuræ & diſcordiæ, inæqualitates in habitu & victu; hic abjecte, hic curioſe induitur; hic ut Dominus, ille ut ſervus; hic ut pauper, ille ut dives incedit; hic eſurit, ille ebrius eſt; hic aurum contra votum poſſidet, ille debitis multis obligatur; & omnia dilapidat & expendit : Et ſic fraudatur intentio Fundatorum, contemnitur Eccleſiæ inſtitutio, vilipenditur Euangelica inſtructio, negligitur propria ſalus, & lumen perfectæ Religionis (quondam in Eccleſia radians) pro majori parte modernis temporibus, proh dolor, obſcuratur, ne dicam extinguitur. Et hæc de ſecundo membro dicta ſunt.

TERTIA PARS hujus Tractatus.

Excuſſis utcunque telis duobus ex pharetra, incultius quam expoſceret ordo & dignitas materiæ, ſupereſt accedere ad tertium, in quo pro viribus refellendæ ſunt proprietariorum objectiones.

Primo ſiquidem loco, quodam palliamento fallere videntur dicentes, veſtiarium non eſſe proprium, ſed magis procuratio; quod abuſio eſt nominis : nam procurare eſt curare pro aliis, proprietarius autem pro ſe ſolo curat. Item Procurator veſtiarii per Regulam dicitur eſſe communis pro omnibus; iſti autem pro ſe tantum : in quo contrariantur Regulæ, necnon & voto paupertatis. (Deut. 23. 21.) ſcribitur. *Cum votum voveris Domino Deo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus : Si moratus fueris reddere, imputabitur tibi in peccatum*. Et paulo poſt (verſ. 23.) *Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis obſervabis & facies, ſicut promiſiſti Domino* &c. (Et Malach. 1. 6.) *Ad vos, o Sacerdotes, qui deſpicitis* &c. Et infra (verſ. 7.) *Et offertis ſuper Altare meum panem pollutum*. Et paulo poſt (verſ. 10.) *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : & munus non ſuſcipiam de manu veſtra*. Sequitur in fine (verſ. 14.) *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolabit debile Domino*. Maſculum vovit

Domino Regularis, cum paupertatem deſponſavit; ſed debile reddit, qui adhuc ſervat proprium.

Irridere-ne eſt Auguſtinum Patrem dicentem in exordio Regulæ: *Hæc ſunt, quæ ut obſervetis præcipimus &c.* Et ſequitur. *Et non dicatis aliquid proprium.*

Secundo: objiciunt conſuetudinem tanto tempore, & a perſonis tam diſcretis & eruditis, & in tot Monaſteriis obſervatam. Quibus reſpondet Regula juris dicens, quod *Poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit.* Et Auguſtinus (in Enchirid. 86.) *Noſtris*, ait, *temporibus multa mala ita in apertam conſuetudinem devenerunt, ut aut parva, aut nulla eſſe credantur, quæ magna atque horrenda ſunt: uſque adeo ut non ſolum non occultanda; verum etiam prædicanda & diffamanda videantur.* Item idem ſuper illud (ad Galat. 4. 11.) Timeo, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis. *Exclamare*, inquit, *compulſus ſum: Væ peccatis hominum, quia ſola iniuſta exhorreſcimus. Uſitata vero (pro quibus abluendis filii Dei ſanguis effuſus eſt) quamvis tam magna ſint, ut omnino claudi contra ſe regnum Dei faciant, ſæpe videndo omnino tolerare, & ſæpe tolerando etiam facere cogimur.* Item in Sermone quartæ Dominicæ Adventus: *Nolite*, inquit, *peccata contemnere, in quibus forte jam conſuetudinem feciſtis. Omne enim peccatum conſuetudine viléſcit; & fit homini quaſi nullum. Illico ut obduruit, jam dolorem perdidit & putre eſt; nec amplius dolet; quod autem non dolet, non pro ſano habendum eſt, ſed magis pro mortuo computandum. Cum ulcus pungitur & dolet, aut ſanum eſt, aut adhuc ſpem habet ſanitatis. Cum autem pungitur & non dolet, pro mortuo habendum eſt, & de corpore præſcindendum.* Dicant igitur proprietatis defenſores, qui voverunt paupertatem, an conſuetudo iſta eos excuſet.

Sed dicent forte, quod Papa vel Eccleſia cum eis ſuper hoc diſpenſavit. Audiant Papam Innocentium expreſſe dicentem; *Abdicatio*, inquit, *proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa Regulæ Monachali, ut nec Summus Pontifex poſſit circa eam diſpenſare.* Ergo a fortiori nec Generale Capitulum Ordinis, nec Abbas poteſt indulgere licentiam, cum Papalis poteſtas excedat omnem poteſtatem inferiorum poſt Chriſtum, ut habetur (diſtinct. 93. Can. *Cyprianus* & 12. Can. *Non decet.*)

Quia autem votum hoc non ſervatur multis in locis a pluribus annis, etiam a magnis viris; non excuſat, ſed magis aggravat. Inolevit autem hoc ex negligentia Prælatorum in ſalutis eorum periculum. Nihil magis diſſonum rationi, quam habitum Ordinis gerere exterius in oculis hominum, & ſtatum perfectionis ſimulare; interius autem vota ſaluti neceſſaria infringere. *Rationabilis eſt communis conſuetudo, quæ a jure probatur*, dicit Joan. in Summ. conf. l. 2. tit. 6. Et *quam Romana Eccleſia ſervat, aut præcipit ſervandam: irrationabilis autem, vel iniqua*

qua

qua non præſcribit. Innocentius dicit, quod *rationabilis illa dicitur quæ non obviat Canonicis inſtitutis, aut quam jus ſuſtinet: irrationabilis autem, quæ contra Canonum inſtituta, & a jure improbatur; cujuſmodi eſt proprietas inter Religioſos*. Ait enim Gregorius cuidam Epiſcopo: *Si conſuetudinem opponis, tibi eſt advertendum, quod Dominus in Euangelio*. (Joan. 14. 6.) *Ego ſum veritas, non ait, ego ſum conſuetudo*. Quoniam Cypriani Martyris ſententia eſt, quod *qualibet conſuetudo, quantavis vetuſtate vulgata, ſemper eſt veritati poſtponenda, & uſus omnis veritati contrarius abolendus eſt. Conſuetudo quoque ſine veritate vetuſtas eſt deteſtabilis errorum*. Fruſtra ergo hic abuſus proprietatis, euangeliorum, Canonum, & Sanctorum Patrum auctoritatibus reprobatur, conſuetudo dicitur: ſed magis uſitata culpa debet vocari, quæ *obligat mentem pondere ſuo*, ut ait Gregorius (in lib. 4. Moral.) *ut nequaquam etiam ſurgere poſſit cum velit, & quot vicibus frequentationis pravæ aſtringitur, quaſi tot vinculis in mente ſua colligatur*.

Scribit quoque Hieronymus ad Celantiam: *Aſperam*, inquit, *& inſuavem fecit nobis virtutum viam longa conſuetudo peccandi*. Iſidorus etiam (in lib. ſoliloq. 1.) *Pravus*, inquit, *vitæ uſus aboleri difficulter poteſt, & aſſidua conſuetudine vitium in naturam convertit. Animus ſceleribus irretitus vix divelli poteſt*, dicit Beda in lib. de Templo Salomonis. *Non eſt parvus labor a conſuetudine ſe ſe peſtifera revocare*. Inanis eſt ergo hæc excuſatio in peccatis, & frivola, quæ prætenditur propter conſuetudinem malam; quaſi diceretur, quod abolita ſint præcepta legis, quia jam a majoribus, & majori parte hominum non ſervantur, quia non ſervare ea, a longe eſt conſuetum.

Tertio objiciunt proprietatis defenſores, quod in Capitulis eorum de hujuſmodi proprietatis uſu diſpenſatum eſt uſque adeo, quod amplius non ſit timendum (pace ſalva dicentium) ut dictum eſt ſupra, & allegatum per decretalem Innocentii III. *Extra. de ſtatu Monachorum cum ad Monaſterium*, quod votum paupertatis adeo annexum eſt Regulæ Monachali, ut non æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo diſpenſare; immo nec Summus Pontifex. Idem dicit Sanct. Thomas (2. 2. q. 99. de voto ſolemni) quod eſt indiſpenſabile conformiter ad decretalem: quoniam minus eſt commutare votum, quam abſolvere, vel diſpenſare. Sed animal Deo votum commutari non poteſt (Lev. 27. 33.) *Sanctum erit*, inquit littera, *& commutari non poterit propter melius, aut pejus*. Cauſam aſſignat Doctor Sanctus, *quoniam mox ubi vovebatur Deo, ſanctum reputabatur, quaſi Divino cultui mancipatum*. Sicut nec modo calix aut alia res conſecrata Deo, poſſet commutari in melius, aut pejus. Si ergo non poteſt Summus Pontifex ſacrificationem rei inanimatæ tollere, ut lapis Altaris, calicis, aut veſtimentorum. Ergo multo minus ab homine Deo ſanctificato per votum ſolemne Religionis. Ideo facere non poteſt Papa quod qui Religionis profeſſione ſanctificatus eſt Deo,

non teneatur tribus eſſentialibus votis, quandiu ſtat in Religione. Rurſus quia *votum eſt promiſſio facta Deo*, dicit Sanctus Thomas, *& non reddere Deo votum ſpecies quædam infidelitatis eſt, quæ ſub diſpenſatione non cadit. Et ſicut non poteſt Abbas præcipere malum Monacho*, ut dicit idem Sanct. Thomas 2. 2. in materia de voto, *ita bonum Deo debitum non poteſt prohibere. Et in manifeſtis malis diſpenſatio non excuſat a culpa.* Hinc Sanct. Bernardus in lib. de præcept. & diſpenſat. dicit. *In per ſe malis non cadit diſpenſatio, & quæ bene fieri non poſſunt, cujuſmodi eſt habere proprium, ei qui omnia abjecit in voto paupertatis, hoc* inquit Bernardus ad Adam Monachum *ſæculari proprium poſſidere licitum eſt, Monacho vero purum malum.* Denique ſi diſpenſatum eſt jure aut facto, non deberet hoc votum exigi a profitentibus, nec permitti in Regula. Dicit quoque Bernardus in lib. de præcept. & diſpenſ. quod *quidquid in Regula traditur, in manu non relinquitur Abbatis. Neque Abbas ſupra Regulam eſt, cui ſemel ipſe ſe ſpontanea profeſſione ſubjecit.*

Quarto objiciunt, & dicunt, quod traditio illa clavium excuſat, quæ fieri ſolet quolibet anno in manu Superioris. Iſtud repugnat objectioni præcedenti. Nam ſi diſpenſatum eſt de hoc proprietatis voto, ut objectio præcedens prætendit, fruſtra eſt clavis tradenda Abbati in ſignum conſenſus. Eſt etiam contra decretalem ſæpius allegatam, quæ votum indiſpenſabile ponit paupertatis, ſicut & caſtitatis: ergo ſicut Abbas non poſſet diſpenſare de fornicatione, ita neque de poſſeſſione in proprio, niſi dumtaxat in communi, ratione alicujus adminiſtrationis, vel officii, & non pro veſtiario, vel neceſſitate ſingulari, teſte decretali, ex Concilio Lateranenſi (extr. de ſtat. Monach.) quæ ait. *Monachi pretio non recipiantur, nec peculium habere permittantur.* Peculium longe minus eſt quam proprium, quia ſecundum jura: *qui res habent in peculio, non habent plenum, aut principale dominium ſibi, ſed ſuo Superiori, ut ſervus ſub domino, filius ſub parentibus, & Monachus ſub Abbate, ſed ex eorum, ſub quibus ſunt licentia, pro tempore commutandi, vendendi &c.* & hæc potentia non eſt libera, ſed limitata & ſubjecta: & tamen Concilium Lateranenſe hoc prohibet Monachis; a fortiori ergo proprium. Objectio ergo prædicta abuſus eſt, & irridet Deum, *qui* tamen *non irridetur*, ut ait Apoſtolus (ad Galat. *6. 7.*) Solum ergo licitum eſt illi, & permiſſum claves Abbati, vel Superiori referre, qui habet adminiſtrationem, ut Magiſter veſtiarii, Theſaurarius, Cellerarius, aut Eleemoſinarius, in ſignum ſubjectionis & adminiſtrationis. Mendoſa quoque eſt, & deluſoria veritatis prætenſio, clavem Abbati referre, quia clavem referunt, ſed retinent opere, & affectu, quæ ſunt ſub clave recluſa. *Duo ſunt* (inquit Hugo de Sancto Victore) *quæ relinquere oportet propter Deum; facultas retinendi quicquam proprium, & voluntas habendi.* Et tamen tradendo clavem neutrum

trum relinquitur horum. Dic, quæſo, defenſor proprietatis, quod ſervas in ciſta tuum eſt, an non? Tuum dicere vetat Regula in principio: *Nemo*, inquiens, *dicat aliquid proprium*. Ergo tuum non eſt, ſed omnium, nec tibi ſervare debes, aut in uſum accipere, quod tuum non eſt. Quid ergo cuſtodis non tuum? Repone, repone in communi, quod tuum non eſt; ſed omnium in communi, neque clavem deferas, qui clavem habere non debes.

Quinto objiciunt defenſores proprietatis dicentes, non eſſe proprium pro hoc quod ad nutum manet Abbatis, quotiens volet revocare. Contra hos in parte jam reſponſum eſt ſupra. Primo quia neque Religioſus retinere poteſt peculium, aut ſervare, niſi pro adminiſtratione officii, nec Abbas poteſt diſpenſare. Secundo, quia nec Abbas eſt ſupra Regulam, quæ hoc prohibet; ſed Regulæ obligatus, & ſubditus, ut dicit Bernardus (in lib. de præc. & diſp.) Fallit ergo & qui retinet peculium, & Prælatus, qui conſentit, niſi pro adminiſtratione. Fera ſævior eſt Leone proprietas, maxime ſi hypocriſi admiſceatur: *Simulata enim æquitas duplex eſt iniquitas*, dicit Auguſtinus (ſuper Pſalm. 66.) *duplici graditur via*, dicit Gregorius, *quia corpus exterius, ſed per amorem gloriæ, mundo vivit, & contra prohibitionem Moyſi inducitur* veſte contexta ex lino & lana (Deut. 23. 11.) Per lanam *ſimplicitas ſubdoloſa* intelligitur. Linum celat interius, lanam exterius oſtentat. *Nulla res* (inquit Chryſoſtomus ſuper Matth.) *ſic exterminat, ſicut ſimulatio. Nam malum ſub ſpecie boni celatum non cavetur, dum non cognoſcitur*. Hujuſmodi eſt proprietarius, qui proprium excuſat, & palliat per Abbatis licentiam. *Non habeo*, inquit, *non poſſideo; ſed Abbas meus*. Et tamen contra Abbatis voluntatem: ſi forſan pro communi neceſſitate Fratrum ſciret Abbatem recepturum, quæ poſſidet, abſconderet, aut ſi bono modo non poſſet, inutiliter exponeret..

Sexto: objiciunt dicentes: proprium non eſſe aliquid cuſtodire pro neceſſitatibus ſecretis, potiſſime infirmitatis, quos B. Auguſtinus confundit in eo, quod talibus providere non neglexerit in Regula, cum dicit. *Ægrotantium cura, ſive poſt ægritudinem reficiendorum uni alicui debet injungi, ut de cellario petat quod cuique opus eſſe proſpexerit. Sive autem qui cellario, ſive qui veſtibus, aut codicibus præponuntur, ſine murmure ſerviant fratribus ſuis*. Incidit ergo in alterum laqueorum, quia vel Patrem Auguſtinum corrigis, quaſi non ſufficienter providerit neceſſitatibus ſingulorum, aut de fidelitate diffidis Fratrum, dubitans ne circa ægrotantes faciant debitum ſuum: vel quod veriſimilius, de te ſolum cogitas, cui parum, aut nihil curæ eſt de cœteris, dummodo tu ipſe proviſus es. Audeo dicere quod objectio prædicta officit ea parte, unde ſanare putat. Quoniam ſi paupertatis obſervaretur votum inter Fratres, longe fervidior arderet caritas fraterna, & cura, atque ſolicitudo major eſſet infirmorum, pietas intimior, & viſitatio cordia-

dialior : quoniam tunc uno infirmante, omnes infirmarentur, juxta illud: *Si patitur unum membrum, compatiuntur &c.* (1. Cor. 12. 26.) Si propria nulla eſſent, nemo alium expectaret ad juvandum, & ſuccurrendum Fratri infirmanti : nemo diceret, hic qui infirmatur ſatis habet, unde medicos habeat, & Cuſtodes. Tunc quiſque ſuccurrendo Fratri exemplum daret, quomodo vellet ſibi in ſimili caſu ſuccurri.

Septimo : objiciunt antedicti defenſores proprietatis, dicentes neceſſarium proprium pro feſtinandis & ſuſcipiendis amicis. Reſpondetur eis, quod ad hoc eſt in Ordine Auguſtini Hoſpitalitas inſtituta, & providus Frater eloquens, & diſcretus eſt eligendus, qui ſciat amicos & benefactores Eccleſiæ benigne ſuſcipere, ſecundum facultatum poſſibilitatem, juxta doctrinam Pauli : *Caritas fraternitatis*, inquit, *maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite oblivisci, quia per hanc quidam latuerunt*, &c. (Hebr. 13. 1. 2.) Nec multum utilis Religioſis converſatio frequens amicorum carnalium, qui reliquerunt mundum. Propter quod ait Auguſtinus filiis ſuis in Regula circa finem : *Non carnalis, ſed ſpiritualis ſit inter vos dilectio*. Quapropter vero Religioſo, cui mundus crucifixus eſt, non multum affectanda eſt carnalium propinquorum viſitatio : Nam *qui de terra eſt de terra loquitur*. Joan. 3. 31.

Tractantque fabrilia fabri.

Quæ omnia veris Religioſis ſunt fugienda, immo verius abominanda. *Qui non relinquit*, inquit Chriſtus, *Patrem & Matrem*, &c. (Luc. 14. 26.) *non poteſt meus eſſe Diſcipulus*.

Octavo : objiciunt quod paucioribus expenſis Eccleſiæ providetur de veſtiario, dando cuilibet portionem pecuniæ, quam in communi. Hoc non eſt verum, eſto tamen quod ita ſit ; tamen propter hoc temporale commodum parvum, non eſt frangendum votum, quia non ſunt *facienda mala, ut veniant bona*. (Rom. 3. 8.) Præpoſterus ordo, vota poſtponere parvo lucro, ſolem, vermibus nocte lucentibus, aurum & gemmas, carbonibus. Anteponere divitias & temporalia bona bonis animæ, abſurdum eſt, & ordinem pervertere : Ergo, &c.

Nono : objiciunt dicentes, minorem occupationem Fratrum eſſe, dare unicuique ſummam pecuniæ pro veſtiario, cum reverentia dicentium non eſt ita ; immo paucior eſt occupatio unius aut duorum, quam omnium in Officio veſtiarii. Hoc etiam conſonat dicto Philoſophi : *Fruſtra fieri per plura quod poteſt per pauciora*. In unitate ſiquidem æqualitas eſt, caritas, pax, concordia, & quod ſuper omne bonum eſt Deus. In pluralitate autem, ſingularitas, diviſio, invidia, rixa, ſuperbia, & omnis mali fomentum. Et conceſſo adhuc (quamquam ita non eſt) quod occupatio major adeſſet in communi veſtiario proviſo per unum aut duos, quam per omnes ſingillatim in proprio ; nihilominus tamen minus malum eſt occupatio, quam voti tranſgreſſio & Regulæ, cujuſmodi eſt proprietas. Item non minus abjurata eſt proprietas in veſtiario, quam in cellario

per

per Regulam ; ergo ſi pro cellario unus ſolus impeditur, quare etiam unus aut duo pro veſtiario non ſufficiunt, ut obſervetur Regula, quæ hoc toties jubet fieri? nam negari non poteſt quin occupatio unius aut duorum minor ſit, quam omnium Fratrum. Et ſic retorquetur objectio in confuſionem objicientium.

Decimo & ultimo : ſubduntur objectiones contra voluntariam paupertatem, quas ponit Sanct. Thomas (in 3. contra Gentiles.) Hanc ſiquidem invadit primo Vigilantius hæreticus, & quidam ſequaces ſui, non intelligentes de quibus loquuntur, neque quæ affirmant. Naturale eſt, inquiunt, cuilibet animali ut ſibi neceſſaria vitæ provideat; unde non quælibet pars Anni apta eſt frugibus, & proviſioni ipſorum : Faciunt hoc Æſtate formicæ & apes, ut congregent unde Hieme vivant : ſed homo multis indiget, quæ non ſemper inveniri poſſunt ; ergo opus eſt illi proviſione. Secundo, quia per ſubſtantiam divitiarum eſſe hominis confirmatur ; ergo paupertas eſt contra Legem naturæ : naturaliter enim diligit unumquodque permanere, & id quod neceſſarium eſt ad illud. Tertio, eſt homo naturaliter animal ſociale civile, ut (in 2. Politic.) Ariſtotele dicit, *Societas animæ eſt in mutuo juvamine, & ſubſidio amicitiæ, quæ paupertas implere non poteſt* : ergo, &c. Nam per divitias & facultates liberamus amicos a malis ; ergo bonæ ſunt. Quarto, paupertas & mala per ſe : ergo, &c. Antecedens probatur, quia eſt occaſio furti, adulationis, perjurii, & malorum multorum. Quinto, nam liberalitas eſt virtus, quæ danda tribuit, & retinet retinenda. Vitium illi oppoſitum in majus eſt prodigalitas, quæ omnia largitur : vitium autem in minus eſt liberalitas, quæ retinet quæ danda ſunt, & dat quæ retinenda. Eſt ergo paupertas voluntaria vitium in majus, quia omnia ſua largitur, & nihil retinet pro ſe.

Pro ſolutione dictorum dicit idem Sanct. Thomas quod meliora & maxima bona hominis ſunt ſcientiæ, & virtutes ; minima ſunt bona fortunæ extrinſeca ; media ſunt bona corporis. In tantum ergo ſunt divitiæ bonæ, in quantum proficiunt ad virtutis uſum ; quia quæ ad finem ſunt, modum accipiunt, ſecundum exigentiam finis. Si vero per uſum divitiarum impeditur virtutis uſus, non amplius bona dicenda ſunt, ſed mala. Propter quod dicitur, quod bonum eſt habere divitias ei qui utitur ad virtutes, & malum qui per eas retrahitur a virtute, nimia ſollicitudine, vel amore, aut elatione. Hinc dicitur quod contemplativa vita perfectior eſt quam activa, quia paucioribus indiget divitiis ; activa vero pluribus. Occupatur autem humana ſollicitudo circa tria. Primo circa ſe, ſecundo circa perſonas ſibi conjunctas & familiam domumque ; tertio circa res procurandas quibus homo indiget ad vitæ ſuſtentationem. Paupertatis ergo voto abjicitur ſollicitudo rei exterioris, conſilio divinæ Legis. *Si vis perfectus eſſe*, &c. (Matth. 19. 21.) Voto autem continentiæ abjicitur ſollicitudo rei familiaris, conſilio Scripturæ Sanctæ : *Qui ſine uxore eſt, cogitat quæ Domini ſunt*. (1. Cor. 7. 32.) Voto autem obedientiæ, abjicitur

citur ſollicitudo ſui, curam ejus committendo Superiori. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris.* (Hebr. 13.17.) *Eſt ergo*, inquit Sanct. Thomas ibidem: *paupertas laudabilis, quia liberat a vitiis quibus homines per divitias implicantur, ut mente Deo liberius vacent, & quanto magis homo per paupertatem liberatur ab impedimentis vacandi ſpiritualibus, tanto eſt laudabilior.* Non dicit tanto melior quanto major, ſed quanto liberior eſt ab impedimentis ſæculi præpedientibus, vacare Deo. Ad primam objectionem Vigilantii hæretici, & ſuorum ſequacium dicendum eſt, quod naturale ſit congregare neceſſaria ad vitam; non tamen oportet omnes circa hoc opus intendere; quia ſicut apes non omnes eidem operi vacant, ſed quædam mella conficiunt, quædam conſtruunt ædes; Reges autem non vacant iſtis: ita hominibus multa ſunt neceſſaria, quæ ab uno fieri non poſſunt, ſed a multis & diverſis, ſecundum diſtributionem divinæ ſapientiæ. Vita noſtra indiget viris ſpiritualibus a temporalibus curis alienis, qui pro activis intendant divinis ſacrificiis, & contemplationibus, ad ſupplendum defectum ſæcularium contemplativorum ſuſtentationi inſiſtentium. Sic oculus videt pro ceteris membris, manus defendit oculum, & laborat pro ſuſtentatione aliorum membrorum, & ſic de aliis; *quoniam multi unum corpus*, dicit Ap. 2. Cor. 10. 17. Ad ſecundum dicendum, quod Monachi relinquendo temporalia non ſubtrahunt ſibi neceſſaria vitæ, ſed remanent eis in communi vita. Ad tertium dicendum, quod nec relinquentes omnia faciunt contra caritatem humanæ ſocietatis, ut ſatis experientia docet. Ad quartum dicendum, quod divitiæ non ſunt per ſe bonum, ſed ut ordinantur ad bonum rationis: Unde nihil prohibet paupertatem meliorem fore, ſi ad id bonum rationis ordinat perfectius quam divitiæ; quia exteriora bona non ſunt, niſi ut ad interiora ordinantur: & ſicut vitium ex paupertate oritur male ordinata ad rationem, ſic ex divitiis ſimiliter. Ad quintum dicendum, quod paupertas non contrariatur virtuti, nec eſt prodigalitas abjicere omnia propter Chriſtum; cum hoc facit Religioſus debito ſententiæ rationis & caritatis. Nam plus eſt ſe morti exponere per virtutem fortitudinis, quam vovere paupertatem propter liberius vacandum Deo. Et cum arguitur de paupertate, quod ſuadet & cogit furari, &c. verum eſt de coacta; non autem de voluntaria.

Sileat ergo Vigilantius hæreticus, cum ſuis complicibus, & fautoribus: ſileant quoque amodo proprietarii, eorumque defenſores, & fautores, convertanturque ab errore viæ ſuæ, & ſolvant vota quæ diſtinxerunt labia ſua, ut tandem audire mereantur. *Vos, qui reliquiſtis omnia*, &c. *centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.* (Matth. 19. 29.) quam nobis concedat qui promiſit. Amen.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM
IN TRACTATUM
B. RAYMUNDI CAPUANI,
DE REFORMATIONE.

Beatus Raymundus de Vineis, vulgo Capuanus, æque de universa Eccleſia Catholica, cujus legationes feliciter ampliſſimoque fructu obivit, ac de ſuo Prædicatorum Ordine, cujus clavum plurium annorum ſpatio tenuit, optime meritus, utriuſque tum Eccleſiaſticæ, tum Monaſticæ diſciplinæ inſtaurationem ſtrenue, conſtanterque promovit. Sua namque tempeſtate, hinc immaniſſimum ſchiſma, illinc teterrima lues, hinc atrociſſima bella, Regna adverſus Regna, Pontifices contra Pontifices concitaverant, armaverant: Eccleſiam dilaceraverant in partes, ac totius humani generis quod Europam inhabitat, ex decem, novem portiones abſumpſerant. Rerum omnium mutata facie, obnubilato colore optimo, ac tantarum pondere calamitatum oppreſſa Chriſtiana Republica, B. Raymundus Seraphicæ Catherinæ Senenſis precibus, conſilioque adjutus, una manu impeditiſſima Eccleſiæ negotia peregit, altero brachio ſuo collabenti ordini ſuppetias tulit. Quo ſiquidem tempore Apoſtolicum Oratorem apud Regem Trinacriæ pro Summo Pontifice Bonifacio IX. agebat, eodem magnam iſtius de Reformatione tractatus partem lucubravit. In hoc tractatu ea omnia, quæ ad diſciplinæ collapſæ reformationem conducere, viamque aperire valent, larga manu Raymundus ſubminiſtrat. Artes quas ſanctioris diſciplinæ minus amantes moliri ſolent, ut egregium facinus in nihilum, quantum per illos licet, amandent, penitus contrivit; ſaluberrima documenta ſapientia, & incredibili dexteritate referta poſteros docuit, quibus machinationes omnes adverſus reformationem explodant; ſanctiſſimaſque regulas præſcripſit, & huic tractatui inſeruit, quæ in promovendo reformationis negotio, ſi ſervatæ fuerint, omnia ex ſententia reſpondebunt. In reformata Cœnobia eos dumtaxat inducendos Fratres perſcribit, qui caritatis ardore flagrantes, ſponte & libere ſuaviſſimo jugo cervices ſubmittere velint. Neque hinc illud conſequitur, quod per ſummam lugendamque ignorantiam inferunt nonnulli: videlicet reformationis opus conſilii eſſe, non præcepti. Enimvero ſi reformatio diſciplinæ, non aliud prodit, quam votorum, Regulæ, aliarumque legum, quas quiſque ſolemni ritu profeſſus eſt, exactam obſervantiam; non minoris neceſſitatis eſt, talem amplecti reformationem, ac ipſam Divinam legem. Et quemadmodum ſtolida argutatio hæc eſ-

ſet: Deus neminem vi coercet, ut baptiſma ſuſcipiat: ergo libertatis, non neceſſitatis eſt baptiſmatis ſuſceptio: Ita inanis hæc altera eſt: B. Raymundus ſolos Fratres ad ferendum ſeverioris obſervantiæ Regularis jugum deligi jubet, qui libertatis gratia perfuſi ad id ſponte ſe ſe offerunt: ergo non neceſſitatis, ſed majoris dumtaxat perfectionis eſt, vota, Regulam, & Conſtitutiones ſervare. Inanis, inquam, & falſa eſt conſequutio iſthæc, ejuſdemque falſitatem evidenter demonſtravit Carolus Antonius Plantamura in ſua hiſtorica diſſertatione (cap. 8. & 9.) Quia tamen nonnulli inſiſtunt opponere, B. Raymundum Regulares reformatos meliores, remiſſæ vero diſciplinæ Religioſos minus bonos appellare; idcirco iterum confutare idem ſophiſma lubet. Porro, ut mens Raymundi clarius pateat, illius adverſariorum oppoſitionem in medium offeramus, oportet.

Qui ergo collapſæ diſciplinæ inſtaurationem reſpuebant, ſcandalum objiciebant populorum, qui Fratres reformatos bonos, non reformatos malos appellarent. *Nam per ſæculares palam, & ad digitum oſtendentur illi, qui obſervabunt tanquam boni, & illi, qui non obſervabunt, tanquam mali.*

Duplicem huic oppoſitioni Raymundus reſponſionem exhibet, ut omni ex parte odium, invidiamque declinet. *Reſpondendum*, inquit, *eſt iſtis dupliciter: Primo quod raro ſunt Civitates, in quibus ſunt duo Conventus, & ideo ubi erunt obſervantes, nullus erit non obſervans, ut in pluribus; quia hoc eſt de noſtra intentione, ſcilicet, quod in Conventu, ubi erit hujuſmodi obſervantia, nullus alius Frater habitet; alias unus alium impediret, & tunc bene ſequeretur illa diviſio, ſeu illa confuſio de qua dicunt, ſed, ut dictum eſt, aliud eſt noſtrum intentum, ſcilicet quod obſervantes ſint ſoli.* Primo ergo loco B. Raymundus prudenter ſilentio præteriit quæſtionem utrum reformati appellandi ſint boni, & non reformati mali; ſed reponit raro occurrere occaſionem id in diſputationem revocandi: quia raro contingit, in eadem Civitate, duos reperiri Conventus inſtauratæ, & collapſæ diſciplinæ, ex quorum comparatione reformati habeantur ut Sancti, & non reformati Religioſi ut mali. Cæterum, quo in pretio re habuerit Raymundus Fratres collapſæ diſciplinæ, inde colligi poteſt, quod nunquam permittere voluerit, eoſdem cum reformatis habitare. Idque ſæpe repetit, ut conſtantem ſuam voluntatem evidentius patefaciat.

Alteram ſubjicit reſponſionem, ut abundantius invidiam, quam ei penes Cardinalem Oſtienſem conflaverant adverſarii, explodat. *Reſpondetur etiam ſecundo, quod ſalva reverentia eorum, nunquam propter hoc alii reputabuntur ribaldi, vel mali: quia non ſequitur: iſte eſt melior illo: ergo iſte eſt malus. Nam tota die videmus, quod in diverſis locis, & Conventibus ſunt aliqui excellentes Fratres, quidam in ſcientia, quidam in ſanctitate vitæ: & tamen non propter hoc alii reputantur ignorantes,*

vel

vel mali : immo ſanctitas vel ſcientia illorum cedit in bonorem omnium Fratrum, & totius Ordinis, & omnes alii gloriantur de eis. Quid, ſalva prudentia, aliud reponere Raymundus poterat ad oppoſitionem ſibi factam? Quæſtionem tunc minime ille verſabat utrum, qui negligunt ſervare leges, quas profeſſi ſunt, mali, peccatoreſque compellari debeant. Hoc ſiquidem ſuapte natura palam eſt. Id ſolum in controverſiam vertebatur, num populi propter reformationem aliquorum Fratrum cœteros reputarent improbos. Cui Raymundus reſpondet, quod *nunquam propter hoc, alii reputabuntur ribaldi, vel mali.* Commeditare cautiſſimam loquendi rationem. Quippe tametſi homines conſpiciant unum eſſe meliorem altero, non propterea hinc colligunt, alterum eſſe malum, idque exemplo ſcientiarum, & excellentis ſanctitatis confirmat. Quidam ſcientia, quidam ſanctitate fulgent. *Et tamen non propter hoc alii reputantur ignorantes vel mali.* In eo ergo totus eſt Raymundus, ut evincat reformationem non eſſe cauſam *propter quam* non reformati reputari debeant mali. Si qui vero, miſſis libris, nunquam, aut raro ſcientiis operam navarent, vel neglectis propriis legibus, obſervantiam regularem omitterent, ignorantes & mali exiſtimari deberent, ſilentio ille obvolvit.

Potuiſſet utique B. Raymundus directe oppoſitioni occurrere, eamque communi Sanctorum Patrum doctrina penitus propulſare. Simili namque objectioni ſic reſpondet D. Gregorius Magnus (hom. 7. in Ezech.) *In quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus. Si autem de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur.* Eamdem repetit reſponſionem D. Bernardus (epiſt. 34. ad Drogonem, & apol. ad Guill. c. 7.) Et D. Thomas (2. 2. q. 43. art. 7.) *Si autem poſt redditam rationem ſcandalum duret, jam videtur ex malitia eſſe. Et ſic propter ipſum non ſunt hujuſmodi ſpiritualia bona dimittenda.* E re ſua quam prudentiſſime exiſtimavit eſſe Raymundus, hanc obviam communemque reſponſionem præterire. Non enim ſemper, & ubique promenda veritas eſt; ſed ad tempus, pluribuſque circumſtantiis inſpectis, occultari licite poteſt. Ea ergo in medium attulit ille, quæ, omnibus expenſis, aptiora judicavit, tum ad demulcendas Cardinalis aures, tum ad vitandam invidiam, atque exaſperatos adverſariorum animos placandos, ut reformationis negotium felicius promoveret. Denique convulſo vano commento, in eadem Apologia non pauca, data opportunitate, interſerit, quæ ſtatum ſubindicant eorum, qui propriam Regulam, legeſque violant. Quandoquidem adverſus eos, qui timent Religioſos reformatos a populis colendos, ſeque deridendos eſſe, ſubdit paulo infra. *Accedant & ipſi ad eos, & vivant cum eis, & honorabuntur etiam cum eis. Hoc enim gerimus, ut exemplo cœteri moveantur ad idem, & ſic totus ordo voluntarie reformetur. Sed non faciant ſicut Simon Magus, qui volebat gratiam Apoſtolo-*

 rum,

rum, ſed nolebat vivere ſicut Apoſtoli ; & ideo volebat pecunia comparare donum Spiritus Sancti, quod potuiſſet habere, ſeu habuiſſet, ſi voluiſſet vitam Apoſtolicam imitari. Severioribus verbis, in eadem Apologia, eos excipit, qui nec amplecti ipſi volunt, nec alios ſuſcipere permittunt reformationem collapſæ diſciplinæ. *Quicumque autem ſit ille, qui more Phariſæorum, nec ipſe vult intrare, nec alios ingredi permittit ad bonum, ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & tam a Dæmonibus, quam ab hominibus conculcetur.* Qui plura hac de re cupit, conſulat laudatam hiſtoricam diſſertationem, & quæ nos diximus (diſſert. 5. cap. 11. & 12.) ubi inveniet Religioſos collapſæ diſciplinæ, nunquam appellandos eſſe malos. Quid enim impudentius dici poteſt. Deo ſoli cognita eſt, ſive ſanctitas, ſive malitia hominum, illique ſoli judicium ſuper hoc ferre competit? Nos ſolummodo mala, quæ, ſuapte natura, remiſſam vivendi conſuetudinem conſequuntur, ob oculos ponimus, non ut alicui inſultemus, ſed, ut ad meliorem frugem aberrantes revocemus.

Tractatus iſte B. Raymundi in laudata diſſertatione editus habetur una cum quibuſdam ejuſdem Raymundi, & B. Joannis Dominici de Banchinis epiſtolis, quæ omnia Plantamura tranſcripſit ex codice MSS. P. Thomæ Caffarini, tanta temporis brevitate, ut quæ ſemel exſcripta fuere, iterum cum authographo comparandi tempus defuerit. Res tamen tanti non erat, quo iteratam exigeret collationem; potiſſimum, quod auctoris inſtitutum illuc pertinebat, ut ſanctiſſimis morum Regulis animos imbueret, minime vero, ut cuidam ſuperſtitioſæ criticæ inveſtigationi indulgeret. Plura quoque ejuſdem codicis inedita reliquit, quod nullius exiſtimavit eſſe momenti. Sunt quippe ſermone valde implexi, & narratiunculæ admodum leves. Idcirco ſi omnia publici juris feciſſet, veritus eſſet, ne in ſe contorqueri poſſent, quæ ſcribit Juvenalis Satyra 7.

Ut legat hiſtorias, auctores noverit omnes,
Tanquam ungues, digitoſque ſuos, ut forte rogatus
Dum petit, aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen, patriamque novercæ
Archemori: dicat, quot Aceſtes vixerit annos;
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

Nihilo tamen ſecius, quemadmodum cæteræ ejuſdem Plantamura diſſertationes criticorum morſibus ſubjecere; ita adverſus præfatam diſſertationem ſeveri inſurrexerunt cenſores. Nonnulla typographica errata auctoris oſcitantiæ vertere: verborum ac ſyllabarum apices ſcrutari, omnia carpere, vellicare, exaggerare adgreſſi ſunt. Fruſtra tamen, irritoque conatu. Si quid enim in iiſdem documentis eſſet, quod ſpongiam expoſceret, opportuna emendatio haudquaquam negligeretur. Paucas typorum mendas, quæ in illis occurrunt, & nonnulla verba, quæ

Digitized by Google

ex iterata cum authographo collatione ſurrogari poſſent, tanti non pendimus, ut in iis tempus terere, oculoſque defatigare, debeamus, nec æquum ducimus ſolam verborum diverſitatem emptoribus vendere. Hunc vero tractatum aliis opuſculis annexum idcirco recudimus, quod præ aliis ad diſciplinam reformandam viam ſternat planiſſimam.

TRACTATUS

B. RAYMUNDI DE CAPUA

Ordinis Prædicatorum.

DE REFORMATIONE,

cum Bulla S. D. Bonifacii IX.

BOnifacius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Apoſtolicæ Sedis benignitas perſonas ſub Religionis obſervantia aſſidue ſtudio piæ vitæ vacantes, & eorum ac aliorum animas Deo lucrifacere cupientes, congruo favore proſequitur, ac his quæ ad eorum pium deſiderium conſequendum provide facta ſunt, ut illibata permaneant, libenter adhibet ſollicitudinis ſuæ partes. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii Raymundi Magiſtri generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum nobis exponen. quod dudum cum ipſe ſuum Ordinem viſitaret reperit inter cetera multos Fratres ejuſdem Ordinis devotionis fervore accenſos, & deſiderantes regularem obſervantiam per Beatum Dominicum, & alios antiquos Fratres ejuſdem Ordinis ordinatam ſervare. Et quod ipſe conſiderans quod dictorum Fratrum deſiderium ſalva conſcientia impediri non poterat, nec debebat, immo firmiter putaret ſe reum coram Deo, niſi eos adjuvaret & promoveret ad perfectionem hujuſmodi eorum deſiderii tam laudabilis per dilectum filium Fratrem Conradum de Pruſſia ejuſdem Ordinis profeſſorem, virum utique vitæ commendabilis, ac famæ laudabilis in partibus Alemaniæ receptum. Qui prædictos Fratres, ut præfertur ſic deſiderantes in Provincia Theutoniæ ſecundum conſuetudinem dicti Ordinis incœperat congregare. Etiam in loco dicti Ordinis ſito in Columbaria Baſilienſis Diœceſis circiter triginta Fratres congregaverat, quibus dictus Magiſter dictum Fratrem Conradum præpoſuerat. Qui conſtitutiones dicti Ordinis integraliter obſervabant cum effectu, & adeo prædicationi verbi Dei exemplo Beati Dominici virtuoſe inſiſtebant, quod de tota patria circunſtante concurrebant homines ad audiendam doctrinam eorum, quam factis etiam

iam virtuoſe confirmabant. Quodque ipſe Raymundus, qui ut aſſerebat, ipſum Ordinem per decem annos & ultra gubernaverat, proponens hoc idem facere ſeu ordinare in qualibet provincia dicti Ordinis, videlicet, quod in qualibet ex dictis Provinciis eſſet unus locus dicti Ordinis, in quo regularis obſervantia dicti Ordinis ſecundum ſtatuta B. Dominici prædicti ſervarentur, juxta tenorem prædictarum conſtitutionum, de multorum Fratrum ejuſdem Ordinis conſilio & aſſenſu, tam auctoritate officii ſui, quàm Generalis capituli dicti Ordinis tunc ultimo celebrati ſibi commiſſa per ſuas certi tenoris litteras ordinaverat, decreverat, & mandaverat. Quod infra annum a notitia litterarum ſuarum hujuſmodi Priores, Provinciales ſeu Præſidentes, & eorum quilibet in ſua Provincia ordinarent, & taliter facerent quod in ſua Provincia eſſet unus locus deputatus ad hujuſmodi obſervantiam regularem, in quo poſſent ad minus vivere duodecim Fratres Ordinis præfati qui dictas conſtitutiones ſervarent: prout in dictis litteris continetur. Et pro parte ipſius nobis ſupplican. ut ordinationem, ſtatutum, decretum, & mandatum hujuſmodi, & quæcunque inde ſecuta rata habere & grata, illaque auctoritate Apoſtolica confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ipſius Magiſtri in hac parte ſupplicationibus inclinati ordinationem, ſtatutum, decretum, & mandatum prædicta, ac omnia ſingula in prædictis litteris contenta, quorum tenorem noſtris litteris & præſentibus inſeri fecimus, rata & grata habentes, illa per noſtras litteras eaſdem confirmavimus, & ipſarum litterarum patrocinio communivimus, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem ut nuper accepimus nonnulli Fratres ejuſdem Ordinis ſalutis æternæ immemores ac timore poſtpoſito, nolentes intelligere ut bene agant, & ſecum alios trahere in præcipitium ſatagentes, quamvis ordinationem, ſtatutum, decretum, & mandatum hujuſmodi per ſe obſervare deſidia & inertia non velint, neque curent, verum tamen eam ab aliis obſervari non permittant, & nonnullos Fratres ipſius Ordinis devotos volentes prædictam obſervantiam debite obſervare, multis frivolis & exquiſitis coloribus ab laudabili propoſito damnabiliter retrahant & paſſim removere conantur, & impediunt quatenus in eis eſt quo minus ordinatio, ſtatutum, decretum, & mandatum prædictum debitum ſortiantur effectum, & nihilominus ſe jactant quod utique ordinabunt & procurabunt pro poſſe ordinationem, ſtatutum, decretum, & mandatum prædicta, in Generali ipſius Ordinis capitulo in feſto Pentecoſtes proxime futuro celebrando per Diffinitores ipſius Capituli, juxta dicti Ordinis morem facere revocari in ſuarum animarum periculum, ac in contemptum Sedis Apoſtolicæ, & ſcandalum plurimorum. Nos quorum intereſt hujuſmodi pravis conatibus evidenter ad perniciem tendentibus ſalubriter congruis remediis obviare, cupientes, ne morbus factus cronicus fomenta poſtremo deſpiciat medicinæ, omnibus & ſingulis Diffinitoribus juxta hujuſmodi morem Ordinis præfati tam præſentibus, quam fu-

tu-

turis, & etiam quibuslibet Fratribus ipſius Ordinis, & aliis cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant diſtricte & ſub excommunicationis pœna, quam contrarium facientes auctoritate Apoſtolica incurrere volumus ipſo facto, inhibemus expreſſe, ne aliquem profeſſorem ipſius Ordinis ob frugem melioris vitæ hujuſmodi obſervantiam regularem ſupradictam ut præmittitur ſic provide, ſic ſalutifere ordinatam obſervare volentem perpetuis futuris temporibus aliquatenus publice, vel occulte, directe, vel indirecte, ac quovis quæſito colore impediant per ſe, vel alium, ſeu alios, aut ab hujuſmodi propoſito, ſcilicet obſervantiæ hujuſmodi retrahant ſeu impediri, vel retrahi faciant, vel procurent quovis modo, nec ordinationem, ſtatutum, & mandatum prædicta, maxime cum id ad eos non pertineat, auſu temerario revocent, ſeu etiam contra eam aliquid attentent, aut attentare præſumant, ſed ea potius & quæcunque alia augmentum plurimum Conventuum in quibus hujuſmodi obſervantia ſervetur per ipſum Magiſtrum forſan ordinanda concernentia, ſi non virtutis amore per ſe ad obſervantiam hujuſmodi forſitan inclinentur; nec ſint apti, ſaltem permittant æquanimiter ut expedit per Fratres dicti Ordinis obſervari, ac ipſos Fratres eandem obſervantiam obſervantes, & obſervare volentes juxta illud quod in poteſtate hominum non ſunt qui ſpiritu Dei aguntur, in hujuſmodi eorum laudabili propoſito confoveant potius & confirment, ſi divinam & noſtram gravem offenſam deſiderant evitare. Nos etiam ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Nihilominus contra tranſgreſſores inhibitionis noſtræ hujuſmodi, ſi expedierit gravius proceſſuri. Tenor vero ipſarum litterarum ipſius Magiſtri ſequitur, & eſt talis. *Univerſis & ſingulis Prioribus, Provincialibus, ſeu Præſidentibus in quibuſcunque Provinciis tam præſentibus, quam futuris Ordinis Fratrum Prædicatorum, Frater Raymundus ejuſdem Ordinis humilis Magiſter & ſervus, ſalutem & Chriſtum Dominum efficaciter imitari.* Quanto inſufficientiorem ad regimen tanti Ordinis me conſpicio, tanto magis neceſſarium video ad laborandum ſollicite pro ipſius Ordinis reformatione & augmento. Sane cum reformationis vocabulum proprie dicat formæ reaſſumptionem, nullam viam invenio meliorem ipſum Ordinem reformandi, quam ſi oculis mentis reſpiciamus ad petram unde præciſi ſumus, & ad cavernam laci de qua proceſſimus, ad Abraham ſcilicet multarum gentium Patrem, qui virtute Spiritus genuit nos, Beatum Dominicum, & ad Saram, videlicet ſacram Religionem per Sanctos Patres ordinatam quæ peperit nos. His diligenter attentis juxta gratiam mihi datam dum Ordinem viſitarem inventis quamplurimis Fratribus qui ferventer deſiderant reduci ad primam formam obſervantiæ regularis per Beatiſſimum noſtrum P. Dominicum inchoatam, & per ſanctos ſucceſſores ejus poſt modum conſummatam, poſt longi temporis deliberationem & multiplicem habitam col-

collationem cum Fratribus magis timentibus Deum, decrevi omnino tam pro inceptione reformationis totalis quam ſatisfactione ſancti deſiderj Fratrum ſupradictorum totaliter ordinare, quod in qualibet Provincia ſæpe dicti Ordinis ſit ad minus unus Conventus in quo regularis obſervantia teneatur ad unguem juxta noſtrarum conſtitutionum tenorem & formam. Quamobrem de multorum Fratrum Deum timentium & Religionem noſtram ferventer diligentium, non tantum conſilio & aſſenſu, ſed inſtantia & ſupplicatione ferventi omni modo & via quibus melius poſſum, tam auctoritate officii mei, quam capituli Generalis ultimo celebrati mihi conceſſa, ordino, ſtatuo, & decerno, ac nihilominus quibuſcunque præcipio in virtute præmiſſæ obedientiæ & Spiritus Sancti, per quem filii Dei aguntur, & congregantur, quateuus infra annum a notitia præſentium quilibet veſtrum ordinet & taliter faciat in provincia ſua, quod ſit ibi unus Conventus deputatus ad obſervantiam regularem in quo poſſint vivere ad minus XII. Fratres, & deinde Fratres voluntarios ad dictam obſervantiam ibidem aſſignet uſque ad numerum prætaxatum, vel amplius ſi Dominus tot ſibi dederit invenire. Sin autem: illos quos invenerit aſſignet in dicto Conventu in quo ſervetur ad unguem, ut dictum eſt, tenor conſtitutionum noſtrarum, & obſervantia regularis, ſicut in ipſis conſtitutionibus eſt expreſſa; Fratres autem jam in quibuſdam Conventibus Provinciarum per me ad hanc regularem obſervantiam congregatos, & eorum Præſidentes per me deputatos, nullo modo moleſtare, aut quomodolibet præſumatis impedire, immo ipſos adjuvetis & foveatis ac in ſancto propoſito confirmetis juxta gratiam vobis datam. Cœterum quicunque veſtrum (quod abſit) ex notabili negligentia, vel quod deterius eſſet, ex propoſito dicto mec præcepto inobediens fuerit, poſt annum ſuperius prætaxatum ab officio Prioratus, ſi fuerit Prior Provincialis, aut Vicariatus, ſi fuerit Vicarius Provinciæ ſit abſolutus in pœnam & inhabilitatus per decem annos ad dictum officium reſumendum, quem vel quos dicti mei præcepti tranſgreſſorem, vel tranſgreſſores ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, modo quo ſupradictum eſt abſolvo, & inhabilito præſentium per tenorem. In quorum omnium teſtimonium præſentes patentes litteras fieri feci & ſigillo noſtri Ordinis muniri.

Datum Romæ anno Domini 1390. *die prima menſis Novembris.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverint incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Cal. Decembris Pontificatus noſtri Anno quinto. In Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum 1580. ſic Decretum eſt. Confirman. ordination. toties factam de uno, vel pluribus Conventibus in qualibet Provincia, vel Vicaria in favorem cupientium arctam obſervantiam regularem. Addentes tales a nemine poſſe quomo-

do-

dolibet impediri juxta decretum B. Boniſacii IX. quod & Reverendiſſimus Magiſter Ordinis obſervare intendit, & obſervari præcipit ab omnibus diſtricte.

Cum autem Magiſter Ordinis præſentaſſet ſupplicationem Bullæ ſupradictæ cuidam D. Philippo de Lauconio Cardinali Hoſtien. & poſtea idem dominus de illa informatus fuiſſet oblique, ipſe præfatus Magiſter præſentiens curavit dicto domino ad ipſum contra ſiniſtram informationem, reformandam ſcribere, & ita fecit in hunc modum, videlicet. Reverendiſſime Pater, & Domine. Quia dominatio veſtra videtur eſſe informata quod illa ſupplicatio quam porrexi pridie dominationi veſtræ, cedit in malum vel in dedecus aut diviſionem Ordinis mei, ſupplico D. V. quod attendere dignetur ad infraſcripta.

Primo autem ad majorem declarationem narrabo motiva, quæ me moverunt; poſtmodum ad rationes reſpondebo quæ fiunt in oppoſitum, & oſtendam ex qua radice contradictio, ſeu murmuratio Fratrum; quibus non placet hoc ſanctum opus, qui movent alios ad loquendum vel obloquendum. Et primo noverit veſtra paternitas veneranda, quod, ſicut in ſupplicatione prædicta breviter enarratur, ego eundo per ordinem & viſitando ut moris eſt, inveni in multis Provinciis per gratiam Dei Fratres quamplures Dei ſervitio perfecte deditos & caritatis zelo accenſos qui deſiderant toto corde Deo ſervire in obſervantia regulari juxta inſtitutiones, ſeu conſtitutiones Ordinis noſtri, & ſecundum formam a B. Dominico & aliis ſanctis Patribus traditam, inter quos reperi quendam Fratrem nomine Conradum de Pruſſia hominem nimis laudabilis vitæ ac maximæ famæ in tota Alemania, qui majorem fructum animarum fecit ſolus, quam omnes alii Religioſi cujuſcunque Religionis ſimul, hic habens multos fratres imitatores ſui, petivit a me quod deberem aſſignare aliquem Conventum in quo poſſet cum talibus habitare, ubi non impediretur ab aliquo tam in Dei ſervitio, quam in animarum fructu. Ego autem conſiderans quod frater qui juvatur a Fratre quaſi Civitas firma; & quod Congregatio filiorum Dei fuit cauſa Paſſionis Salvatoris, reſte Joanne Euangeliſta: Item attendens quod pauca grana vel ſemina ſi bene colantur, multos & magnos fructus faciunt, & quod iſto exemplo multi alii trahentur ad idem, modo nolens eis denegare quin commoditatem haberent ſervandi ea quæ a ſanctis Patribus ſunt inſtituta, conceſſi eis quod petebant, intendens ſemper illos eoſdem, poſtquam per aliquod tempus firmati eſſent in obſervantia regulari diſpergere per diverſos Conventus ut eſſent quaſi condimentum aliorum, & ſic ordo totus paulatim firmaretur & reformaretur abſque coactione quacumque ſubrogando illis qui diſperſi eſſent alios in eodem Conventu, qui interim ſtuderent perfectæ obſervantiæ. Et poſt profectum ipſi etiam diſpergerentur, ſicut ſui prædeceſſores. Et ſupplico Reverendiſſime Domine, quod in hoc videatis imaginationem meam. Quælibet Provincia habet in Ordine noſtro unum Conventum in quo eſt aſſi-

aſſignatum ſtudium Generale. Et ſi nolunt & ſi volunt oportet, quod proficiant in ſcientia, & poſtquam ibi profecerunt fiunt Lectores & Baccalaurei per diverſos Conventus, & iterum alii mittuntur loco illorum, & ſic efficiuntur Fratres ſcientifici. Quare obſecro, non poteſt ſic fieri de obſervantia regulari, ſicut de ſcientia, maxime cum ſcientia inflet, obſervantia vero regularis ædificet, hoc in iſtis temporibus non eſt inconveniens, quia notorium facti & Juris eſt quod omnes Religiones ſunt relaxatæ nimis. Laborare ergo ad earum reformationem non poterit eſſe non laudabile, hæc eſt etiam ſcientia Sanctorum, alia vero eſt ſcientia communis tam Sanctorum, quam reproborum. Si ergo licet pro ſcientia communi, eligere Conventum, quare non licet pro illa, quæ eſſe non poteſt niſi Sanctorum? de veriſimilitudine facti loquendo. Multa alia poſſunt dici etiam circa hoc, quæ non ſunt ſcripta, & eſſent multum neceſſaria, quæ tamen judico ſilentio tranſeunda pro meliori. Nunc autem iſtud ſufficiat pro motivo. Sed reſtat reſpondere ad alia. Ad primum quod objicitur eſt, quod ex hoc Ordo dividitur, & omne regnum, &c. Ad iſtud reſpondetur, quod ſalva ſemper reverentia dicentium, ipſi non videntur intelligere quid ſit diviſio. Loquendo de illa diviſione, quæ habet deſtruere. Omnis enim Congregatio multitudinis fit ſemper ad aliquod unum, alias non eſſet Congregatio abſque unitate, puta ad unum actum, ad unum propoſitum, ad unum locum, ad unum bonum, ſicut multi ſcholares congregantur in una ſchola ad audiendum unum Magiſtrum, milites multi congregantur in uno loco ſub uno vexillo, & uno Capitaneo ad faciendum unam victoriam, & ſic de aliis. Religionum autem Congregatio ſecundum B. Auguſtinum facta eſt caritatis unione, clamante Propheta iſta voce. Ecce quam bonum & quam jucundum, &c. ſemper fit ſub uno determinato modo vivendi. Et ut in pluribus ſub uno determinato Duce & ſancto, cujus actibus pariter & doctrina cæteri inſtruuntur, & informantur de vitæ regularis modo & forma, ſicut fuerunt primo Baſilius, poſtea Auguſtinus, deinde Benedictus & reliqui. Religio autem Fratrum Prædicatorum licet fuerit congregata ſub regularitate Regulæ B. Auguſtini, habet tamen ſuum proprium & determinatum modum vivendi per quem differt a cæteris Regulam eandem tenentibus, & hic vivendi modus ſcriptus eſt in Conſtitutionibus ipſius Ordinis, quarum primus inſtitutor & ordinator fuit B. Dominicus; qui etiam ejuſdem Ordinis Dux extitit & fundator. Quamobrem unitas ſeu unum ad quam, vel ad quem eadem Religio congregatur, conſiſtit præcipue in uno fundatore, ſcilicet B. Dominico, & in uno modo vivendi qui continetur in Conſtitutionibus ſæpe dictis. Dicere ergo quod fratres qui volunt ſervare prædictum modum vivendi & B. Dominicum imitari, dividunt ordinem, eſt ſicut dicere, quod milites, qui ſequuntur vexillum, & obediunt Capitaneo deſerunt & dividunt campum vel exercitum, eſt ſicut dicere quod ſcholares qui libenter

va-

vadunt ad Scholas, & audiunt Magiſtrum deſtruant ſtudium, quia dividunt ſe ab aliis, qui nolunt venire ad audiendum Magiſtrum in Scholis. Manifeſtum eſt etiam cuilibet utenti ratione quod accedentes ad unitatem, in qua eſt, vel in quam Congregatio ſit non dividunt, ſed uniunt, non diſgregant, ſed congregant, non deſtruunt, ſed conſtruunt quod jam erat deſtructum.

Verum contra reſponſionem iſtam replicatur communiter, & eſt ſecunda ratio contradicentium qui ſapientes, aut prudentes volunt ab aliis reputari, juxta extimationem ipſorum. Dicunt enim. Non eſt hodie tempus fervoris illius primæ incæptionis Ordinis hujuſmodi, nec poteſt totum ſimul ſic corrigi, vel etiam reformari, ſed oportet quod ſuſtineamus multorum defectum, & communis modus vivendi qui modo eſt non mutetur potiſſime hujuſmodi ſchiſmatis tempore, quo vix licet fide integra vivere. Alias timendum eſt ne volendo reformare, totaliter deformemus, & conatum noſtrum quem ad ſalutem facimus in perniciem convertatur. Item cum non ſit poſſibile citra Deum quod totus ordo reformetur, ſimul alias ſemper inter iſtos erit diviſio, ſcilicet inter illos qui ſervabunt quæ debent, & alios qui non ſervant, & ſic vel erunt duo ordines, vel uterque patietur confuſionem, & iſta ratio eſt Achilles eorum. Ad quam breviter reſpondetur. Primo, quod primum motivum forte recte concluderet ſi vellemus ad aliquam obſervantiam aliquem cogere. Cum ergo præcipue faciamus hoc condeſcendendo precibus rogantium & nullum arctando, ceſſat quicquid adducitur de ſchiſmate vel de ſcandalo, nec in perniciem poteſt devenire quod voluntarie obtinetur. Nam eſt manifeſtum in ſe quod hoc non poteſt juridice dici: Secundum autem motivum quod eſt totum fundamentum contradictionis in facto iſto & procedit magis ex proprio zelo quam ex communi, ut infra patebit, nullum fulcimentum rationis habet, nec habere poteſt, ſi quis vult diligenter advertere. Ex ipſo enim formaliter ſequitur quod nullus Rector iſtius Ordinis debet unquam attendere, nec cogitare de reformatione ipſius Ordinis. Nam arguo ſic. Impoſſibile eſt citra Deum quod totus Ordo ſimul reformetur. Si autem pars reformetur, erit diviſio inter reformatos, & non reformatos, igitur numquam cogitemus de hoc niſi quod Deus totum faciat ſimul, alias non apponamus manum. O ſi Sancti Apoſtoli timuiſſent hoc, ſcilicet ne ponerent vel poſuiſſent diviſionem inter Chriſtianos & Paganos, profecto de cetero, nunquam aliquem convertiſſent, nec etiam inſtruxiſſent. O ſi ſancti Patres & Doctores hoc attendiſſent, nunquam pro certo aliquem inſtruxiſſent. Quia vero intellexerunt verbum veritatis, quod non venerat pacem mittere, ſed gladium inter bonos & malos, ideo faciendo quod debebant non curabant, ſi qua ex hoc diviſio ſequeretur. Nec ſequitur, ſalva eorum reverentia, quod fierent duo Ordines & confunderentur ambo, immo ubi ſunt centum, quando quilibet facit, quod ſibi placet, non eſt inter illos unus ordo, qui tamen efficeretur paula-

tim unus, per unitatem Obſervantiæ unius uniformiter ſcriptæ, ubi non ſequuntur proprias voluntates & diverſas, ſed unam ſtatuentem & ordinantem, & tunc eſſet unum ovile, & unus paſtor: Nec putet aliquis quod velimus unum tantum Conventum reformare, quia cum uno incipitur, ſed ſperamus in Auctore omnis boni, quod poſt debile principium, fortuna melior ſequetur, ſicut fuit ſuperius ſufficienter explanatum. Sicut enim ſecundum Gregorium nemo repente fit ſummus, ſic etiam nulla Congregatio bona repente perficitur. Quod clare patet in congregatione filii Dei quam fecit, quæ a principio fuit parva numero, & debilis in virtute, & poſtmodum taliter crevit, ita quod totum mundum convertendo mutavit. Beatiſſimus igitur Pater noſter Dominicus in principio habuit paucos Fratres, & non multum ſufficientes, poſtea taliter creverunt, quod totam Eccleſiam illuminaverunt, tam in vita quam in Doctrina. Cum igitur omnis congregatio bona fiat per tempus, & tempora, fatuum eſt expectare, quod Deus faciat ſimul totum, & per conſequens vanum erit cuilibet de Reformatione hujus Ordinis cogitare. Si autem dicitur per oppoſitum ſentientes, quod erit confuſio nimis magna cœteris, qui non eſſent de talium obſervantium Monaſterio. Nam per ſeculares palam, & ad digitum oſtendentur illi qui obſervabunt tanquam boni, & illi qui non ſervabunt tanquam mali. Reſpondendum eſt iſtis dupliciter. Primo, quia raræ ſunt Civitates in quibus duo ſunt Conventus, & ideo ubi eſſent obſervantes, nullus erit non obſervans ut in pluribus, quia eſt de noſtra intentione hoc, ſcil. quod in Conventu ubi erit hæc obſervantia, nullus alius Frater habitet, alias unus alium impediret, & tunc bene ſequeretur illa diviſio, ſeu illa confuſio, de qua dicunt. Sed ut dictum eſt, aliud eſt noſtrum intentum, ſcilicet quod obſervantes ſint ſoli. Secundo reſpondetur, quod ſalva reverentia eorum nunquam propter hoc alii reputabuntur ribaldi, vel mali, quia non ſequitur. Iſte eſt melior illo, ergo ille eſt malus. Nam tota die videmus, quod in diverſis locis, & Conventibus ſunt aliqui Fratres excellentes, quidam in ſcientia, quidam in ſanctitate vitæ. Et tamen non propter hoc, alii reputantur ignorantes, vel mali, immo ſanctitas vel ſcientia illorum cedit in honorem omnium Fratrum, & totius Ordinis, & omnes alii gloriantur de eis. Unde & ſanctum Doctorem vocamus in Antiphona Laudem, & gloriam Prædicatorum Ordinis. Nec valet ſi dicitur quod unus, duo, vel tres, non faciunt Regulam, quia indubitanter quanto plures ſanctos haberemus, tanto magis ordo eſſet honoratus & reputatus, nec eſſet ſignum, quod alii eſſent mali, immo magis eſſet ſignum bonitatis omnium, quanto plures invenirentur ibi boni. Nonne ſi Ordo Prædicatorum haberet Sanctos centum canonizatos vel ducentos, eſſet longe magis reputatus quam nunc? Et omnes ſinguli Fratres Prædicatores reputarentur ex hoc meliores. Aperiant igitur oculos, videantque quod quanto plura indivi-

dua

dua inveniuntur perfecta in una ſpecie, tanto forma univerſalis denotatur eſſe perfectior, quam tamen omnia individua participant. Et ſic omnia individua inde ſpecificata reputantur meliora, & magis honorantur, ſeu caripenduntur, ſicut autem hæc eſt vera phyſice, ſic etiam eſt moraliter. Advertant etiam quod ipſi debent gloriari de bona diſpoſitione Fratrum ſuorum & gaudere, quia non poteſt de hoc eis niſi reſultare bonum. Alias, ſi dolerent, vel inviderent, imitarentur (quod abſit) Caim qui turbatus eſt, præcipue, quia frater ſuus erat bonus, & Deo gratus, de quo debebat rationabiliter contra ſe turbari, quia erat malus, non contra bonum fratrem. Et ſi hoc feciſſet, perveniſſet ad bonum ſtatum fratris ſui, nec commiſiſſet tantum ſcelus quantum commiſit.

Attendant rurſus, quod omnipotens Deus, qui ſolum dat Spiritum bonum timentibus, & invocantibus ſe, ſua inæſtimabili, & ineffabili providentia, ſicut creavit hominem naturaliter ſociabilem, quod unus juvat alium ad ea, quæ ſunt hujus vitæ, ſic providit, quod ſpiritualiter alter juvatur ab altero, & ſpiritus qui datur uni, proficit alteri, ſicut patuit de Sanctis Apoſtolis, qui tantam acceperunt gratiam Spiritus ſancti, quod ad impoſitionem manuum ipſorum dabatur Spiritus Sanctus aliis. Unde etiam ſancta Mater Eccleſia confitetur Sanctorum Communionem inter articulos Fidei. Et Sancti viri vellent ſemper, quod omnes alii haberent abundantiam gratiarum, ſicut pater (Num. 11.) Dixit Moyſes, ut omnis populus haberet Spiritum ſanctum, & prophetaret, contra illos qui volebant, quod duo prophetantes ceſſarent, & compeſcerentur, ut tacerent. Quod ſi omnino eſt aliquis qui non vult gaudere, ſed dolere de bono Fratrum ſuorum, quia honorantur magis quam ipſe ab hominibus, accedat & ipſe ad eos, & vivat cum eis, & honorabitur etiam cum eis. Hoc etiam quærimus, ut & cœteri moveantur ad idem, & tunc ſic totus Ordo voluntarie reformetur. Sed non faciant, ſicut Simon Magus, qui volebat gratiam Apoſtolorum, ſed nolebat vivere ſicut Apoſtoli, & ideo volebat pecunia comparare donum Spiritus ſancti, quod potuiſſet habere, ſeu habuiſſet ſi voluiſſet vitam Apoſtolorum imitari. His omnibus ſi non nimium fallor confutatis rationabiliter. Una tamen eſt, quæ militat contra me præcipue; non valentes enim quidam negocium impugnare, qui faciem habent bonitatis, & ſanctitatis, retorquent ſuum cuſpidem contra faciem ferientis, dicentes: Si Magiſter vult Ordinem reformare, prius deberet ſe ipſum reformare, & ipſe per ſe conſtitutiones ſervare, & poſtea aliis, ut ſervent mandare. Nam turpe eſt Doctori, &c. Si ergo ipſe circumeundo Ordinem extra oſtenderet talem obſervantiæ modum, & poſtea mandaret, quod alii eum imitarentur, tunc haberet colorem bonum talia ordinandi. Sed nunc videndo, quod ipſe comedit, & bibit, ſicut cœteri, & de cæremoniis Eccleſiaſticis modicum in ſe oſtendit exemplum, turpe videtur, & fictitium, quod velit tales obſervantias ordinare, & tales Reformationes inchoare, cum ipſe non ſit melior prædeceſſo-

ceſſoribus ſuis, qui fuerunt temporibus noſtris, & attentatio novitatum videtur eſſe præſumptionis filia per Doctores. Ad hanc rationem proculdubio alius melius reſponderet quam ego. Quicquid dicam erubeſcere me oportet. Si enim concedam quod dicunt, culpa rubet vultus meus. Si negem, aut opera mea cœteris nota, aut proprii oris laus verecundiæ ruborem adminiſtrabit, vel adminiſtrabunt. Quamobrem licet dicere cum Bernardo in libro de Conſideratione. Parcendum verecundiæ meæ, ideoque potius ſilere deberem, & flere quam aliquid dicere. Verum ne verecundia me retrahat a tam pio negotio, reſpondebo ut potero. Defectuoſum me fateor, peccatorem me non nego, inſufficientem ad tantum regimen me appello, ſed nunquam propter hoc in boni operatione deſiſtam, eſto quod ſint omnia vera, quæ dicunt de me, ac etiam plura, an propter hoc debeo addere mala malis, ut qui per me non ſervo, debeam alios impedire ſervare volentes? Nonne pro peccato omiſſionis veritas ipſa in die judicii dicet hominibus perditis: Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare, &c. Quicquid mali ergo peccator fecerit, non propter hoc debet omittere, ut famelicum paſcat, potet ſitibundum, &c. Alias addet mala malis. Non eſt ergo mihi bonum conſilium Dominicum. Quod, quia ego non facio, facientibus non debeo conſentire: non enim audeo me dicere hujuſmodi facti motorem, ſed bene motui aliorum conſentientem, ſicut in ſupplicatione dixi. Reputarem me reum coram Deo, niſi &c. Præterea, quid etiamſi bonus non ſum, nunquid propter hoc bonos debeo impedire? & quomodo poſſum negare ſubdito meo volenti ſervare, quæ ſcripta ſunt, conſilium, auxilium, & favorem? Nonne Deus in numero illorum me poneret, quibus dicit in Euangelio: Væ vobis, &c. Qui nec vos intratis, nec alios introire permittitis, ſcilicet Regnum Cœlorum. Ab hac ſententia caveant contradictores, ſi velint quia ego volo caviſſe. Cœterum dicunt, quod comedo & bibo, ſicut cœteri. Huic objectioni reſpondeo, cum Domino Salvatore, qui Matthæo atteſtante dicebat, cui ſimilem exiſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis, lamentavimus, & non planxiſtis. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini. Veniunt hi filii S. Dominici non manducantes, & dicunt: Dæmonium habent. Mihi manducanti detrahunt, illos qui volunt non manducare, ſeu jejunare quærunt impedire. Quos ergo volunt promovere, aut quid dicent illis quos commendabunt? Audeo dicere, quod ſi ego fuiſſem hucuſque non manducans cum eis, jam vocaſſent me fatuum, fantaſticum, & forſan arreptitium: non enim ſum ſanctus ſicut Chryſoſtomus, & tamen ipſe quia non manducabar cum Clericis fuit bis depoſitus de Patriarchatu, non ab Hæreticis, ſed a Catholicis, ſed unum eſt,

quod

quod admiror, quod jejunantes in nullo ſcandalizantur de manducatore: manducantes autem mecum detrahunt mihi, hoc genus non videtur prævidiſſe Apoſtolus, qui dixit. Qui manducat non manducantem non ſpernat, & qui non manducat manducantem non judicet. Nunc autem qui manducat manducanti detrahit. Verum ut ſcandala puſillorum horum, qui ut non ſint de illis parvulis quos occidit invidia, neceſſitatum me video ad detegendum defectus meos, fateor quod peccatis meis exigentibus omnipotens Deus me flagellat quotidie, licet non appareat deforis cum corporis debilitate, ita ut jejunium ſit mihi adeo contrarium, quod vel impoſſibile, vel ſit mihi nimis difficile jejunare. Debilitate namque ſtomachi, & capitis vexor quaſi continue, & quandoque paſſus ſum ſyncopin in juventute mea, & quandoque febres ex jejunio, nec diffiteor quin probaverim, & attentaverim multis vicibus contra infirmitatem meam jejunare, & ſi do quingentis vicibus forſitan non de multo errarem, nec unquam habui notitiam alicujus perſonæ timentis Deum quam non conſulerem ſuper hoc, & omnes una voce reſponderunt, quod amplius non debeam conari. Novit enim illa veritas, quæ non fallitur, quod hic dolor ineſt quaſi continue cordi meo, & quod non tantum ter, ſicut dicit Apoſtolus, ſed innumeris vicibus, tam per alios, quam per me Deum rogavi, & tamen nec adhuc merui exaudiri, niſi quod quandoque Beatiſſima Virgo Maria in ſuis vigiliis mihi conceſſit gratiam jejunandi. Hæc voluerunt ſcire detractores mei, & coegerunt me, ut detegerem turpitudinem meam, ut per hæc corrigantur, quia dulce mihi erit admodum, ſi confuſio mea eis fuerit medicina, utinam ſatiati opprobrio meo ipſi reſipiſcant ab impedimento bonorum. Quis mihi det, ut guloſitas mea fiat jejunantibus occaſio pacis forſitan, ſic ero particeps, & ego manducans jejunio illorum, ſi manducationis meæ turpitudo quieſcere faciat detractiones illorum. Poſtremo dicunt & bene, quod ego deberem circumeundo Ordinem bona exempla dare, & ſic Ordinem reformare, fateor: verum dicitur, nec eſt quod contradicere audeam virtuoſæ ſententiæ, puto tamen ſi hoc ſolus facerem, ſociatus longe melius, & perfectius faciam. Si enim cum bono exemplo unus homo faceret, quanto magis ſi centum hoc faciant? immo centum abſque uno facient hoc melius, quam unus abſque centum, & hoc eſt, quod dico vel quæro, ut habeam multos mecum dantes exemplum ad hoc. Sed ſi apponunt, ſe illis centum, quid facerent contra unum, forſitan experientia me docuit, quod unus exemplum non ſufficit. O me miſerum de quot bonis agendis, & de quot malis vitandis, ſeu fugiendis ſunt data multis exempla bona, & non poſuerunt. Coegerunt me ſupra detegere facta mea, nunc cogunt me, ut detegam inſipientiam, audeo, & ego. Exemplum honeſtatis dederunt, & ego, & nedum abſceſſi a malo, licet velut inſipiens dicam, ſed ab omni ſpecie mali. Exemplum humilitatis dederunt, & ego. Exemplum obedientiæ dederunt, & ego, ut minus ſapiens dico plus ego. Non recolo me dum

par-

parui nedum rebellaſſe Prælato me diutius perſequenti, ſed potius elegiſſe honoris, & perſonæ periculum quam in obedientiæ malum, aut obedientiæ fugam. Propter quod forſitan omnipotens Deus ordinavit, ut mihi aliqui obedirent. Ecce ſtultus factus ſum, & inſipiens fateor, ipſi me coegerunt, ab aliis ſibi debuerunt hæc dici, ſed legem non habet neceſſitas: ipſi cogunt, & ipſi audiant. Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſcit, quod non mentior. Elegi potius quandoque intrare carcerem quam fugere Prælatum tunc perſequentem, ut mihi referebant, ſed mitigavit eum Dominus, nec tam acriter perſequutus eſt me, ſicut fueram informatus, vel ſicut forſitan propoſuerat. Si ſtulte gloriari oportet, non expedit quidem, veniam ad dilectionem Fratrum, & caritatem. Si non dedi eis exempla, & documenta mutuæ caritatis, ipſe judicandus ſum nedum a Domino, non tantum a Prælatis, & Superioribus, ſed a vilioribus meis. Ipſos autem detractores ad hoc voco in teſtes, ſi non ſuſcepi infirmos, ſi non conſolatus ſum puſillanimes, ſi diſcordantes non conatus ſum concordare, reſpondeat mihi cras non juſtitia, ſed injuſtitia mea. Plura enim poſſem addere, niſi eſſem inſipiens, veritatem etiam dicerem. Parco autem ne quis exiſtimet me jactantiæ ſpiritu, aut ſuperbiæ faſtu loqui; nullatenus autem taliter aſſero ſupradicta, quin hæc, quæ pertuli juncta fuerint multis defectibus meis, & infinitis negligentiis meis. Sed ad hoc oſtendendum adduxi, quod videlicet, unius exemplum non adeo eſt efficax, ut videntur aſſerere, quantumcunque ſit virtuoſus ad trahendum unam multitudinem ita cito, quod patuit clare in Beato Paulo Apoſtololo, in Joanne Evangeliſta, & in ipſo omnium Salvatore, qui conquerebatur Philippum alloquens in Joanne. Tanto tempore vobiſcum ſum & non cognoviſtis me, &c. Quod ſi hoc in tam viridi, & ſuper fructifero ligno feciſtis, quid in aridiſſimo fiet? Permittant igitur Dominum operari virtutes ſuas, ſuoſque conjungi ſibi, quia durum eſt contra divinum ſtimulum calcitrare. Nec poſſent impedire, quæ divina Juſtitia ordinavit. Magis autem diſponant ſe ad ſequendum Sanctorum veſtigia, & recipiant gratiam Domini, non in vacuum, ſed in benedictione trina. Amen.

Quibus litteris dictus dominus informatus, taliter poſtmodum eſt ſecutum, quod dicta Ordinis reformatio ſequenti anno, videlicet 1391. menſe Septembris, in Conventu Beati Dominici de Venetiis, qui tunc erat deſolatus ex toto accepit exordium per Reverendum Patrem Fratrem Joannem Dominici de Florentia Romanæ Provinciæ, & Reverendum Patrem F. Thomam Ajutami Chriſto de Piſis, qui fuit primus Prior Reformationis in eodem Conventu S. Dominici inſtitutus per Magiſtrum Ordinis prædictum.

Anno Domini 1595. menſe Martii. Cum Magiſter Generalis Frater Raymundus foret in partibus Siciliæ Apoſtolicus Nuncius, ſcripſit litteras exhortatorias, quas direxit cuidam Reverendo Patri Magiſtro Bartholomæo

mæo Dominici de Senis tunc Provinciali Provinciæ Romanæ, & totius Italiæ ejuſdem Magiſtri Generalis Vicario. Quarum litterarum tenorem hic ſubjiciam, ut omnes aperte videant quanto zelo movebatur prædictus Generalis Magiſter ad Ordinis reformationem & profectum.

In Dei filio ſibi cariſſimis & dilectis fratribus tam præſidentibus, quam ſubditis ſive in Provinciis, ſive in Conventibus cujuſcunque gradus, dignitatis, aut conditionis exiſtant Ordinis Prædicatorum, Frater Raymundus ejuſdem Ordinis Magiſter ſalutem, & Chriſtum Dominum imitari efficaciter. Urget neceſſitas multiplici ratione dilectiſſimi fratres mei, quod univerſitati veſtræ in præſentiarum aliquid ſcribam, ut qui, cogente obedientiæ ſanctæ Eccleſiæ, ac Vicarii Jeſu Chriſti vobiſcum perſonaliter eſſe non poſſum, ſaltem per Epiſtolam & Scripturam vobiſcum valeam converſari. Sane antequam ad exhortationem veſtram deſcendam, tenebo conſilium ſapientis, qui dicit, quod Juſtus in principio ſermonis accuſator ſui eſt. Primo & ante omnia me reum vobis proclamo, quia vel a quattuor, vel a quinque annis citra non diſcurri per Ordinem, ut ſolebam, nec hortum plantationis B. Dominici, ut videtur aliquibus, ſicut hortulanus diligens viſitavi, nec ſervitio veſtro (ut teneor, & aliqui ex vobis forte deſiderant) operam dando vacavi. Verum licet in his, & in aliis me defectuoſum noverim incunctanter, veritatem tamen fateor coram vobis, & eſt teſtis ille a quo cuncta creata veritas derivatur, quod nulla res in hac vita data, vel dabilis eſt, quæ ad hanc negligentiam me duxiſſet, ut exiſtimo, niſi eſſet amor univerſalis matris fidelium, videlicet Eccleſiæ ſanctæ & Catholicæ, quæ nunc proh dolor tot turbines patitur torque tempeſtatum procellas cogitur ſuſtinere, ſed & diviſiones rebellionum nec non & guerrarum mala ipſam aſſidue vexare ubique non ceſſant. Quamobrem non puto aliquod cor eſſe fidele, quod tam excellenti matri non compatitur ex intimis, & non tenetur ad ipſam, juxta ſuum modulum adjuvandam. Hæc ego recogitans memoror me legiſſe ſanctos Patres antiquos ſemper idem feciſſe, hoc & Beatiſſimum Papam Gregorium dum eſſet Monachus de quiete Monaſterii ſui traxit, & uſque Conſtantinopolim eum tranſmiſit pro negociis Eccleſiæ prælibatæ. Hæc eadem cauſa B. Bernardum de Monaſterio ſuo Clarevallenſi exire coegit, tempore quo fuit ſchiſma in Eccleſia & contra Innocentium Papam quidam Papa inſurrexit, qui quatuor annos infeſtavit Eccleſiam, nec deſtitit a labore ſanctus Pater, & Abbas tot Monachorum, quouſque ſchiſma illud ſedatum eſt, ſed ut magis loquar ad propoſitum noſtrum, & de propriis producamus in medium, quid movit B. Dominicum Patrem noſtrum ſanctiſſimum ad egrediendum de quiete Religionis Canonicæ in qua lucebat ſicut lucerna ſuper Candelabrum, & ad partes Tholoſanas ſe transferendum necnon, & tantum Ordinem producendum, niſi zelus Catholicæ fidei, ac Eccleſiæ ſanctæ Dei, necnon & ſalus animarum pro quibus omnibus

totus ardebat, propter quod virtus ſibi conceſſa ex alto, ita eſt inſerta viſceribus filiorum ſuorum, quod ex illo zelo multi ſumpſere martyrium, quorum Petrus inclytus Signifer eſt inventus. Multi denique ac quam multi ſe ſapientiæ Catholicæ, ac doctrinæ totos dedicarunt, inter quos Divus Thomas tanquam Lucifer ignorans Occaſum, & ut Stella matutina reſplenduit. Porro ſi tanti, ac tales Patres, & glorioſi Doctores pro iſta fulgente matre Eccleſia univerſali ſe tantum expoſuerunt laboribus & propria utilitate ad tempus neglecta, nullus veſtrum obſecro mihi iraſcatur, aut ſcandalizetur in me, qui nec ſum dignus tantorum Patrum aſpectibus præſentari, nec etiam poſt ipſos inter eorum ſequaces connumerari, ſi ejuſdem univerſalis matris amore ſaltem aliqualiter trahor ad ſequendum ſanctorum Patrum veſtigia virtuoſa. Nec in hoc vos deſero dilectiſſimi Patres mei, ſed potius pro vobis continue certo & pugno, ut poſſitis quietius, & devotius Deo deſervire, pacificata ſi conceſſerit Dominus, ſicut ſpero, Eccleſia ſancta ſua: Cæterum iis præmiſſis ad accuſationem, & excuſationem mei, ſuper dilecti, obſecro vos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri ut ambuletis digne Deo per omnia placentes in caritate radicati & fundati, & ſicut viri pacis æternæ præcones ſitis pacifici, ut merito vocemur filii Dei, & Patris noſtri Dominici ſemper tenaces hæreditaris virtuoſæ, quam nobis in teſtamento ſuo ſancto reliquit, idem Athleta mirificus B. Dominicus, dicens: Charitatem habete, humilitatem ſervate, paupertatem voluntariam poſſidete. Ubi ſanctus Pater Regina virtutum, & forma præmiſſa caritate, videlicet, cuſtodem ejus humilitatem ſubjunxit, & pro ipſius humilitatis cuſtodia & perſeverantia, ſubjunxit voluntariam paupertatem. Cuncta nociva vitia ſic pauciſſimis verbis extinguens, ut ſanctos nos redderet, & Deo placentes, excludenſque per humilitatem ſuperbiam, & per voluntariam paupertatem tam avaritiam, quam hujus ſeculi, & carnis oblectamenta, per caritatis fervorem cuncta ſpiritualia ſimul abſcidit. Pudeat igitur unumquemque veſtrum tanta hæreditate, & tam grata Deo privari. Nec pigeat per ejus acquiſitionem laborando, vigilando, legendo, orando, & ſanctis meditationibus animam muniendo, nec non regularibus obſervantiis, quibus in hac vita dirigimur verſus cœlum abſque tædio inſiſtendo. Et quia in qualibet Congregatione ſunt gradus diviſi, ſicut providentia divina diſpoſuit, ſi qui inter vos ſunt debiles, & infirmi, qui difficiliores obſervantias aut non attingunt, aut attingendo nimis laborant, non propter hoc invideant fratribus ſuis quos ſancta vident obſervantia delectari. Immo potius ipſos honorent, & revereantur, & quantum eſt eis poſſibile imitentur: non enim æqualiter unicuique data eſt gratia virtutum ab illo ſpiritu, qui dividit ſingulis prout vult, ſed unuſquiſque gratiam ſibi datam in juſtificationem propriæ mentis poſſideat, & quantum conceditur ſibi, augmentare contendat, ut ad bravium a Deo deſtinatum poſſit finaliter

ter pervenire, ac ſerto perpetuo coronari, hoc pro tanto dixi fratres mei, quia iſtis temporibus meritis, & precibus B. Dominici Patris noſtri vobis & mihi conceſſa eſt gratia non modica, ſi voluerimus intelligere donum Dei, dum plures ex fratribus noſtris, & meis per diverſas mundi partes abſque coactione quacunque, inſtinctu Spiritus-ſancti moti pariter & permoti perfectionis Apoſtolicæ, & virtutum celſitudinem contendunt attingere, tam per integram obſervantiam regularem, quam etiam per zelum ſalutis animarum, & doctrinam veridicam, juxta exempla Patrum noſtrorum ſanctorum, qui iſtum ſanctum Ordinem fundaverunt ſimul, & ordinaverunt. Quam crudelis igitur ille eſſet, quantaque pena mulctandus, aut puniendus, qui tam ſalubre propoſitum, tam virtuoſum progreſſum, tamque laudabilia opera impediret, profecto infideli eſſet deterior, & fidei hoſte perverſior, qui pugiles ejuſdem fidei, invidiæ, aut odii ſtimulo impugnaret. Hoc enim fecerunt perfidi Judæi, hactenus contra ſanctos Apoſtolos. Hoc etiam infideles principes paganorum operati ſunt, cum ſuis ſequacibus, antiqui Hæreſiarchæ, hi etiam fuerunt actus crudelium tirannorum, videlicet, contra Deum & ſanctos inſurgere, virtuoſos pro viribus perſequi, & juſtos in ſuis operibus impedire, hoc dilectiſſimi Fratres mei abſit, abſit, tam a me, quam a vobis, quod inter tales perfidos numeremur, quod opera tam crudelium hominum operemur, aut ipſos quomodolibet in noſtris actibus imitemur. Sequamur potius conſilium Sapientis (Proverb. 30.) Qui docet benefacientes non prohibere, ſed inde ſubjungit. Si potes & ipſe bene fac. Verum, quia novi omnem Congregationem habere triticum, & zizaniam, nec magis privilegiatam Scholam eſſe B. Dominici Schola Chriſti, quæ cum undecim Judicibus ſæculi unum habuit diabolum eis adjunctum, ſi quis quod nunc abſit inter vos inventus fuerit impeditor, aut perſecutor operam tam piorum & fratrum ſuorum recte viventium, non putet me ſecum habere, niſi ſicut hoſtem ſuum in capite, & perſecutorem aſſiduum, ac indefeſſum uſque in finem: ſufficit enim zizaniæ ſi dimittitur uſque ad meſſem, ut habeat ſpatium ſe convertendi in triticum, ſed ſi zizania vult triticum eradicare, per pias manus eradicabitur ipſa prius. Abſit namque a me non ſolum, quod inter perſecutores Sanctorum inveniar, ſed quod talibus perſecutoribus non reſiſtam, aut ipſos pro viribus non expugnem, nec aſſumat aliquis talis ſuæ iniquitatis colorem, ſicut olim faciebant Hæretici, qui ſub pietatis ſpecie, lupinam rabiem occultabant, dicendo videlicet, quod iſtud videtur noſtri Ordinis eſſe diviſio, dum quidam dicuntur obſervantes, quidam non, faciliter reſpondetur. Primo, quod in quolibet Ordine ſemper fuit iſta diviſio, videlicet quod quidam fuerunt perfectiores, & quidam non minus perfecti, quidam ſanctiores, & quidam non ita ſancti. Nec propter hoc dicitur, quod minus perfecti, aut minus ſancti ſunt mali, de bonitate aliorum nec eis in aliquo derogatur, immo potius meritum augmentatur ſecundum illum Articulum fi-

Aaaa 2 dei,

dei, qui docet eſſe Communionem Sanctorum. Propter hoc, & ſanctus Doctor noſter determinat, quod Religioſus in his, quæ ſunt contra votum ſuæ Religionis ſi offendat, minus offendit quam ſecularis, propter merita Sanctorum virorum, inter quos vivit, quæ ſibi communicantur indubie. Secundo clarius talibus reſpondetur, quod ſi intelligerent propriam vocem quam exprimunt, nunquam dicerent tales poſſe dividere Ordinem. Videant quid ſignificat hoc vocabulum Ordo, & quid hoc verbum dividere. Ordo enim ſane intelligendo ſignificat congregationem fidelium, Regula, & aliis ordinationibus, ſeu inſtitutionibus ordinatam, ex quo ſequitur, quod illi conſtituunt, & ſtatuunt Ordinem, qui ſecundum Ordinem, Regulam, & Inſtitutiones ſunt ordinati. Dicere igitur, quod obſervantes Regulam, & Inſtitutiones, dividunt Ordinem, non eſt aliud dicere, niſi quod qui Ordinem faciunt, conſtituunt, illi deſtruunt, & dividunt illum, quod eſt clare contradicere ſibi ipſi, & miror quod aliqui litterati, & intelligentes viri de hac contradictione non perpenderunt, quod & claro exemplo intelligentibus demonſtratur. Si enim ſancta Eccleſia, quæ nihil aliud eſt, quam congregatio fidelium quando aliqui ex fidelibus ſe voluerint ultra alios voto Religionis aſtringere, & ab aliis communiter viventibus ſeparari, putaſſet per hanc ſeparationem talium eſſe dividendam Eccleſiam, nunquam Religionem aliquam confirmaſſet, aut etiam quomodolibet permiſiſſet. Et licet illud exemplum excedat noſtrum propoſitum, quia in caſu noſtro nullus promittit plus quam alius, ſed ſola differentia eſt inter perfectionem, & imperfectionem actus obſervandi, nihilominus tamen ex illo arguitur hic a majori. Quod ſi per illam ſeparationem, quæ fuit major quam iſta, non fuit diviſa Sancta Mater Eccleſia, immo potius confirmata etiam roborata, ac etiam exaltata, multo minus per hanc ſeparationem Ordo noſter dividitur. Diſcant ergo quid ſit Ordo, & quid ſit dividere, & tunc diſputent de Ordinis diviſione. Nam illi qui ſervant Ordinem integraliter non poſſunt dici dividentes, vel deſtruentes, ſed illi potius, qui non ſervant. Quomodo namque dividunt illi, qui omnia conſtituentia Ordinem uniunt obſervando? Et quomodo non dividunt illi, qui quædam ſervant, quædam non? aut ut ex ſtomacho loquar, qui quodammodo nihil ſervant, & qui ſine cauſa ſunt in Ordine etiamſi inde non projiciantur, ut dicit Beatiſſimus Pater Auguſtinus in Regula. Hi ſunt dividentes, & deſtruentes qui perſequuntur bene viventes, & bene facientes impugnant. Porro ad hanc diviſionem quidam adducunt, quod hi qui hac obſervantia delectantur in eodem Conventu, cum aliis ſtare volunt, & etiam per me petitur unus Conventus tantum in qualibet Provincia pro Fratribus talibus, ut patet in littera mea. Unde apparet, & quod ex his diviſio ſubſequatur. Adducunt quod ſequitur etiam quædam confuſio, & potiſſime in locis, ubi habemus duos Conventus, quia unus Conventus aliter vivit quam alius, & adducunt quædam ſimilia contra hoc ſanctum opus. Ad iſta autem omnia

nia reſpondetur per quandam interrogationem cum disjunctione prolatam. Et interrogo unum obloquentium hujuſmodi. An ego, ſeu quicunque Rector unius Religionis debeam, ſeu debeat dare operam efficacem, quod ſubditi ſervent ſuam Regulam, vel non? Si non, ad nihilum valet totum officium noſtrum. Si autem dicant quod ſic, ergo non eſſem reprehendendus ſi omnes cogerem ad ſervandum ea, quæ ſcripta ſunt tam in Regula, quam in Conſtitutionibus noſtris ipſique indubitanter ex voto ſuæ profeſſionis mihi tenentur efficaciter obedire, & ſi non facerent, venirent contra votum ſolemne ſuæ profeſſionis. Sic enim omnes, & ſinguli ſunt profeſſi obedire, videlicet Magiſtro Ordinis Fratrum Prædicatorum, & ſucceſſoribus ejus, ſecundum Regulam Beati Auguſtini, & Conſtitutiones Fratrum Prædicatorum uſque ad mortem, & quamvis Conſtitutiones de ſe non obligent ad culpam, ſed ad pœnam, ubi tamen accederet præceptum Prælati, qui poteſt præcipere: per non ſervantem, culpa committeretur mortalis, & pœna æterna proveniret ei ex culpa. Nunc autem quia fragilitati communi, & generali compatior, & nolo ſuper animas mihi commiſſas, onus grave adjicere, ne more indiſcreti Medici occidam, quem volo a morbo curare, nunquid debeo eos ex toto negligere, aut non per omnem viam poſſibilem quærere, ut ſervent quod ſcriptum eſt. Quæ autem via melior quam per ipſorum voluntatem a ſpiritu Dei motam? Profecto hic motus & perfectior, & diuturnior eſſe debet. Tum quia ſic primo motore ſpecialiter agente, tum quia non violenter, ſed libere procedit in actum. Quod ſi Dei gratia me juvante in aliquibus hoc reperio; quid obſecro ſum acturus, nunquid tales impediturus, an promoturus? nonne me reum mortis eſſe conſtituo coram Deo judice cuncta cernente, ſi hanc gratiam in vacuum inveniar recepiſſe? Propter hoc etiam periit Jeruſalem cum Judaico populo: quia non cognoverunt tempus viſitationis ſuæ: & gratiam ſibi factam. Si autem de neceſſitate ſalutis, tales debeo promovere, juvare, atque ſovere juxta gratiam, nunquid non debeo removere omnia impedimenta ipſos removentia a ſancto propoſito? Conſtat vero quod ſicut virtus unita fortior eſt ſeipſa diſperſa, ſic ſancti Dei ſimul uniti, perfectius agunt ſe adinvicem. Verbo & exemplo omnes ad bene agendum hortantur uniformiter omnes agendo, impedimentum autem hujuſmodi eſſet difformitas actionum, ut autem iſtud removeatur, ordinavi ſaltem de uno Conventu, non quin plures haberem libentius & libentiſſime omnes, ſed tamen ſequens illum verſum. Debile principium melior fortuna ſequetur, nunc fui contentus de uno, ut decentius, & diſcrete procederem ad alios attrahendum. Quis eſt etiam fratres mei, meæ intentionis in hoc operæ finis, niſi omnes fratres ad idem attrahere, & ſic totum Ordinem promovere in bonum? Hoc eſt quod opto, hoc eſt quod votis omnibus concupiſco, ut mediante gratia Salvatoris, cum coram eo fuero præſentatus dicere valeam: Domine quinque talenta tradidiſti mihi. Ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.

Quod

Quod namque facere non valeo per præceptum, & coactionem propter communem, & generalem fragilitatem, agere ſatago per iſtorum exemplum, & attractivam caritatem, & ſic omnes perficiamur per Deiformem ſanctitatem. Quicunque autem ſit ille, qui more Phariſæorum nec ipſe vult intrare, nec alios ingredi permittit ad bonum, ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & tam a dæmonibus, quam ab hominibus conculcetur. Verum ſi adhuc ex abundantia miſericordiæ non foras ejiciatur, reducendus eſt ad id, quod ſolemni voto promiſit, & poſt hæc arctandus eſt per præceptum, ut ſervet ea, quæ ſcripta ſunt, nec poteſt ab ipſo præcepto quomodolibet reclamare, quia nihil de novo injungitur ei, ſed tantum ea, quæ ſcripta erant, quando ipſe fecit profeſſionem. Quod ſi dicat indiſcretum eſſe præceptum, & indiſcretum præcipientem, petatur ab eo, quis magis ſit indiſcretus, an Prælatus præcipiens, ut ſervet ea quæ ſua Religio dictavit, & ſcripſit, an ipſe qui non contentus de ſua tranſgreſſione alios, qui volunt ſervare quantum eſt in ſe cogit ad tranſgrediendum, quaſi arena maris apud intelligentem gravior appareret indiſcretio ſua, ſi non fallor. Quamobrem ſic me oportebit agere cum quibuſdam, qui ſemper murmurant de actibus virtuoſis, & nituntur contra Prælatum, ut videlicet arceam eos, vel ad dimittendum fratres ſuos bene agentes in pace, vel ad ſervandum omnia, quæ illi ſervant. Nullam etiam excuſationem habere poſſunt, quare non poſſint ſervare illa, quæ ſervant illi, niſi propriam voluntatem, cui abſque dubio in profeſſione renunciaverunt. His itaque præmiſſis, reſpondetur ad illa, quæ ſuperius fuerunt objecta. Primo, quod propter difformitatem vitandam, & obſervantiam Religionis in melius provocandam, melius eſt, maxime in hoc principio, quod tales habeant Conventus per ſe. Secundo, quod ego non peto unum Conventum præciſe, quia libentius haberem plures, & libentiſſime omnes, ſed ſic incipio ex pura diſcretione, ut pedetentim in melius procedatur, & nonniſi ex Fratrum libera voluntate. Tertio, quod in locis, ubi ſunt duo Conventus, hoc opus perfectius proſperatur, nec attendunt ſeculares, quod iſti ſervant, & illi non, ſed dicunt quod Ordo Prædicatorum habet multos ſanctos viros & bonos, faciamus eis bonum. Sicut apparet in Conventibus Venetiis, ubi occaſione Fratrum, qui erant in Conventu Minorum ſuam Religionem ſervantium procurata ſunt circiter xx. millia florenorum, & ultra pro Conventu majori, & amore iſtorum alii conſecuti ſunt non parvum emolumentum. Poſtmodum concludo poſt omnia, quod ſitis pacifici & quieti, ſicut veri filii Patris veſtri Beati Dominici. Et Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum, quem obſecro pro me orate aſſidue, ſicut ego indefeſſe oro pro vobis, cum quo & in quo ſemper valete. Datum Panormi Anno Domini 1395. die 16. menſis Martii.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM
IN TRACTATUM
JOANNIS EXCURIA.

Joannes Excuria Flander Ord. Præd. ſub Magiſtro Generali Martiali Auribello amplificandæ reformationi ſedulam navavit operam. Eidem Carolus Dux Burgundiæ litteras dedit, quibus ſignificavit, ſe apud Generalem, ad quem jam ſcripſerat, curaturum, ut univerſus Ordo, ſed præcipue in Regionibus ſuæ ſubjectis poteſtati, reformetur. Ut autem tam arduum negotium ſecurius exequi poſſit, petit ut ſtatus Religionis, & diſcrimen collapſæ, a reformata diſciplina, & utrum Religioſi Conventuales ſint in ſtatu damnationis, ſibi explicetur. Pro ſolido reſponſo tractatum compoſuit *Joannes Excuria* Congregationis Hollandiæ Vicarius Generalis operam conferentibus Patribus Andrea Carnificis Priore Duacenſi, & Pagano Dollo Sacræ Theologiæ Magiſtris, qui editam lucubrationem ad præfatum Ducem detulerunt anno 1471. Typis prodiit Toloſæ anno 1605. in 12. & Bernardinus Gauſellinus eamdem in ſuis miſcellaneis recuſam anno 1618. inſeruit. *Excuria* in hoc ſuo tractatu, ut votis piiſſimi Ducis faceret ſatis, ſtatu Ordinis expoſito, in id præcipue incumbit, ut oſtendat Regulares relaxatæ diſciplinæ graviſſimo æternæ damnationis periculo obnoxios eſſe, & ſophiſmata, quæ contra certiſſimam ſententiam opponi ſolent, nullo negotio elidit. Sic enim exponit ſuam ſententiam (2. par. art. 3.) *Modus ille vivendi quorundam Religioſorum, in quo Regula, & Patrum ſtatuta, ſeu Conſtitutiones raro, vel nunquam ſervantur, ſed paſſim, & quaſi ſemper tranſgrediuntur, quantum eſt ex ſe judicandus eſt damnabilis, quia ſuos amatores, & defenſores, ſi ſic moriantur, inevitabiliter damnat*. Ad objectionem vero vulgarem, quæ communiter opponi ſolet, ſic peroptime reſpondet. *Quod viri docti honeſtatis fama præclari, doctrina, & exemplari vita fulgentes in eodem (ordine collapſo) inveniantur: eſt ad ſolas gratias perſonales omnimode referendum, & ſoli Deo penitus tribuendum: Non autem quod modus ille vivendi quippiam ſalubritatis ſuis afferat cultoribus, nec privilegium paucorum trahendum eſt ad conſequentiam multitudinis*. Adde omnes iſtos qui pietatis fama ſplendere dicunt, omni ſtudio, ac toto conatu reformationem promovere, moreſque ſuos ad Regulæ præſcriptum conformare, quoad fieri poteſt: ſolaque neceſſitate cogente in Cœnobiis remiſſæ diſciplinæ commorari. Si enim reformationem aut recuſarent, aut pro viribus non promoverent, aut, data opportunitate, ad Cœnobia reformata non ſe conferre

cura-

curarent. ſed deliberate in laxatæ diſciplinæ cœtibus ubi nulla omnino ſpes affulget futuræ reformationis, permanerent, tunc non boni, ſed mali dubio procul eſſent. Quoniam qui libere verſatur in occaſione proxima violandi, ſive votum, ſive præceptum exactæ communitatis graviter juxta omnes Theologos peccat, & hic finem præfandi facio.

EPISTOLA

CAROLI DUCIS BURGUNDIÆ,

ad Fratrem Joannem Excuria, Vicarium Conventuum Reformatorum Congregationis Hollandiæ, Ordinis Prædicatorum pro reformatione Religionum feliciter incipit.

ANno ſuperiori ſcripſimus Reverendiſſimo P. F. Marciali Generali Magiſtro Ordinis veſtri ſuper Reformatione Conventus dicti Ordinis veſtri in villa noſtra Vallecenſi, qui demonſtravit ſe noſtro deſiderio in hac parte velle obtemperare, ſcripſitque id ſe facturum fieri per Provincialem Franciæ. Quod quidem nondum factum eſt. Quoniam autem optamus plurimum, dictam Reformationem fieri nedum in dicto Conventu, ſed etiam per totam ipſam Religionem veſtram, præſertim in patriis, & terris nobis ſubjectis, vobis ad præſens ſcribimus, voſque rogamus & requirimus, quatenus quantocius facere poteritis: habito primum adviſamento aliquorum peritorum Fratrum Ordinis veſtri, & Congregationis mittatis nobis per ſcriptum veram naturam ſtatus Religionis obſervantiæ: & non obſervantiæ.

Quis eſt defectus: quodve periculum Religioſorum non obſervantium. Et quis eſt modus convenientior procedendi ad dictam reformationem, ad hunc finem, videlicet, ut viſis his, quæ nobis ſcribetis poſſimus facere provideri in ampliori modo quo oportebit, & rationabiliter fieri debebit pro bono dictæ Religionis. Ex Abbatis Villa, 2. Septembris, 1471.

Reſcriptio ejuſdem F. Joannis ad eundem Principem.

PLacuit per certas litteras veſtræ præcelſæ generoſitatis requirere informari, De natura Religionis. De obligatione Religioſorum. Et quid ſit obſervantia. Deque periculo Religioſorum non obſervantium. Ac de modo reformandi. Metuendiſſime domine obediens litteris veſtris, ac beneplacito congregavi quoſdam de notabilioribus Patribus Religio-

ligioſis Conventuum reformatorum in his proximioribus terris Patriæ veſtræ: quorum adviſamento præhabito, mitto ad eandem præcelſam generoſitatem, videlicet, duos Religioſos noſtræ Societatis de reformatione, videlicet F. Andr. Carniſecis Priorem Conventus noſtri in villa veſtra Duacenſi, & Fratrem Paganum Dollo Lectorem noſtri Conventus in Villa veſtra Inſulenſi, ambos Doctores in Theologia ad præſentandum veſtræ præcelſæ D. parvam & humilem reſponſionem noſtram in ſcriptis ad ipſas veſtras de reformatione quæſtiones, humiliter ſupplicantes indulgentiam nobis dari, & ſupportationem, ſuper dilatione temporis, & tenuitate reſponſionis: quoniam non potuimus commode citius pariter convenire, aut aliter melius pro hac vice providere. Ex Gandavo XII. Octobr. 1471.

In præmiſſis reſponſionibus Præfatio incipit.

PRæcelſo, potenti, ac metuendiſſimo D. Carolo Burgundionum duci ſtrenuiſſimo Frater Joannes Utin, in ſacra pagina licentiatus Vicarius Generalis indignus Reverendiſſimi Magiſtri Marcialis Auribelli Generalis Magiſtri Ordinis Prædicatorum, ſuper Conventus Reformatos Congregationis Hollandiæ Ordinis ejuſdem, ac cœteri Fratres ejuſdem Ordinis, & Congregationis ad hoc vocati: poſt totius ſubjectionis humillimam recommendationem omnem poſſibilem promptitudinem famulandi. Veſtræ generoſæ celſitudinis litteras recepimus: quibus eadem celſitudo veſtra requirit informari a nobis de vera natura Religionis obſervantiæ, & non obſervantiæ. De obligatione Religioſorum. De periculo Religioſorum non obſervantium. Ac demum de reformandi modo. Super quæ maluimus eam quam in nobis cognoſcimus peritiæ, eloquentiæ, ac omnis conſilii penuriam in palam venire: quam immortali & tam Religioſæ veſtræ devotioni pro viribus famulando non aſſurgere. Veſtræ igitur celſitudinis ejuſdem tam piæ intentioni pro modulo ſerviendo ac requiſitioni parendo: abſque forma libri, vel tractatus humilem noſtram reſponſionem, per ſolas quaſdam advertentias, aut articulares ſententias conſcripſimus. Attendentes autem materiæ granditatem: nec ſenſus noſtri tenuitatem ignorantes, ſubmittimus hanc noſtram reſponſionem, poſt prælibatam V. Cel. clarioris intelligentiæ viris, profundioris ſenſus, & propenſioris conſilii, præſertim Generali Magiſtro Ordinis noſtri ſuoque Capitulo.

Explicit Præfatio.

PRæſentem autem reſponſionem, ſtatuimus in tres dividere partes principales. In prima parte de ſtatu Religionis aliqua præmittentur. In ſecunda de obſervantia, & non obſervantia, ſeu deformitate, atque non obſervantium periculo ſubjungetur. In tertia de reformatione, & modo reformandi finalis reſponſio ponetur. Prima autem pars tres continet Arti-

ticulos. Primus de natura ſtatus Religionis. Secundus qualiter dicatur ſtatus perfectionis. Tertius de rigore ſuæ obligationis.

De natura ſtatus Religionis, primus Articulus continet ſequentes conſiderationes.

Prima eſt, quod nomen Religionis interdum ſignificat quandam virtutem moralem annexam juſtitiæ Cardinali virtuti. Et eſt virtus, quæ cuidam naturæ, quam divinam vocant, cultum cœremoniamque affert, ut dicit Tullius, qua inclinamur ad exhibendum Deo debitum cultum. Interdum autem ſignificat quendum ſpecialem modum vivendi in Eccleſia, eorum, ſcilicet, quorum recta vita ad divinum cultum per votum ſolemne deputatur immobiliter. Et iſto modo ſignificat ſtatum in Eccleſia, cujus Profeſſores dicuntur Religioſi. Hic autem vivendi modus incæpit tempore Apoſtolorum. Ut patet per Dionyſium de divinis Nominibus, qui vocat hujuſmodi homines theopentas. Et iſte ſtatus dicitur ſtatus Religionis. Status quidem a formalitate, quæ ſequitur obligationem voti. Religionis autem, quia hujuſmodi ſtatus ſpecialiter deputatur ad divinum honorem, & cultum. Dicitur autem ſive ut virtus, ſive ut ſtatus a religando, ſive a relegendo, aut a religendo: Religioſi enim relegentes, id eſt, frequenter legentes ea, quæ ad cultum Dei pertinent, & relegentes, quæ interdum negligunt religantur, ideſt poſt ligationem qua cum cœteris ligantur ad mandata, religantur, ideſt, iterato ligantur ad aliqua conſilia.

Quo ad Secundum Articulum ſequuntur conſiderationes, quod ſtatus Religionis dicatur, & ſit ſtatus perfectionis.

Et quia magna perfectio eſt omnibus relictis Chriſtum ſequi. (Matth. 19.) Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni, ſequere me, quod maxime ſtatus Religionis importat: cujus profeſſores ſpeciali conſiliorum, & nedum mandatorum ſequela Chriſtum ſequuntur. Ideo ſecundum Dionyſium bene dicitur ſtatus perfectionis. Et ulterius quam perfectio Chriſtianæ vitæ conſiſtit in perfectione caritatis, quæ eſt ſecundum Apoſtolum vinculum perfectionis: ideo cum dicitur, quod ſtatus Religionis eſt ſtatus perfectionis debet intelligi, quod eſt ſtatus perfectionis caritatis. Attendendum eſt ergo, quod duplex eſt perfectio caritatis in hac vita. Quædam enim eſt communis, & omnibus mandata, ſeu præcepta. (Matth. 5.) Eſtote perfecti, &c. Et ad iſtam obligantur omnes homines indifferenter. Alia eſt perfectio caritatis ſpecialis, quam attingere, aut ad ipſam ſpeciali modo tendere non eſt omnibus neceſſe. Pro cujus intellectu clariori notandum eſt, quod omnis amor hominis: in duos generali diviſione ſecatur, ſcilicet, in amorem quo aliquid diligitur propter ſe, qui vocatur fruitio, & in amorem quo

quo aliquid propter aliud diligitur, qui vocatur uſus. Si ergo Deus diligitur non propter ſeipſum, ſed per modum uſus, ſcilicet, propter aliud principalius dilectum, profecto amor iſte malus eſſet, & mortaliter culpabilis. Auguſt. Nihil iniquius quam uti fruendis, & frui utendis. Si autem Deus diligitur propter ſeipſum, & omne aliud propter eum, amor iſte perfectus eſt, comparatus ad præcedentem. Cum autem omnes teneantur ad hanc perfectionem caritatis, quæ dicit excluſionem omnis contrarii caritatis, quod eſt peccatum mortale, quo aliquid diligitur non propter Deum; de iſta perfectione non eſt ad propoſitum. In iſto autem modo generali diligendi Deum, quo ſcilicet nihil diligitur contra, ſupra, vel æque ad Deum: inveniuntur adhuc tres gradus. Primus eſt eorum, qui adhuc incipiunt bene agere, & pugnare contra vitia, qui vocantur incipientes. Alii jam arripiunt viam progrediendi ad virtutes, vel per virtutes, & vocantur proficientes. Tertii vero aliquomodo attingunt terminum ſoli Deo inhiantes, & eo fruentes, contemnentes mundana & ſeipſos: cupientes diſsolvi, & eſſe cum Chriſto, diligentes amicos, & inimicos, & iſti vocantur perfecti.

Sicut de Noe dicitur (Gen. 7.) quod Noe vir perfectus cum Deo ambulavit, & fecit quæcunque præcepit ei Deus. Ab iſta ergo perfectione ſpeciali, dicitur ſtatus Religionis eſſe ſtatus perfectionis. Sed tamen eſt iterum advertendum, quod ſtatus aliquis dicitur perfectus dupliciter. Uno modo, quod ſit ſtatus perfectorum, ſeu perfectionis acquiſitæ, aut quod ſit perfectibilium, & perfectionis acquirendæ. Status ergo primus Epiſcoporum eſt, ſed ſecundus in propoſito eſt Religioſorum. Epiſcopi enim ſecundum Dionyſium ſunt perfectiores, ſed Religioſus nomen ſubjectionis habet, & diſcipulatus, ut habetur in decretis,

E P I L O G U S.

Sic ergo pro reſolutione, ſtatus Religionis eſt ſtatus perfectionis, id eſt, in qua tanquam in ſchola per modum diſciplinæ tenditur ad ſpecialem perfectionem caritatis. Quo ad tertium Articulum, qui eſt de obligatione Religioſorum, ſequuntur aliquæ conſiderationes.

EX duobus Articulis præcedentibus ſatis patet, quod non eſt idem perfectum eſſe, aut tendere ad perfectionem, & eſſe in ſtatu perfectionis. Multi enim faciunt ea ad quæ non obligantur, & multi non faciunt ea ad quæ obligantur. Status autem importat firmitatem obligationis per votum ſolemne, ut dictum eſt. Dimiſſa ergo obligatione Epiſcoporum juxta ſtatum ſuum: dicendum eſt de obligatione Religioſorum.

Prima Conſideratio.

Religioſi obligantur ad aliquid ſub periculo æternæ damnationis, ſive perditionis, ad quod non Religioſi communiter, inquantum hujuſmodi non obligantur. Patet per nomen ſtatus, importans obligationem: & Religionis, importans ſpecialem ligationem.

Secunda Conſideratio.

Item Religioſi in Schola Religionis obligantur tendere ad ſpecialem perfectionem caritatis, per Dionyſium, cum ſint Diſcipuli in illa Schola, ut ex decretis patet.

Tertia Conſideratio.

Item licet obligatio incluſa in ſtatu Religionis non ſequatur abſolute naturam rerum ex divino mandato, puta, quod omnes homines teneantur carere proprio, ſeu non ducere uxorem, ſequitur tamen ex conditione eſſentiali ſtatus quem profitetur propter votum. Votum enim obligat ad illud bonum ſupererogationis ad quod quis alias non tenetur. Diſplicet enim Deo ſtulta & infidelis promiſſio, inquit Sapiens. Et in Pſal. Vovete & reddite, &c.

Quarta Conſideratio.

Obligatio cujuslibet Religionis debet intelligi ſecundum naturam voti emiſſi in profeſſione, per relationem ad intentionem Spiritus-ſancti inſpirantis ingreſſum Religionis, ut dicit S. Thomas, & Eccleſiæ approbantis Religiones, & non ſecundum intentionem profitentis, ſi aliter intenderet. Quod dicitur propter quoſdam dicentes ſe non obligari ad multa, quæ eis declarantur pertinere ad Ordinem ſuum; quia non ſic intendebant.

Quinta Conſideratio.

Quia ergo, ut dictum eſt, ſtatus Religionis obligat totam vitam profitentis, ut perpetuo tendat in perfectionem ſpecialem caritatis; neceſſe eſt, ut removeat impedimentum, quod de ſe impedit hujuſmodi perfectionem caritatis, quia perfectio caritatis de qua hic loquimur, etiam ſecundum quam ab effectu hominis excluditur, non ſolum illud quod contrariatur caritati, ut dictum eſt de alia perfectione communi, ſed etiam omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum.

Hu-

Hujus autem impedimenta ſunt tria, ſcilicet uſus propriæ libertatis, ſive voluntatis, quo quis ſollicitari poteſt quid agere habeat. Item habere curam uxoris & familiæ. Item habere uſum pecuniæ, ſive ſollicitudinem perſonalem de propria procuranda neceſſitate. Nam procuratores communes Religioſorum ſerviunt caritati, & non propriæ cupiditati.

Cum igitur obedientia, caſtitas, & paupertas voluntaria removeant hujuſmodi prædicta impedimenta, ipſa ſunt omnino ſub voto Religionis, intellige tanquam indirecte cadentia. Sic ergo in omni Religione ſunt tria vota principalia, præter quæ requiritur, quod in omni Religione, cum ſit Schola quædam; ſint aliqua exercitia, ſive ſtudia quibus homo proficiat, ut tandem perficiatur, ſicut orationes, vigiliæ, proſtrationes, diſciplinæ & ſimilia alia, ſine quibus cum difficultate ſervarentur vota prædicta, ſicut ſine clauſura, veſtitus aſperitate, jejuniis & parcitate victus, fuga familiaritatis cum mulieribus, & ſimilibus, ſine quibus difficile foret ſervare caſtitatem. Iſta autem, cæremoniæ vocantur, ſive ſtatuta cæremonialia.

Epilogus omnium Sanctorum.

Ex prædictis poteſt haberi quid ſentiendum ſit de ſtatu Religionis, ſcilicet quod eſt quidam ſpecialis vivendi modus in Eccleſia voto ſolemni firmatus, in quo quaſi in Schola per modum diſciplinæ Deo famulando tenditur ad ſpecialem perfectionem caritatis, qua ſcilicet diligitur Deus adeo perfecte, ut omne aliud immo & propria voluntas contemnatur, & eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, obligans profeſſores ſuos ad aliqua, ad quæ non Religioſi, in quantum hujuſmodi, non obligantur, quæ ſunt principalia vota, & ſtatuta cæremonialia, ut poſtea dicetur. Et eadem ratione omnis Religio vocatur ordo propter inſtitutos, & ordinatos modos tendendi in finem ſuum. Ad iſta ergo omnia prædicta, tam vota principalia, quam ſtatuta cæremonialia licet differenter, tanta tamen obligatio ligat omnes ſtatum Religionis profitentes, ut non obſervantes illas maximis periculis, de quibus ſtatim in tertio Articulo dicetur, ſubjiciantur. Sic ergo tantum dixiſſe ſufficiat.

Secunda pars reſponſionis tres Articulos habet, ſcilicet: Primus de Obſervantia, ſive regularitate. Secundus de ruina, ſive deformitate. Tertius de non obſervantium periculo.

PRo primi igitur aliquali determinatione ſequuntur aliquæ conſiderationes. Prima Conſideratio. Obſervantia interdum accipitur in malam partem, ut ibi. Odiſti obſervantes. Et in Euangelio, Judæi obſervabant Jeſum ſi Sabbato curaret. Secundum tamen Tullium, & noſtras ſacras lit-

litteras, frequentius in bona ſignificatione ad uſum adducitur, ut patet (Ex. 12. & 23. num. 3. Deut. 5. 6. 8. & 18. tertii Reg. & Proverb. 8. Eccleſiaſt. ult. Eſther 2.) Primo ergo eſt virtus obſervanda moralis annexa juſtitiæ, ſicut Religio. Et eſt virtus ſecundum quam homines aliquam dignitatem attendentes quodam cultu & honore dignantur, ut dicit Tullius. Et deſcendendo ad propoſitum, notandum eſt, quod perſona excellens comparatur ad alios quaſi movens. Sicut princeps ad ſibi ſubditum populum. In quo quatuor conſiderantur.

Excellentia, ſive dignitas, cui debetur honor.

Poteſtas, ſive auctoritas, cui debetur timor.

Exercitium directivum, ſive imperium cui debetur obedientia.

Labor, & ſollicitudo circa aliorum ducatum, cui debetur temporale ſubſidium, ſive ſtipendium.

QUantum ergo facit ad præſens propoſitum, ex tertio membro præcedentis diviſionis capitur, quod obſervantia ſignificat virtutem, per quam ſubjecti intendunt his, quæ mandantur a ſibi principantibus, puta in propoſito. Religioſi obſervare debent, & intendere his quæ mandantur eis a Deo, ab Eccleſia, vel quibuſcunque ſuis Legislatoribus, ſive per modum præcepti, ſive per modum ordinationis, monitionis, ſtatuti, vel quomodocunque alias fieri contigerit. Unde obſervare eſt ſecundum Januen. undique ſervare & implere. Et inde nomen obſervantiæ tractum eſt ad ſignificandum quendam modum integritatis ſecundum quam Religioſi ſe offerunt, & ſubmittunt ſe omnibus cæremoniis, & inſtitutis ſanctorum Patrum: prout omnes facere tenentur, licet interdum forte in multis deficiant: ſed non paſſim, & indifferenter.

Secundus Articulus de ruina, irregularitate, & deformatione.

ET iſte quia modus vivendi qui eſt obſervantia, eſt conformis & regulis, & inſtitutis Patrum: quaſi exemplaribus ſecundum quæ Religioſi profitentur informare mores ſuos: Ideo obſervantia vocatur, vita regularis, ſive formata. Modus autem in quo raro immo quaſi nunquam mores conformantur hujuſmodi regulis, tanquam formis exemplaribus vocatur irregularis, & deformatus, ſive irregularitas & deformatio. Et quia non ſtat firmiter, ſed cadit ab inſtitutis, ideo vocatur ruina. Ex quo patet, quod cum obſervantia ſit impletio regulæ & ſtatutorum, & diſpenſare, ſeu uti diſpenſatione ſit de conſtitutis & ordinationibus: ſequitur, quod uti diſpenſationibus ſeu dare diſpenſationes eſt de pertinentibus ad obſervantiam. Et proinde clarum eſt & manifeſtum, quod differentia inter obſervantes, & non obſervantes non conſiſtit in hoc quod eſt uti diſpenſatione, & non uti: ſed non obſervantes dici debent, qui paſſim & indifferenter tranſgrediuntur ſtatuta, & cæremonias ſuæ Religionis: ceu

pœ-

pœnas portant pro tranſgreſſionibus taxatas. Obſervantes autem illi qui regulariter & ordinarie illas obſervant, quamvis interdum pro loco & tempore, ſeu cauſa vel caſu urgente diſpenſationibus utantur. Aut forte ut contingere poteſt ex fragilitate ſine diſpenſatione tranſgrediantur, dummodo ſe intendant emendare, & non paſſim frangere, ſed pœnis ſe ſubmittere.

Tertius Articulus, de non obſervantium, ſeu deformatorum periculo.

PRimo ponuntur quatuor modi, ſive differentiæ Religioſorum viventium extra obſervantiam. Quidam enim eſſe poſſunt, qui dolentes & amaro animo gerunt, quod non aliter vivant, ex animo ad reformationem aſpirantes. Alii autem inter ſe nolentes aliter vivere, & ſicut ſunt manere malunt: ſed reſiſtere Superioribus non intendunt ſtrictura conſcientiæ, vel terrore Superioris poteſtatis concuſſi. Tertii vero eſſe poſſunt, qui poſitive ſic vivere volunt: & reduci volentes, ſuæ reformationi reſiſtunt. Quarti autem forte eſſe poſſunt neutrales nihil ſibi ſollicitudinis, vel curæ capientes de aliter, vel ſic vivendo. Licet raro tales inveniantur, qui non renuant: quia diu ſtare in aliquo modo non cum triſtitia & dolore, eſt illi affici, & eundem amare. Quod facile non eſſet, quin renuatur oppoſitum. De his quatuor differentiis viventium extra obſervantiam: ſequuntur aliquot apparentiæ per Ordinem.

Religioſi viventes ubi Regula, & cæremoniæ non obſervantur, ſi dolent ſuper hoc: ſi faciunt quod in ſe eſt, ut aliter ibi reformate vivatur: ſi non diſpenſent bona ſibi commiſſa, niſi de licentia ſpeciali etiam in eleemoſynas, ſi non ſeculariter vivant, ſi in reſiduis faciunt quod poſſunt, non ſunt judicandi damnabiliter viventes. Tutius tamen agerent, ſi ſe transferrent ubi Religio ſervatur. Hæc R. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus.

Secunda apparentia.

Religioſi quorum voluntas renuit ſubjici ordinationibus Regulæ & Conſtitutionum: ſed deliberate magis volunt extra obſervantiam vivere regularem nolentes reformari, ſive reſiſtant ut tertii; ſive non reſiſtant; ut ſecundi, ſi ſic perdurant uſque in finem, non poſſunt niſi damnabiliter mori, niſi Deus faciat miraculum, quoniam vixerunt, & mortui ſunt formaliter contemnentes: & per conſequens in peccato mortali: Dicit enim Magiſter Umbertus ſuper Regulam B. Auguſtini, quod contemnere remedia contra delicta tranſgredientium pejus eſt omni alio contemptu. Tertia apparentia quo ad quartos qui ponebantur quaſi neutrales, nihil ſcilicet, de Regula & Statutis curantes.

Re-

Religioſi quibus nulla cura eſt de ſui ſtatus obſervantia, aut regularitate, ſed paſſim & indifferenter cæremonias ſui Ordinis frangunt: ſi ſic uſque in finem continuaverint, etiam ſi poſitive & formaliter non renuant cæremoniis ſubjici, quia tamen in Schola ſuæ Religionis prout promiſerunt in ſua profeſſione non ſtuduerunt & per conſequens tendentiæ in perfectionem non intenderunt, aut vacaverunt, ut humiliter & compaſſive magis quam aſſertive loquamur, non videmus quin tranſitus eorum in tremendo Dei judicio ſit de periculo perditionis vehementiſſima trepidatione ſuſpectus. Si autem quinto modo quiſpiam fortaſſe inveniri poſſit, eorum ſcilicet, qui ſe reformare intendunt: ſed aut quadam animi fragilitate, aut quia nullum modum reformationis ſuæ prudentiæ ſatis conſentaneum inveniunt: hujuſmodi ſui emendationem in menſes & annos nedum: ſed in tempora multa differunt; quia in hanc ſortem Religioſi numero multi magnaque virtute præſtantes inveniri poſſunt: abſit a nobis ut quantulamcunque ſuper hujuſmodi proferre ſententiam audeamus. Eorum tamen propoſitum commendantes, ſuademus ex viſceribus caritatis. Humilitateque poſſibili prudentiam eorum ſollicitamus, ut timentes & periculo præcedentium caveant ne nimia tepiditate bene agendi Chriſtum provocent, ut juxta Apocalip. quia nec frigidi, nec calidi, tanquam tepidi, ex ejus ore vomantur. Conſulimus eis nihilominus, ut in ſua expectatione, præfati Reverendiſs. Archiepiſcopi D. Antonini ſuperius de primis poſitas Regulas conſiderent, & ſequantur caveantque ne puſillos Chriſti, quod abſit, ſcandalizent, putantes ſalubriter vivere videntes tam famatos ſe nullatenus reformare. Sciunt quid Euang. talibus comminetur, (Matth. 18.)

Ecce præcelſe ac metuendiſſime Domine, ut jam viſa quintuplici Religioſorum differentia qui extra obſervantiam, ſive reformationem morantur: ad principalem quæſtionem qua de periculo eorum veſtra quærit celſitudo, ut abſque quacunque judicii temeritate eorumque ſcandalo, aut veſtra quavis offenſa reſponſionem demus: ſequentem præfationem prædictæ reſponſioni præmittimus. Quamquam ſingulos Religioſos extra obſervantiam viventes quemlibet unum pro ſuo perſonali debeamus velimuſque de conditione eorum qui primo, aut quinto loco poſiti ſunt intelligi; quia tamen modus ille vivendi tam effuſus, ac laxatus eſt, ut in eo paſſim, & notorie in oculis vulgi videatur indifferens uſus peculii, perſonalis & propria ſollicitudo ſui. In cibo autem, & in omni victu, veſtitu quoque & ſtatu, ac cœteris cæremoniis, quæ regularitatem continent: nihil auſteritatis, vel aſperitatis in hujuſmodi Religioſis conſpiciatur magis quam in laicis. Proinde modus ille quantum in ſe eſt, in tantum eſt ab omni ſtrictura Regularitatis ſolutus, ut non Religio, ſed diſſolutio, non forma vel norma; ſed enormis deformatio quantum apparet exterius videatur. Quod viri docti honeſtatis fama præclari, doctrina & exemplari vita fulgentes in eodem interdum inveniantur: eſt ad ſolas gratias perſonales

nales omnimode referendum, & ſoli Deo penitus tribuendum; non autem quod modus ille vivendi quippiam ſalubritatis ſuis afferat cultoribus, nec privilegium paucorum trahendum eſt ad conſequentiam multitudinis.

Omnibus igitur antedictis quantum valuimus multum penſatis, multiſque ſcriptis Doctorum noſtra tenui licet, poſſibili tamen deliberatione libratis in nullam quam quæ ſequitur ſententiam devenire potuimus. Quam tamen omni ſaniori judicio non minus humiliter quam libenter ſubmittimus.

Sequitur reſponſio formalis.

Modus ille vivendi quorundam Religioſorum in quo Regula, & Patrum ſtatuta, ſeu conſtitutiones raro, vel nunquam ſervantur: ſed paſſim, & quaſi ſemper tranſgrediuntur, quantum eſt ex ſe judicandus eſt damnabilis, quia ſuos amatores, & defenſores, ſi ſic moriantur inevitabiliter damnat. Alios vero in eo ſecundum illius relaxationes in finem uſque viventes, non ſine maximo periculo exponit tremendo Dei judicio.

Tertia pars hujus reſponſionis, quæ hic principaliter intenditur, quia & eſt de reformatione, quatuor continet Articulos.

PRimus, quod Religioſi non obſervantes ſunt proculdubio reformandi. Secundus ad quos pertinet hujuſmodi reformatio. Tertius quis eſt modus fructuoſior reformandi in Ordine Prædicatorum. Quartus de quibuſdam objectionibus, & earum ſolutionibus.

Primus, quod non obſervantes ſunt penitus reformandi continet conſiderationes, ſeu advertentias ſequentes per ordinem.

REformatio Religionis in propoſito eſt Religioſorum de modo vivendi non obſervantiali, ſine forma Regulæ, & ſtatutorum ad ipſam normam reductio.

Secunda Conſideratio.

Cum omnis Religioſus non obſervans, ſed paſſim, & indifferenter Regulam, & Patrum ſtatuta tranſgrediens, ſi ſic moriatur ſit plangendus, aut tanquam inevitabiliter quantum eſt ex conditione modi vivendi perdendus, aut tanquam periculo extremæ perditionis expoſitus, per omnem in hac parte habentem facultatem, eſt ad frugem ſecurioris vitæ per reformationem quantocius & commodius fieri poteſt reducendus. Siquidem unicuique Deus in tali caſu mandavit de proximo

ſuo, & bovem proximi errantem ab occurrente reduci jubet in lege Dominus. Quanto magis ergo proximum fratrem.

Omnes igitur perſonæ cujuſcunque conditionis, quæ ad hujuſmodi reformationem promovendam, conſulendam, aut protegendam quippiam facultatis habent, in hanc rem tam piam ex totis animis, & dulciſſimis viſceribus caritatis diligenter deberent aſſurgere, & eidem reformationi operam dare pro viribus efficaciter ſcientes, quod qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum, inquit Jacobus Apoſtolus. Hic vocamus peccatorem omnem hominem notorie ſtatum ſuum in apparentia exteriori prævaricantem, neminem penitus de penetralibus cordis judicando. Quoniam ergo modus vivendi talis, quantum ex ſe eſt, parum aut nihil utilitatis affert Chriſtianis populis: ſcandala autem plurima: etiam ſi nihil infamiæ per in eo viventes committatur, toti Reipublicæ non parum conſulit, qui ad hanc reformationem favores præbet & auxilia, ut ſtatim clariſſime deducetur. Nec audiendi eſſent, ſi qui ideo aberrarent a via veritatis, ut dicerent hujuſmodi Religioſos non debere compelli ad tenendam obſervantiam Religionis quam profeſſi fuerunt, quoniam licet obſervare conſilia abſolute, non ſit de rigore debitum, & proinde nec compulſi ſubjectum: Pacta tamen & juramenta etiam ad homines compelluntur teneri juxta leges, quanto magis promiſſiones Deo factæ, & maxime ſub forma voti. Diſplicet enim Deo ſtulta & infidelis promiſſio, ſecundum Sapientem. Poſſunt igitur certe Religioſi immo debent compelli ad hoc ipſum, & ſunt proculdubio reformandi.

Secundus Articulus ad quos pertinet hujuſmodi reformatio continet ſimiliter advertentias ſequentes.

OMnes Prælati tam majores, quam minores; ſinguli videlicet reſpective pro ſui dignitate, officio, commiſſione, aut facultate de debito juſtitiæ tenentur ſubditos ſuos Religioſos, non obſervantialiter, ſeu deformate viventes ad vitæ regularis obſervantiam reformare. De ipſorum enim manibus ſanguis ſubditorum pereuntium requiritur.

Secunda advertentia.

Licet Religioſi non ſint a temporali poteſtate, ſeu a Diœceſanis a quibus ſunt exempti ordinarie judicabiles, tamen Domini temporales, & præcipue Principes, ſeu Diœceſani Religioſis in terris & dominiis ſuis ſecundum apparentiam exteriorem, notorie & manifeſte religionem ſuam non ſervantes, & præſertim ſi ſubditos eorum laicos nedum non ædificent ſancta converſatione, ſed, quod abſit, everſis moribus ſcandalizent:

lizent:

lizent: ex caritatis debito prout cœteri cuncti, & magis propter connexionem temporalis poteſtatis ad Eccleſiaſticam, indirecte ſaltem tenentur. propter bonum populi ſibi ſubjecti, reformationi eorum pro ſuo intereſſe diligenter, & efficaciter intendere. Eſt enim Principis, & maxime Catholici virtuoſos cives facere, & ne mali fiant impedire. Unde glorioſus Confeſſor Sanctus Bernardinus non minus doctus quam devotus, ac fructificus Prædicator in 16. Sermone de Euangelio æterno: tractans officia Principum, ſuis dicendis hanc rubricam præmittit. Quanto fervore debet Princeps augmentare vitam regularem. Tunc proſequitur. Secundum officium juſtitiæ amoroſæ in fideli Principe eſt augmentare devota. Et hoc eſt ſecundum Joannem in Apocalypſi metiri altare. Tunc vero Princeps altare metitur quando cum prudenti diſcretione, devotioni diverſarum perſonarum ſanctarum Religionum multipliciter favet, vel quod in patria ſua de novo regulares Conventus ſervorum Dei ædificentur, vel quod ædificati jam diu in regulari obſervantia conſerventur, aut quod denique relaxati ad diſciplinam Regulæ reformentur. Sunt enim tales patriarum oculis verbo, & exemplo. Ex ipſis enim pravi corriguntur atque virtuoſis inſeruntur: orationes, atque ſupplicationes pro Principe, & populo porriguntur ad Deum, impetratur per illos miſericordia, placatur juſtitia, amoventur flagella, fida & luminoſa dantur conſilia, & ab infernali baratro multipliciter animæ liberantur. In hoc vero mari magno hujus ſæculi nequam, in quo reptilia, quorum non eſt numerus, ubi peregrinantium multitudo periclitatur, plurimi in ſtatu Religionis quaſi in portu ſalutis a naufragio præſervantur. Ibi enim ſecundum Bernardum, amplius quam in procelloſo mundo vivit homo purius, cadit rarius, reſurgit velocius, incedit tutius, quieſcit ſecurius, irroratur frequentius, purgatur citius, moritur confidentius, & in fine a Domino copioſius præmiatur. Omnium autem prædictorum fructuum bonorum fidelis, & devotus Princeps dum per hunc modum in via iſta metitur altare, & tandem devotioni favorabilis reperitur, poſt Deum efficaciſſima cauſa dici poteſt, ac per hoc cumulatiſſimam multitudinem meritorum conſequitur. Diſcant in hoc fideles noſtri Principes exemplar imitari magnorum devotorum virorum. Proſpiciant ac legant quot, & quantas Abbatias, & religioſiſſima Monaſteria ædificaverunt, & reverentiſſime foverunt, ut fuit fideliſſimus Imperator Carolus Magnus Rex quoque Francorum; ſanctiſſimus Ludovicus, & famoſiſſimus Rex Robertus cœterique nobiles Principes, quos cauſa brevitatis omitto.

Hæc S. Bernardinus in forma. Principes præterea, & Domini temporales ſuccedunt fundatoribus Monaſteriorum tanquam patroni, qui fundatores ſi reſurgerent nulli dubium conquererentur, ſuis in fundationibus, non illiuſmodi vivendi viris redditus aſſignaſſe: quibus fundatoribus qui ſuccedunt in bonis nedum temporalibus: ſed in devotio-

ne, & ſancto propoſito tam Religioſo, ut Monaſteria talia, & tanta fundarent & dotarent, ſi reformationi quoad mores hominum in eis viventium operam dederunt efficacem, ut noſtra quidem fert opinio, non minoris meriti ſunt apud Deum, quam fundatores ipſi quibus ſuccedunt. In primis quidem bona facta laudantur; in ſecundis autem iſtud nedum; ſed mala cum hoc extirpata, propter quod præmia non parva merentur. Etenim reparatio Templi, & Civitatis Hieruſalem ſub Eſdra & Zorobabel, 40. annis vix facta fuit, cujus ædificatio prima per Salomonem, ſeptem annis ad plenum fuerat conſummata, & Auguſt. dicit, quod majus eſt de impio juſtum facere, quam creare Cœlum, & terram. Hoc autem reſpectu, tam per proviſionem Sedis Apoſtolicæ, quam per procurationem Principum & dominorum temporalium una cum voluntariis Religioſis, in diverſis, & pene univerſis Chriſtianitatis finibus, omnes Religiones reformari cœperunt. Puta in dominiis Venetorum pene ubique, & per omnem Italiam. In Alamaniis, in quibus Abbatiæ uſque ad 60. ſe ſociarunt ſub eodem Capitulo, ut ſibi mutuo in hac reformatione ſuccurrerent. Similiter regulares B. Auguſtini jam ſe uſque ad 80. domos ſuas in Alamania ſub eodem cap. reformarunt. Ordinis quoque noſtri in Provinciis Romanæ, Lombardiæ, Hiſpaniæ, Aragoniæ, Theutoniæ, & Saxoniæ, 200. vel circiter Conventus ſunt jam donante Domino reformati. Et reformatio, quæ jam in terris veſtris Hollandriæ, & Flandriæ, firmata eſt uſque ad Civitatem Magdeburgenſem, & Rooſtorgenſem, & parte una in Alamania, & uſque Nantas in Britannia dilatata eſt. Si ergo ad omnes de quibus dictum eſt pertinet Religioſorum reformatio: maxime certe, & proximius obligantur Prælati eorundem Ordinum profeſſores, quibus expreſſe a Deo, & Eccleſia dictum eſt: Curam illius habe, Et iterum: Anima tua pro anima illius erit. Epilogus.

Ad omnes igitur ex caritate: Ad quoſcunque Prælatos deformatorum Religioſorum ex debito juſtitiæ de directo; & indirecte ſaltem ad omnem dominum temporalem, ſive etiam ad Prælatos, quorum Diœceſes incolunt Religioſi non reformati pertinet hujuſmodi reformatio. Tertius Articulus de modo reformandi: primo continet quaſdam conſiderationes præambulas: conſequenter deſcendit ad propoſitum.

Prima conſideratio quod Papa eſt primus & major reformatorum.

ADvertendum eſt, quod in ſummo Pontifice eſt, prima & ſuperior poteſtas ordinaria reformandi quoſcunque ſtatus inferiores deformatos in Eccleſia, cujuſcunque conditionis ſint ſub ſe manentes, ſive ſub ordinariis, cui ſummo Pontifici, omnes Religioſi tenentur obedire: nedum in communibus ut alii, ſed & in his quæ ſpectant ad ſtatum ſuæ Religionis,

nis, ut dicit S. Thomas. Secunda conſideratio præambula. Super quo ulterius eſt advertendum, quod Papa poteſt Conventum cujuſcumque Religionis, ſeu quemcunque Religioſum ad ſui obedientiam immediatam reducere, ipſum ſubtrahendo ab omni obedientia cujuſcunque Prælati inferioris, quia profeſſio Religionis probatæ per Eccleſiam intelligitur fieri ad Papam, propter duas rationes. Prima eſt, quia profeſſio, ſive ſubjectio eo jure quo eſt ad aliquem eſt ad eum quem ſui loco ponit, ſicut eſt de Papa reſpectu Dei, ideo in primo loco profeſſionis Religioſorum ponitur Deus. Secundo, quia virtus & facultas recipiendi aliquem ad profeſſionem derivatur a ſummo Pontifice, ubi bene eſt advertendum, quod Prælati religionum aliter ſubduntur Papæ, quam Epiſcopi, aut quam temporales ſuis majoribus, ſive ſupremis principibus. Religioſi enim in ſuis perſonis, nullius facultatis, aut rerum, immo nec propriæ voluntatis ſunt Domini. Quod de temporalibus dominis, aut Epiſcopis non eſt verum.

Tertia conſideratio præambula.

JUxta ergo conſiderationes præcedentes nobis videtur, quod prima prædictarum poteſtatum, ad cujus notitiam ruinæ hujus rumor pervenerit, ſi per ſe providere non poterit, alteram debet in hanc rem mutuare. Singula tamen debet intereſſe pro ſuo reſpectu. Prima videlicet, ejus auxilium invocando. Non enim ſine cauſa gladium portat, ſed eſt vindex in condemnationem malorum, laudem vero bonorum ſecundum Apoſtolum. Secunda autem primam cauſam requirendo, ſollicitando, & ſuæ facultatis auxilia libenter offerendo. Sic frater, qui adjuvatur a fratre, quaſi civitas firma. Et ſingulæ partes myſtici corporis ad inſtar naturalis, utriuſque brachii miniſterio, honeſta venuſtate rectius componuntur. Patet ergo ex his dictis, quod ſi ſummus Pontifex in favorem vitæ regularis aliquas domos vel perſonas ab aliquibus perſonis eximat, ſibi immediate, aut alteri loco ſui ſubjiciens, tales Religioſi inobedientiæ nullum incurrunt periculum, nec ſunt ſchiſmatici, nec in alium ſtatum eſſentialem mutati. Oppoſitum autem non eſt recte ſentire de ſacris Canonibus de primatu Petri.

De modo reformandi qui ſpecialiter deſcendit ad Ordinem prædictum.

NObis autem primo videtur, quod cum totus Ordo prædictus noſter ſanctus, in veſtram generoſam celſitudinem inter cunctos mundi principes fidentius veluti nedum in metuendiſſimum, ſed & tanquam in patrem ac protectorem piiſſimum, animos totos & ſenſus omnes convertat: ſi veſtra celſitudo dignetur oſtendere omnino ſe velle ejuſdem Ordinis præſertim in terris veſtris reformationem, & quod omnis in hac re

ve-

veſtræ tam piæ devotioni non conſentaneus non libenter audiatur, infra paucos annos quod requiritis habebitis. Iſtud ergo primum conſilium damus. Secundo frequenter conferre cum Papa & Generali Magiſtro ſimul ad hanc reformationem concurrentibus, ut non concurrente Domino temporali, aut Principe & Magiſtro concurrentibus, & Papa neſciat, impediatur negotium per vias exquiſitas. Habemus exempla quamplurima, quæ non niſi tædio forent, ſi narrarentur ad longum. Nobis enim videtur inter ſanctiſſimum Papam, & veſtram generoſitatem mutuam intelligentiam fore neceſſariam. Et hoc eſt ſecundum conſilium noſtrum. Cum ergo Generalis Magiſter Ordinis noſtri modernus Magiſter Marcialis Auribelli, noſtri Ordinis maximus reformator, ſub cujus magiſterio plures Conventus ſunt reformati, quam ſub quocunque prædeceſſorum ſuorum, qui proſecuti ſunt reformationes, & primus in terris veſtris obſervantiam, ſeu reformationem adduxit: nobis videtur, quod hujuſmodi mutua Domini Papæ, & veſtra in hac parte intelligentia ſuis ſanctiſſimis votis non parvum afferat præſidium. Cum enim interdum præcipit, aut mandat Conventum aliquem reformari, nec per parentes, nec per oppida, ſive cives, nec per recurſum ad nobiles, nec per appellationem ad Sedem Apoſtolicam, aut alias: tot tamque variæ ſibi occurrunt obſiſtentiæ, ut interdum dimitti compellatur ipſa reformatio.

Sequitur deſcenſus in particulari.

Licet enim Provinciales poſſint immo jure ſui officii obligentur, ut ſuos reforment ſubditos, & ceteris paribus in integritate obſervantiæ ac Religionis, ordinatius foret, reformationes fieri ſub eiſdem Provincialibus, quam per illum modum quo uti ſolent Generales Magiſtri Ordinis, ſcilicet per exemptionem eorum, quos reformant a Provincialibus, currentibus tamen rebus cunctis ut nunc, conſultius & fructuoſius agitur, ſi donec numerus reformatorum in tantum excreverit, quod ſaltem æquaverit multitudinem non reformatorum, Magiſter Ordinis faciat reformationes, ut ſolet, per ſuum Vicarium & a Provincialibus eximat. Nec eſt hoc Ordinem dividere, ſtatum Ordinis mutare, aut ejus hierarchicum, ut quorundam verbis utamur confundere, vel deſtruere, ut latius declarabitur, cum ſolutiones dabuntur ad objectiones. Cujus facti declarandi gratia, tria ſunt inferenda.

Et primo, de poteſtate Magiſtri ad hoc faciendum.

Secundo, de motivo rationali quo ita expediat.

Tertio, de practica laudabili, qua ita fit.

Pro primo advertendum eſt, quod obedientia omnium, & ſingulorum Fratrum, immediate & ex natura profeſſionis eſt Magiſtro Ordinis promiſſa. Patet quia Magiſtro ſic fit præſenti. Ego frater N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & B. Mariæ, & Beato Dominico, & ti-

& tibi N. Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum. Si autem in abſentia Magiſtri fiat profeſſio Priori, Provinciali, vel Conventuali loco hujus, quod dicebatur & tibi N. Magiſtro, &c. dicitur ſic, & N. vice talis Magiſtri Generalis, &c. Ecce quomodo nulli Præſidentes Ordinis recipiunt profeſſionem vice propria vel officii, niſi tantum Magiſter Ordinis. Quo certe nullum amplius dubium relinquitur in hac materia de Magiſtri Ordinis facultate. Multa etiam alia poſſent adduci, quæ brevitatis gratia relinquuntur. Pro ſecundo, quod experientia demonſtrat advertendum, quod licet diffinitiones, ordinationes, & omnis diſpoſitio capitulorum Provincialium, modusque viſitationum, correctionum, mutatioque & tranſitus Fratrum de aliquibus Conventibus ad alios, omniaque ſimilia ſint pro bonis, & honeſtis moribus in illo ſtatu conſervando utilia & laudabilia, nullo tamen modo ſunt ad componendas reformationes ſufficientia. Cujus ſignum evidentiſſimum inter multa hoc unum ſufficiat, quod nulla adhuc eſt, nec facta fuit reformatio per talia.

Pro tertio, ſcilicet de laudabili practica, qua uti ſolent Magiſtri Ordinis in reformandis Conventibus, & in reformatione manutenendis, advertendum eſt, quod omnes congregationes reformatorum, ac exemptiones a Provincialibus, a Generalibus Magiſtris habuerunt initium, & uſque ad hunc modernum Magiſtrum incluſive continuo perfectum, qui ſupra ſuos prædeceſſores, per hunc modum, Ordinis Reformationem in magnum jam provexit incrementum: habuitque hic modus a Capitulis Generalibus firmamentum, quæ capitula, cunctas ordinationes, gratias, exemptiones, ceteraſque Conventuum, & Fratrum diſpoſitiones per præfatum Magiſtrum Marcialem factas, pluries generaliter conſummaverunt, & in ſpeciali Generale Capitulum Romanum, Vicariatum reformatorum Congregationis Theutoniæ approbavit, & corroboravit: voluitque Vicarium congregationis Hollandriæ in ſuo officio permanere. Item Capitulum Avinionenſe, quod fuit ultimum Generale, per totius Ordinis Provinciales, & omnium Provinciarum diffinitores de diſpoſitione Conventuum reformatorum Congregationis Lombardiæ, ſeu Bononienſium tractans, ſic ait: Ne illa ſancta ſocietas remaneat acephala, damus ei in Vicarium Fratrem Franciſcum de Mediolano, &c. Ecce ubi totus Ordo providet de regimine Reformatorum per Vicarium. Item prædictum Capitulum Generale Romanum inhibuit Fratribus reformatis de obedientia Vicariorum, ne ſine licentia ſuorum Vicariorum tranſirent ad obedientiam Provincialium. Subjecti vero Provincialibus poſſunt de obedientia Provincialium ad obedientiam tranſire Vicariorum, niſi in fraudem fugiendo correctionem in materia delicti. Item Magiſter Ordinis conformiter in Capitulo Avinionenſi adjunxit Conventum Manetenſem in Britannia congregationi reformatorum Hollandriæ, & eximens a Provinciali ſubmiſit Vicario illius congregationis.

Advertendum autem eſt hic, quod Conventus exempti a ſubjectione Pro-

Provincialium, non ſunt a Provinciis ſuis diviſi, vel præciſi. Poſſunt enim intereſſe capitulis Provincialibus, ibique per omnia cum cœteris Patribus ad omnia diffinienda, & tractanda concurrere. Quo fit, ut creſcente paulatim numero reformatorum, & tandem excreſcente facile erit, ut Provinciæ; & totus Ordo finaliter reformetur. Reformati etiam tenentur expenſas cœteraque onera Provinciæ comportare. Iſta ergo eſt practica laudabilis, qua utuntur Ordinis noſtri Patres, intendentes eundem ex toto ſub Dei auxilio reformare. Notanda ſunt duo quædam generalia. Et primo, quantum ad multos Conventus reformandos, quod non poſſunt ſimul reformari, ſed ſucceſſive per temporum intervalla competentia, quia non eſt facile copulare multos ſimul ſufficienti numero reformatorum requiſitorum pro nunc. Secundo, quantum ad practicam reformandi unum Conventum. Generales enim noſtri ſolent uti pia multum, & provida diſcretione. Nam de omnibus debilibus, ſicut ſunt ſenes, & infirmi, ordinant maximam curam haberi. Reliquos autem requirunt, ſi velint reformari, & nolentes remittunt ad alios Conventus ne vagentur. De talibus enim eſt formalis textus in Regula & Conſtitutiones, quod extra ſocietatem projiciantur. Nec hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdant. Voluntarios autem retinent, & tunc ponunt omnes officiales principales in obſervantia tritos, puta Priorem, Subpriorem, Magiſtrum Novitiorum, &c. qui vitam regularem habent dirigere. Nullam igitur cujuſcunque infamiæ, aut inhoneſtatis notam prout nec majores Ordinis Patres, per prædicta cariſſimis Fratribus noſtris nondum reformatis, penitus irrogamus. Sed quoniam maniſeſtum eſt & notorium, ipſos illam integritatem regularitatis perfecte non ſervare in quam intendunt Patres noſtri nos pariter, & eos tandem ſub auxilio Spiritus-ſancti paulatim reducere putamus, immo firmiter credimus fuiſſe, & adhuc fore neceſſarium, ut Ordinis noſtri Generales, & Capitula generalia fecerint, & facient in futurum, ad tempus aliquod incipientes reformari, ab aliis ſe moveri quoad regimen, ut ſcilicet non regantur a non reformatis. Per hunc igitur modum, ſolent procedere majores Ordinis Patres in reformatione totaliter ejuſdem Ordinis quam prætendunt, ut per jam reformatos, alios reforment: reganturque a reformatis, & non econtra.

Quartus Articulus continet objectiones quaſdam pro primo puncto, & reſponſiones pro ſecundo.

Exiſtimamus metuendiſſime Domine veſtræ requiſitioni, a nobis utcunque eſſet: tenue licet, pro noſtra tamen modicitate, & temporis brevitate ſatisfactum. Eſſe nihilominus forſan aliqui poſſent, qui nonnullis objectionibus apparentibus tantum, & intellectum veſtrum a prioribus conſiderationibus abducentes, & veſtræ religioſitatis propoſitum extingue-

guere niterentur. Contra quos longam diſputationem hic neceſſe foret adjungere, niſi & veſtrum clarum ingenium pro virtute capeſcenda & judicanda, affectumque conſtantiſſimum ad bonitatem proſequendam firmiter noſceremus.

Ne tamen adverſus prædicta conſurgentes ſibi, ſuoque ſenſui fortaſſe nimis applaudant nobis etiam inſultantes: ſtatuimus, apparentiam omnem adverſam in quatuor principales objectiones reſolvere.

Prima objectio.

Dicturi forſitan ſunt aliqui uſus peculii, & relaxatio ceremoniarum omnium, per diſpenſationem conceduntur. Totus ergo labor quo conclusum eſt, vita talis deformata, & irregularis eſt, & per conſequens reformanda, vacuus & inanis.

Secunda objectio.

Item in Ordine Prædicatorum Conſtitutiones non obligant ad quamcunque culpam, niſi propter præceptum, vel contemptum. Si autem aliquid ab honeſtis moribus invenitur averſum, rigide corrigitur, prout rectum eſt, ergo ſine cæremoniis Ordinis, ſervatis honeſtis moribus, & evitatis ſcandalis ſecura eſt ſalus in eodem Ordine. Nec opus eſt reformatione.

Tertia objectio.

Item officium provincialatus eſt de conditione naturali, & ordinaria ſtatus ſacri Ordinis Prædicatorum, ergo eximere Fratres aliquos, ſeu Conventus a poteſtate Provincialis, ita quod obedientia eorum immediate reducatur ad Magiſtrum, vel ejus Commiſſarium: eſt Ordinem dividere, ſtatum Ordinis mutare, ejus Hierarchiam confundere.

Quarta objectio.

Item omnia præcedentia confirmando, nonnulli ſic objiciunt. Qualitercunque fiat reformatio, ſequuntur ut plurimum turbationes Communitatum ac Monaſteriorum, lugubres querelæ parentum, vagus fugitivorum diſcurſus, elongatio & receſſus familiarium benefactorum. Item murmurationes, detractiones, odia, contumeliæ, & generaliter ſolutio totius concordiæ ac pacis, quæ maxime ſunt contraria perfectioni Religionis. Ergo ab his ſcandalis præcavendo conſultius eſt, deformationem Religioſorum tolerare, & eoſdem divinæ providentiæ relinquere.

Ad ipſas objectiones, reſponſiones ſequuntur.

Prima objectio prætendit primo per beneficium diſpenſationis deformationem debere tolerari. Circa ergo diſpenſationem peculii allegatam, notandum eſt cum S. Thoma, Rev. Archiepiſcopo Florentino, Domino Joanne Dominici, Magiſtro Umberto, & cœteris multis, quod conformiter per decretales extra de ſtatu Monachorum cum ad Monaſterium, &c. Monachi ſuper proprietate, vel habendo proprium, nulla penitus diſpenſatio locum habet. Quapropter circa uſum peculii notandum eſt, quod uſus peculii ita rutus vel ſecurus, ut non poſſit revocari per Prælatum, non poteſt Monacho ſuo particulari per diſpenſationem concedi. De uſu ergo revocabili currit diſputatio, & iſte adhuc eſt duplex, quia quidam eſt determinatus per Præſidentem, utpota Abbas dat pecuniam Monacho ad aliquid comparandum, vel expendendum abſque facultate aliud faciendi, & iſte uſus concedi poteſt, ut notum eſt. De quo non eſt ad propoſitum. Alius etiam uſus revocabilis eſt indeterminatus, ſive indifferens: ſic videlicet, quod Prælatus relinquit ſubjectum ſuum Religioſum in libertate faciendi de peculio, quod ſibi bene viſum fuerit, ſive illud manualiter Religioſus ſubditus a Prælato receperit, quod vocatur ab aliquibus veſtiarium, ſive illud per ſuas operas & induſtrias conquiſierit, prout faciunt mendicantes, non reformati, ſive per modum annui redditus ſibi aſſignati a parentibus, aut alias habuit. Hujuſmodi ergo uſus non poteſt Religioſis concedi, quoniam contrarius eſt fini Religionis, qui eſt tendere ad perfectionem caritatis. Dicit enim S. Thomas, quod pecuniæ habitæ, de per ſe natæ ſunt impedire perfectionem caritatis tripliciter, ſcilicet ſollicitudine, amore, & vanitate ſequente. Hic autem non loquitur de uſu, qui committitur procuratoribus communitatis, &c.

Demum objectio ſecundo prætendebat tranſgreſſionem cæremoniarum eſſe tolerabilem virtute ſimiliter diſpenſationis: Ad quod quidem reſpondetur, per Magiſtrum Umbertum, quintum magiſtrum Generalem Ordinis Prædicatorum, & præcipue in Regulæ & Conſtitutionum ejuſdem Ordinis expoſitione. Qui exponendo Prologum dicit. Circa diſpenſationes ſemper cavenda eſt generalitas locorum, perſonarum, & temporum. Et dicit expreſſe, quod non poteſt diſpenſari ut fratres ſemper carnes comedant: quia hoc cadit in diſſipationem Ordinis.

Reſponſio totalis per modum epilogi.

Uſui peculii indifferenter, aut communi, & indifferenter, ſimiliter cæremoniarum tranſgreſſioni non poteſt diſpenſationis beneficio ſuffragari.

Reſ-

Reſponſio ad ſecundam objectionem.

Secunda objectio capit unam conſtitutionem, quæ ponitur in Prologo conſtitutionum, quod videlicet conſtitutiones illæ non obligant ipſos fratres ad culpam, ſed ad pœnam tantum: ex qua volunt quidam habere, tranſgreſſionem earum non eſſe formidabilem. Sed hujuſmodi conſtitutio, licet magnum ſolamen afferat timoratis obſervantibus, qui interdum ſcrupuloſis perplexitatibus agitantur, nihil tamen remedii confert renuentibus obſervare, dicente præfato Magiſtro Umberto exponendo ipſam eamdem conſtitutionem, quod ſi aliquis ſuper occaſione illius conſtitutionis minus ſervare vellet Ordinem, non evaderet culpam contemptus. Cui concordat S. Thomas dicens, contemptum eſſe quando voluntas renuit ſubjici ordinationi legis, vel ſtatuti. Quem contemptum B. Bernar. in libro de diſpenſatione & voto, dicit eſſe damnabilem, dicens. Neglectus eſt labor & languor inertiæ, contemptus autem tumor ſuperbiæ. Et iterum. Neglectus ſemper eſt culpabilis, contemptus vero damnabilis. Dicit præterea præfatus Magiſter Umbertus: Non eſt concedendum, quod non ſimus obligati ad conſtitutiones. Sumus enim obligati, ſed differenter ab aliis. Super quo ſollicite advertendum eſt, quod obligatio Religioſorum, primo & principaliter reſpicit Regulam & Conſtitutiones, ſecundario autem & minus principaliter Prælatos, ſeu Præſidentes. Nam inſtitutio & auctoritas Præſidentium, ab auctoritate Regulæ, & Conſtitutionum dependet: & auctoritas ipſa conſtitutionum a ſuprema auctoritate, ſcilicet Sedis Apoſtolicæ, & non econtra. Præſidentes præterea ordinantur tanquam ad finem ad Regulæ & Conſtitutionum obſervantiam. Ex quo apparet manifeſtus error dicentium: negligentiam Prælatorum excuſare ſubditos tranſgredientes. Remotio enim poſterioris non abſolvit a priori. Epilogus per modum reſolutionis. Conſolatur allegata conſtitutio obſervare volentes; cœteris autem non ſuffragatur, quin potius cedit eis in periculum, ſi occaſione illius tranſgrediantur,

Reſponſio ad tertiam objectionem.

Tertia objectio prætendit, quod majores Ordinis non poſſunt, nec debent Conventus quos reformant a Provincialibus eximere. Primo igitur reſpondetur ad prætenſum: ſecundo ad particulas objectionis eorum.

In primis, ſi alterius vocationis ſint a noſtra, amicabili patientiæ eorum ſuademus, quod ſibi ipſis parcentes, tantum amorem deferant Spiritui-ſancto & Eccleſiæ, & tam Religioſis Patribus Ordinis noſtri, quod videre velint præfatos majores noſtros in hac re non abuti ſua

poteſtate, aut juſtitiæ æquitate : dignenturque attendere cum Beato Dionyſio, quantum pulchritudo & excellentia Ordinis Hierarchici, ſacroſanctæ univerſalis Eccleſiæ, particularem Religionis ſtatum excellat. In quo quidem abſque diviſione, mutatione, ſeu confuſione ipſius Ordinis Hierarchici, Religiones plurimæ, multæ Eccleſiæ collegiatæ, variæque hominum conditiones a Diœceſanis ſunt exemptæ : quibus ordinarie ex piiſſimis ordinationibus Eccleſiæ ſubdebantur. Si vero tales ſint de noſtra vocatione, quod non leviter aut libenter putamus, conſulant certe magis propriis conſcientiis, ignoſcantque ſibi & nobis : advertentes quæ dicta ſunt in cauſa præcedenti: veteanturque ne calumniam inferant illis, quibus ſua profeſſione obedientiam, & proinde reverentiam devovere. Ad particulas nihilominus objectionis ſic reſpondemus. Ad quarum primam.

Unus magiſter Ordinis, unum Capitulum generale, una profeſſio, ſub eiſdem Regula & Conſtitutionibus, abſque quacumque diviſione Ordinis unitatem conſervat : quam exemptio nulla penitus intercipit, dicente Magiſtro Umberto præfato. Illi Religioſi ſunt ejuſdem profeſſionis qui ſunt ſub una obedientia unius Prælati, ut Templarii omnes, vel ſaltem ſub unius Capituli regimine, ut Ciſtercienſes omnes. Non ergo qui & ſub unius Magiſtri obedientiam, & etiam ſub unius Capituli regimine ſumus: recte non ſub una Regula tantum, ſed ſub unius profeſſionis voto vivere dicimur. Hæc ille. Ex qua quidem ſententia prima concluſio, omnium conſtitutionum Ordinis noſtri eſt de uniformitate in obſervantia canonicæ Religionis. Nam conſtitutiones ipſæ ſic incipiunt. Quoniam ex præcepto Regulæ jubemur habere cor unum, & animam unam in Domino, juſtum eſt ut qui ſub una Regula & unius profeſſionis voto vivimus, uniformes in obſervantia Canonicæ Religionis inveniamur. Clare ergo patet, quod uniformitas Religionis, ſeu unitas conſiſtit in unitate Regulæ & Conſtitutionum, quæ profitentur unitatem capitis, ſcilicet Prælati, Capituli vel amborum, ut apud nos eſt, & unitatem in obſervantiis. Unitatem ergo Ordinis violat : non quidem exemptio, ſed ab obſervantiali vita diſcrepans abſceſſio. Laudentur proinde ab omnibus, venererenturque a ſubditis Ordinis noſtri majores, qui hujuſmodi obſervantiam diligenti ſolertia proſequuntur.

Ad ſecundam vero particulam, quæ objicit de mutatione ſtatus, dicendum, quod ſtatus eſſentialiter nominat firmitatem obligationis ad Regulam, & Conſtitutiones, ad vota & cæremonias ſub uno capite, cum uniformitate in obſervantiis canonicæ Religionis, ut dictum eſt, quæ omnia plenius inveniuntur in reformatis, quam in aliis, non obſtante reformatorum exemptione.

Ad tertiam particulam patet reſponſio ex prædictis. Nam illud quod fit abſque præjudicio unitatis Ordinis, & ex obſervantia regularitatis, nullam habet de confundendo Hierarchiam dignam reprehenſionem. Hic tamen

tamen non concedimus proprie habere locum Hierarchia, præſertim in Religionibus mendicantium, in quibus Prælati non habent munus conſecrationis aut benedictionis, ſed ſolius inſtitutionis: De hoc tamen parum ad propoſitum. Reſponſio ad quartam objectionem, qua videtur concludi propter ſcandala vitanda reformationes fieri non debere.

Circa quod dicendum eſt, ſecundum Divus Thomam in materia de ſcandalo, tractantem qualiter bona ſpiritualia debeant, vel non debeant, dimitti propter ſcandalum. Bona enim ſpiritualia ſunt in duplici differentia, ſcilicet neceſſaria, & voluntaria. Bona ergo ſpiritualia quæ ſunt de neceſſitate non debent omitti propter ſcandalum paſſivum aliquorum. Reformatio autem Religioſorum, eſt non obſervantibus neceſſaria, ad quam faciendam obligantur Prælati de directo ex debito juſtitiæ, ideo non debet omitti propter ſcandalum aliquorum. Bona vero ſpiritualia voluntaria poſſunt interdum differri, ſed ex toto illa dimittere, non eſt neceſſe. Nam ſi aliqui de bono opere ex ignorantia, ſeu fragilitate ſcandalizantur, vocatur ſcandalum puſillorum. Debent ergo puſilli tales inſtrui & informari, & ſi ſcandalum deponere noluerint, tunc ſcandalum eorum videtur ex malitia procedere, nec propter eos bonum eſt amplius omittendum, vel differendum, quoniam eorum ſcandalum ſimile eſt ſcandalo Phariſæorum. Quod autem per tales lites & odia ſuſcitentur, pacis & caritatis fœdera diſſolvantur: Chriſtus audiatur & ſibi obediatur, qui ait: Sinite illos, cœci ſunt, &c. Si autem forte aliqui forent; qui nolentes in obſervantia pro ſalute ſua manere, aut ad Conventum alium ſe transferre; & longe lateque vagari errabundi, minus malum erit incomparabiliter, quam poſteritatem ſuam per futura tempora periculo perditionis exponi. Timendum quippe eſt in propoſito euangelium ſibi applicari, ubi Dominus ait: ***Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cum factus fuerit, facitis filium gehennæ duplo quam vos*** (Matth. 23. v. 15.)

Ecce Præcelſe, ac metuendiſſime Domine, hæc eſt noſtra tenuis plurimum reſponſio ad veſtræ requiſitionis ſingulas particulas: cujus eloquentia, ſtilique forma noſtra poſſibili humilitate ſupplicitet veniam expoſtulat. Omnem autem reſponſionis tenorem, ſingulaſque particulas, poſt veſtræ celſitudinis proſpectus, ſubmittimus emendationi, ac judicio quorumcumque ad quos ſpectat, ſuper his rebus, ſecuriorem proferre ſententiam. Proteſtamur ſiquidem animo fideli, ac ſincero corde, nihil nos, niſi cum veritate, de quacunque re velle ſentire, aut temere judicare: nihil quoque contra caritatem, de quocumque ſtatu, aut perſona carpendo mordaciter, in medium adducere. Proinde ſi qui forſan prædicta, ſive in toto, ſive in parte, correctione digna judicaverint, dignentur pro ſua humanitate, ſua nobis communicare motiva. Siquidem perſacile fiet, ut ferro ferrum acuatur, & illæſa

ſem-

Digitized by Google

ſemper germana ac mutua caritate, illa, quam etiam Cœlum invocat, veritas inveniatur, quam cunctis rebus, variiſque mortalium fortunis, neceſſe eſt ſemper omni honore præferre.

Expliciunt reſponſiones quædam memoratorum ſupra Patrum Fratris Joannis, & Magiſtrorum Andreæ, & Pagani Ordinis Prædicatorum fæliciter.

QUÆSTIUNCULA
MORALIS
DE REGULARIBUS PERSONATIS
ſecundis curis recognita, & tribus Appendicibus aucta.

Quæſtionem verſandam aggredior, quam Theologorum neminem ex profeſſo tractaſſe vidi, & Caſuiſtæ obiter dumtaxat de ea verba faciunt. Indictam fortaſſe reliquerunt illi, propterea quod ea principia de habitus Monaſtici occultatione, vel publica geſtatione ſtatuerant; ut de larvatis Monachis ſingularem inſtituere diſputationem ſupervacaneum illis viſum fuerit. Et revera, me ipſum puderet de eadem ſermonem texere, niſi ad id præſtandum peculiares rationes me compuliſſent. Hæc porro fuit iſtius ſuſcipiendæ cauſſæ potiſſima ratio. Cum non ita pridem quorundam virorum cœtui, qui Theologi vocitabantur, intereſſem, non ſine mentis admiratione, animique dolore plures inaudivi, qui cauſſam propriam perorantes propugnabant, Regulares, qui perſonati theatra, & ſpectacula frequentant, nec excommunicationem incurrere, nec læthaliter peccare. Id vero pro ſolido rationis momento obtrudebant: paſſim videlicet Regulares perſonam induere, ſuaque in cella larvam, & laicales veſtes, non ſecus ac tunicam, & capucium tenere. Quis autem auſit tantam Religioſorum multitudinem ad inferna detrudere? An ne ad ingenium peccata læthalia multiplicabimus? Nimium ſane aſperum, rigidumque foret tot Ordinum Religioſos doctos, & emeritos Magiſtros æternæ damnationis reos agere. Præter has rationes, ſeu verius dixerim, nugas, gerraſque, auctoritatem quoque opponebant cujuſdam Caſuiſtæ *Manrique*, qui in ſua *Univerſa Moralis Theologiæ ſummaria collectione* (part. 3. cap. 2. §. 8.) loquens de regularibus temere habitum dimittentibus, hæc ſcribit. *Nec etiam multi damnant Religioſos habitum deponentes, vel occultantes euntes ad publicas repræſentationes, ne ſæculares ſcandalizentur eos nocte, vel die vi-*

Digitized by Google

videndo, & ita Venetiis vidi Eccleſiaſticos, & Religioſos, etiam timoratæ conſcientiæ, tempore bacchanalium ire ad publicas repræſentationes, habitu depoſito, vel occulto, quia ſæculares valde ſcandalizantur eos videndo cum habitu. Hæc cenſura non eſt Papæ reſervata. Auctoritatem iſtius ſummiſtæ de verbo ad verbum tranſcribere volui, ut hinc duo, quæ ſæpius, nunquam tamen ſatis, inculcanda ſunt, lector colligat. Primum quanta ejuſmodi auctoribus habenda fides ſit; ſecundum moris eſſe Caſuiſtarum plurium pro arbitrio alios auctores laudare in ſuarum aſſertionum præſidium, licet iſti nullum omnino verbum ea de re faciant, de qua diſputatio eſt. Multi, inquit Caſuiſta noſter, non damnant Religioſos euntes ad publicas repræſentationes. Cedo; quinam ſunt iſti multi? Nec unum mihi, qui id aperte doceat, ex multis, quos evolvi, reperire licuit. Deinde cujus reatus, aut pœnæ non damnant? Excommunicationis, vel læthalis culpæ? id ſane diſtinguendum erat, ne lectores ex confuſa loquutione anſam arriperent interpretandi, nec excommunicationem incurrere, nec peccatum mortale perpetrare Regulares, qui perſonati Theatris interſunt. Quoniam tametſi in quæſtionem revocari poſſet an regulares, qui perſonati incedunt, excommunicationis pœnam ſubeant; extra omnem tamen diſputationis aleam eſt, eoſdem, cum ſic incedunt, peccare mortaliter. Qua de cauſſa cum hæc ſcribebat Manrique, illum penitus ignoraſſe oportet ſui Ordinis leges, quæ conceptis verbis, ut paulo infra videbimus, peccati mortalis reos damnant Religioſos, qui patenter non deferunt ſui Ordinis habitum. Sed obiter rationem, quam pro ſuæ opinionis defenſione obtrudit, expendamus. Scandalum, inquit, maximum perferret populus, ſi intueretur Regulares ſua propria tunica indutos Theatris & ſpectaculis adeſſe. Quamobrem, ut offendiculum iſtud evitent, veſte propria dimiſſa, larvam aſſumunt. En quam argute ediſſerunt ſcriptores iſti. Eccur potius hanc non inſtituunt argumentationem? Offenditur ſummopere populus chriſtianus, quoties Monachos Theatra, & ſpectacula frequentare conſpicit; igitur actio iſthæc ſuapte natura exitioſa eſt, & criminis plena. Quoniam aut jure offenditur, aut ſecus. Si jure, nemo inficiabitur actionem illam noxiam eſſe. Si ſecus, ſcandalum contemnendum eſt. Sed reponit laudatus Caſuiſta, ſe vidiſſe *Venetiis Religioſos timoratæ conſcientiæ tempore bacchanalium ire ad publicas repræſentationes habitu depoſito.* Et unde quæſo perſpecta illi erat iſtorum Religioſorum intaminata conſcientia? Unde illi affulgebat tantæ ſanctitatis ſplendor? Fuerint, per me licet, in cœteris probi, & honeſti Religioſi iſti. At cum Theatra frequentabant, non probi, ſed ſuæ profeſſionis violatores omnino erant. An ne factum quodpiam a lege ſeveriſſime vetitum, idcirco de crimine purgare debemus, quod homines non undequaque ſceleſti illud perpetrant? An ne Sanctus habendus, qui vel uno vitio caret? An omnibus virtutibus ornatus erit, qui omnibus ſcelenbus non maculatur? At contra Euangelium Chriſti cla-

clamat: *Quicunque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* (Jac. 2. v. 10.) Quod poſtea aures obtundunt homunciones quidam, ſe non audere læthalis culpæ damnare, id quod a tanta hominum multitudine peragitur, omnium ſophiſmatum ineptiſſimum eſt. Quandoquidem non prævaricatorum multitudo, ſed jura, & leges honeſti, vel inhoneſti Regulæ ſunt. Lamentabatur vel ipſe Seneca, ſuo tempore, publicam vivendi libertatem vitiis ipſis ſpeciem obtendiſſe virtutis. *Recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt.* Sed de hoc putidiſſimo commento alias; nunc ad quæſtionem diſcutiendam accedendum eſt. Id autem, ut melius perficiam, in duos paragraphos eam tribuo.

§. I.

Regulares, qui, depoſito ſuæ Religionis habitu, eo animo larvam aſſumunt, ut ſpectaculis adeſſe, aut liberius per vicos, & plateas diſcurrere poſſint, peccant mortaliter, juxta communem Theologorum ſententiam.

I. OMnes ad unum fatentur Theologi, Regulares ex graviſſimo præcepto debere habitum ſuæ Religionis patenter deferre. Quoties itaque præceptum hoc obſervare negligunt, læthaliter peccant. Quam aſſertionem, ut evidentius demonſtrem, illud præmoneo, me nunc abſtrahere a quibuſdam quæſtiunculis, quæ fieri poſſent, videlicet, num brevitas temporis, vel occultatio jocoſa ſui habitus intra proprium cœnobium excuſare valeant Religioſum a cujuſque culpæ reatu. Sermo enim in præſentia eſt de Religioſis, qui, ut liberius in publicum prodire valeant, deliberato animo ſuum ſtatum occultant, & alium a Religioſo omnino præferunt, & hos dico cum unanimi Theologorum conſenſu peccare mortaliter. Quoniam habitus Monachalis, non communi ſolummodo humanæ naturæ uſui inſervit, ſed ad id præcipue aſſumitur, ut ſignum ſit illius ſtatus, quem Regulares omnes in perpetuum profeſſi ſunt. Porro ex ſolemni ejuſmodi ſtatus profeſſione, jure naturali in quolibet contractu inſito, conſequitur, neminem eorum, qui huic ſtatui devincti ſunt, vel ad tempus eundem ſtatum ementiri poſſe. Eadem quippe ratione, qua quis ſe ſe obſtringit ad aliquam dignitatem, gradum, & ſtatum in perpetuum ſuſtinendum, devincitur quoque ad illam deferendam veſtem, quæ publico ritu, ad eamdem dignitatem, ſeu ſtatum ſignificandum eſt inſtituta. Quemadmodum enim nec ad punctum temporis licitum eſt, ſtatum illum ſemel ſuſceptum reſpuere, ſic nec veſtem, quæ ejuſdem teſſera eſt, & ſignum. Igitur Regulares larvam induentes, ut, occultato Religioſo ſtatu, ſpectaculis, aliiſque ludis, & evagationibus habenas laxare valeant, reipſa mendacii crimen in graviſſimo negotio per-

perpetrant, & tanquam deceptores, & promiſſionis Deo factæ violatores cenſendi ſunt.

II. Accedit, quod non ſolum jure naturali ex voto ſtatus Monaſtici emanante, devincti ſunt Regulares ſui Ordinis habitum patenter deferre; ſed jure quoque, cum ſcripto, tum univerſali omnium Religionum conſenſione recepto ad id obſtricti reperiuntur. Quilibet enim ſacer ordo ſuum peculiarem habitum habet, quo ab altero diſtinguitur, quove ſublato, Ordo ipſe publice, & reſpectu perſonati Religioſi, evaneſcit. Quare Theologi omnes, quamvis adfirment, habitum non conſtituere Monachum, ſubdunt tamen ad ſubſtantiam, ut ipſi ajunt, Ordinis pertinere; quoniam ſignum eſt, quo unus Ordo ab alio ſecernitur. Quare etiamſi lex expreſſa non eſſet condita, quæ patentem iſtius habitus geſtationem præciperet, occultationemque vetaret; id certe colligeretur ex unanimi conſenſu omnium Sacrorum Ordinum, quorum quiſque ab altero diſtingui avet, mutuamque confuſionem omnes perhorreſcunt. Præter quam quod, quilibet Ordo, aut in Regula, quam profitetur, aut in propriis Conſtitutionibus declarat, Religioſos peccare mortaliter, qui patenter proprium habitum non deferunt. Non eſt, quod omnium ordinum leges ſigillatim recenſeam, ſed, brevitatis gratia, unicum ſtatutum deſcribam, quod hac de re edidit Ordo Prædicatorum, habeturque in Conſtitutionibus (diſt. 1. cap. 14. in decl. Text. 2. ſub litt. E.) *Religioſus . . . habitum ſuæ Religionis, cum procedit in publicum, non deferens, vel abſque legitima cauſſa, occultans, agit contra votum obedientiæ, & MORTALITER PECCAT*. Idipſum præcipiunt eadem diſtinctione (cap. 20. in decl. text. 1. ſub lit. A.) *Quilibet Religioſus tenetur deferre patenter habitum ſuæ Religionis cum procedit in publicum: quicumque autem ſuæ Religionis habitum temere dimiſerit, peccat mortaliter, & eſt excommunicatus de jure. C. ut periculoſa*. Ad excommunicationem quod attinet, ſequenti paragrapho ſermo erit. Nunc de culpa dumtaxat gravi loquor, atque auctoritate Concilii Tridentini, quæ dixi, confirmo. Siquidem (Seſſ. 25. de refor. cap. 19.) prohibet Prælatis omnibus, ne Religioſis ſuis licentiam impertiant occulte habitum deferendi. *Nec detur licentia cuiquam Regulari occulte habitum ferendi ſuæ Religionis*. Concilium hanc habitus occultationem graviter prohibitam, ut rem certam ponit; & Prælatis vetat, ne occaſionem violandæ legis aperiant ſubditis; ut adfirmant vel ipſi benigniores Caſuiſtæ, pro quibus unum indicare ſufficiat Caſtropalaum (tract. 16. diſp. 4. punct. 6. n. 7.) *Tridentinum ſupponit hanc occultationem graviter eſſe prohibitam, ſiquidem Seſſ. 25. cap. 19. de Regularibus prohibet Prælatis &c.* Itaque lex cum naturalis ex ſolemni profeſſione Monaſtica conſequens, tum lex ſcripta cujuſque Ordinis, & tandem Theologi & Caſuiſtæ communi conſenſione adfirmant, peccare mortaliter Regulares, qui cum in publicum procedunt, habitum ſuæ Religionis patenter non deferunt. Evidens ergo eſt, exploratumque, eoſ-

dem mortalem culpam perpetrare, quoties perſonati aut Theatris, ludiſque interſunt, aut per vicos, & plateas diſcurrunt.

III. Conſequutio iſta adeo luculenta eſt, ut nulla valeat tergiverſatione eludi: Verum tamen, ut ſemper lectori magis, magiſque perſuaſum ſit, vix eſſe commentum tam abſurdum, quod obtrudi non ſoleat, cum de laxandis morum regulis occaſio recurrit, reſponſum quod inter diſputandum datum mihi fuit, referre lubet. Inquiunt ergo peccare quidem mortaliter regulares, ſi, habitu ſuæ Religionis depoſito, veſtem laicalem induant, & aperta facie, & occultato religioſo ſtatu, ſtatumque ſæcularium hominum præferentes, diſcurrant: ſecus vero ſi ſimul larvam aſſumant, vultumque obtegant. Cum tam monſtruoſum delirium audivi, illico in mentem venit illud Varronis (in fragm.) *Poſtremo nemo ægrotus quicquam ſomniat tam infandum, quod non aliquis dicat philoſophus.* Quandoquidem leges apertiſſime declarant peccare lethaliter Religioſos, qui, cúm in publicum procedunt, *habitum ſuæ Religionis patenter non deferunt, aut illum occultant.* An patenter ſui inſtituti ſacri habitum deferunt Religioſi larvati? An illum non occultant? Mortaliter ergo peccant eo ipſo, quod præceptum geſtandi manifeſte habitum implere negligunt. Cum lex jubet patenter habitum Monachalem deferre, uſum cujuſque alterius veſtis ſtatum Religioſum occultantis vetat. Cum prohibet habitum Religioſum occultare, occultationem, non occultationis modum ſeu rationem inhibet. Quocumque igitur modo Religioſus ſtatus occultetur, ſive veſte virili, ſive fœminea, ſive larva, dummodo reipſa vere abſcondatur, perinde lex infringitur. Nemo ergo niſi fatuus concedere poteſt, peccare quidem Religioſos, qui habitum Religionis ſuæ in publicum deferre omittunt, & veſte ſæculari nudata facie incedunt. Secus vero ſi vultum ipſum cum univerſo corpore larva profaniſque indumentis cooperiat. Quid enim inſanius excogitari poteſt? Cum vero futiliſſimi reſponſi inventores urgebam, provocabam, atque in omnem partem verſabam, ut vel alicujus Theologi auctoritatem, aut rationem aliquam exhiberent iſtius interpretamenti; non aliud muſſitabant, niſi quod alicubi Regulares plurimi diverſorum Ordinum perſonati theatris interſunt, & per vicos & plateas diſcurrunt; & propterea ſe non audere tantam Religioſorum multitudinem ad inferna deturbare. Tam exitioſi commenti haud poterant niſi nugas, & quiſquilias pro ratione obtrudere. An ad inferna homines non deturbant cum viam peccandi latiſſimam aperiunt? An non ſeducunt, an non decipiunt, cum eos peccare denegant, quos peccare lex, Doctores, & evidentiſſima ratio teſtantur? An non animos ad delinquendum addunt, cum abuſum malorum plenum ut innocuum defendunt, & ut ipſis ſontibus impunitatem ſpondeant, innocentibus laqueos parant? Quin imo illi unice ad inferna homines detrudunt, quo ad eorum appetitiones leges accommodant, & inflectunt; nequaquar vero nos qui ne legem violent, pœnas illis clara voce in memoriam re

voca-

vocamus æternas. Verum alibi demonſtrabitur, fuſo calamo, quam errone? ſit argutatio illa, quæ ex multitudine delinquentium honeſtatem infert actionis.

IV. Ut rem totam paucis perſtringam, ſi verba legis perpendantur, atque profeſſionis Monaſticæ vis: æque Regularibus vetitum eſt quodcumque indumentum, quod ſtatum Religioſum omnino abſcondit. Si vero ad legis, & ſacræ profeſſionis finem animum intendamus, ſeverius larva, quam ſola laicalis veſtis, eſt illis interdicta. Quoniam larvarum abuſus ſuapte natura laxandis moribus, & diruendæ Monaſticæ diſciplinæ viam aperit accommodatiſſimam; atque ad omnia flagitia perpetranda habenas remittit, quin & calcaria addit. Quid quod ipſi de mundo homines, ut liberius ſuis indulgeant cupiditatibus larvati in publicum prodeunt? Nam homo nudata facie refugit media in luce ea patrare, quæ ſub larvarum tenebris agere non erubeſcit. Hinc eſt, quod publica Religioſæ veſtis geſtatio ſcutum eſt ad externa hoſtium tela retundenda validiſſimum, & ad mundi illecebras, ludos, & ſpectacula fugienda incitamentum. Quippe ante oculos objicit quam monſtroſum ſit, Religioſos homines a mundo ſemel ſejunctos, Deoque votis devinctos, ſpectaculis adeſſe, aliiſque inſanientis multitudinis ludis immiſceri. Repræſentat Religioſi ſtatus excellentiam, ſcandalum populi evitandum ſuggerit, & appetitus ne extrinſecus erumpant, coercet: quemadmodum quemque in dignitate conſtitutum ſive judicem, ſive Principem, ſive Regem ſuæ dignitatis inſignia cautum, gravem, ſeriumque reddunt, & ab illis avocant diverticulis, quibus privata veſte indutos adeſſe minime puderet. Et ipſa Religioſi ſuam ſacram veſtem deponunt, aut occultant, perſonamque aſſumunt, ut rerum omnium reſpectu abſciſſo, ſuas valeant explere appetitiones. Denique univerſo ordini tenebras offundunt, alios confratres ad eundem abuſum provocant, maximumque afferunt Chriſtiano populo offendiculum. Nec enim larvati incedere queunt, quin aliquibus ſæcularibus, ſaltem illis, a quibus larvas, & veſtes accipiunt, id fiat compertum. At inquiunt, Venetiis nullum hinc oritur ſcandalum; quoniam ſæculares apprime ſciunt Religioſos paſſim larvatos incedere, & comœdiis, theatriſque adeſſe. Si hoc verum haberet, omnium ſcandalorum maximum foret. Quippe eo relaxationis, contemptionis, & infamiæ prolapſi eſſent Religioſi ejuſmodi, ut nullum exhiberent admirationis argumentum vel ea perpetrantes, quæ abſolute Religioſum ſtatum dedecent. Dic ſodes ſi ad Regulæ Monaſticæ præſcriptum Reformati Religioſi ad Theatra, comœdiaſque pergerent, nonne maximum ingererent populo ſcandalum? Quod itaque Fratres relaxati ſcandalo ſæcularibus non ſint, etiam cum tanto abuſui indulgent, non aliunde, quam ex eorum exiſtimationis deplorabili jactura ortum ducit. Verum quidquid ſit de ſcandalo, quod vocant paſſivum, nemo inficiabitur, Regulares perſonatos maximum ſcandalum, quod appellant activum, non patere. Nec ad vulgi

opinionem, ſed ad Regulam, quam profeſſi ſunt, & ad vota quæ voverunt conformare mores ſuos Religioſi debent. Peccant igitur mortaliter Religioſi larvati ludos, & ſpectacula frequentantes, vel per vicos, & plateas diſcurrentes. Peccant graviſſime Superiores ſi hanc corruptelam pro viribus non auferunt. Peccant Confeſſarii ſi Religioſis ejuſmodi abſolutionis beneficium impertiunt. Quæ ſi vera ſunt, heu quot immania crimina, quot ſacrilegia! Porro adeo vera, adeo luculenta, adeo comperta ſunt hæc omnia, ut nullius contrariæ probabilitatis ſpecies ſuffragari valeat. Qua de re conſule, vel ipſos benigniores Caſuiſtas, qui rem hanc vel obiter excuſſerint; & ex Theologis Suarez (tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. num. 4.) ubi hæc habet. *Dico ergo primo teneri Religioſum ſub mortali peccato retinere, ideſt non mutare proprium Religionis habitum. Hanc aſſertionem ut certam ſupponunt omnes Doctores.*

V. Si omnes Doctores aſſerunt, peccare læthaliter Religioſos, qui patenter non deferunt proprium habitum, aut qui illum mutant: ſi leges apertiſſime hanc publicam habitus geſtationem præcipiunt; quid eſt quod oppoſitum doceas? Non negaverim, quin clare fateor, ſæpius occurrere rationes, & circumſtantias plures, ob quas licitum eſt humanas immo vel ipſas naturales leges in benigniorem partem interpretari, & ab earundem obſervantia ad tempus quandoque homines eximere. Neceſſitas vitæ ſuſtentandæ a ciborum prohibitione, & ab jejuniorum obſervantia, & ab ipſa furti lege tali penuria preſſos homines ſolvit. Ut grave mortis periculum evitent, vel ut aliquod præclarum acinus aggrediantur, poſſunt & Chriſtiani, & Religioſi proprium habitum mutare, ſtatumque ſuum occultare. At quæ (per Numinum fidem!) ſolida ratio, quod juſtum momentum, quæ vera neceſſitas urgere poteſt Religioſos ad aſſumendas larvas, ad frequentanda Theatra, ad excurrendas plateas? Ex quibus ſic concludo. Leges conceptiſſimis verbis jubent patentem habitus geſtationem. Nulla vera & neceſſaria cauſſa aſſignari poteſt, qua obſtringantur Religioſi larvas induere, & Theatra adire. Alioquin abuſus iſte larvatum, & acceſſus ad Theatra omnibus circumſtantiis inſpectis, res eſt ſuapte natura periculorum plena, omniumque laxitatum, & diſſolutionum occaſio vel ipſis ſæcularibus hominibus; quanto magis autem Religioſis tot votis, totque legibus Deo devinctis, qui quotidie incruentum ſacrificium Deo immolant? Ergo nemo, niſi fatuus, defendere auſerit, poſſe Religioſos, nulla urgente neceſſitate, nulla impellente rationabili cauſſa, licite tranſgredi legem de patenti habitus geſtatione, abuſumque fovere, qui eſt corruptelarum, ſcelerumque ſcatutigo.

§. II.

§. II.

Regulares larvam aſſumentes eo animo, ut vel Theatris adeſſe, vel ut liberius per vicos & plateas excurrere poſſint, non modo peccant mortaliter, ſed excommunicationem reipſa incurrunt.

I. UT Eccleſia omnem Religioſis evagandi occaſionem eriperet, excommunicationis pœnam iis omnibus infligit, qui temere habitum ſuæ Religionis dimittunt. Lex iſta habetur in 3. lib. Sext. Decretal: tit. 23. cap. *UT PERICULOSA evagandi materia ſubtrahatur diſtrictius inhibemus, ne de cetero aliquis quamcumque Religionem tacite, vel expreſſe profeſſus in ſcholis, vel alibi, habitum ſuæ Religionis dimittat...., ſi quis horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam.* Antequam ultra pergam, explicem oportet quid ſignificet *temere habitum dimittere*, quidve hac de re certum & extra controverſiam penes omnes cum Theologos, tum Canoniſtas, & Caſuiſtas. Id autem ut breviter, & clare perficiam, primum omnium præmoneo, non quamcunque habitus dimiſſionem excommunicationi eſſe obnoxiam. Nam qui habitum deponit, ſive occultat ob juſtam cauſſam, videlicet ut periculum aliquod, aut ut aliquod neceſſarium bonum operetur, nequaquam *temere* illum dimittit. Quemadmodum nec temere habitum deponit, qui illum exuit, ut dormiat, ut expeditius quidquam operetur. Præmoneo ſecundum ad incurrendum hanc excommunicationis pœnam haudquaquam requiri animum deponendi habitum in perpetuum; ſed ſufficit depoſitio ad tempus, cum animo, peracta vagatione, habitum ſtatim aſſumendi. Præmoneo tertium, me nunc in quæſtionem minime vocare, quænam brevitas temporis, quænam ignorantia ſatis ſit, ad hanc evadendam excommunicationem. Quibus poſitis, ad id, quod caput eſt, accedo.

II. Dico primo illos Regulares habitum ſui Ordinis *temere* dimittere, qui abſque juſta cauſſa illum deponunt, eo animo, ut poſſint liberius evagari; ſeu illa habitus dimiſſio *temeraria* dicitur, quæ, juſta cauſſa ſublata, & circumſtantiis inſpectis, apta eſt ad liberam vagationem. Hanc aſſertionem omnes ad unum edocent cum Theologi, tum Canoniſtæ. Unum vel alterum referam. Sylveſter (verb. excom. 9. n. 51.) " excommunicantur omnes Religioſi . . . . *temere* habitum ſuæ Religionis di- " mittentes. Et dicit *Temere ſine cauſſa rationabili ſecundum omnes Doctores.* " Suarez (tom. 4. de Rel. tract. 8. lib. 1. cap. 5. n. 8.) " hæc " eſt communis ſententia Doctorum etiam explicantium illam particulam " *temere* (in dict. cap. 2.) Dicunt enim *temere dimitti quoties ſine cauſſa rationabili dimittitur.* " Hæc itaque prima propoſitio certiſſima eſt. Secunda autem hæc eſt. Omnes Religioſi Regulares habitum temere dimit-

mittentes peccant mortaliter, & ſunt excommunicati. Hanc quoque propoſitionem non modo omnes Theologi & Canoniſtæ, ſed vel ipſi benigniores Caſuiſtæ unanimi aſſenſione propugnant, ut inquit Caſtropalaus (tract. 16. diſp. 4. punct. 6.) „ Eſſe omnibus Religioſis profeſſis ſub pœ„na excommunicationis ipſo facto incurrenda interdictam temerariam „ habitus dimiſſionem *compertum eſt apud omnes* „. Ex his duabus manifeſtis certiſque propoſitionibus, neceſſario conſequitur hæc tertia. Ergo omnes Religioſi, qui larvam ſumunt, ut Theatris adſint, & ſpectaculis, ut liberius evagari per Civitates queant, ſunt reipſa excommunicati. Quid ad hæc reponi poſſit, fateor me non tenere. Quapropter hoc pacto inſtauro argumentationem meam. Illud verbum *temere* tunc ſuum verum habet ſenſum in hac, de qua agimus, controverſia, quando ſine ratione, & cauſſa Religioſus habitum ſui Ordinis deponit. Quæ propoſitio, ut vidimus, certiſſima eſt penes omnes. Explicandum nunc eſt, quid ſignificet illud aliud verbum *deponere* habitum. Porro non aliud ſignificat in laudato *cap. Ut periculoſa*, verbum iſtud *deponere* habitum, niſi quod Religioſus ita occultet ſtatum ſuum, habitu proprio dimiſſo, & alio aſſumpto, ut nequeat a circumſtantibus agnoſci cujus Religionis ſit. Sic omnes Doctores docent. Unum vel alterum dumtaxat referam. Bannez (2. 2. q. 12. art. 1.) *Secunda Concluſio. Religioſus dimittens habitum ſuæ Religionis, & aſſumens alium quemcumque, ut, occultata perſona, libere poſſit divagari per vicos & plateas, abſque eo quod cognoſcatur, cujus Religionis ſit, etiam ſi id faciat tantum ad horam, incurrit excommunicationem. Concluſio hæc certa eſt apud omnes.*

III. Nonnulli, ut quoquomodo veritati latebras quærerent, diminutum, atque mutilum productum eſſe hunc Baneſii textum in priori editione, diſſeminarunt in vulgus. Ut quam putida impoſtura hæc ſit, dignoſcere lector valeat, ſubjicienda illius oculis ſunt omnia, quæ in præfata concluſione, poſt laudatum textum, Banez ſcribit. Perſequitur ergo hoc pacto. *Quoniam ad arbitrium viri prudentis hæc eſt temeraria dimiſſio habitus: eſt materia apta ad vagandum. Sed iſtæ ſunt rationes illius Canonis. Ergo incurrit excommunicationem illam.* Mancus ne textus eſt, quod rationes, quas ad confirmandam ſuam concluſionem Banez affert, exſcriptæ non fuerint? Sed in medium producamus poſtrema Baneſii verba, quæ imperitis larvarum fautoribus vulgandæ calumniæ anſam fortaſſe dedere. *Obſervandum tamen eſt in hac concluſione, quod hæc habitus dimiſſio temeraria penſanda eſt, juxta uſum, & conſuetudinem uniuſcujuſque Provinciæ & Religionis.* Mutilus ne textus eſt, quod ſine hac appendice elatus fuit? Scilicet. Nam ſi temeraria eſt habitus dimiſſio juxta morem Religionis, & Provinciæ cujuſque, licitus ſecundum Banez erit Religioſis larvarum uſus in noſtra Provincia, in qua temeraria haud reputatur hæc habitus dimiſſio. Qui ſic ratiocinatur palam prodit, ſe nimio laborare mentis imbecillitate. Quippe duo ibi omnino diſtin-

ſtincta, atque diverſa Banez docet. Primum Religioſos habitum ſuæ Religionis dimittentes, & alium quemque aſſumentes, ut, occultata perſona, libere per vicos, & plateas vagari poſſint, excommunicatos eſſe. *Concluſio hæc certa eſt apud OMNES*, ait Banes, eſtque reipſa. Si certa apud *OMNES* eſt, profecto a cujuſque Provinciæ, aut Religionis more non pendet; alioquin certa apud *omnes* non exiſteret. Alterum non omnem habitus dimiſſionem eſſe temetariam, & excommunicationi obnoxiam, quod & cœteri Doctores omnes docent. Dantur enim dimiſſiones, quæ non ſunt cauſſa vagandi, quæque pro Regionum diverſitate, aut temerariæ, aut rationabiles evadere queunt. Sed hæc periocha quam Banez ſubjicit, nullo modo reſpicit primum textum, ſed rationem afficit, quæ textum conſequitur, atque plus diſtat a primo textu, quam diſtent quadra a rotundis. Quapropter ut quid prorſus extraneum a ſuo inſtituto Auctor quæſtiunculæ prætermiſit. Quorſum igitur ſpectat appendix illa? ut explicet verbum *temere* in Canone contentum. Exempla adjicit Banez ipſe *ibidem*, quibus exponit præfatam appendicem. Unum, & alterum exſcribo. *Unus eſt*, inquit, *ſi Religioſus ſumat alterius Religionis habitum ex conſenſu Prælati illius Religionis, ad præſtandum aliquod obſequium, aut ad publice diſputandum, utrum ſit excommunicatus? Secundus caſus eſt: Si Religioſus urgente neceſſitate nocte debeat tranſire ab una in alteram domum, ut non præbeat ſcandali materiam, aſſumpſit alium habitum, an ſit ille excommunicatus?* Ad primum caſum reſpondet negative, quia *talis*, inquit, *habitus dimiſſio ad arbitrium viri prudentis non eſt temeraria*, Ad ſecundum reſpondet pro circumſtantiarum diverſitate Religioſum illum incurrere, aut non incurrere excommunicationem. Porro ut omnia in pauca contraham, dimiſſio habitus Religioſi cauſſa vagandi per vicos, & plateas, & Theatra adeundi peccatum mortale eſt, & excommunicationem inducit; quia talis dimiſſio in omni Provincia, in omni Regno, in omni Religione eſt juxta omnes prudentes *temeraria*, & ſic docent omnes Theologi, inquit Banez. Aliæ vero dimiſſiones, quæ non fiunt *cauſſa vagandi* pro regionum diverſitate ſunt, aut non ſunt temerariæ. Quæ omnia clara, atque comperta cum ſint, qua bona fide, qua Religione Auctor quæſtiunculæ tanquam interpolator ſententiarum, & Theologorum falſarius traducitur? Accedit, quod ſi diſſidium foret Theologos inter, ſuper ſententia de Regularibus perſonatis excommunicatis, aliqua potuiſſet occurrere ſuſpicandi anſa Textum illum adductum fuiſſe mutilum. Sed cum *omnes Theologi* (erigant obtuſas aures, qui compreſſis labiis muſſitant hanc noſtram ſententiam non eſſe certam) doceant, præfatos Regulares perſonatos & peccare lethaliter, & eſſe excommunicatos, quis, niſi per ſummam, aut ignorantiam, aut injuriam evulgare poteſt, textum illum mutilum elatum fuiſſe? Sed vereor, ne qua conſcientia nonnulli proprio vultui larvas imponunt, eadem proximo

mo calumnias impingant. Faxit Deus, ut tandem aliquando deſinere velint innocentiæ invidiam, odiumque conflare: &, ſi ipſi tenuunt ſacrum ſui ſtatus inſigne ubique, cum in publicum prodeunt, patenter deferre, Religioni ſaltem ſibi vertant in Spiritum-Sanctum peccare, veritatem impugnando. Verum a diverticulo in ſemitam revertamur, alioſque auctores in priori editione allatos recenſeamus. Barboſa (in 4. lib. ſex. Decret. cap. ut periculoſa.) *Tertio colligitur excommunicationem hujus textus incurrere Religioſum, qui proprium habitum ita occultat, ut a circumſtantibus agnoſci nequeat, cujus Ordinis ſit.* Caſtropalaus loco laudato (n. 3.) *Petit ergo habitus dimiſſio depoſitionem illius fieri animo occultandi ſtatum, & ſe alium ab eo, qui eſt, ſignificandi.* Paſſarinus (tom. 3. de ſtat. quæ. 189. art. 8. inſpect. 3. num. 337.) *Lex attendit, & prohibet, ne Religioſus incedat in habitu, qui ſit materia vagandi, & propter hoc prohibet, ne incedat in alio habitu, quam in proprio, quomodocumque fuerit, quod Religioſus alienum habitum induerit.*

IV. Ex quibus omnibus hanc elicio Theologicam demonſtrationem. Omnes Religioſi, qui habitum ſuæ Religionis abſque juſta cauſſa dimittunt, & alium aſſumunt aptum ad liberam vagationem, qualiſcumque ſit habitus iſte, peccant mortaliter, & ſunt excommunicati. Hanc propoſitionem omnes docent Theologi, Canoniſtæ, & Caſuiſtæ. Atqui omnes larvati Religioſi dimittunt habitum ſuæ Religionis, aliumque aſſumunt, qui, præ omnibus, aptior eſt ad liberam, & periculoſam evagationem. Ergo omnes Religioſi, qui Theatris interſunt, vel per civitates vagantur, peccant mortaliter, & ſunt excommunicati. Ad criterium revocentur ſingulæ propoſitiones. Prima nec in diſputationem revocari poteſt, ſecunda ipſo facto manifeſta eſt. Nonne reipſa larvati Religioſi habitum ſui Ordinis deponunt, ſuumque ſtatum occultant & alium a Religioſo omnino diverſum præferunt? Nonne finis laudati Canonis eſt, occaſionem vagandi Religioſis ſurripere? id ſane omnes adfirmant. Nonne expeditiorem ad vagandum viam aperit larvarum uſus, quam ſola laicalis veſtis? Hoc adeo verum eſt, quo ipſi ſæculares perſonam aſſumunt, ut liberius comœdiis, choreis, ceteriſque veſani mundi oblectamentis laxatis habenis vacare queant? Atqui omnes ad unum fatentur Theologi, Regulares peccare mortaliter, & excommunicationem incurrere, qui veſte laicali induti nudata facie vagarentur. Ergo potiori jure id dicendum eſt, cum larvati incedunt. Nullus itaque mentis compos cavillari poteſt, excommunicatos eſſe Regulares in publicum procedentes, occultato Religioſo ſtatu, & nudatum conſervantes vultum; ſecus vero ſi faciem larva cooperiant.

V. In controverſiam vocant Theologi num excommunicationem hanc incurrant Religioſi illi, qui retinentes habitum ſui Ordinis, ita ſub larva aut ſub ſola laicali veſte illum occultant, ut exterius nullo modo appareat, nec illi dignoſci poſſint an ſint Religioſi. In primis omnes communi-

niter fatentur peccare mortaliter contra votum obedientiæ, ſeu præceptum publicæ geſtationis habitus. Ad excommunicationem quod attinet communior, & probabilior Doctorum ſententia defendit, tales Religioſos illam excommunicationem incurrere. Hæc ſententia non modo mihi probabilior, ſed unice vera videtur. Siquidem adverſa opinio, quam probabilem aliqui reputant, nullo ſolido nititur momento. Qua de re conſule Paſſerinum, loco ſupra laudato, ubi quæſtionem hanc optime expendit, & reſolvit. Ibi quoque reperies quæ ignorantia, quæ temporis brevitas ab hac eximat excommunicatione. Piget enim tempus in his terere, quæ ſatis ab aliis diſcuſſa ſunt, & alioquin vix digna ſunt diſputatione.

APPENDIX PRIMA

Ad præcedentem quæſtiunculam.

I. Cum primum quæſtiuncula moralis de Regularibus perſonatis lucem aſpexit, duo adverſus eamdem opponi inaudivi. Alterum, quod Auctor illius dixerit, ſe neminem Theologorum vidiſſe, qui ex profeſſo illam tractaret. Et en, inquiebant ſeveri cenſores, quam in ipſo diſputationis limine aberret? Theologorum nemo illam pertractat? Sed *Clericatus* integram allegationem hac de re lucubravit, quæ habetur (part. 4. inter diſcord. Forenſ. diſcord. 43.) ubi plures tum Theologi, tum Canoniſtæ laudantur. Ecquis unquam in animum ſibi induxiſſet talia objicienda fore? Ut Auctor quæſtiunculæ a ſeveriore ſibi caveret criſi, cautiſſime illam tornavit periodum, quæ ejuſmodi eſt. *Quæſtionem verſandam aggredior, quam Theologorum neminem ex profeſſo tractaſſe vidi, & Caſuiſtæ obiter dumtaxat de ea verba faciunt.* Neminem ſe vidiſſe Theologorum ſcribit, qui ex *profeſſo* illam pertractaret. Indicavit Caſuiſtas obiter de eadem verba facere. Quid iſthic carpendum? Quid corrodendum? Quod *Clericatus* illam quæſtionem verſat? Quid inde? Auctor quæſtiunculæ Scriptorem *diſcordias Forenſes* tractantem non legit. Piaculo ne vertendum illi eſt, quod tria volumina diſcordiarum forenſium, non Theologicarum diſputationum, non volutaverit? Si graviores Theologi præfatam quæſtionem communiter verſarent, auctorque quæſtiunculæ ſcripſiſſet abſolute neminem illam agitare: anſa qualiſqualis carpendi fuiſſet: At cum ſcripſerit neminem ſi vidiſſe: & ex alia parte, vix unum & alterum reperire licet profeſſione Theologum, qui pro dignitate præfatam cauſſam agat, quænam cenſuræ materias occurrit, niſi illis, qui in deliciis habere ſolent, fluctus in ſimpulo excitare? Præterea teſtatus eſt Auctor quæſtiunculæ, ſe

 mi-

minime ſolitum eſſe, in re apertiſſima, Auctorum ſuffragia quærere, tum ne lectori faſtidium pareret, tum ne tempus inutiliter inſumeret. Quid quod illi ipſi cenſores, dum in libris ſimiles catalogos citationibus, & auctoritatibus infartos offendunt, Auctores illotum traducere ſolent, tanquam meros collectores, & librarios. Quid ergo efficiet, qui ad ſcribendum quidpiam animum adjicit, ut vel doctiorum nimiam criticorum quorundam moroſitatem, vel indoctiorum nimiam imperitiam vitet? Cribro aquam hauriet, ſi omnium lectorum cenſuras declinare præſumpſerit.

II. In præfata quæſtiuncula morali, Auctor Canones, & ſacrorum Ordinum leges allegavit clariſſimas. Theologos omnes, principia certiſſima ſtatuere indicavit, e quibus neceſſaria conſequutione, colligitur, Regulares perſonatos excommunicationi obnoxios eſſe. Quid plura? inſigniorum quoque aliquorum Theologorum, ut *Sylveſtri*, *Suarez*, *Bannez*, *Paſſerini*, *Canoniſtæ Barboſæ*, & etiam *Caſtropalai* verba tranſcripſit, ex quibus neceſſario infertur, Regulares perſonatos excommunicatos eſſe. Hoc ille ſatis eſſe exiſtimavit. Sed reus eſt, quod diſcordiam forenſem Clericati, quod paucas lineas Cottonii, quod proſcriptum Marcum Vidalem, & nonnullos ſimiles Theologos non legerit, quamquam ſe non legiſſe candide teſtetur. Verum vel hoc ipſum ſibi honori ducit, quod omnes recenſiti ſcriptores & alii infra laudandi in ſuam concedant ſententiam, una excepta Arca proſcripta Marci Vidali. Ut vero ipſe lectoribus iſtis, qui Auctorum citationibus in morum controverſiis delectantur, quoquomodo faciam ſatis, dictam quæſtiunculam moralem ſecundis curis recognoſcendam adoptare, Auctoreſque, qui eam expreſſe confirmant, indicare volui. Verba haudquaquam tranſcribam, quia tantum otii non adeſt, nec, ſi adeſſet, pretium operæ putarem.

III. Itaque ſententiam, quæ Regulares perſonatos peccati mortalis, & excommunicationis reos damnat, ſequentes Auctores confirmant. Paulus Comitolus Theologus graviſſimus, cujus libris carebat tunc Auctor quæſtiunculæ moralis. Hic autem præ cæteris Theologis laudatam ſententiam pro dignitate tractat, & confirmat (lib. 6. reſponſ. Moral. quæſt. 8.) Fuſe quoque illam confirmat in ſuis diſcordiis forenſibus Clericatus (diſc. 43. part. 4.) Abulenſis (in cap. 6. Matth. quæſt. 55.) Salon (q. 5. art. 6.) Lezana (tom. 2. verb. ludus.) Bordonius (Var. reſol. part. 3. reſol. 35. num. 1.) Angelus (verb. ludus num. 2.) Armilla (verb. larv.) Caſſianus a Sancto Elia (verb. Larva) Sayrus (lib. 11. cap. 12. n. 4.) Brognolus (tract. 3. cap. 6. ref. 8.) Vivaldus (candel. aur. p. 3. cap. 14.) Rotarius (Tom. 1. lib. 3. cap. 1. punct. 1.) Graffis (lib. 3. deciſ. aur. de Reg. c. 5. num. 77.) & alii nonnulli.

A P-

APPENDIX SECUNDA.

Regulares, qui propriæ Religionis habitum exuunt, & laicales, ſeu Theatricas veſtes induunt, ut in ſuis Cœnobiis comœdias agant, peccant mortaliter. Gravius vero peccant Superiores id permittentes, aut pro viribus non impedientes.

I. DE repræſentationibus ſacris, aut de ludicra quadam actione privata ſermo in præſentia non eſt. Ea ſub examen conſuetudo venit, quæ in aliquibus Cœnobiis collapſæ diſciplinæ ſuſcepit. Tempore Bacchanaliorum, quorumdam Conventuum Regulares, illas ipſas comœdias, tragœdias, aut tragicomœdias, quas in publicis Theatris hiſtriones agunt, aut eiſdem ſimillimas in ſuis Cœnobiis repræſentant, Theatra erigunt, & ſcenas: veſtes a laicis, tum viriles, tum muliebres theatralibus actionibus aptas conquirunt, & non raro, pacto pretio, conducunt. Duas aut tres temporis horas plus, minuſve in ſuis perficiendis oblectamentis inſumunt. Exteros homines, ſive Eccleſiaſticos, ſive ſæculares ad proſpectandum admittere ſolent. Sub aſpectum expoſito quæſtionis ſtatu, quæ ſequuntur decernimus.

II. *Convenit fere communiter inter Theologos, ejuſmodi Regulares tum ſubditos, tum Superiores peccare mortaliter. Vix unus, aut alter Caſuiſta reperitur, qui præfatam conſuetudinem tanquam innocentem, & cujuſque culpæ expertem defendat. Quin ſecundum communem tum Theologorum, tum Caſuiſtarum ſententiam illicita eſt.* Obiter tantum rationum momenta indicabo. Et in primis peccant, quod habitum propriæ Religionis abſque rationabili cauſſa dimittunt. Quamquam enim rationi ſit conſonum, ut & Regulares honeſtis recreentur oblectamentis, rationi tamen, & ſacro ſtatui repugnant ſolaria illa, quæ veſtium mutatione parantur; immo difficile haudquaquam foret evincere illos, non modo lethaliter delinquere, dum, ſacro habitu poſito, muliebres, virileſque veſtes ſumunt; verum etiam excommunicationis reos evadere. Sed hoc in præſentia diſcutere nolo. Illud ſolummodo tanquam certum, firmumque conſtituo, illos peccare, & quidem mortaliter, habita expoſitæ quæſtionis ratione.

III. Peccant inſuper, quod infamem hiſtrionum, comœdorumque profeſſionem exercent. Peccant quod graviſſimo caſtitatis violandæ periculo ſe ſe exponunt: quod euangelicæ paupertatis votum lædunt, quod Monaſticæ diſciplinæ perverſionem, loci ſacri profanationem, Chriſtianorum offendicula, dignitatis Sacerdotalis proſtitutionem inducunt, & graviſſimam Catholicæ Religioni ignominiam inferunt.

IV. Joannes PONTAS *Verb. comed.* ſuſtinet Regulares peccare mortaliter, dum veſtibus comœdorum induti argumentum quamlibet pium repræſentant. Caſum ibidem reſolvit, qui Mediolani contigit, illique pro reſo-

reſolutione propoſitus fuit anno 1716. Plurimos ego allegare poſſem tum Theologos, tum Caſuiſtas in confirmationem eorum, quæ breviſſime dicta ſunt. Sed in re aperta, non eſt, quod diutius immorari debeam. Caveant ergo Superiores Regularium, ne alienorum criminum participes efficiantur, dum in ſuis cœnobiis comœdias repræſentari permittunt.

APPENDIX TERTIA.

De Clericis ſæcularibus perſonatis.

I. CUm de Clericis perſonatis ſermo inſtituitur, in quæſtionem minime voco fortuitos quoſdam, raroſque eventus, in quibus, aut neceſſitas tuendæ vitæ, aut alia gravis, & urgens cauſſa licitum, vel ipſis presbyteris larvarum uſum efficere, aut ſaltem a gravi culpa temporis brevitas excuſare valet. Sed id inveſtigamus, utrum Clerici ſacris initiati abſolute, & peculiari neceſſitate ſublata, licite poſſint larvas ſumere. Id ſibi licere non pauci autumant, hac ducti ratione. Populus, inquiunt, ſcandalum ſubiret grave, ſi Sacerdotes Clericali veſte indutos ſpectaret, aut per compita, & plateas vagari, aut ſpectaculis, comœdiis, Theatriſve intereſſe. Quare, ut offendiculum evitent, ſacra veſte poſita, larva ſuum ſtatum occultant. Næ valida ratio! Scandalum patitur populus Chriſtianus, dum Sacerdotes recenſitis oblectamentis adeſſe conſpicit? Ergo ſolatia iſta, ipſius turbæ populique communi ſenſu Eccleſiaſticis illicita reputantur. Ratio itaque ſcandali popularis vitandi, ad ſummum culpam minuit, nequaquam vero tollit. Quid ipſe hac de re ſentiam, ſilentio premere conſtitui. Theologorum dumtaxat placita breviſſime indicabo.

II. Et primum dico vix unum, aut alterum Theologorum, quod ego viderim, reperiri, qui Clericos licite larvalibus ludis indulgere poſſe defendat. Nonnulli eos a mortali culpa excuſant, ſi abſque ſcandalo, prava intentione, aliiſque ſervatis conditionibus, id peragerent. Hi tamen, quando hoc contingere ſine ſcandalo queat, non reſolvunt. Id fortaſſe juxta illos occurrere valet, quando ludus iſte inter ipſos Clericos in loco aliquo occulto exercetur. Verum ut ut de hoc ſit, parum nunc ſcire intereſt.

III. Dico ſecundo, vel ipſos benigniſſimos Theologos tanquam communiorem, probabilioremque opinionem defendere Clericos perſonatos incedentes mortaliter peccare. Paucorum tantum textus adducam in medium. Bonacina (de reſt. diſ. 2. q. 3. p. 1. n. 17.) *Propterea eos* (Clericos) *tanquam reos mortalis culpæ damnat Angelus, & Solonius apud clar. Regiam, nec ipſe excuſarem a mortali, niſi forte hoc raro facerent, brevi tempore, & abſque ſcandalo. Breve autem tempus hoc loco appellarem unam horam.* Fumus (v. larv.) *Uti larvis ... eſſet peccatum mortale, ſi*

pro

pro aliquo fine peccati mortalis fieret, vel a perſonis Religioſis.... Item credo Clericos in hoc graviter peccare. Caſſianus a S. Elia (v. larv.) *Probabilius eſt, quod peccent mortaliter, etiam præſcindendo a ſcandalo, & a quavis mala circumſtantia, præſertim ſi ſint in ſacris aut beneficiati.* Comitolus (lib. 6. q. 8.) *Semper tum in publicis meis ſcholis, tum in privatis reſponſis profeſſus ſum cunctos Clericos, qui ſacris initiati ſunt, omneſque Religionis approbatæ profeſſos, ſacrum habitum, quem tueri eos oportet, in illum fœdum, qui ludiorum, mimorum, & lupercorum eſt, convertentes culpam æterno ſupplicio dignam contrahere, & profeſſos Religioſos excommunicationis cenſura implicari.* Octavius a S. Joſeph (t.2.tit.164.) *Clericus, vel Religioſus incedens perſonatus* vulgo maſcherato, *peccatne mortaliter? Peccat quidem mortaliter.* Diana coordinatus (tom. 7. tr. 5. reſ. 6. pag. 225.) *An Clerici incedentes per civitatem in diebus bacchanalibus perſonati peccent mortaliter.... Puto non eſſe recedendum a communi ſententia Doctorum, nempe in tali caſu Clericos ſæculares, & regulares peccatum mortale committere.*

IV. Plurimos alios laudare poſſem, ſed tibi ſatis ſit, vel ipſum Dianam teſtari hanc eſſe communem Doctorum ſententiam. Unum tantum addam, nempe *Chriſtophorum Henricum de Berger Lutheranum*, qui in ſua de perſonis commen. (cap. 4. §. 18.) plurima adverſus Clericos perſonatos congerit, quorum aliqua iſthuc tranſcribam.

Ad Clericos quod attinet, hos, qui Divinis officiis mancipati ſunt, "
ab omni ſtrepitu alienos eſſe, decet. Qui ſi prætulerint vitam hone- "
ſtam; & nullo reprehendendam modo, quam Apoſtoli monita poſtu- "
lant (1. Tim. 3. 2. tit. 1. 7.) populumque decenti induſtria inſtruxe- "
rint, ut is, ad illorum hominum honeſtatem reſpiciens, multis pecca- "
tis abſtineat, fore, certum eſt, ut æterna hominum ſalus rectius ſe "
habeat, & nobis tribuatur a maximo Deo, & Salvatore noſtro Jeſu "
Chriſto, clementia conveniens, ut ait JUSTINIANUS (in l. 34. pr. c. "
de Epiſc. Audient.) Quam ob cauſſam JUSTINIANUS eadem lege "
prohibuit, ne Clerici cubos ſeu teſſeras contrectent, nec his ludentes "
ſpectent, nec manus, oculos, & aures prohibitis ludis polluant, alios "
ad ea ludicra invitent, aut ſcenicorum vel Thymelitarum ſpectatores "
fiant ludorum; aut quæ in Theatris certantium ferarum fiunt, pugna- "
rum. Quale interdictum etiam extat (in novel. 123. c. 10. Auct. inter- "
dicimus c. de Epiſc. & Cleric.) quod factum eſt ante JUSTINIANUM "
ab HONORIO, & THEODOSIO Imperatoribus (in l. 17. c. de Epiſc. "
& Cleric.) quæ eſt (l. 42. c. Theodoſian. de Epiſc. & Cler.) . . . im- "
mo adeo horrent ſacra jura larvarum inſaniam, ut velint Clericum aſ- "
ſidentem conviviis, ſuperveniente hiſtrione, de menſa potius ſurgere, "
& abire debere, quam ejus motus ac geſtus videre, aut ipſum audire. "
Ita Concil. Tolet. III. (in can. 2. irreligioſi de conſecr. diſt. 3.) . . . . "
Quorſum etiam pertinet INNOCENTII III. Conſtitutio (in c. 15. 10. "

" de

„ de vit. & hon. Cler.) *Clerici mimis, joculatoribus, & hiſtrionibus non* „ *intendant*, &c.... Ex quibus omnibus ſatis abundeque apparet, *utro*„*que jure, tam canonico, quam civili, pariter ac divino Clericis, ſi* „ *non diſerte, per bonam tamen ſatis conſequutionem, uſum Maſchera*„*rum* eſſe prohibitum. Quod ſi enim Clericus omnem reprehenſionis no„tam vitare, atque ſiniſtram ſuſpicionem debet, quod ſi ludis, cho„reis, cœnis, ſpectaculis abſtinere: quod ſi niſi veſtitu decenti, & or„dini convenienti incedere non licitum: quis vellet dubitare. Clericum „ excludi ab ejuſmodi jocis luſibuſque Maſcherarum? Immo ne monſtris „ larvarum in ſolemnitatibus Clerici utantur, ſatis diſerte prohibet IN„NOCENTIUS III. (in c. 12. 10. de vit. & hon. Cler.) Atque inde recte „ concludunt ZABARELLA (in Clem. 2. q. 3. de vit. & hon. Cler.) BAR„BOSA (ad Canon. Nullus, 7. diſt. 44.) Clericis prorſus interdictas eſſe „ larvas, nec perſonatos illos incedere poſſe. Idemque ſentiunt LAM„BERTINUS (de jur. pat. 2, 2. q. 265.) Belletus (diſquiſ. Cler. p. 1. „ tit. diſcipl. Cler. §. 2. n. 7.) & P. Gabriel a S. Vincent. (Reſponſ. mor. „ reſp. 76. n. 1.) Porro Clericos, multoque magis *Regularem profeſſos* „ *vitam* joculatores, atque in ſcenam, pretii, quæſtuſve cauſſa prode„untes, itemque arti aſſuetos, infames habendos eſſe ſecundum FRU„CTUOSUM tradit PACICHELLIUS (de larvis c. 6. pag. 89.) Atque „ P. Gabriel a S. Vincent. (Conſil. ſeu reſpon. var. reſ. 73. n. 3.) con„cludit, quod Epiſcopus, ac ſacrorum Antiſtes nullo modo licentiam „ dare valet larvis ſe tegendi, cum per ſe malum ſit, & Clericorum, „ ac Religioſorum ſtatu indignum: Item quod *Religioſi obambulantes* „ *perſonati, graviſſime Deum offendant, ac incidant in devotionem* (ex„communicationem) propterea quod dimittant habitum. PACICHEL„LIUS (lib. de larv. cap. 7.)

„ §. 19. Quamvis autem leges adeo ſalutares ſuppetant, atque adeo „ ipſi Religioni hac ratione nihil detrahatur, tamen omnis, qui in Ter„ris, Romanum Pontificem Eccleſiarum caput venerantibus, Italia præ„ſertim & Gallia, verſatus eſt, vel cum venientibus ex Regionibus iſtis „ collocutus, ſatis novit, iſta omnia ibidem parum curari, Clericoſque „ ad unum fere omnes nihil minus cogitare, quam ut Regulas iſtas ob„ſervent. Qua de re olim jam queſtus PHILBERTUS BUGNONIUS „ (de leg. abrog. lib. 2. ſect. 25.) &c.

„ §. 20. Inter *Proteſtantes* rarior eſt *Maſcherarum* uſus. Quod ſi ta„men in aulis *Evangelicorum Principum* hæc gaudia admittantur, haud „ facile noſtris Clericis, & verbi divini miniſtris jure dedecus hoc pote„rit objici, quod perſonati incedant, vel inter larvatos deprehendantur. „ Optime enim intelligunt, quid deceat venerandum hunc ordinem, „ quantumque ſuo exemplo proficiat, vel noceat.

V. Hæc fuſius ex homine Lutherano tranſcribere volui. Utinam ſaltem vel ab ipſa natura inſitus defendendi propriæ Religionis decorem inſtin-

ſtinctus ſevocaret Catholicos Clericos ab iis inaniſſimis fabulis, & corruptelis, quas vel ipſi Hæretici, tanquam clericali ſtatui infeſtas deteſtantur. Ii omnes, quibus vera Catholica Religio cordi eſt, haud poſſunt non ſummopere commoveri, & rubore perfundi, & mæſtitia angi, dum talia in hæreticis legunt. Quoniam, hinc diſcunt nil fortius Hæreticorum converſionem remorari, quam Catholicorum & maxime Clericorum peſſimos mores. Iſtorum vitia in errore obfirmant homines a vera devios Religione, cujus tamen veritati nil mali evenire poteſt ex malitia eorum, qui illam profitentur.

VI. Expergiſcantur ergo tandem aliquando Lutherani, qui ob flagitia Catholicorum, & maxime Sacerdotum, utinam paucorum, in noſtræ Catholicæ ſanctiſſimæque Religionis veritatem obganniunt. Vicem illis reddere, ſi vellemus, non valde nobis laborandum eſſet, ut ſtupra, ſacrilegia, crapulas, & cœtera immania flagitia, quæ miraculorum loco, in novæ antieuangelicæ Religionis confirmationem, patravit ipſorum Legiſlator Lutherus, ob oculos poneremus: Non deeſſent illius ſequacium pejora exempla: at nos ſcimus aliunde Religionis veritatem, quam ab eorum, qui illam profitentur, moribus hauriendam eſſe. Hinc noſtrorum tum ſæcularium, tum Eccleſiaſticorum quorundam lapſus, & crimina lacrymantes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, candide fatemur, & execramur. Utinam ſinceritatem noſtram imitarentur Lutherani, qui ſæpius calumniantur Religionem noſtram, eidem aliquorum Catholicorum vitia adſcribentes. Iſtius infamandi Catholicos anſæ exemplum nobis in hoc de quo agimus argumento porrigit *D. Bergerus* qui *Summiſtis* noſtris imponit, Clericorum larvas approbaſſe, notamque dementiæ Doctiſſimo CAJETANO impingit (§. 19.) *Eo dementiæ* (inquit urbanus, & modeſtus Lutheranus) abrepti ſunt Summiſtæ præſertim CAJETANUS *verbo larvæ*. VIVALDUS (cap. 13. vid. PACICHELLIUM cap. 7. pag. 99.) *conſuetudinem hi probant, quæ in Lombardia eſſe dicitur, quæ, tempore carnis privii, quod dicunt, clerici incedere queunt perſonati*. Quam putida, & homine honeſto indigna calumnia iſthæc ſit, ad Cajetanum ſaltem quod pertinet (nec enim nunc tantum adeſt otii, ut ſingulos evolvam Summiſtas) ex ſola textus Cajetani lectione patet. En autem integrum *Cajetani* textum de larvis.

VII. Larvarum uſus illicitus ex circumſtantia aliqua redditur, & non " eſt ſecundum ſe illicitus: ut patet ex hoc, quod in repræſentationibus " eſt licitus. Nec ſolum redditur illicitus ex malo fine, & incongruo tem- " pore, loco, & modo, ſed ex conditione perſonæ plurimum penſandus " eſt. Nam quia tempore, quo quaſi inſanire licet, larvæ aſſumuntur, " juventutis hæc eſt licentia: & propterea a gravibus viris aliena cenſe- " tur. *Et licet magnates etiam Eccleſiaſtici ad excuſandas excuſationes* " *in peccatis dicant* ſe maxime decere ut larvati incedant, ut poſſint li- " bere diſcurrere incogniti, quod non deceret illos manifeſtos, *nibilominus* "

„ *nus non excuſantur*. Tum quia tales non egent propter graves toto an-
„ no occupationes. Tum quia non ad recreandum animum, ſed ad ſu-
„ perfluam agunt delectationem. Tum quia, non curant cognoſci, im-
„ mo plures eorum volunt cognoſci. Tum quia ſcandalizantur puſilli ex
„ Prælatis *præſertim Eccleſiaſticis larvatis*. *Et merito*, quia perſonas ſub-
„ eunt levium, & juvenum ſecundum morem. Et hoc eſt valde penſan-
„ dum: ſcriptum eſt enim: *Qui ſcandalizaverit unum ex iſtis puſillis*
„ *expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, &c.*

VIII. Ubi hic, vel unicum verbum, quo Longobardiæ Clericis, ut licitam permittat Cajetanus larvarum conſuetudinem? An quod in Magnates & Prælatos potiſſimum invehatur, idcirco Clericis favet, ſi expreſſe aſſerit ex Prælatorum larvis, *præſertim*, puſillos offendi; indicans abſolute populum ex Eccleſiaſticorum, licet *præſertim* ex Prælatorum larvis ſcandalum perpeti? Quod confirmatur ex eo, quod initio ſtatuat larvarum uſum potiſſimum illicitum fieri ex conditione perſonæ. Quid quod apertis verbis Clericis ludum larvarum interdictum eſſe ſcribit in eadem *Summ. verb. Clericus* „ Clericorum peccata ſpecialia ex tranſgreſſione juris poſitivi ſunt:
„ tot, ut vix numerari queant. Tenentur ſiquidem quoad habitum de-
„ ferre raſuram; hoc eſt clericam, & tonſuram . . . . deferre habitum
„ clericalem clauſum deſuper, non nimia brevitate, aut longitudine no-
„ tabilem &c. . . . Quo ad artes. Artes macellariorum, ſeu Carnificum,
„ Tabernariorum, *joculatorum*, ſeu hiſtrionum, goliardonum, & buffo-
„ num, & Chirurgorum ab eis tolluntur . . . . Quo ad actiones, arma
„ portare, ad Tabernam ire, niſi in itinere, aves, caneſque ſequi ad ve-
„ nandum accipitres, caneſque pro venatione habere, conducere a ſæcu-
„ laribus agros, ad aleas vel taxillos ludere, ludis hujuſmodi intereſſe &c.
„ Clericis eſt prohibitum. „ Si Cajetanus vel ipſam venationem, quæ ſuapte natura nil turpitudinis olet, Clericis prohibitam ſcribit, quanto magis ludum larvarum? At argumentatione non eſt opus, ſi vel ludis intereſſe conceptis verbis, Clericis illicitum eſſe doceat. Sed de hoc pluſquam ſatis.

F I N I S.

9. 2. 151
Z

003664553